COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL. I.

LIPSIAE,
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXXXI.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL. I.

LIPSIAE,

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLXXXI.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI.

EDITORES LECTORIBVS
S.

Neque imitandi uano studio adducti neque adeo gloriolae adipiscendae inani spe hanc selectarum dissertationum syllogen instituimus, sed huius ut uniuersitatis philologorum adulescentium commodis bene prospiceremus. Qua in sylloge nulla edetur commentatio nisi de qua bonam spem concepimus fore, ut aliqua ex parte quaestionem propositam adiuuet et promoueat. In singulis nihil addidimus, nihil suppressimus suam quemque scriptorem partem defensurum esse arbitrati. Vos autem quicumque hunc libellum legetis has uti litterarum primitias benigno animo accipiatis rogatos uolumus. Valete.

INDEX DISSERTATIONVM.

DE

FONTIBUS ZONARAE

QUAESTIONES SELECTAE.

SCRIPSIT

PAULUS SAUERBREI.

Accuratius primus inquisivit in Zonarae fontes Adolfus Schmidt, qui praeclara illa dissertatione anno 1839 edita quos auctores exscripserit Zonaras in duodecim primis libris conficiendis gravissimis argumentis demonstravit. Deinde post longum temporis intervallum anno 1876 Ferdinandus Hirsch in libro, qui inscribitur 'Byzantinische Studien' illam sibi sumpsit provinciam, ut omnium noni et decimi saeculi scriptorum Byzantinorum fontes detegeret atque illustraret. Quo in opere a pag. 377—391 etiam de Zonara dicit atque quibus ex auctoribus fluxerint quae libris decimo quinto (a capite decimo septimo) et decimo sexto (usque ad caput vicesimum tertium) narrantur nos edocet. Videmus igitur totam partem interiectam, libros dico decimum tertium et quartum atque ex parte etiam quintum, inexploratam iacere atque desertam. Qua de causa opus incohatum suscipientes huius quidem partis fontibus indagandis operam dedimus atque nunc de iis quae nobis explorasse videmur litteris mandabimus. Sed de libri decimi tertii fontibus cum nondum constet sententia nostra, alio tempore, si otium viresque suppeditabunt, absolvemus quaestionem. Hoc unum nobis liceat dicere, non ex iis qui adhuc integri exstant libris maximam partem eorum quae libro decimo tertio narrantur hausisse nobis videri Zonaram, sed ex fonte deperdito. Hac autem dissertatione decimi quarti et quinti libri fontes accuratius tractare nobis proposuimus, quo opere non nihil et ad Zonaram et ad fontes eius aestimandos et emendandos nos collaturos esse confidimus. Atque incipium capiemus ab libri decimi tertii capitibus vicesimo quarto et quinto percensendis, qui ad Marciani, cui Leo primus successit, imperium spectant.

Sed cum Zonaras non solum a vetustiorum, verum etiam a scriptorum aequalium ratione historias conscribendi vel maxime recedat, simul e re esse putavimus, priusquam ad ipsam accederemus quaestionem, paucis exponere, quo modo fontes suos exscribentem Zonaram nostra in parte deprehenderimus. Hunc ad finem locos quosdam Zonarae fontisque eius hic apponemus:

Theoph. I pag. 566, 12 sq. ed. Bonn.

Ῥωμαίων βασιλέως Λεοντίου ἔτος α΄. Τούτῳ τῷ ἔτει Λεόντιος ἐβασίλευσε καὶ πάντοθεν εἰρηνικὸς διέμεινεν.

Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσεν Ἄλιδος τῇ Ῥωμανίᾳ· καὶ πολλοὺς αἰχμαλωτεύσας ὑπέστρεψεν. καὶ ἐστασίασε Σέργιος ὁ πατρίκιος τῆς Λαζικῆς καὶ τοῦ Βαρνουκίου, καὶ ταύτην τοῖς Ἄραψιν ὑπέταξεν.

Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσαν οἱ Ἄραβες τῇ Ἀφρικῇ, καὶ ταύτην παρέλαβον, καὶ ἐκ τοῦ οἰκείου στρατοῦ ταξατιῶνα ἐν αὐτῇ κατέστησαν. ὁ δὲ Λεόντιος ταῦτα μαθὼν ἀποστέλλει τὸν πατρίκιον Ἰωάννην, ἄνδρα ἱκανόν, μετὰ πάντων τῶν Ῥωμαϊκῶν πλωϊμάτων. τούτου δὲ ἐν Καρθαγένῃ φθάσαντος, καὶ πολέμῳ τὴν τοῦ ἐκεῖσε λιμένος ἄλυσιν ἀνοίξαντος, καὶ τοὺς ἐχθροὺς τρέψαντος καὶ ἐκδιώξαντος, ἅπαντα τὰ τῆς Ἀφρικῆς κάστρα ἠλευθέρωσεν· καὶ καταλιπὼν ταξατιῶνα ἴδιον, τῷ βασιλεῖ ταῦτα ἀνήγαγεν. καὶ ἐκεῖσε ἐχείμασε κέλευσιν παρ᾽ αὐτοῦ ἐκδεχόμενος. ὁ δὲ πρωτοσύμβουλος ταῦτα μαθὼν δυνατώτερον καὶ πολὺν στόλον κατ᾽ αὐτῶν ἀποστέλλει· καὶ τὸν προλεχθέντα Ἰωάννην σὺν τῷ αὐτοῦ στόλῳ πολέμῳ τοῦ λιμένος διώκει· καὶ εἰς περίδρομον λιτὸν ἔνδον παραλαβών, ἔξωθεν φοσσατικῶς ἠπλίκευσεν. ὁ δὲ προλεχθεὶς ἐπὶ Ῥωμανίαν ἀνέκαμψε, πλειοτέραν δύναμιν παρὰ τοῦ βασιλέως βουλόμενος κομίσασθαι. καὶ ἦλθεν ἕως Κρήτης ἐπὶ

Zonar. III pag. 324, 8 sq. ed. Dindorf.

Τούτων δὲ γενομένων ὁ Λεόντιος τῆς βασιλείας ἐκράτησεν,

ἐφ᾽ οὗ οἱ Ἄραβες τὰς Ῥωμαϊκὰς κατατρέχοντες χώρας πολλοὺς αἰχμαλώτους ἐλάμβανον,

εἶτα καὶ τὴν Ἀφρικὴν ὑφ᾽ ἑαυτοὺς ἐποιήσαντο.

στέλλει τοίνυν τοῦτο μαθὼν ὁ βασιλεὺς Λεόντιος ἕνα τῶν πατρικίων Ἰωάννην, ἄνδρα δραστήριον, μετὰ τοῦ στόλου παντὸς τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ τὴν Ἀφρικὴν ἀνασώσασθαι· ὃς καὶ πολέμῳ τοὺς ἐκεῖ τρεψάμενος Ἄραβας τὴν Ἀφρικὴν αὐτῶν ἠλευθέρωσε,

κἀκεῖ παρεχείμασε, γράψας τὰ πεπραγμένα τῷ βασιλεῖ καὶ τὸ ποιητέον ἀναμένων ἐπιταγῆναι αὐτῷ. ὁ δὲ τῶν Ἀγαρηνῶν πρωτοσύμβουλος, οὕτω γὰρ ἐκάλουν τοὺς σφῶν προεξάρχοντας, τὰ κατὰ τὴν Ἀφρικὴν συμβεβηκότα μαθών, καὶ ἐν δεινῷ τὴν ἐκ ταύτης ποιούμενος ἔκπτωσιν, στόλον ἑτοιμάζει βαρύτατον, καὶ στέλλει αὖθις τὴν Ἀφρικὴν ἀνακαλεσόμενος. πρὸς ὃν ὁ ῥηθεὶς πατρίκιος Ἰωάννης ναυμαχῆσαι μὴ ἐξαρκῶν, τοῦ λιμένος ἐξέστη, καὶ

Theophanes.

τὸν βασιλέα πορευόμενος. ὁ δὲ στρατὸς ὑπὸ τῶν ἰδίων ἀρχόντων ἑλκόμενος καὶ εἰς τὸν βασιλέα ἀναβαλεῖν μὴ βουλόμενος (εἶχε γὰρ αὐτοὺς φόβος καὶ αἰσχύνη) εἰς βουλὴν πονηρὰν ἐξετράπη. καὶ τοῦτον ἀνέσκαψαν, ψηφισάμενοι βασιλέα Ἀψίμαρον δρουγγάριον τῶν Κιβυραιωτῶν εἰς Κουρικιώτας ὑπάρχοντα, Τιβέριον αὐτὸν μετονομάσαντες. τοῦ δὲ Λεοντίου ἐν Κωνσταντινουπόλει τὸν Νεωρήσιον λιμένα ἐκκαθαίροντος, ἡ τοῦ βουβῶνος λύμη ἐνέσκηψε τῇ πόλει, καὶ πλῆθος λαοῦ ἐν τέσσαρσι μησὶ διέφθειρε. καταλαμβάνει δὲ Ἀψίμαρος ἅμα τῷ συνόντι αὐτῷ στόλῳ, καὶ προσώρμησεν ἀντικρὺ τῆς πόλεως ἐν Συκαῖς. ἐπὶ χρόνον δέ τινα τῆς πόλεως παραδοῦναι Λεόντιον μὴ βουλομένης, προδοσία γέγονε διὰ τοῦ μονοτείχους Βλαχερνῶν καὶ ὑπὸ ἐξωτικῶν ἀρχόντων τῶν τὰς κλεῖς τοῦ χερσαίου τείχους μεθ' ὅρκου φρικτοῦ ἐκ τῆς ἁγίας τραπέζης ἐμπιστευθέντων· οὗτοι δι' ἐπιβουλῆς παρέδωκαν τὴν πόλιν. εἰσελθόντες δὲ οἱ τῶν πλωϊμάτων στρατιῶται εἰς τοὺς οἴκους τῶν πολιτῶν ἐγύμνωσαν τοὺς οἰκήτορας αὐτῶν. ὁ δὲ Ἀψίμαρος τὸν μὲν Λεόντιον ἐρινοκόπησεν, καὶ ἐν τῇ μονῇ τοῦ Δαλμάτου ὑπὸ φυλακὴν εἶναι κατέστησεν. τοὺς δὲ ἄρχοντας καὶ φίλους αὐτοῦ ὡς συναποθανόντας αὐτῷ τύψας καὶ δημεύσας ἐξώρισεν· Ἡράκλειόν τε τὸν γνήσιον αὐτοῦ ἀδελφὸν ὡς λίαν ἱκανώτατον

Zonaras.

ἐπανήρχετο πρὸς τὸν βασιλέα, αἰτήσων πλείονα δύναμιν. γενομένου δὲ κατὰ τὴν Κρήτην τοῦ Ῥωμαϊκοῦ στόλου, οἱ τοῦ λαοῦ προϊστάμενοι, πῇ μὲν δι' αἰσχύνης ποιούμενοι τὸ ὑποχωρῆσαι τῆς Ἀφρικῆς τοῖς πολεμίοις ταύτης παραχωρήσαντες, πῇ δὲ καὶ δεδοικότες τὴν τοῦ βασιλέως ὀργήν, πείθουσι τὸ ναυτικὸν εἰς ἀποστασίαν ἐκκλῖναι, καὶ δυσφημῆσαι τὸν Λεόντιον, εὐφημῆσαι δὲ βασιλικῶς τὸν Ἀψίμαρον τῶν Κιβυρραιωτῶν ὄντα δρουγγάριον, ὃν αὐτίκα καὶ Τιβέριον μετωνόμασαν. οὗτος οὖν ἅμα τῷ στόλῳ καταλαβὼν τὸ Βυζάντιον ἐν Συκαῖς τὰ σκάφη προσώρμισεν. ὁ δέ γε Λεόντιος τὴν τῆς πόλεως φυλακὴν διὰ φροντίδος πεποίητο. ἀλλά τινες τῶν ἐπαρχεωτῶν ἀρχόντων τὸ κατὰ Βλαχέρνας τεῖχος φυλάσσειν λαχόντες, ἐκεῖθεν εἰσήγαγον τὸν Ἀψίμαρον, καὶ ταῦτα μεθ' ὅρκων φρικτῶν τὰς κλεῖς ἐμπιστευθέντες τῶν τοῦ τείχους ἐκείνου πυλῶν. εἰσελθόντες οὖν οὕτως οἱ τοῦ στόλου τὰς οἰκίας τῶν πολιτῶν ἐληίσαντο. ὁ δὲ Ἀψίμαρος τὸν μὲν Λεόντιον ἀφείλετο τῆς ῥινὸς καὶ ὑπὸ φυλακὴν ἐποιήσατο, βασιλεύσαντα ἔτη τρία, τοὺς δὲ αὐτῷ συναιρομένους ἐκ τῶν ἀρχόντων τυπτήσας καὶ τῶν ὑπαρχόντων στερήσας ὑπερορίους ἐποίησεν. καὶ ὁ μὲν Ἀψίμαρος ἢ Τιβέριος οὕτω τῆς βασιλείας ἐκράτησεν, αὐτίκα δὲ τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Ἡράκλειον πάντων τῶν ἱππικῶν καὶ πεζῶν στρατευμάτων στρατηγὸν

Theophanes.

μονοστράτηγον πάντων τῶν ἔξω καβαλλαρικῶν θεμάτων προβαλόμενος ἐπὶ τὰ μέρη Καππαδοκίας καὶ τῶν κλεισουρῶν διατρέχειν, καὶ τὴν κατ' ἐχθρῶν ποιεῖσθαι φροντίδα τε καὶ διοίκησιν ἀπέστειλεν.

Ῥωμαίων βασιλέως Ἀψιμάρου ἔτος α'.

Τούτῳ τῷ ἔτει Ἀψίμαρος τῆς βασιλείας ἐκράτησεν. καὶ ἐστασίασεν Ἀβδεραχμὰν ἐν Περσίδι, καὶ ἐκυρίευσεν αὐτῆς, καὶ ἐδίωξε τὸν Χαγάνον ἀπ' αὐτῆς.

Τούτῳ τῷ ἔτει γέγονε θανατικὸν μέγα. καὶ ἐπεστράτευσε Μουαμὲδ σὺν τῷ πλήθει τῶν Ἀράβων κατὰ τοῦ Ἀβδεραχμάν, καὶ καταλαβὼν τὴν Περσίδα ἑνοῦται τῷ Χαγάνῳ, καὶ πολεμήσαντες τῷ Ἀβδεραχμάν, κτείνουσιν αὐτόν, καὶ πάλιν τῷ Χαγάνῳ τὴν Περσικὴν ἐνεχείρισαν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι κατέδραμον Συρίαν, καὶ ἔρχονται ἕως τῶν Σαμοσάτων, καὶ προνομεύσαντες τὴν πέριξ χώραν πολλοὺς ἀπέκτειναν, ὥς φασι, χιλιάδας σ' Ἀράβων· καὶ σκύλα πλεῖστα λαβόντες καὶ αἰχμαλωσίαν πολλὴν Ἀράβων, ὑπέστρεψαν φόβον μέγαν ἐμποιήσαντες εἰς αὐτούς.

Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσεν Ἀβδελᾶς εἰς Ῥωμανίαν, καὶ πολιορκήσας Τάραντον καὶ μηδὲν ἀνύσας, ὑπέστρεψεν τὴν Μόψου Ἑστίαν, καὶ ἔθετο ἐν αὐτῇ φύλακας.

Τούτῳ τῷ ἔτει Βαάνης, ὁ

Zonaras.

μονώτατον προβαλόμενος στέλλει πρὸς ἕω τοῖς Ἀγαρηνοῖς ἀντιτάττεσθαι.

κατέδραμον οὖν τὴν Συρίαν Ῥωμαῖοι, καὶ μέχρι Σαμοσάτων ἀφίκοντο, τὰ πέριξ ἅπαντα προνομεύσαντες καὶ πολλοὺς σφόδρα τῶν Ἀγαρηνῶν διεχρήσαντο, καὶ δοριαλώτους ἑλόντες πλείστους καὶ λείαν ἄλλην ἀμύθητον φόβον μέγαν τοῖς Ἄραψιν ἐνεποίησαν.

Βαάνης δέ, ᾧ ἐπταδαίμων

Theophanes.	Zonaras.
ἐπίκλην Ἑπταδαίμων, τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν τοῖς Ἄραψιν ὑπέταξεν. Ἀψίμαρος δὲ Φιλιππικὸν τὸν υἱὸν Νικηφόρου τοῦ πατρικίου εἰς Κεφαληνίαν ἐξώρισεν, ὡς ὀνειροπολούμενον βασιλεύειν. ἔφασκε γὰρ ἑωρακέναι κατ' ὄναρ, ὅτι ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐσκιάζετο ὑπὸ ἀετοῦ. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ βασιλεύς, παραχρῆμα αὐτὸν ἐξώρισεν.	ἐπίκλησις, τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν τοῖς Ἄραψι προύδωκεν.
Τούτῳ τῷ ἔτει ἐστασίασαν οἱ ἄρχοντες Ἀρμενίας κατὰ τῶν Σαρακηνῶν, καὶ τοὺς ἐν Ἀρμενίᾳ Σαρακηνοὺς ἀπέκτειναν. καὶ αὖθις πρὸς τὸν Ἀψίμαρον πέμπουσιν, καὶ Ῥωμαίους εἰς τὴν αὐτῶν χώραν φέρουσιν. ὁ δὲ Μουαμὲδ ἐπιστρατεύσας κατ' αὐτῶν, πολλοὺς κτείνει· καὶ τὴν μὲν Ἀρμενίαν Σαρακηνοῖς ὑποτάσσει, τοὺς δὲ μεγιστάνας Ἀρμενίας σωρεύσας ἐν τόπῳ ἑνὶ ζωοκαύστους ἐποίησεν.	εἶτα οἱ ἄρχοντες Ἀρμενίας κατα τῶν Ἀγαρηνῶν στασιάσαντες ἐκείνους μὲν ἔκτειναν, πρὸς δὲ τὸν Ἀψίμαρον διεπέμψαντο καὶ Ῥωμαίους αὖθις εἰς τὴν χώραν ἐδέξαντο. ἀλλ' ὁ Μοάμεδ κατ' αὐτῶν ἐπελθὼν ὑπὸ τοὺς Ἀγαρηνοὺς καὶ πάλιν τὴν Ἀρμενίαν πεποίηκε καὶ τοὺς τῶν Ἀρμενίων προέχοντας ζῶντας κατέκαυσε.
κατ' αὐτὸν δὲ τὸν χρόνον ἐπεστράτευσεν Ἀζὰρ τῇ Κιλικίᾳ μετὰ χιλιάδων δέκα· καὶ περιτυχὼν αὐτῷ ὁ Ἡράκλειος ὁ ἀδελφὸς τοῦ βασιλέως τοὺς πλείστους ἀπέκτεινεν, καὶ τοὺς λοιποὺς δεσμίους τῷ βασιλεῖ ἀπέστειλεν.	τότε καὶ κατὰ τῆς Κιλικίας Ἀγαρηνοὶ ἐπεστράτευσαν, οἷς συμβαλὼν ὁ τοῦ βασιλέως ὁμαίμων Ἡράκλειος τοὺς μὲν πλείονας μαχαίρας ἔργον εἰργάσατο, τοὺς δὲ λοιποὺς ζωγρήσας δεσμίους τῷ κρατοῦντι ἐξέπεμψε.

Cognoscimus ex his locis collatis Zonarae rationem fontes exscribendi. Quod attinet ad res quas narrat primum animadvertas, quaeso, Zonaram nihil dicere, quod in fonte non invenerit, nisi quod hic illic interpretationem de suo addit aut ex memoria repetita nonnulla inserit. Certe igitur hoc quidem tenendum est, consulto nunquam eum aut res pervertere aut aliter disponendo et collocando falsae interpretationis locum dare studere. Sed suum interponere iudicium quod quidem arte critica niteretur vix ausus est: quae ei exscribenda videntur, haec, ut invenit, in historiam

suam recipit. Sed vel hoc cavendum est, ne putemus aequa diligentia atque continuo ordine Zonaram singulas fontis sui partes tractare. Ut enim ex locis Theophanis et Zonarae supra collatis elucet, hanc fontis partem diligentissime exscribit, illam plane omittit: quare fieri potest, ut verum rerum conexum haud raro interruptum et divulsum apud Zonaram inveniamus. Contra in singulis quas de fonte depromit partibus fontis sententia optime ab eo servatur, sed ita ut pleraeque narrationes in brevius redigantur. Dictionem eius fontisque contemplantibus et comparantibus nobis vel maxime Zonaras secernendus est ab aliis historicis Byzantinis aetate paene aequalibus, dico Georgium Monachum, Georgium Cedrenum, Leonem Grammaticum, alios, qui quidem ad verbum fere fontes exscribere consueverunt. Zonaras imprimis eis in partibus, ubi Theophanem sequitur graecum sermonem prope in barbaricum vertere solitum, ad id animum intendit, ut et structuram et verba aliquantulum ornatiora et politiora redderet. Sed etiam, ubi defuit talis causa, fontis dictionem mutavit idque ita, ut aliam enuntiationem reciperet in narrationem suam, aliam mutaret atque, ubi necesse videbatur, emendaret. Quibus de ratione Zonarae historias conscribendi expositis ad ipsum propositum accedamus. Incipiamus igitur in fontibus Zonarae indagandis ab imperio Marciani imperatoris, qui Theodosio secundo anno p. Chr. n. 450 successit.

Narrat Zonaras libr. XIII cap. XXIV (apud Dindorf. III pag. 245 sq.), Pulcheriam post mortem Theodosii Marcianum ad se accitum consensu patriarchae Constantinopolitani et senatus nuncupasse imperatorem. Deinde exponit, duobus miraculis longe antea Marciano esse praedictum, eum aliquando regnaturum. His in rebus mirum in modum Zonaras congruit cum Theophane tom. I pag. 159 sq. ed. Bonn. easdem res referente. Ex parte etiam consentit cum his Euagrius, qui in eccles. hist. libr. II cap. I praeter alias res etiam alterum illud, quod Marciano contigisse dicitur, miraculum eiusque in regnum elevationem pari fere modo exponit. Quibus rebus nixus Koecher in dissertatione, quae inscribitur: De Iohannis Antiocheni aetate, fontibus, auctoritate, pag. 37—40 contendit, illos tres auctores, et Euagrium et Theophanem et Zonaram, his in rebus enarrandis communi fonte usos esse Eustathio Epiphaniensi, qui historias ex multis auctoribus exscriptas usque ad annum p. Chr. n. 502 deduxit. Sed liceat mihi ipsius Koecheri verba afferre. Dicit l. c. pag. 38:

'Conferenti igitur ea, quae Euagrius (III 25) de morte Theodorici, Triarii filii, ex Eustathio se exscripsisse testatur, cum

Theophanis (pag. 195 ed. Bonn.) de eadem re narratione apparet Theophanem quoque ex Eustathio sua hausisse. (Conferas etiam de elevatione imperatoris Anastasii Theoph. p. 210 cum Euagr. III 29, qui hoc quoque loco Eustathium nominat.) Quare omnia, quaecumque inter Euagrium et Theophanem accurate congruunt, ex Eustathio fluxisse putanda sunt, quamquam is a Theophane nusquam, ab Euagrio non omnibus his locis nominatur (cfr. e. gr. Theoph. p. 186 et Euagrium III 1 de primordiis imperii Zenonis). Cum utroque autem Zonaras multis locis ita congruit, ut ipse quoque haud dubie Eustathio usus sit (Zon. III p. 249. 250. 251. 253 = Theoph. p. 167. 183. 179. 178. 180). Ubi igitur ad verbum cum Theophane congruit (Zon. III p. 249 = Theoph. p. 167), ibi verba Eustathii habemus'.

Et paullo post:

'Sin autem ea, quae inter Euagrium, Theophanem et Zonaram accurate congruunt, a ceteris aliunde petitis accurate segregantur, Eustathii chronicon potest restitui'.

Non in omnibus his rebus Koechero assentior. Assentior ei affirmanti, Euagrium in rebus civilibus enarrandis paene solum exscripsisse Eustathium atque etiam Theophanem magnam partem earum rerum, quas describit usque ad Amidam a Persis expugnatam (I p. 222), eidem debere Eustathio: Zonaram vero aut cognovisse aut inspexisse Eustathium prorsus nego: contra ubi in Eustathium recedere videntur quae Zonaras dicit, Theophanem eum secutum esse contendo. Historiae, quas ex Eustathio et Theophanem et Zonaram hausisse contendit Koecherus, hae sunt: Narratio de caede Valentiniani et Roma ab Geiserico expugnata (Theoph. I 167. 170. 183. Zon. 249—50), narratiuncula illa de Isocasio quaestore Antiochiae (Theoph. I 178. Zon. 251—52), descriptio expeditionis a Basilisco contra Vandalos factae (Theoph. I 178—80. Zon. 253), narratio de Basilisci contra Zenonem seditione (Theoph. I 186 sq. Zon. 255 sq.) et de Illi seditione ac morte (Theoph. I 197—98. 200. 201. 204. Zon. p. 257.) Accedunt ad haec alii quoque utriusque auctoris loci, de quibus suo loco disseremus. Nunc quidem causas afferamus, quibus permovemur, ut res supra dictas non ex Eustathio, sed ex ipso Theophane Zonaram deprompsisse statuamus. Certissime Koecherus in Zonarae libr. XIII capp. XXIV et XXV, quamquam hoc non expresse dicit, non solum narrationem de caede Valentiniani, verum etiam de elevatione Marciani eiusque ante electionem fatis ex Eustathio fluxisse sibi persuasit: nam miram haec quoque pars cum Theophane et ex parte etiam cum

Euagrio, ut supra dixi, similitudinem prae se fert. Quod si statuimus, accipiendum est, Theophanem, quae a pag. 159 v. 11 usque ad pag. 162 v. 9 narrat, ad verbum ex Eustathio petiise: nam comparatis Theophanis Zonaraeque narrationibus verisimile fit Zonaram unum eundemque textum, quem apud Theophanem invenimus, inspexisse, cum ratio qua hic Theophane usus est mire consentiat cum ratione eius, quam antea exposuimus, fontes exscribendi. Conferas quaeso haec:

Theoph. I 159, 11 sq.	Zon. p. 245, 1 sq.
ἡ δὲ μακαρία Πουλχερία, μήπω τινὶ τῆς τοῦ βασιλέως τελευτῆς γνωσθείσης, μεταστειλαμένη Μαρκιανόν, ἄνδρα ἐν σωφροσύνῃ καὶ σεμνότητι διαπρέποντα, γέροντα ὄντα ἱκανώτατον, λέγει πρὸς αὐτόν· ἐπειδὴ ὁ βασιλεὺς ἐτελεύτησεν, ἐγὼ δὲ σὲ ἐξελεξάμην ἐκ πάσης τῆς συγκλήτου, ὡς ἐνάρετον· δός μοι λόγον, ὅτι φυλάττεις τὴν παρθενίαν μου, ἣν τῷ θεῷ ἀνεθέμην, καὶ ἀναγορεύσω σε βασιλέα. τοῦ δὲ συνθεμένου τοῦτο ποιεῖν, μεταστέλλεται τὸν πατριάρχην καὶ τὴν σύγκλητον, καὶ ἀναγορεύει αὐτὸν βασιλέα Ῥωμαίων. *Ῥωμαίων βασιλέως Μαρκιανοῦ ἔτος α΄.* *Τούτῳ τῷ ἔτει Μαρκιανὸς ὁ εὐσεβὴς θείᾳ ψήφῳ αὐτοκράτωρ ἀναδειχθείς, τοὺς ἐν ἐξορίᾳ πάντας ἀνεκαλέσατο. ἡ δὲ μακαρία Πουλχερία τὸν παμμίσητον Χρυσάφιον τὸν εὐνοῦχον ἐκδέδωκεν Ἰορδάνῃ τῷ παιδὶ Ἰωάννου, τοῦ ἐν Ῥώμῃ τυραννήσαντος, καὶ προσχωρήσαντος πρὸς Ἀρδαβούριον καὶ Ἄσπαρα, καὶ εἰς τὸ Βυζάντιον ἐλθόντος, καὶ τιμῆς ἀξιωθέντος, ἀναιρεθέντος δὲ δόλῳ ὑπὸ Χρυ-*	*Πουλχερία δὲ μήπω πολλοῖς γνωσθείσης τῆς τοῦ αὐτοκράτορος τελευτῆς τὸν Μαρκιανὸν μετεπέμψατο, ἄνδρα γηραιὸν ἤδη, χρηστὸν δὲ τοὺς τρόπους καὶ σώφρονα, καὶ ἀπαγγέλλει αὐτῷ τοῦ βασιλέως τὸν θάνατον, καί φησιν ὡς ‛σὲ παρὰ πάντας εἰς βασιλέα προκέκρικα, εἴ μοι δῴης πληροφορίαν τηρῆσαί μου τὴν παρθενίαν ἀνέπαφον, ἣν τῷ θεῷ ἀνατέθεικα’. τοῦ δὲ συνθεμένου, μετακαλεῖται τὸν πατριάρχην καὶ τὴν βουλήν, καὶ ἀναγορεύει τοῦτον καὶ ταινιοῖ διαδήματι.*

Theophanes.

σαφίου· ὃν λαβὼν Ἰορδάνης ἀνεῖλεν. ἄξιον δέ ἐστιν, καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς τοῦ θεοῦ εἰς Μαρκιανὸν τὸν βασιλέα ἐκλογὴν σημᾶναι. ἐν τοῖς παρῳχηκόσι χρόνοις, ἐν οἷς ὁ Περσικὸς πόλεμος ἐκινήθη, στρατιώτης ὢν λιτὸς ὁ Μαρκιανὸς μετὰ τοῦ ἰδίου νουμέρου ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος κατὰ Περσῶν ἀπῄει, καὶ γενόμενος ἐν Λυκίᾳ, ἀρρωστίᾳ περιέπεσεν, καὶ καταλειφθεὶς ἐν πόλει Σύδημα, κἀκεῖσε χρονοτριβήσας, προσκολλᾶται δύο ἀδελφοῖς τισιν Ἰουλίῳ καὶ Τατιανῷ καλουμένοις· οἵτινες εἰς τὸν ἴδιον οἶκον λαβόντες αὐτόν, διανέπαυσαν. εἰς θήραν δὲ ἐξελθόντες, ἔλαβον αὐτὸν μεθ' ἑαυτῶν. κοπιάσαντες δὲ περὶ μεσημβρίαν, ἐκοιμήθησαν. προεξυπνισθεὶς δὲ ὁ Τατιανὸς θεωρεῖ τὸν Μαρκιανὸν εἰς τὸν ἥλιον κοιμώμενον, καὶ ἀετὸν παμμεγεθέστατον ἐπ' αὐτὸν ἐλθόντα καὶ τὰς ἑαυτοῦ πτέρυγας διαπετάσαντα καὶ σκιὰν ἐπ' αὐτῷ περιποιούμενον. καὶ τοῦτο θεασάμενος, ἐγείρει τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν καὶ τὸ θαῦμα ὑποδείκνυσι· καὶ ἐπὶ πολὺ θαυμάζοντες τὴν τοῦ πετεινοῦ εὐνοϊκὴν δουλείαν, ἐξυπνίζουσι τὸν Μαρκιανόν. e. q. s.

Zonaras.

ἦν δὲ ὁ Μαρκιανος οὔτε τῶν ἐπιφανῶν πρῴην οὔτε τῶν ἐκ γένους λαμπροῦ, ἀλλὰ στρατιώτης ἁπλῶς· ὅς ποτε εἰς ἐκστρατείαν σὺν τῷ οἰκείῳ τάγματι ἀπιὼν κατὰ τὴν Λυκίων ἐπαρχίαν ἐνόσησε καὶ τῶν ὁμοταγῶν ἀπελείφθη. ξενισθεὶς οὖν ἐκεῖ παρά τισι δυσὶν ἀδελφοῖς, ὧν τῷ μὲν ἡ κλῆσις Ἰούλιος, τῷ δ' ἑτέρῳ Τατιανός, καὶ τῆς νόσου ῥαΐσας, θηρεύσων ἔξεισι σὺν τοῖς ξενισταῖς. ἐν δὲ τῷ θηρεύειν γεγονότες κατάκοποι κατὰ γῆς ἀνεκλίθησαν, ἑαυτοὺς ἀναπαύσοντες, καὶ ὕπνωσαν περὶ μεσημβρίαν. τὸν ὕπνον δὲ πρὸ τῶν ἄλλων ὁ Τατιανὸς ἀποτιναξάμενος, ἀετὸν ὁρᾷ διαπεπετασμέναις ταῖς πτέρυξι κατασκιάζοντα τὸν Μαρκιανὸν καὶ τὸν ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος ἀφαιρούμενον καύσωνα. θαυμάσας οὖν ἠρέμα διυπνίζει τὸν ἀδελφὸν καὶ τὸ καινὸν ὑποδείκνυσι· κἀκεῖνος οὖν ἐξεπέπληκτο. e. q. s.

Theophanem illas relationes ad verbum ex Eustathio exscripsisse, ob eam causam veri est dissimile, quod Euagrii libri II caput I, quamquam illic Priscum rhetorem nominat, tamen certissime ex Eustathio fluxit uberioremque quam Theophanis relationem redolet. Ibi enim tertium quoque miraculum narratur, quo Marcianum divina providentia servatum esse cognoscimus. Atque Eustathium in ipso secundo, quod apud Theophanem et Zonaram legimus, miraculo ennarrando uberiorem fuisse, apparet ex Theo-

phane et Euagrio comparatis, quibus tertium apponemus Zonaram, ut videas, quam anxie hic Theophanis vestigia premat:

Euagrius II 1.	Theoph. I 161, 14 sq.	Zon. 245, 32 sq.
ἐπειδὴ γὰρ Ἄσπαρι συνεστράτευσε κατὰ Βανδίλων, δορυάλωτός τε γέγονε σὺν ἑτέροις πλείστοις, παρὰ πολὺ τῶν Βανδίλων ἡττηθέντος τοῦ Ἄσπαρος, ἀνὰ τὸ πεδίον ἤχθη μετὰ τῶν ἄλλων ἀνδραπόδων, Γιζερίχου τοὺς ζωγρηθέντας ἰδεῖν βουληθέντος. οἵπερ ἐπειδὴ ἡλίσθησαν, ἔν τινι τῶν ὑπερῴων ὁ Γιζέριχος καθῆστο, τῷ πλήθει τῶν σαγηνευθέντων ἡδόμενος· καὶ τοῦ καιροῦ τριβομένου, ὡς ἂν ἑκάστοις ἐδόκει, διετέλουν. ἀνεῖσαν γὰρ οἱ φύλακες τὰ δεσμὰ Γιζερίχου προστάξαντος. ἄλλος μὲν οὖν ἄλλοτι ἐπεπράχει· Μαρκιανὸς δὲ καθεὶς ἑαυτὸν ἐς τὸ πεδίον, ὑπὸ τῷ ἡλίῳ ἐκάθευδε θερμῷ τε ὄντι καὶ διαπύρῳ παρὰ τὴν ὥραν τοῦ ἔτους. ἀετὸς δέ e. q. s.	κατῆλθεν μετὰ τοῦ Ἄσπαρος εἰς Ἀφρικὴν παρατάξασθαι εἰς Γιζέριχον, καὶ ἐν τῷ πολέμῳ ἐκρατήθη. Γιζερίχου δὲ ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐλῇ τοὺς αἰχμαλωτισθέντας ἀποκλείσαντος, καὶ ἐκ τῶν ὑπερῴων κατενόει αὐτούς. καὶ περὶ μεσημβρίαν παρακύψας ὁρᾷ τὸν Μαρκιανὸν καθεύδοντα, καὶ ἀετὸν ἐλθόντα e. q. s.	αὖθις οὖν σὺν Ἄσπαρι στρατευόμενος κατὰ Οὐανδήλων πόλεμον ἀραμένῳ, αἰχμάλωτος σὺν ἑτέροις πλείστοις ἑαλωκώς, ἐν αὐλῇ τινι μετὰ τῶν συναιχμαλώτων πεφρούρητο. ἄνωθεν δὲ ὁ τῶν Οὐανδήλων ἀρχηγὸς προκύψας ἐπεσκόπει τοὺς αἰχμαλώτους, καὶ ὁρᾷ κἀκεῖνος κοιμώμενον τὸν Μαρκιανόν, καὶ ἀετὸν e. q. s.

Hac ex comparatione certissime elucet Zonaram neminem alium nisi Theophanem ante oculos habuisse. Quod aliae quoque causae confirmant. Nam eodem ordine quo Theophanes Zonaras refert primum illas de Marciano narratiunculas, deinde templum Blacernis aedificatum, tum quartum concilium oecumenicum, deinde mortem Pulcheriae, postremo Romae per Vandalos expugnationem. Liceat mihi etiam tertiam afferre causam, qua cognita certissime mihi assentieris ipsum Theophanem exscriptum esse a Zonara. Theophanes enim non solum Eustathium sequitur, sed aliis quoque, id quod iam Koecherus affirmat, fontibus usus est. Quod si ostendi potest Zonaram has quoque Theophanis partes ex aliis fontibus repetitas ex Theophane recepisse, luce clarius fit eius fontem fuisse Theophanem. Atque quae Theophanes I 164, 14—19 de Pulcheria

dicit ex Theodoro Lectore exprompsit, Zonaras vero eodem loco eadem secundum Theophanem narrat. Conferas igitur haec:

Theod. Lect. ed. Vales. p. 552.	Theoph. I 164, 14—19.	Zonar. 249, 7—11.
Πουλχερία ἡ εὐσεβὴς ἐτελεύτησεν, πολλὰ κατορθώματα καὶ πάντα τὰ ἑαυτῆς πτωχοῖς καταλείψασα· ἅπερ Μαρκιανὸς οὐκ ἀνέτρεψεν, ἀλλὰ καὶ ταῖς χρείαις ἁπάσαις προθύμως ὑπηρέτησεν. ἔκτισε δὲ καὶ εὐκτηρίους οἴκους Πουλχερία πολλούς, τὸν ἐν Βλαχέρναις, τὸν χαλκοπρατίων, τὸν Ὁδηγῶν. μεθ' ὧν καὶ τὸν Λαυρεντίου τοῦ μάρτυρος.	*τούτῳ τῷ ἔτει Πουλχερία ἡ μακαρία καὶ εὐσεβὴς ἐκοιμήθη ἐν Χριστῷ, πολλὰ ποιήσασα κατορθώματα, καὶ πάντα τὰ ἑαυτῆς πτωχοῖς καταλείψασα, ἅπερ Μαρκιανὸς πλεῖστα ὄντα προθύμως διέδωκεν. ἔκτισεν δὲ ἡ αὐτὴ πολλοὺς εὐκτηρίους οἴκους καὶ πτωχεῖα καὶ ξενῶνας καὶ ξενοτάφια. ἐν οἷς καὶ τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λαυρεντίου.*	*κατὰ τὸν τότε χρόνον καὶ ἡ βασιλὶς Πουλχερία θνήσκει εὐσεβῶς τε καὶ εὐκλεῶς καὶ ἐπ' ἐλπίσι χρησταῖς. πάντα γὰρ τὸν πλοῦτον αὐτῆς διένειμε πένησι καὶ τῷ πρὸς τούτους ἐλέῳ τὸν τοῦ θεοῦ ἐκτήσατο ἔλεον.*

Tales locos a Theophane ex Theodoro Lectore depromptos et ex Theophane a Zonara receptos postea plures inveniemus de iisque infra disseremus.

Insunt in hac parte quam demonstravimus fluxisse ex Theophane, verba quaedam, quibus non consentit Theophanis lectio. Legimus enim apud Theophanem I 162, 18: *τῷ δὲ Ἰουλίῳ τὴν τῶν Λιβύων ἐνεχείρησεν ἀρχήν.* Apud Cedrenum, qui et ipse hoc loco Theophanem sequitur, scriptum invenimus I pag. 604, 9 ed. Bonn.: *τῷ δὲ Ἰουλίῳ τὴν τῶν Λυκίων ἐνεχείρισεν ἀρχήν.* Zonaras exhibet 246, 17: *Ἰουλίῳ δὲ τὴν Ἰλλυριῶν ἀρχὴν ἐνεχείρισεν.* Putaverim, cum et Theophanis cod. Vatic. 154 praebeat *Λυκίων*, Cedreni lectionem esse principalem atque apud Theophanem et Zonaram restituendum esse *τὴν τῶν Λυκίων ἀρχήν.* Lyciam provinciam fuisse apparet ex Hierocle (Const. Porph. III p. 395, 20 ed. Bonn.). Contra Illyricum tunc temporis non provincia, sed praefectura fuit. In iis, quae Hierocles p. 391, 10 dicit: *ζ' ἐπαρχία Ἰλλυρικοῦ. α' Μακεδονία*, vocabulum *Ἰλλυρικοῦ* glossema videtur esse et scribendum *ζ' ἐπαρχία Μακεδονία α'*, cf. Mommsen in diss. acad. lit. Berol. 1862 pag. 508.

Quae Zonaras a pag. 249, 11 usque ad pag. 250, 21 dicit de morte Valentiniani, de Romae per Vandalos expugnatione, de Eudoxia, Valentiniani uxore eiusque filiabus Eudocia et Placidia, haec quoque hausta sunt ex Theophane I p. 167, 14—169, 1. 170, 10—14 et 183, 13—184, 4. Theophanes his locis in Eustathium recedit, quod comprobatur consensu eius cum Euagrio II 7. Confer igitur haec:

Theoph. I 167, 14 sq.	**Zon. 249, 11 sq.**
τούτῳ τῷ ἔτει Οὐαλεντινιανὸς ὁ τῆς Ῥώμης βασιλεὺς τῶν μὲν ὀρθῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων ἀντελαμβάνετο, πολλὴν δὲ τὴν παρανομίαν ἐν τῇ ἑαυτοῦ διεκέχρητο διαίτῃ. εὐπρεπεστάτῃ γὰρ γυναικὶ Εὐδοξίᾳ τῇ θυγατρὶ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως συνοικῶν ἀλλοτρίαις δαιμονιωδῶς ἐκέχρητο. ὡμίλει δὲ συνεχῶς καὶ τοῖς τὰ περίεργα πράττουσι. διὸ καὶ αἰσχίστῳ παραδίδοται θανάτῳ. Μαξίμου γὰρ τοῦ ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου τυραννήσαντος ἔγγονος καὶ ὁμώνυμος ἐν τοῖς κατὰ τὴν Ῥώμην πατρικίοις τελῶν, ἔνδον τοῦ παλατίου γενόμενος, τὸν Οὐαλεντινιανὸν ἀπέσφαξεν, καὶ τῇ Εὐδοξίᾳ βίᾳ συνεγένετο, καὶ τῆς βασιλείας ἐκράτησεν. e. q. s.	*Οὐαλεντινιανὸς δὲ ὁ ἀνεψιὸς Ὀνωρίου, οὗ ἄνω που ἐπεμνήσθημεν ὡς ἐκ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ γεννηθέντος τῆς Πλακιδίας, βασιλεύων ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ, ἄγεται εἰς γυναῖκα Εὐδοξίαν τὴν παῖδα τοῦ νέου Θεοδοσίου. ἐκδεδιῃτημένως δὲ βιώσκων καὶ ἀσελγῶς, τὴν μὲν οἰκείαν γαμετὴν εἶα, καίτοι κάλλους εὖ ἔχουσαν, ἀλλοτρίαις δὲ συνεφθείρετο· ἐκέχρητο δὲ καὶ μαντείαις καὶ γοητείαις. οὕτω δὲ βιώσκων οὐκ εὐαγῶς, ἀποβιώσκει ἐλεεινῶς. Μάξιμος γὰρ εἷς τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ πατρικίων, ἔγγονος δὲ τοῦ πάλαι τυραννήσαντος Μαξίμου, ὃν ὁ μέγας κατεπολέμησε Θεοδόσιος, ἔνδον τῶν βασιλείων γενόμενος, ἐν αὐτοῖς τὸν Οὐαλεντινιανὸν ἀποσφάττει, καὶ τῇ Εὐδοξίᾳ βίᾳ συμμίγνυται, καὶ τῆς βασιλείας κρατεῖ.* e. q. s.

Quam prope accedat Zonarae dictio ad Theophanis dictionem diversam ab Euagrii, e sequente comparatione cognosces:

Euagrius II 7.	**Theoph. I 168, 19 sq.**	**Zon. 250, 7 sq.**
καὶ τὴν μὲν πρεσβυτέραν τῶν Εὐδοξίας θυγατέρων Εὐδοκίαν Ὀνωρίχῳ συνάπτει τῷ οἰκείῳ παιδί, Πλακιδίαν δὲ τὴν νεωτέραν ἅμα	*καὶ τὴν μὲν Εὐδοκίαν Ὀνωρίχῳ τῷ πρωτοτόκῳ υἱῷ αὐτοῦ συνέζευξεν, τὴν δὲ Πλακιδίαν ἄνδρα ἔχειν μαθὼν Ὀλύβριον τὸν πα-*	*καὶ τὴν μὲν τῶν θυγατέρων αὐτῆς, τὴν Εὐδοκίαν, τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν οἰκείων υἱῶν Ὀνωρίχῳ συνέζευξε, τὴν δέ γε Πλα-*

Euagrius.	Theophanes.	Zonaras.
Εὐδοξίᾳ τῇ μητρὶ σὺν θεραπείαις ὕστερον βασιλικαῖς ἐς Βυζάντιον ἐκπέμπει, Μαρκιανὸν ἡμερούμενος, ἐνῆγε γὰρ αὐτὸν ἐς ὀργὴν τότε τὴν Ῥώμην ἐμπεπρῆσθαι τότε τὰς βασιλίδας οὕτω περιυβρίσθαι· ἡ μὲν οὖν Πλακιδία γάμοις ὁμιλεῖ κελεύσματι Μαρκιανοῦ Ὀλυβρίῳ ταύτην ἐνοικισαμένῳ· ὃς ἐπίσημος τῆς γερουσίας ἐτύγχανεν ὢν ἐκ τῆς Ῥώμης ἁλούσης ἀνὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν ἀφικόμενος.	τρίκιον, μετὰ τῆς μητρὸς ἐφύλαξεν Εὐδοξίας. 170, 10—14. τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Εὐδοξία ἡ θυγάτηρ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως, γυνὴ δὲ Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ τρίτου μετὰ μιᾶς θυγατρὸς Πλακιδίας, γυναικὸς Ὀλυβρίου, ἐπανῆλθεν ἐξ Ἀφρικῆς· ἡ γὰρ Εὐδοκία τῷ υἱῷ Γιζερίχου Ὀνωρίχῳ ἐζεύχθη καὶ οὐκ ἐπανῆλθεν.	κιδίαν μαθὼν ἀνδρὶ κατηγγυῆσθαι τῷ πατρικίῳ Ὀλυβρίῳ, ἐτήρει σὺν τῇ μητρὶ Εὐδοξίᾳ, ἔνθα δύο διαγαγοῦσα ἐνιαυτοὺς ἡ βασιλὶς Εὐδοξία ἐπανῆλθεν εἰς τὸ Βυζάντιον μετὰ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς Πλακιδίας, Μαρκιανοῦ βασιλεύοντος. ἡ γὰρ Εὐδοκία σὺν τῷ ἀνδρὶ κατελείφθη e. q. s.

In extrema hac parte Zonaras dicit Placidiam, cum maritum propter eius arianismum deseruisset, primum Constantinopolim, deinde Hierosolyma venisse ibique esse mortuam. Ab his Theophanes eo differt, quod pag. 183, 13 sq. Placidiam ab Africa profectam recta via Hierosolyma adventantem facit. Fortasse Zonaras illud alii fonti debet; veri tamen similius mihi videtur esse, Zonaram hoc loco non recte inspexisse Theophanem ideoque Zonarae ipsi esse adscribendum, quod dicit, Placidiam prius Constantinopolim venisse quam Hierosolyma iter faceret. — Vidimus igitur capitum XXIV et XXV maximam partem fluxisse ex Theophane. Nunc cetera quae in his capitibus insunt illustremus. Quae Zonaras a pag. 246, v. 20 usque ad pag. 249, v. 7. dicit, ex Theophane hausta esse non possunt. Duae res illo loco enarrantur, primum historia quarti concilii oecumenici Chalcedone habiti, deinde narratiuncula illa de recta fide per S. Euphemiam approbata. Talium rerum theologicarum plures fontes Zonaram secutum esse per se vel maxime probabile est; nam in monasterio historias conscribenti praesto ei fuisse illorum librorum, quibus acta conciliorum, vitae sanctorum, aliae eiusmodi res continebantur, abundantiam, quis est qui neget? Qua de causa etiamsi his in rebus certum plerumque Zonarae fontem detegere possumus, tamen in

huiusmodi relationibus multa insunt, quae in fontibus desideramus, quorum originem demonstrare operae pretium non erit. Ita etiam hoc loco in quarti concilii historia exponenda plurima hausisse videtur Zonaras e Cedreno I pag. 604, 16 sq. ed. Bonn., nonnulla ex Theophane I 163 sq. recepisse: alia vero, quae refert, in utroque illo auctore desiderantur, velut praeter Leonem Romae papam etiam Anatolium patriarcham Constantinopolitanum a Marciano petiisse, ut concilium convenire iuberet et alia. Ceterum Cedrenus l. c. hausit ex Georgio Monacho, quod comparatione demonstratur:

Georg. Mon. p. 506, 24 sq., ed. Muralt.	**Cedrenus I p. 604, 16 sq.**	**Zonaras 246, 26.**
καὶ ἡ δ' γέγονε σύνοδος τῶν χλ' πατέρων ἐν Καλχηδόνι ἔτει τῆς Μαρκιανοῦ βασιλείας πρώτῳ, ἧς ἡγοῦντο Λέοντος μὲν τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης τοποτηρηταὶ Πασχάσιος καὶ Λουκίνσιος ἐπίσκοποι καὶ Βονεφάτιος πρεσβύτερος, Ἀνατόλιος Κ. Π., Ἰουβενάλιος Ἱεροσολύμων, Μάξιμος Ἀντιοχείας, ἔχοντες συναθλοῦσαν e. q. s. — κατὰ Εὐτυχοῦς — καὶ Διοσκόρου — λεγόντων, μὴ εἶναι τὴν σάρκα τοῦ Κυρίου ὁμοούσιον ἡμῖν, ἀλλ' ἐκ δύο μὲν φύσεων τὴν ἕνωσιν γενέσθαι μίαν δὲ ἀποτελεσθῆναι μετὰ τὴν ἕνωσιν καὶ ὡς ἐν φαντασίᾳ τὴν σάρκα φορέσαι τὸν Κύριον μυθολογούντων καὶ τῇ θεότητι πάθος προσνεμόντων.	τῷ β' αὐτοῦ ἔτει ἡ ἐν Χαλκηδόνι ἁγία τετάρτη σύνοδος γέγονεν ὑπὸ πατέρων χλ', ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς πανευφήμου Εὐφημίας, κατὰ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου καὶ Νεστορίου τῶν ματαίων, λεγόντων μήτε τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ὁμοούσιον ἡμῖν εἶναι, ἀλλ' ἐκ δύο μὲν φύσεων τὴν ἕνωσιν λέγεσθαι, μίαν δὲ φύσιν ἀποτελεσθῆναι μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ ὡς ἐν φαντασίᾳ τὴν σάρκα φορέσαι τὸν κύριον μυθολογούντων καὶ τῇ θεότητι πάθος ἀπονεμόντων. ἡγοῦντο δὲ τῆς συνόδου Λέοντος πάπα Ῥώμης τοποτηρηταὶ Πασχάσιος καὶ Λουκίνσιος ἐπίσκοποι καὶ Βονιφάτιος πρεσβύτερος, Ἀνατόλιος Κωνσταντινουπόλεως, Ἰουβενάλιος Ἱεροσολύμων.	ὡρίσθη τοίνυν σύνοδον γενέσθαι, καὶ συνηθροίσθησαν εἰς τὸν ἐν Χαλκηδόνι ναὸν τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας θεοφόροι πατέρες ἑξακόσιοι καὶ τριάκοντα. ἐξῆρχον δὲ τούτων Λέων ὁ πάπας Ῥώμης καὶ ὁ Κωνσταντινουπόλεως Ἀνατόλιος καὶ Ἰουβενάλιος Ἱεροσολύμων. συνήθροιστο δὲ τὸ τῶν πατέρων πλῆθος κατὰ Διοσκόρου καὶ Εὐτυχοῦς, ἑτεροούσιον ἡμῖν τὴν σάρκα τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν φορέσαι μυθολογούντων καὶ μίαν φύσιν e. q. s.

Hac opportunitate commode utor, ut de Georgio Monacho et Georgio Cedreno et Leone Grammatico nonnulla dicam. Georgius Monachus maximum numerum fragmentorum suorum — nam alio nomine non appellaverim, quae sub eius nomine exstant et a Muralto edita sunt — hausit ex Theophane. In Georgii Cedreni compendio historiarum tres partes, quoad describit historiam Byzantinam a Marciani usque ad Leonis Armenii imperium, inter se separandas esse censeo. Unam enim ex Theophane depromsit, alteram e Georgio Monacho, tertiam aliunde petivit. Ita etiam in historia quarti illius concilii enarranda, quae non reperiuntur apud Georgium Monachum aut ei adeo adversantur, ex Theophane sumpsisse videtur. Eadem de Leone Grammatico dici possunt, nisi quod multo saepius Georgium Monachum quam Theophanem eum secutum esse comparatione horum trium auctorum elucet. Sed de his auctoribus haec dixisse mihi sufficiat: suo loco plura addemus: revertamur nunc ad Zonaram.

Post concilium quartum illustratum fusius Zonaras narrat Anatolium S. Constantinopolis patriarcham miraculo illo per S. Euphemiam perpetrato non solum asseclis suis, verum etiam Nestorianis persuasisse, suam, id est concilii Chalcedonensis fidem rectam atque iustam esse. Hanc miraculosam narratiunculam apud Theophanem, Georgium Monachum, Leonem Grammaticum, Cedrenum non reperimus, verum in vita S. Anatolii edita in actis sanctorum s. d. secundo Iulii mensis pag. 663 sq. Certissime huius vitae exemplar fortasse aliquantulum integrius quam in actis sanctorum editum est inspexit et exscripsit Zonaras. Conferas quaeso initium utriusque narrationis:

Vita S. Anatolii.

ἐπεὶ δὲ καὶ αὖθις ὁ Διόσκορος ὁ δυσώνυμος μετὰ τῶν ὁμοφρόνων τὴν ἐπὶ τῇ καθαιρέσει μὴ ἐνεγκόντες αἰσχύνην, ἀνὰ τὴν πόλιν ἐφοίτων, καὶ τὰ τῆς συνόδου διέβαλλον, τὸ Νεστορίου μιαρὸν δόγμα κρατύνειν αὐτὴν φάσκοντες, καὶ τὸ γλυκὺ πικρόν, κατὰ τὴν παροιμίαν, καὶ τὸ φῶς σκότος ἐποίουν· ὡς δῆλα ταῦτα τῷ τῆς ἐκκλησίας λαμπτῆρι Ἀνατολίῳ γεγόνασι, τὸν λαὸν πάντα συναγαγών, ὅσοι τε τοῦ ὀρθοῦ λόγου καὶ ὅσοι τοῦ ἐναντίου, φησὶ πρὸς αὐτούς· πα-

Zonaras.

τῶν δὲ τοῦ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου τῶν αἱρεσιωτῶν ἀνὰ τὴν πόλιν στρεφομένων καὶ διαχλευαζόντων τὰ ὑπὸ τῆς συνόδου δογματισθέντα, κἀκ τῆς βασιλικῆς δυναστείας λεγόντων τὸ κράτος τῇ συνόδῳ περιεῖναι, καὶ οὐκ ἐκ τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν οἰκείαν συνιστᾶν πειρωμένων ἔτι κακοδοξίαν, ὁ πατριάρχης Ἀνατόλιος ἐκκλησιάσας τούς τε αὐτῷ ὁμογνώμονας καὶ τοὺς ἀντιδοξοῦντας ἔφη πρὸς τοὺς ἐναντίους ʿἐπεὶ ἔτι τῆς οἰκείας δόξης ἀντέχεσθε καὶ οὐ πείθεσθε

Vita S. Anatolii.

τέρες καὶ ἀδελφοὶ (πρὸς γὰρ τοὺς ὁμοδόξους ὁ λόγος) . . . .

. . . .

ἐπεὶ δὲ καὶ ἔτι τινὲς τῆς χριστιομάχου ταύτης αἱρέσεως τὴν ἡμετέραν νίκην ὑπ' ὀδόντα διαχλευάζουσι καὶ τὰ Νεστορίου μᾶλλον κρατύνειν τὴν ἱερὰν σύνοδον διαβάλλουσιν· ἐκκαλυπτέον δὲ τοῦτον αὐτῶν τὸν δόλον καὶ τὴν ἐπίνοιαν καὶ μὴ τοῖς ζῶσιν καὶ ἀπελθοῦσιν ὁσίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἤδη τελειωθεῖσιν ὑπὲρ Χριστοῦ μάρτυσιν ἐπιτρεπτέον τὴν κρίσιν. οὕτω γὰρ ἂν ἀναντίῤῥητος πᾶσι γένοιτο ἡ ἀλήθεια. γραφήτω τοίνυν τότε ἡμέτερον δόγμα καὶ τῶν ταῦτα λογοποιούντων, καὶ ἄμφω τῆς θήκης ἐντὸς τῆς πολλῆς ἐν μάρτυσιν Εὐφημίας ἀποτιθήτω, καὶ δῆλον ὡς ὁ τῷ θεῷ εὐάρεστον, ἐκεῖνο δὴ καὶ ἡ μάρτυς ἡμῖν γνωριεῖ. e. q. s.

Zonaras.

μὴ δοξάζειν ὀρθῶς, ἀλλ' αἰτιᾶσθε ἡμᾶς ὡς τὸ Νεστορίου παραδεχομένους δόγμα, δύο φύσεις ἐπὶ τοῦ σωτῆρος κηρύττοντας, ἑκατέρας τηρούσης ἀσυγχύτους τὰς ἰδιότητας, ἐπιτρεπτέον, εἰ δοκεῖ, τῷ θεῷ τὴν περὶ τούτου διάκρισιν, καὶ γραφήτω μὲν παρ' ὑμῶν ἐν τόμῳ τὸ ὑμέτερον περὶ τῆς πίστεως φρόνημα, γραφήσεται δὲ καὶ παρ' ἡμῶν τὸ ἡμέτερον· καὶ ἄμφω τὼ τόμω ἐν τῇ λάρνακι τεθήτων τῆς πανευφήμου μάρτυρος Εὐφημίας. καὶ ταύτῃ τὴν κρίσιν δοτέον τῶν ὀρθῶν καὶ διαστρόφων δογματιστῶν'. e. q. s.

Ita ambae relationes consentiunt usque ad finem, ubi Zonaras nonnulla, quae in vita S. Anatolii desiderantur, addit, cum dicit, porrexisse S. Euphemiam dextra manu illum orthodoxorum codicem regi et patriarchae, atque nonnullos Nestorianos ad rectam fidem hoc miraculo conversos esse. Aut igitur exemplar vitae S. Anatolii, quod exstat in actis sanctorum nonnullis locis mutilatum est, aut aliunde Zonaras haec additamenta recepit. Simile quid enarratum invenimus in actis S. S. mens. Sept. XVI tom. V p. 278: *ταῦτα οὖν ποιήσαντες, ἅμα τῷ πλησιάσαι τὸν Χάρτην ἐν τῷ τιμίῳ αὐτῆς λειψάνῳ παράδοξόν τι καὶ μέγα ὁ τῶν θαυμάτων δημιουργὸς εἰργάσατο Κύριος· τὴν γὰρ τῆς μάρτυρος τεθνηκυῖαν καὶ ἄψυχον ψυχώσας χεῖρα, ἐξέτεινε, καὶ τὸν Χάρτην λαβοῦσα ἡ πανεύφημος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ χειρὶ καὶ τοῦτον ἀσπασαμένη, ἀπέδωκε πάλιν εὐσεβῶς τὸν τῆς πίστεως ὅρον τοῖς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως λειτουργοῖς* e. q. s.

Vidimus igitur in imperio Marciani describendo Theophanem fuisse principalem Zonarae fontem, nonnulla e Cedreno et vita S. Anatolii fluxisse.

A pag. 250 vers. 21 Zonaras se vertit ad res ab Leone Magno gestas illustrandas, quibus in rebus eum alium fontem ducem secutum esse cognoscemus. Transeamus igitur ad Leonem Magnum.

Imperium Leonis Magni describitur a Zonara p. 250, 21—254, 28. Fontem, qui principalis Zonarae hac in parte dux fuerit, ostendere nobis non contigit. Hoc cadit non modo in descriptionem imperii Leonis Magni, verum in totam partem historiae ab imperio Leonis Magni usque ad imperium Iustini secundi pertinentis. Ut statim dicam, quod comparatis omnibus illius aetatis fontibus verisimile mihi videtur esse, tres partes historiae apud Zonaram vel maxime inter se separandae sunt. Primam ex fonte nobis ignoto hausit, in secunda magnam similitudinem habet cum Cedreno, Malala, Theophane, aliis, tertiam quin ex Theophane hauserit dubitari nequit. Nunc in singulas partes inquiramus.

Zonaras in extremo libri XIII capite XXV narrat de morte Marciani, de elevatione Leonis, de eiusdem origine et condicionibus. In his singulis rebus binas relationes apud eum invenimus.

In altera quae est de morte Marciani relatione et de imperii eius annis conspirat cum Malalae chronographia: cf. Mal. ed. Bonn. p. 367, 11 et 368, 16—18.

Zon. 250, 21.	**Mal.**
Μαρκιανὸς δὲ θνήσκει ἓξ βασιλεύσας ἔτη καὶ μῆνάς τινας, ὡς μέν τινες λέγουσιν, νοσήσας, ... πρεσβύτης γενόμενος καὶ ζήσας ἐπὶ μακρόν.	*ἐβασίλευσε δὲ (Μαρκιανὸς) ἔτη ϛʹ καὶ μῆνας εʹ. . . . . καὶ ὀργισθεὶς διὰ τὴν ταραχὴν ἐστύφθη τοὺς πόδας αὐτοῦ· καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀῤῥωστήσας ἐπὶ μῆνας πέντε καὶ σαπεὶς ἐτελεύτα, ὢν ἐνιαυτῶν ξεʹ.*

Sed quamquam res hoc loco enarratae apud Malalam reperiuntur, tamen Zonaras non e Malala, sed uterque scriptor e communi fonte hausisse mihi videtur. Quod Zonaras secundum alium fontem dicit, Marcianum arbitrio Asparis veneno esse interemptum, in ceteris auctoribus, qui adhuc integri exstant, non repperi. Quod deinde sequitur apud Zonaram de virtute Marciani, ne hoc quidem in tali, quali apud Zonaram contextu in ceteris auctoribus reperitur, verum in fragmento quod a Suida servatum est. Cf. haec:

Zonaras.	**Suidas** (C. Müller fr. hist. Graec. IV 100; Dindorf hist. Graec. min. I p. 332, 8).
ἐπιεικὴς δὲ τὴν γνώμην ὢν καὶ πρὸς τοὺς ὑπηκόους χρηστὸς ἔλεγε μὴ δεῖν ὅπλα βασιλέα κινεῖν, ἕως εἰρηνεύειν ἐξόν. μέγα δὲ τότε δυνάμενος ὁ πατρίκιος Ἄσπαρ οὐχ ᾑρετίσθη βασιλεῦσαι παρὰ τοῦ δήμου τῆς πόλεως, ὅτι τῆς Ἀρείου ἦν μετέχων αἱρέσεως.	*Μαρκιανοῦ δὲ τοῦ βασιλέως χρηστοῦ μὲν γεγονότος, θᾶττον δὲ ἐκβεβιωκότος,*
διὸ τὸν Λέοντα αὐτὸς ἐβασίλευσεν, ὡς μέν τινες ἱστόρησαν, αὐτοβούλως . . .	*αὐτοκελεύστῳ γνώμῃ Ἄσπαρ Λέοντα διάδοχον αὐτοῦ γενέσθαι παρεσκεύασεν.*

Huius quidem Suidae fragmenti certa origo demonstrari nequit; Prisco Niebuhrius attribuit, cui aliquo modo assentitur Mueller cum dicit: 'Prisco haec tribui possunt, si ex iis quae Priscus per plures libros de Ardaburio narrasse debet, pauca delibasse Suidae auctorem statueris'.

Hoc certissime accipi potest, optimum fontem redolere hoc fragmentum, quod nobis sufficiat. Unde contrariam illam relationem, Aspari potestatem imperatoris creandi a populo datam esse, Zonaras hauserit, non liquet, ac ne illud quidem, Leonem cum per Asparem imperator fieret, promisisse Aspari, se unum ex filiis eius Caesarem esse nuncupaturum. Mea sententia has diversas de modo elevationis Leonis narrationes eidem fonti debet. Theophanem fontem eius fuisse minime statui potest: confer Theoph. I p. 179, 17 sq. 180, 13 sq. 182, 1 sq. — Quae deinde in capite XXV exeunte de Leonis ante ipsius elevationem condicione deque patria illius dicit, partim in Theophanem, partim in Candidum Isaurum recedere videntur; conferas quaeso locos hosce:

Zonaras.	**Theoph. I p. 170, 16.**	**Cand. Isaur.** (Müller fr. hist. IV 135; Dindorf hist. Gr. min. I 141, 1).
ἔνιοι δὲ τριβοῦνον εἶναι αὐτόν φασι καὶ τῶν ἐν Σηλυβρίᾳ τελῶν ἄρχοντα. καὶ οἱ μὲν ἐκ Θρᾳκῶν τὸ γένος ἕλκειν αὐτὸν λέγουσιν, ἄλλοι δὲ ἐκ Δακῶν τῶν ἐν Ἰλλυριοῖς.	*τούτῳ τῷ ἔτει Λέων ἐβασίλευσεν, Θρᾷξ τῷ γένει, τριβοῦνος τὴν ἀξίαν.*	*ἀνεγνώσθησαν Κανδίδου ἱστορίας λόγοι τρεῖς. ἄρχεται μὲν τῆς ἱστορίας ἀπὸ τῆς Λέοντος ἀναρρήσεως, ὃς ἦν ἐκ Δακίας μὲν τῆς ἐν Ἰλλυριοῖς, στρατιωτικῷ παραγγείλας τάγματι καὶ τελῶν ἄρξας τῶν ἐν Σηλυμβρίᾳ, τὴν βασιλείαν δὲ σπουδῇ Ἄσπαρος ἐγχειρισθείς.*

Theophanes hoc loco Theodorum Lectorem sequitur: cf. Theod. Lect. ed. Vales. p. 552. Vidimus igitur maximam capitis XXV exeuntis partem recedere in fontem incertum, qui quidem optimos auctores ut Priscum et Candidum secutus esse videtur, in una re e communi cum Malala fonte Zonaram hausisse verisimile est, nonnulla ex Theophane recepit. Illum fontem incertum non esse Eustathium postea exemplo certissimo demonstrabimus. — Sequitur igitur Zonarae libri XIV caput primum. In huius capitis initio Zonaras a pag. 251 vers. 9 usque ad vers. 31 refert, Asparem multis modis a Leone imperatore petiisse, ut filium suum secundum illud promissum nuncuparet Caesarem, tandem Leonem precibus fatigatum filium eius Caesarem fecisse. Seditionem plebis hanc ob rem exortam esse Constantinopoli; quam Leonem et verbis et factis suis sedasse. Deinde vero cum cognovisset, Asparem eiusque asseclas insidias sibi parare, Leonem Asparem et Ardaburium de medio sustulisse. Haec tota pars ita, ut apud Zonaram exstat, apud ceteros auctores non reperitur. Soli Cedrenus I pag. 607, 16 sq. et Leo Grammaticus ed. Bonn. pag. 113, 15 sq. illud Asparis cum Leone colloquium narrant, in quo Aspar Leonis purpureum pallium manu tangens promissi illius eum monet; verum causae huius colloquii apud Cedrenum et Leonem Grammaticum et Zonaram maxime differunt. Cum enim apud Zonaram Aspar, ut filius Caesar fiat, postulet, apud Cedrenum et Leonem reperimus Asparem petentem, ut praefectus urbi dicatur homo secum in fide consentiens, id est Arianus. Praeterea quae apud Zonaram illud colloquium subsequuntur in Cedreno et Leone Grammatico prorsus desiderantur. Certe igitur hos ambos auctores Zonaras hoc loco non inspexit. Facillima vero et maxime prababilis illa coniectura videtur esse, Zonaram hanc narrationem sumpsisse ex eodem fonte secundum quem in antecedente capite narravit, Leonem ab Aspare imperatorem designatum huic ipsi promisisse se filium eius Caesarem facturum esse. Atque hic Zonarae fons hoc loco iterum recedere videtur in Candidum. Primum enim iis, quae Photius (Müller l. l. Dindorf l. l.) e Candido de Leonis et Ardaburii certaminibus dicit, nihil apud Zonaram repugnat, deinde, quod gravissimum est, una in re vel maxime consentiunt, ceteris fontibus dissentientibus. Theophanes enim (I p. 181, 18 sq.), Malalas (371, 9 sq.) Chron. Pasch. (I p. 596, 17 sq. ed. Bonn.) diserte dicunt, etiam Patricium Caesarem, alterum Asparis filium, a Leone occisum esse, cumque Euagrius II 16 idem a Prisco narratum esse testetur, elucet, hanc esse relationem Eustathii, qui eam ex Prisco

exprompsit. Contra Zonaras, Cedrenus, Leo Grammaticus, Georgius Monachus (p. 510, 26 sq.) in illa caede narranda Patricium plane omittunt. Neque tamen per neglegentiam horum auctorum hoc factum esse Candidus demonstrat, qui in illo Photii excerpto (Müller IV 135, 2; Dind. I 442, 23) dicit: *καὶ ὡς ἐντεῦθεν ἐς τὸ τραχύτερον τῆς ἐς ἀλλήλους ὑπονοίας προϊούσης, ἀναιρεῖ Λέων ὁ βασιλεὺς Ἄσπαρα καὶ τοὺς παῖδας, Ἀρδαβούριον καὶ Πατρίκιον τὸν καίσαρα. Ἀλλ' ὁ μὲν καῖσαρ τῶν πληγῶν ἀνενεγκών, παραδόξως διεσώθη καὶ διέζησεν. Ἀλλὰ καὶ ὁ ἕτερος τῶν παίδων, Ἀρμενέριχος, οὐ συμπαρὼν τῷ φύντι τὸν φόνον τότε διέφυγε.*

Videmus ex hac re, Eustathium minime fuisse Zonarae fontem: maxime vero verisimile fit, Zonarae fontem hac quoque parte recedere ad Candidi Isauri auctoritatem. Optimum Zonarae fontem fuisse ob eam quoque causam mihi statuendum videtur esse, quod in alio quoque fonte scriptum et confirmatum legimus, post Patricium Asparis filium Caesarem creatum maximam Constantinopoli exortam esse seditionem eodemque fere modo, quo apud Zonaram, sedatam esse ab Leone imperatore. Legimus enim in actis S. Marcelli (cf. Surium ad diem 29 decembris mensis): 'Cum multa accidissent inter Ardaburium et imperatorem, quae inter se ipsos inimicitias alebant et suspiciones: ex utrisque quidem natum est odium. Cum autem utrique magnum in se invicem immineret periculum, neutri autem eorum facilis erat victoria, convertuntur ad communia ineunda foedera, nempe ut Asparis quidam filius, frater autem Ardaburii, cum duxisset uxorem filiam imperatoris, Caesar crearetur. Hoc autem qui accepisset, est alius (ut dixerit quispiam) subimperator. Est enim ei et aurata purpura et alia insignia imperii nisi quod aurea corona non habet omnia insignia imperii. Is itaque accepta hac dignitate cum vivente imperatore erat omnia facturus communiter. Eo autem mortuo ipse primus et solus accepturus imperium et tamquam debita sibi sceptra sumpturus. Ea res vero non parum conturbabat ecclesiam, si rursus sit imperium Arianus invasurus. Aspar enim et eius filii et tota domus Arii insaniam mirandum in modum amplectabatur. Cum itaque omnes essent pleni tumultu, communiter convenerunt et ducibus Geladio et Marcello venerunt ad hippodromum, ut ab inhonesto et indigno hoc coepto arcerent imperatorem, qui ipse quidem ad hoc erat prompto et alacri animo, sed cedebat tempori Asparis et Ardaburii. Cum ergo sic paratus esset Christi exercitus, eis quoque ostendit deus ducem et tantum interesse

inter S. Marcellum Acoemetarum abbatem et alios sacerdotes atque pontifices, quantum inter exercitus ducem et imperatorem atque adeo (si velis) inter militem et ducem'. Atque paullo infra: 'Cum autem ingressi essent in illum locum, in quo solebat sedere imperator: erat quidem sic quoque Marcellus omnia eis qui erant ecclesiae, quin etiam libere loquebatur ad imperatorem et illis addebat animum et quodam modo eos hortabatur ad certamen pro Christo suscipiendum. Atque illi quidem, cum omnia effecissent, propter quae venerant, quae quidem erant, ut Asparis filius aut rectam disceret opinionem aut nec dignitatem Caesaris acciperet (haec enim eis pollicitus est imperator) laetantes exierunt'.

Sequitur apud Zonaram III 251, 31—252, 10 iudicium illud de Isocasio. Isocasius, quaestor Antiochiae, accusatus imprimis quod paganus esset, et in tribunal praefecti urbi vocatus ita se gessit, ut vulgus eum in ecclesiam magnam abductum baptizari iuberet, quo facto imperator libenter eum in patriam dimisit. Huius rei relationes habemus apud Theophanem, quem exscripserunt Georgius Monachus et Cedrenus, deinde apud Malalam, a quo pendet Chronicon Paschale; Leo Grammaticus denique Georgium Hamartolum sequitur. Quorum auctorum mea sententia neminem exscripsit Zonaras, sed eidem fonti atque illi quae refert debet. Apponam, ut ipse conferas, particulas omnium nostrorum auctorum, quibus quod contendi vel maxime elucet.

Theoph. I 178, 6.

τούτῳ τῷ ἔτει Ἰσοκάσιος ὁ κοιαίστωρ Ἀντιοχείας, ὁ καὶ φιλόσοφος, διεβλήθη τῷ βασιλεῖ, ὡς Ἕλλην· καὶ ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς ἐξετασθῆναι αὐτὸν παρα τῷ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων ἐν ΚΠ. ἐνεχθέντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῷ Ζευξίππῳ δεδεμένου ὀπισθάγκωνα, ἔφη πρὸς αὐτὸν Πούσεως e. q. s.

Cedr. I 612, 21.

τῷ ι' ἔτει Ἰσοκάσιος ὁ κοιαίστωρ Ἀντιοχείας, ὁ καὶ φιλόσοφος, διεβλήθη τῷ βασιλεῖ ὡς Ἕλλην· καὶ ἐκέλευσεν ἐξετασθῆναι αὐτὸν παρὰ τῷ ἐπάρχῳ ΚΠ. ἀχθέντος δὲ αὐτοῦ δεδεμένου ὀπισθάγκωνα ἔφη πρὸς αὐτὸν Ποσαῖος e. q. s.

Georg. Mon. 513, 4.

ἐπὶ αὐτοῦ Ἰσοκάσιος κοιαίστωρ Ἕλλην διαβληθεὶς εἰσήχθη πρὸς τὸν ὕπαρχον τῆς πόλεως δεδεμένος ὀπισθάγκωνα. ἔφη οὖν αὐτῷ Πασέως e. q. s.

Leo Gramm. 115, 5.

ἐπὶ αὐτοῦ Ἰσοκάσιος κοιαίστωρ, ὡς Ἕλλην διαβληθείς, εἰσήχθη πρὸς τὸν ἔπαρχον τῆς πόλεως δεδεμένος ὀπισθάγκωνα. ἔφη οὖν αὐτῷ Πάσεως e. q. s.

Zon 251, 31.

Ἰσοκάσιον δὲ τὸν κοιαίστωρα λόγιον ἄνδρα, διαβληθέντα ἐπ᾽ ἄλλοις τέ τισι καὶ ἐπὶ ἑλληνισμῷ, τῆς ἀξίας γυμνώσας τῷ ἐπάρχῳ παρέδωκεν εἰς ἐξέτασιν e. q. s.

Mal. 369, 17.

ἐν τῇ αὐτοῦ βασιλείᾳ Λέοντος κατερρήθη Ἰσοκάσιος ὁ κοιαιστώριος ὁ φιλόσοφος ὡς Ἕλλην. ὅστις κατήγετο ἐκ γένους Αἰγεώτης τῆς Κιλικίας, ἦν δὲ κτήτωρ Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης, ὅστις διήνυσεν ἀρχὰς πολλὰς μετὰ δόξης· ἦν γὰρ σφόδρα λογικός· καὶ συσχεθεὶς κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλέως διάγων τότε ἐν ΚΠ καὶ ἀποζωσθεὶς τῆς ἀξίας αὐτοῦ e. q. s.

Chr. Pasch. 595, 6.

ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων κατηγορήθη Ἰσοκάσιος ὁ φιλόσοφος καὶ κυεστόριος, ὡς Ἕλλην, ὅστις κατήγετο μὲν ἐκ γένους Αἴγεος τῆς Κιλικίας, ἦν δὲ κτήτωρ Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης καὶ οἰκήτωρ; ὅστις διήνυσεν ἀρχὰς πολλὰς μετὰ δόξης· ἦν δὲ σφόδρα λογικός. καὶ συσχεθεὶς κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλέως διὰ τὴν τότε γενομένην ἀταξίαν ἐν ΚΠ, ἀποζωσθεὶς τῆς ἀξίας αὐτοῦ e. q. s.

Sequentia deinde a Malala et Chron. Paschali fusius, a ceteris in brevius redacta narrantur. Conferas igitur etiam exitum huius narrationis:

Theoph.

καὶ ταῦτα ἀκούσας ὁ δῆμος εὐφήμησε τὸν βασιλέα. καὶ μαθὼν ὁ βασιλεὺς ἐχάρη. καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν.

Anast. bibl. ed. Bonn. Theoph. II p. 73.

quibus auditis concio laudavit imperatorem, quo comperto imperator gavisus est et dimisit eum in regionem suam.

Cedren.

ταῦτα ἀκούσας ὁ δῆμος εὐφήμησε τὸν βασιλέα. καὶ μαθὼν ὁ βασιλεὺς ἐχάρη, καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν.

Georg. Mon.

ταῦτα μαθὼν ὁ βασιλεὺς σπλαγχνισθεὶς ἐπὶ τούτῳ, ἐλεύθερον εἴασεν.

Leo Gramm.

ταῦτα μαθὼν ὁ βασιλεὺς, καὶ σπλαγχνισθεὶς ἐπὶ τούτῳ, ἐλεύθερον εἴασεν.

Zonaras.

τούτων ἀκούσας ὁ δῆμος, τὸν μὲν βασιλέα εὐφήμησε, τὸν δ' Ἰσικάσιον ἐξαρπάσαντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀπήγαγον· βαπτισθέντα δὲ τοῦτον μαθὼν ὁ κρατῶν ἥσθη.

Mal.

καὶ ἀκούσας τοῦ Ἰσοκασίου ὁ δῆμος τῶν Βυζαντίων ὁ ἑστὼς καὶ θεωρῶν, εὐφήμησε τὸν βασιλέα Λέοντα πολλά· καὶ ἀποσπάσαντες αὐτὸν ἀπήγαγον ἀπὸ τοῦ Ζευξίππου εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν. καὶ δοὺς τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατηχήθη καὶ ἐφωτίσθη· καὶ ἐπέμφθη εἰς τὴν χώραν αὐτοῦ.

Chron. Pasch.

καὶ ἀκούσας τοῦ Ἰσοκασίου ὁ δῆμος τῶν Βυζαντίων ὁ ἑστὼς καὶ θεωρῶν, εὐφήμησε τὸν βασιλέα Λέοντα πολλά· καὶ ἀποσπάσαντες τὸν αὐτὸν Ἰσοκάσιον ἀπήγαγον αὐτὸν ἀπὸ τοῦ Ζευξίππου εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν, καὶ κατηχηθεὶς ἐφωτίσθη καὶ ἐπέμφθη εἰς τὴν χώραν αὐτοῦ.

Mea sententia dubitari non potest, quin Malalas et Theophanes et Zonaras hoc loco communem fontem inspexerint; nam quominus putemus praeter Theophanem etiam Malalam in Zonarae manibus fuisse, hoc impedit, quod nullo loco certis argumentis confirmari potest, inter Zonarae fontes fuisse etiam Malalam. Qua de causa ne has quidem parvas particulas, in quibus mirum in modum cum eo consentit, in Malalam referri posse putaverim. Atque ut dicam, qualis ille fons communis mihi videatur esse, omnes res, quae apud Malalam et Zonaram similitudinem prae se ferunt, chronicum Constantinopolitanum redolent, quo et Malalam et Theophanem et et Zonaram usos esse maxime verisimile est. Reliquiae talis chronici Constantinopolitani videntur esse ea, quae Cramer in anecd. Paris. II a pag. 111, 32 usque ad pag. 114 et Valesius in fine fragmentorum Theodori Lectoris pag. 567—68 ediderunt. Atque si contuleris cum illis reliquiis a Cramero editis Theoph. ed. Bonn. I pag. 194, 19—195, 6. 278, 14—279, 3. 337, 7—19. 338, 3—9. 345, 13—14. 350, 18—19. 352, 5—11. 353, 9—354, 1. 357—359. 359, 16—360, 8. 369, 6—12, mihi concedes affirmanti, dubium non esse, quin Theophanes quidem partem aliquam chrono-

graphiae suae talibus chronicis debeat. Idem de Malala et Zonara accipiendum est eis locis, ubi res in ipsa urbe Constantinopoli gestas alias paucissimis verbis annotatas alias magna garrulitate enarratas invenimus. Itaque eidem fonti ascribam, quae deinde Zonaras narrat, Leonem filias suas Zenoni et Marciano in matrimonium dedisse. Quamquam enim haec quidem Zonaras haurire potuit ex diversis Theophanis locis (I p. 172, 16 sq. 196, 4—9), tamen, si conferamus, quae Malalas dicit p. 375, 12—18, statuere cogimur, haec quoque ex illo communi fonte fluxisse. — Narratur deinde apud Zon. III 252, 15—253, 9 maximum illud incendium, per quod Leone regnante octo Constantinopolis regiones combustae sunt. Fusior Zonarae de hac re explicatio solius Credreni descriptione (I p. 609, 23 sq.) aequiperatur, ceteri pauca tantum verba de illo incendio faciunt. Magnum consensum et in descriptione et in verbis Cedrenus et Zonaras ostendunt, sed quominus Zonaram e Cedreno hausisse putem, duo impediunt argumenta. Primum enim ea, quae ex Theophane I 174, 4 sq. deprompsit Cedrenus, Zonaras non recepit, deinde ipse praeter alias minoris momenti duas res affert, quas apud Cedrenum desideramus. Dicit enim: *ὅτε λέγεται καὶ ὁ Ἄσπαρ διαθέειν τὰς ἀγυιὰς ἀγγεῖον ὕδατος πλῆρες ἐπὶ τῶν ὤμων φέρων καὶ τὸν δῆμον παρακαλῶν ὁμοίως ποιεῖν, ἵνα τὸ πῦρ κατασβέσωσι, καὶ διδοὺς ἑκάστῳ ὑπὲρ μισθοῦ νόμισμα ἀργυροῦν*, deinde: *διήρκεσε δὲ τὸ πῦρ ἐκεῖνο τὴν πόλιν νεμόμενον ἐφ' ἡμερῶν τετρακτύν.* Quod attinet ad primam harum relationum, rursus ad Candidum Isaurum confugere possumus, de quo Photius dicit (Müller IV 135 b. Dindorf I 442, 8): *διέρχεται δὲ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ λόγῳ τὴν Ἄσπαρος καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ δυναστείαν· τὴν ἀνάρρησι διὰ τοῦ Ἄσπαρος Λέοντος, τὸν συμβάντα τῇ πόλει ἐμπρησμὸν καὶ ὅσα Ἄσπαρι περὶ τούτου ἐπὶ τὸ κοινῇ συμφέρον διαπέπρακται.* Puto igitur huius incendii descriptionem non desumptam esse e Cedreno, sed utriusque relationem fortasse recedere ad Candidum. Videtur igitur Zonaras, postquam e chronico Byzantino nonnulla desumpsit, rediisse iterum ad fontem illum incertum, de quo supra diximus. In quo vel maxime ipsum Zonaram cognoscimus; neque enim ex multis auctoribus historiam conscribere consuevit, sed duos plerumque auctores sequitur, modo ex hoc modo ex illo partem derivans. Ceterum quod dicit, per quatuor dies illud incendium urbem Constantinopolim vastasse, confirmatur per Euagrium II, 13, qui dicit: *ἐκ τούτου δὲ τὰ παρακείμενα ῥᾴδιον ἀφανισθῆναι τοῦ πυρὸς ἀμφινεμομένου, οὐ μόνον τὰ εὐέξαπτα ἀλλὰ καὶ τὰς ἐκ λίθων οἰκοδομὰς καὶ*

ἄχρι τετάρτης ἡμέρας διαμείναντος καὶ πᾶσαν ἄμυναν ὑπερβεβηκότος.

Deinde III 253, 9—16 Zonaras narrat terrae motum Antiochiae accidisse, Constantinopoli cinere pluisse. Primam relationem etiam Theophanes tradit, alteram Malalas; fontem harum rerum putaverim esse chronicon Constantinopolitanum: cf. haec:

Theoph. I 170, 19.	**Zon.**
τῷ δ' αὐτῷ ἔτει σεισμοῦ φοβεροῦ γενομένου ἐν Ἀντιοχείᾳ σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις κατέπεσεν.	*τούτου κρατοῦντος λέγεται καὶ σεισμὸν γενέσθαι σφοδρότατον ἐν Ἀντιοχείᾳ, ὡς μικροῦ τὴν πόλιν ἐκείνην πᾶσαν καταπεσεῖν.*
Malalas 372, 6 sq.	
ἐπὶ δὲ τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἔβρεξεν ἐν Κωσταντινουπόλει κονίαν ἀντὶ βροχῆς καὶ ἐπὶ παλαιστῇ ὕψους ἔστηκεν εἰς τοὺς κεράμους ἡ κονία· καὶ πάντες ἔτρεμον λιτανεύοντες καὶ λέγοντες ὅτι Πῦρ ἦν καὶ ἐσβέσθη καὶ εὑρέθη κονία τοῦ θεοῦ φιλανθρωπευσαμένου. ἐγένετο δὲ ἐν τῇ αὐτοῦ βασιλείᾳ ἐμπρησμὸς μέγας ἐν Κωνσταντινουπόλει οἷος οὐδέποτε· ἐκαύθη γὰρ ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης· καὶ φοβηθεὶς τὸ παλάτιον ἐξῆλθεν ὁ βασιλεὺς Λέων πέραν εἰς τὸν ἅγιον Μάμαντα, καὶ ἐποίησεν ἐκεῖ μῆνας ἓξ ἐν προκέσσῳ· καὶ ἔκτισεν ἐκεῖ λιμενάριον καὶ ἔμβολον, ὅνπερ ἐκάλεσε νέον ἔμβολον· ὅστις οὕτω καλεῖται ἕως τῆς νῦν.	*ὑσθῆναι δὲ καὶ σποδὸν ἐν τῇ Βυζαντίδι πολλήν, ὥστε καὶ εἰς παλαιστὴν αὐτὴν ὑψωθῆναι· ἐκ τούτου δὲ δεδειλιακότα τὸν βασιλέα τῆς πόλεως ἐξελθεῖν καὶ διατρίβειν ἐπὶ πολὺ κατὰ τὸν ἅγιον Μάμαντα.*

Theophanes I 185, 5 sq., qui et ipse fortasse hoc loco illud chronicon inspexit, initio in dictione recedit a Malala et Zonara, quod etiam Theodorum Lectorem ante oculos habuit, cuius verba (Theod. Lect. ed. Vales. pag. 555) reddit: *ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἡ κόνις κατῆλθε μηνὶ νοεμβρίῳ πυρακτούντων νεφῶν φανέντων τῶν ἐν οὐρανῷ πρότερον. ὡς πάντας τοὺς ὁρῶντας λέγειν οὐρανόθεν κατενεχθῆναι.*

In sequentibus (253, 16—19) Zonaras narrat Rusticium a Leone

magistrum militum factum et post huius mortem Basiliscum in hunc locum suffectum esse. Basiliscum Theophanes I p. 175, 10 dicit *στρατηγὸν τῆς Θρᾴκης* factum esse, sed Rusticius nullo loco ab eo commemoratur. Habemus vero fragmentum Suidae, quod Prisci vel Malchi esse Niebuhrius putat, quae res meo iudicio in tanta argumentorum inopia discerni non potest, cf. Suidam apud Muellerum IV 116, 7. Dindorf I 391, 26.

Suidas.	**Zonaras.**
Βασιλίσκος Βηρίνης ἀδελφὸς τῆς βασιλίδος, ἐπὶ Λέοντος τοῦ βασιλέως ἀντὶ Ῥουστικίου στρατοπεδάρχου ἡρέθη, εὐεπίτευκτος μὲν ὢν ἐν μάχαις, βραδύνους δὲ καὶ φενακίζουσι ῥᾳδίως ὑπαγόμενος.	*οὗτος βασιλεύσας στρατοπεδάρχην προεχειρίσατο Ῥουστίκιον, ἄνδρα γενναῖόν τε καὶ στρατηγικώτατον· θανόντος δ' ἐκείνου τὸν τῆς βασιλίσσης Βηρίνης ὁμαίμονα Βασιλίσκον ἀνθείλετο.*

In optimum igitur fontem rursus hic Zonarae locus recedere videtur.

Vertamus nunc ad primam expeditionem contra Vandalos factam, quae narratur a Zonara p. 253, 19—31. Duas affert relationes. Secundum alteram Basiliscus fugatur a Vandalis propter inertiam et imperitiam rerum militarium, secundum alteram ipse Basiliscus sponte sua et pecuniis a Geiserico datis corruptus Vandalis cedit ideoque per proditionem expeditionem irritam reddit. In priore illarum relationum Zonaras consentit cum Cedreno, sed non ita, ut planum fiat, eum Cedrenum hoc loco inspexisse; proclivior est coniectura, communem hoc loco fontem fuisse. Neque falsa mihi videor afferre, si hunc quoque locum Candidi ad auctoritatem referendum putem. Neque enim Photii ex Candido verba (Müller, Dindorf. ll. ll.) *καὶ τὰ κατὰ Ἀφρικὴν Βασιλίσκου εὐτυχήματά τε καὶ δυστυχήματα* proditione Basilisci Romanos fugatos esse dicunt. Deinde alterum inest in Cedreni narratione, quod vel maxime illam meam sententiam confirmat. Dicit enim Cedrenus, ad illam expeditionem Leonem imperatorem impendisse auri sexaginta quinque centenaria, argenti septuaginta centenaria: I p. 613, 11 *ἐν οἷς κατεσκευώθη χρυσίου ρ' ρ' ξε'**) *καὶ ἀργύρου ρ' ρ' ο', παρὲξ τῶν ἐκ τοῦ ταμιείου καὶ τῶν τῆς ἑσπερίας Ῥώμης διδομένων.*

---

*) Signum ρ' ρ' significare 'centenaria' cognoscimus ex antiquo rationario Augusti Caesaris ed. in Analectis Graecis Maurinis Paris. 1688, tom. I p. 318, cf. etiam Xylandri et Goari annotationes ad Cedrenum II p. 793 ed. Bonn.

Apud Suidam igitur s. v. *χειρίζω* de Candido hoc legimus (cf. Müller IV 137, 2. Dindorf I. 445, 2): *Κάνδιδος* (*Κάδδος* codd.) *ἱστοριογράφος φησὶν ὅτι ὁ Λέων ὁ Μακέλλης, ὁ μετὰ Μαρκιανὸν βασιλεύσας, περὶ τὴν ἐκστρατείαν τὴν κατὰ Βανδήλων ἄπειρα χρήματα δεδαπάνηκε. Ἦσαν γάρ, ὡς οἱ ταῦτα ἐφανέρωσαν κεχειρικότες, διὰ μὲν τῶν ὑπάρχων χρυσίου λίτραι τετρακισμύριαι πρὸς ἑπτακισχιλίαις· διὰ δὲ τοῦ κόμητος τῶν θησαυρῶν ἑπτακισχίλιαι πρὸς μυρίαις· καὶ ἀργυρίου λίτραι ἑπτακόσιαι χιλιάδες, ἅτε τῶν ἀνηλωμένων ἀρχόντων* (Vales. *ἀρκούντων*) *ἐκ δημευσίμων, καὶ ἐκ τοῦ βασιλέως Ἀνθεμίου* (maxime probabilis hoc loco est Dindorfii coniectura: *ἄτερ τῶν ἀνηλωμένων ἐκ τῶν δημευσίμων ἀρχόντων καὶ ἐκ τοῦ βασιλέως Ἀνθεμίου*). Vides quantopere Candidus et Cedrenus consentiant, a solis numeris si discesseris. Nam Candidus 47000 et 17000 librarum auri = 64000 libr. auri et 700000 libr. argenti, Cedrenus 65 cent. = 6500 libr. auri et 70 cent. = 7000 libr. argenti computat.

Neque tamen ne in his numeris quidem cognatio quaedam negari potest atque equidem putaverim, in Cedreni numeris ipsius Candidi numeros contineri, quos aut Cedrenus ipse aut eius fons male intellectos perverse exscripsit. Fortasse erravit aut Cedrenus aut fons eius, cum libras Candidi in centenarios commutarent. Ut vero secundum Suidam Cedrenum non Suidam secundum Cedrenum corrigendum esse putem, ceterorum auctorum relationes postulant. Nam et Procopius I p. 335 ed. Bonn. et Theophanes mille et trecentos centenarios numerant, — Theophanes diserte dicit aurum fuisse hos centenarios — et Nicephorus XV 27 mille et ducentos auri centenarios. Ad hanc summam proxime accedit Candidus, nam cum unam libram auri illa aetate idem valuisse constet quod 14,4 libras argenti, (cf. Queipo essai sur les systémes métriques et monétaires des anciens peuples II p. 59), efficitur, ut Candidus 1621 milia et sexcentas libr. argenti, Procopius et Theophanes 1872 milia libr. argenti, Nicephorus 1728 milia libr. argenti praebeant.

Priorem igitur de illa expeditione apud Zonaram relationem Candidi auctoritate confirmari putaverim. De altera conferendi sunt Theophanes I p. 179, Malal. p. 372, Euagr. II 16. Cum hoc loco et Theophanes et Euagrius Priscum nominent, recte mihi videtur Koecherus affirmare ambos Eustathium exscripsisse, e quo Prisci nomen receperunt. Ad nullum illorum trium auctorum Zonaras in dictione ita accedit, ut illos hoc loco ab eo inspectos esse putaverim: fortasse in fonte, e quo priorem relationem expromsit, etiam hanc alteram invenit.

A pag. 253, 31—254, 16 deinde Zonaras describit Leonis minoris coronationem, mores Zenonis, contentiones Leonis magni, ne Zeno sibi succederet, transportationem in urbem Constantinopolim vestis deiparae. Haec unde hauserit Zonaras, certe indicare non possumus. Fortasse e Theophane, Georgio Monacho, Cedreno nonnulla recepit, fortasse aliis fontibus omnia debet. Leonis minoris coronationem eodem modo relatam reperimus apud Theophanem I 184, 5 sq., Cedrenum I 614, 3 sq., translationem vestis deiparae e Georgio Mon. 512, 20 sq., quem Cedrenus quoque exscripsit, Zonaras haurire potuit. Zenonem non aptum fuisse ad regnandum, dicit etiam Cedrenus nonnullis locis, sed hunc Zonaras non videtur secutus esse. Plane vero desideratur in his auctoribus, quod Zonaras dicit, Leonem quoque imperatorem sibi persuasisse Zenonem non dignum esse, qui regnaret, ideoque Leonem nepotem sibi succedere voluisse. Hoc etiam Candido aperte repugnat, nam Photius l. l. de illo dicit: *καὶ ὡς Λέων πολλὰ βουληθεὶς καὶ διαμηχανησάμενος Ζήνωνα τὸν γαμβρὸν ἀνειπεῖν βασιλέα, τῶν ὑπηκόων μὴ παραδεχομένων οὐκ ἴσχυσε.* Certe igitur Zonarae fons hoc loco non recedit in Candidum.

Restat, ut de exitu capitis I pauca dicamus. Enumerat ibi Zonaras patriarchas, qui sub Leone Magno sedi Constantinopolis praefuerunt atque nonnulla de moribus Leonis eiusque morte addit. Fontem harum rerum indicare non licet. In his ipsis rebus enarrandis, dico in enumerandis patriarchis et moribus imperatorum describendis, fere semper alium atque in ceteris rebus fontem secutum esse Zonaram reperiemus. Imprimis catalogum patriarcharum eum ante oculos habuisse et ad conscribendam historiam adhibuisse verisimile est, quod iam Hirsch libr. laud. pag. 384 animadvertit.

Complectamur igitur paucis verbis, quae de imperio Leonis Magni a Zonara descripto dicenda videbantur. Nonnullas, sed paucissimas res, ex Theophane recepisse videtur, in aliis communem cum Malala atque etiam cum Theophane fontem eum inspexisse putaverim, fortasse chronicum aliquod Constantinopolitanum. In plerisque autem, quae dicit, fontem nobis incertum et eum, qui optimis auctoribus, ut Prisco, Malcho, ante omnes Candido Isauro nititur, secutus esse accipiendus est. Equidem omnia, quae in hoc capite maioris sunt momenti, quoad non ad auctores adhuc exstantes vel ad chronicum Constantinopolitanum referri licet, uni fonti adscribam, qui quidem pluribus auctoribus usus est. Hic fons incertus, postquam Candidum secutus est, in ultimo tempore Leonis descri-

bendo ab eo recessisse et ad alios auctores exscribendos, fortasse ad Malchum, se vertisse videtur.

Transeamus nunc ad Leonis minoris et Zenonis imperium, quod Zonaras in capite II describit, atque iterum singulas partes illustremus.

Zonaras a pag. 254, 29—255, 8 de annuo Leonis minoris imperio et Zenonis promotione exponit. Fieri potest, ut haec e Cedreno fluxerint, cf. haec:

Cedr. I p. 615, 4 sq.

Λέων ὁ Ζήνωνος υἱὸς καὶ Ἀριάδνης, νήπιος ἔτι ὤν, βασιλεὺς προχειρίζεται παρὰ τοῦ πάππου αὐτοῦ μεγάλου Λέοντος· ὃς ἐβασίλευσεν ἔτος ἕν, καὶ στέψας τὸν ἴδιον πατέρα Ζήνωνα, Βηρίνης καὶ Ἀριάδνης συναραμένων αὐτῷ, ἐτελεύτησε. .... ἦν γὰρ ὁ Ζήνων τῆς κακίστης καὶ εἰδεχθοῦς γενεᾶς τῶν Ἰσαύρων, δασύς τε καὶ εἰδεχθέστατος, ὥσπερ Ἕλληνες ζωγραφοῦσι τὸν Πᾶνα τραγοσκελῆ καὶ δασύκνημον, τὴν χροιὰν μέλας, τὴν ἡλικίαν ἀσύμβλητος, ὀργίλος, μνησίκακος καὶ φθόνου μεστός.

616, 23 *καὶ πάλιν τῆς τυραννίδος ἐπιλαμβάνεται (οὐ γὰρ λέγω βασιλείας)* e. q. s.

Zon.

καταλειφθεὶς οὖν ὁ μικρὸς Λέων νηπιάζων ἔτι, ἐφ' ἕνα ἐνιαυτὸν ἐπεβίω τῇ βασιλείᾳ, καὶ νήπιος ἐπαπῆλθε τῷ πάππῳ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα τὸν Ζήνωνα βασιλέα καταλιπών, αὐτὸς ταῖς ἑαυτοῦ χερσὶ τῇ ἐκείνου κεφαλῇ περιθεὶς τὸ διάδημα. ἦν δὲ ὁ Ζήνων ἐξ ἔθνους αἰσχίστου τοῦ τῶν Ἰσαύρων, αἴσχιστος καὶ αὐτὸς καὶ τὴν μορφὴν καὶ τὴν ψυχὴν γεγονώς. καὶ οὐχ ὡς βασιλεὺς τὴν ἀρχὴν ἀνύων, ἀλλ' ὡς ἄντικρυς τύραννος.

Solus refert hoc loco Zonaras Zenonem fratrem habuisse nomine Cononem, qui ipsum Zenonem saevitia atque crudelitate superaverit.

Narrat deinde Zonaras a pag. 255, 8—256, 23 et 257, 8—18 contra Zenonem rebellasse Basiliscum et in aliquod tempus rerum esse potitum. Zenonem vero, qui in Isauriam fugisset, cum Illum, Trocundum, Armatium a Basilisco contra se missos sibi reconciliasset, Constantinopolim reversum interemisse Basiliscum totamque eius familiam, deinde etiam Verinam deportasse, denique Armatium et Illum interfecisse. Haec omnia ex Theophane hausta sunt. Theophanes quidem his in rebus enarrandis duos potissimum sequitur auctores, Theodorum Lectorem et Eustathium. Ita in initio imperii Zenonis describendi ex Eustathio sumpsit, quae dicit p. 185, 19—

186. 3 de calamitatibus imperii, ut apparet e comparatione cum Euagrio III 2, qui et ipse Eustathium exscripsit. Deinde Theophanes, quae I p. 186, 6—188, 14. 189, 7—17 dicit de Leone Minore, de Zenonis elevatione, de rebellione Basilisci, de ipsius Basilisci contra orthodoxam fidem contentionibus, ex Theodoro Lectore exprompsisse videtur, quod concedes, ubi contuleris cum illis Theophanis partibus excerpta Theodori pag. 555—56 ed. Vales. et Cramer. anecd. Paris. II p. 105, 10 squ. p. 105, 15 squ. Descriptio reditus Zenonis apud Theoph. I p. 192—194 maxima ex parte ex Eustathio fluxisse videtur cf. Euagr. III 8 et 24. Nonnullas vero hac quoque parte res e Theodoro Lectore conscripsit, ut pag. 193, 1—7, cf. Theod. ed. Vales. pag. 557. Deinde seditio Marciani a Theoph. I p. 196—97 describitur secundum Theod. Lect., seditio Illi pag. 197 sq. secundum Eustathium cf. Theod. Lect. pag. 557. 558, Euagr. III 26, 27. Zonaras igitur solum Theophanem secutus illorum duorum Theophanis fontium relationes in suum opus recepit. Hoc quoque maximum argumentum mihi probare videtur, non ipsum Eustathium inspexisse Zonaram. Apponimus igitur Theophanis et Zonarae relationes conferendas, ut videas revera rem se ita habere, ut contendi, maximeque ad Theophanem accedere Zonaram.

Theoph. I p. 186, 8 sq.

Βασιλίσκος δὲ ὁ Βερίνης ἀδελφὸς πενθερᾶς Ζήνωνος, ἐν Ἡρακλείᾳ διατρίβων τῆς Θρᾴκης, συνεργούσης αὐτῷ καὶ Βερίνης καί τινος τῆς συγκλήτου, ἐστασίασεν κατὰ Ζήνωνος, ὃν φοβηθεὶς ὁ Ζήνων σὺν Ἀρεάδνῃ τῇ ἰδίᾳ γαμετῇ καὶ χρήμασιν ἱκανοῖς φεύγει εἰς Συρίαν) κατά τι φρούριον ἰσχυρὸν Οὐαρὰ καλούμενον. εἰς Τεσσαιδὴν ἐκεῖθεν μετέστη δι' αἰτίαν ταύτην μετὰ τῆς γυναικὸς Ἀρεάδης. Ἴλλου καὶ Τροκούνδου πολιορκούν-*

Zonaras. pag. 255, 8 sq.

κατὰ τούτου τοῦ Ζήνωνος ἐν Θρᾴκῃ διατρίβων ὁ τῆς βασιλίσσης Βηρίνης ὁμαίμων ὁ δηλωθεὶς Βασιλίσκος ἀνταίρει χεῖρα, τῆς Βηρίνης συναιρομένης αὐτῷ κἀκ τῆς συγκλήτου τινῶν. δειλὸς δὲ ὢν ὁ Ζήνων καὶ ἄνανδρος, φεύγει αὐτίκα σὺν Ἀριάδνῃ τῇ γυναικὶ ἐν Ἰσαυρίᾳ πρὸς τοὺς ὁμογενεῖς.

*) Hoc loco certissime scribendum est *εἰς Ἰσαυρίαν*, ut apud Zonaram invenimus. Nam praeter Zonaram hanc lectionem fulcit ante omnes Theodorus Lector, fons Theophanis, pag. 556, deinde etiam Cedrenus I p. 615, 20, qui hoc loco ex ipso Theophane hausit, Leo Gram. p. 116, fortasse hoc loco in ipsum Theodorum recedens, et omnes alii qui de hac re agunt, ut Euagrius et Malalas.

Theoph.

των αὐτὸν εὐνοίᾳ τέως τῇ Βασιλίσκου..... Βασιλίσκος δὲ ἐν τῷ Κάμπῳ ἀνηγορεύθη βασιλεύς· Μάρκον τε τὸν υἱὸν καίσαρα ἐποίησεν, καὶ Ζηνωδίαν τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν αὐγούσταν ἔστεψεν· καὶ εὐθέως κατὰ τῆς πίστεως παρετάξατο, Ζηνωδίας μάλιστα παρορμώσης αὐτὸν εἰς τοῦτο. Τιμόθεον δὲ τὸν Αἴλουρον ἀνεκαλέσατο διὰ τύπου, καὶ Πέτρον τὸν Γναφέα κρυπτόμενον ἐν τῇ μονῇ τῶν Ἀκοιμήτων. καὶ ὅσοι ἄλλοι ἐχθροὶ τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου ἐπαρρησιάζοντο κατὰ τῆς ἀληθείας.

p. 188, 7 sq.

Βασιλίσκος δὲ τύπῳ γενικῷ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον ἐξέβαλεν· καὶ Ἀκάκιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως κελεύσας τὸ αὐτὸ ποιῆσαι. ἀλλ' ἡ πόλις ἅπασα σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις εἰς τὴν ἐκκλησίαν συνανελθοῦσα κατὰ Βασιλίσκου τοῦτο ἐκώλυσεν. Ἀκάκιος δὲ μελανειμονήσας τὸν θρόνον καὶ τὸ θυσιαστήριον μελανῷ ἠμφίασεν.

p. 189, 7 sq.

τούτῳ τῷ ἔτει τοῦ κλήρου καὶ τῶν μοναχῶν ΚΠ ὑπερμαχούντων τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, φοβηθεὶς Ἀκάκιος τὰ πλήθη ὁμοφρονεῖν αὐτοῖς ὑπεκρίνατο· ὅθεν ἐπὶ ἄμβωνος κατὰ Βασιλίσκου καὶ Ζήνωνος προσεφώνει. Βασιλίσκος δὲ μαθὼν ταῦτα, καὶ φοβηθεὶς τὸ θερμὸν τοῦ λαοῦ τῆς πόλεως ἐξῆλθεν, κελεύσας τῇ συγκλήτῳ μηδένα συντυχεῖν Ἀκακίῳ· ἔμελλε γὰρ ὁ λαὸς ἐμπυρίζειν τὴν πόλιν.

Zonar.

καὶ ὁ Βασιλίσκος ἐν τῷ κάμπῳ ἀναγορεύεται βασιλεύς, καὶ τὴν οἰκείαν γαμετὴν Ζηνωνίδα Αὐγοῦσταν ἔστεψε, καὶ Μάρκον τὸν υἱὸν προεχειρίσατο Καίσαρα. ἦν δὲ καὶ οὗτος τούς τε τρόπους οὐδὲν βελτίων τοῦ Ζήνωνος καὶ περὶ τὸ σέβας οὐκ ὀρθῶς διακείμενος. τῆς γὰρ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου μετεῖχε καὶ οὗτος αἱρέσεως, παρὰ τῆς γαμετῆς εἰς ταύτην προβιβασθείς, καὶ σφόδρα τὰς τῶν ὀρθοδόξων ἐκκλησίας ἐκάκωσε,

καὶ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον τυραννικῷ γράμματι ἄκυρον εἶναι τεθέσπικε. καὶ τὸν πατριάρχην τῆς νέας Ῥώμης Ἀκάκιον τοῦτο ψηφίσασθαι συνοδικῶς ἐβιάζετο.

ἀλλὰ τὸ ὀρθόδοξον πλῆθος τῆς πόλεως συνελθὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὸν Βασιλίσκον ἐκακηγόρησε καὶ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον ἁγίαν ἐκάλεσε. διὰ ταῦτα τοίνυν ὁ Βασιλίσκος παρὰ τοῦ δήμου καὶ τῆς γερουσίας μεμίσητο.

Theoph.

I p. 192, 5 sq.

τούτῳ τῷ ἔτει Ἴλλος καὶ Τροκοῦνδος οἱ πολιορκοῦντες Ζήνωνα, ὡς Βασιλίσκου τὰ ὑποσχεθέντα αὐτοῖς μὴ πληροῦντος, καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς βαρυνομένης τῇ ἀρχῇ Βασιλίσκου διὰ μοχθηρίαν τρόπων καὶ ἄνοιαν, γράφουσιν πρὸς αὐτούς, φιλιωθέντες τῷ Ζήνωνι, ὅ τε Ἴλλος καὶ Τροκοῦνδος, καὶ λαβόντες αὐτὸν ἐπὶ τὴν βασιλεύουσαν ἐπανήρχοντο. τοῦτο δὲ μαθὼν ὁ Βασιλίσκος Ἁρμάτιον τὸν ἴδιον ἀνεψιὸν στρατηγὸν ὄντα τῆς Θρᾴκης μετὰ πάσης τῆς στρατιᾶς αὐτοῦ καὶ τοῦ λαοῦ ΚΠ ἀπέστειλε κατὰ Ζήνωνος, ὁρκίσας αὐτὸν εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα, μὴ προδοῦναι. ὁ δὲ Ἁρμάτιος συναντήσας τῷ Ζήνωνι κατὰ Νίκαιαν τῆς Βιθυνίας οὕτως αὐτὸν κατέπληξεν, ὡς μικροῦ δεῖν ἀναστρέψαι μετὰ τῆς Ἰσαυρικῆς βοηθείας πάσης. ἀλλὰ δώροις τοῖς παρὰ Ζήνωνος καὶ οὗτος ὡς ἐπὶ πολὺ τυφλωθεὶς καὶ ὑποσχέσει διαδόχου στρατηλατίας, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Βασιλίσκον καίσαρα ποιῆσαι καὶ συγκάθεδρον αὐτοῦ σὺν αὐτῷ, κατὰ Βασιλίσκον ἐπανῆλθεν. τοῦ δὲ Ζήνωνος σὺν Ἀρεάδνῃ τὴν βασιλεύουσαν καταλαβόντος, ἐδέχθη ὑπὸ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς συγκλήτου. ὁ δὲ Βασιλίσκος ἐλθὼν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τὸν βασιλικὸν ἀποθέμενος στέφανον ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ, ἐν τῷ βαπτιστηρίῳ προσέφυγεν σὺν Ζηνωδίᾳ τῇ κακοδόξῳ αὐτοῦ γυναικί. ὁ δὲ Ζήνων καταλαβὼν εἰς τὴν

Zonar.

ἔπεμψε δὲ κατὰ Ζήνωνος μετὰ δυνάμεως Ἴλλον καὶ Τροκοῦνδον· οἳ ἐπελθόντες ἐπολιόρκουν αὐτόν. ὅτι δὲ πολλὰ αὐτοῖς ὁ Βασιλίσκος ἐπαγγειλάμενος οὐκ ἐπιτελεῖς τὰς ὑποσχέσεις πεποίητο, καὶ ἡ σύγκλητος δὲ βαρυνομένη τὸν Βασιλίσκον διὰ τὴν κακίαν αὐτοῦ ἔγραψε τοῖς εἰρημένοις ἀνδράσι τὰ παρ' ἐκείνου δρώμενα, προσέθεντο τῷ Ζήνωνι, καὶ ἀντὶ πολεμίων φίλοι αὐτῷ γεγόνασι καὶ συνέριθοι· καὶ λαβόντες αὐτὸν ἐπανῄεσαν. ὁ δὲ Βασιλίσκος Ἁρμάτιον τὸν οἰκεῖον ἀνεψιὸν μετὰ τῶν Θρᾳκικῶν ταγμάτων στέλλει κατὰ τοῦ Ζήνωνος· καὶ ὃς συναντήσας αὐτῷ περὶ Νίκαιαν, καὶ χρήμασιν ὑποφθαρείς, πρὸς δὲ τοῖς καὶ ὑποσχέσει τοῦ Καίσαρα στεφθῆναι τὸν υἱὸν αὐτοῦ Βασιλίσκον, τῷ Ζήνωνι προσχωρεῖ.

κἀντεῦθεν ἐλθὼν εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ὁ Ζήνων ἐδέχθη ὑπό τε τῆς συγκλήτου καὶ τοῦ λαοῦ. καὶ ὁ Βασιλίσκος τῇ ἐκκλησίᾳ προσπέφευγε μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν παίδων, ὅθεν ἐξῆλθε πληροφορίαν λαβὼν ὡς οὐ στερηθήσεται τῆς ζωῆς. καὶ ἀπ-

Theoph.

ἐκκλησίαν παρεγένετο, καὶ οὕτως εἰσῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια. ἀποστείλας δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἔλαβε τὸν Βασιλίσκον, δοὺς αὐτῷ λόγον, μὴ ἀποκεφαλίζειν αὐτόν τε καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ· ὃν ἀποστείλας εἰς Κουκουσὸν τῆς Καππαδοκίας ἀποκλεισθῆναι προσέταξεν εἰς ἕνα πύργον, σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, καὶ τῷ λιμῷ διαφθαρῆναι· τινὲς δέ φασιν, ὅτι ἀπαγόμενος ἀποσφάττεται.

Zonar.

ἤχθησαν εἴς τι φρούριον, ἔνθα λέγεται εἰς πύργον κατακλεισθῆναι σὺν τοῖς φιλτάτοις καὶ διαφθαρῆναι λιμῷ. ἕτεροι δὲ ἀναιρεθῆναι αὐτοὺς ἐν τῷ ἀπάγεσθαι λέγουσιν.

De ceteris quae Zonaras dicit usque ad pag. 256, 23 et pag. 257, 8—18 confer Theoph. I p. 197, 4—8 et 193, 12—194, 3. De morte Illi pauca verba facit Zonaras 257, 15—18. Theophanes multo fusius hanc rem narrat I p. 197, 4—198, 16. 199, 11—200, 19. 204, 14—19, quorum locorum brevissimum Zonaras praebet argumentum.

Zonaras a pag. 256, 23—257, 8 magnum illud incendium describit, quod Zenone regnante Constantinopoli accidit. Qua in parte Zonaras singulis fere verbis conspirat cum Cedreno I p. 616, 2—17, sed solus Zonaras hoc loco Malchum historicum nominat, qui illorum temporum historiam conscripsit. Fieri potest, ut Zonaras e Cedreno, quae de incendio narrat, hauserit atque illam Malchi commemorationem e memoria adiecerit: verum etiam e communi fonte ambos hausisse qui statuet refutari vix potest. Atque cum iam aliis locis invenerimus, fortasse in Malchum recedere quae Zonaras dicit, ne hoc quidem loco improbabile est secutum eum esse auctorem aliquem, qui Malcho utebatur. Ceterum uno verbo Cedrenus et Zonaras hoc loco differunt: dicit enim Cedrenus I 616, 7: *μεθ' ὧν βιβλίων καὶ τὸ τοῦ δράκοντος* ἕτερον, *μήκους ὂν ποδῶν ἑκατὸν εἴκοσιν*, Zonaras 256, 30: *ἐν οἷς ἀναγράφεται εἶναι καὶ δράκοντος* ἔντερον, *μήκους ὂν ποδῶν ἑκατὸν εἴκοσιν* — ubi certissime Cedrenus e Zonara emendandus est, quod iam Xylander vidit, qui vertit: „draconis intestinum“.

Extremo capite II a pag. 257, 18—258, 10 continetur narratio posteriorum Zenonis temporum. Zenonem multos homines innoxios interfecisse atque ad nefanda facinora se vertisse. Qua de causa turpissime eum mortuum esse. Narrant easdem res

Theoph. I pag. 209—10 Cedrenus I p. 621—22. In enumerandis Zenonis facinoribus maxime accedit Zonaras ad Cedreni relationem, sed et hic et apud Theophanem desideramus, quod Zonaras dicit, Pelagium patricium quem interfici iussit Zeno, specie paganitatis accusatum esse a Zenone. Fortasse igitur haec ex eodem quo Cedrenus fonte hausit. Apud Zonaram deinde duas relationes de morte Zenonis invenimus. Secundum priorem Zeno, cum ebrius speciem mortui praeberet, secundum alteram, cum acerrimo morbo correptus omnibus mortuus esse videretur, vivens sepultus est. Unde priorem historiam hauserit Zonaras non liquet, altera e Cedreno I pag. 622 hausta esse potest.

In hoc igitur capite, quae ad auctores adhuc integros referri non possunt, communem cum Cedreno fontem redolent. Sed praeter illam incendii narrationem admodum pauca haec sunt atque minoris momenti.

Transeamus igitur nunc ad caput III et IV examinandum, quibus Zonaras imperium describit Anastasii, cui cognomen fuit Dicoro.

Quae Zonaras de promotione Anastasii imperatoris et de patriarchis Constantinopolis a pag. 258, 11—259, 12 dicit, hausta sunt ex Theoph. I p. 210, 8—18. 211, 12—13 et 202—206. Narratio de fatis et factis patriarcharum ab Acacio usque ad Euphemium excerpta et in brevius redacta est ex Theoph. I 202 —206. Urbicium spadonem commemorat Zonaras e Cedreno I p. 626. Unum invenimus neque in Theophane neque in Cedreno, Anastasium ob diversum utriusque oculi colorem *Δίκορον* esse appellatum: habet eadem Malal. p. 392. Nihil refert Zonaram patriarcham illius aetatis nominare *Εὐφήμιον*, Theophanem et Cedrenum in editione Bonnensi semper *Εὐθύμιον*. Nam Theophanis quoque nonnulli codices praebent *Εὐφήμιος*, quam lectionem etiam apud Theodorum Lectorem, quem fontem hoc ipso loco Theophanes secutus est (cf. Theod. Lect. ed. Vales. p. 558), invenimus. Quod apud Zonaram sequitur de nuptiis Anastasii cum Areadne post quadraginta dies celebratis in ceteris auctoribus non inveni. Anastasium nonnullis ea, quae usque ad illud tempus fisco debebant, remisisse, praeter Zonaram solus Iohannes Antiochenus refert: confer fragmentum eius a Mommsenio editum (Hermes VI p. 338), ubi dicit: (*ὅτι Ἀναστάσιος*) *καὶ τοὺς ἐκ τῶν εἰσφορῶν ὀφειλέτας ἐλευθέροι̃ τῶν ἔμπροσθεν χρόνων*. Fortasse haec relatio in Iohannem recedit, sed non ipsum Iohannem inspexisse Zonaram mihi quidem ex comparatione Zonarae et Iohannis fragmentorum certum est. Unde nostro loco hauserit, perspici non potest.

Zonaras 259, 16—260, 3 Anastasium tributum *χρυσάργυρον* populo remisisse et magistratus gratis omnibus dedisse narrat. Haec fluxerunt e Cedreno I 626, 23—627 et Theoph. I 221, 12—15. Confer haec:

Cedr. I 626, 23 sq.

ἀφῆκε δὲ καὶ τὸ τέλος τοῦ λεγομένου χρυσαργύρου. ὁ δὲ χρυσάργυρος τοιοῦτόν τι πρᾶγμα ἦν· πᾶς πενόμενος καὶ προσαιτῶν καὶ πᾶσα πόρνη καὶ ἀπολελυμένη καὶ πᾶς δοῦλος καὶ ἀπελεύθερος συνεισφορὰν ἐποιοῦντο κοινὴν πρὸς τὸ δημόσιον ὑπὲρ οὔρου καὶ κοπρίας κτηνῶν τε καὶ κυνῶν τῶν ἐν ἀγροῖς καὶ πόλεσι διατριβόντων· καὶ ὁ μὲν ἄνθρωπος νόμισμα ἀργυροῦν συνεισέφερεν, ὁμοίως καὶ ἡ γυνή, ἵππος δὲ καὶ ἡμίονος καὶ βοῦς τὸ αὐτὸ συνεισέφερον, ὄνος δὲ καὶ κύων φόλλεις ἕξ e. q. s.

Zonar.

δασμοῦ δὲ τοὺς ὑπηκόους πιέζοντος τοῦ λεγομένου χρυσαργύρου, καὶ τοῦτον ἐξέκοψεν. ἦν δὲ ὁ τοῦ χρυσαργύρου δασμὸς τοιοῦτος· ἅπαντες καὶ προσαῖται καὶ πένητες καὶ πᾶσα πόρνη καὶ ξύμπαντες ἀπελεύθεροι ἐν ἀγροῖς τε καὶ πόλεσι διατρίβοντες εἰσφέρειν ἠναγκάζοντο τῷ δημοσίῳ τέλος ἐτήσιον. καὶ ὑπὲρ ἵππων καὶ ἡμιόνων καὶ βοῶν ὄνων τε καὶ κυνῶν ἐπράττετο φορολόγημα, ὑπὲρ ἀνθρώπων μὲν ἑκάστου νόμισμα ἀργυροῦν, τὸ δ' αὐτὸ καὶ ὑπὲρ ἵππου, ἡμιόνου τε καὶ βοός, ὑπὲρ ὄνου δὲ φόλλεις ἕξ, ὁμοίως δὲ καὶ ὑπὲρ κυνός e. q. s.

Cedr. I 627, 14.

καὶ τὰ μὲν πολιτικὰ φιλοτίμως οὕτως ἐπηνωρθοῦτο, εἰς δὲ τὰ εἰς τὴν τοῦ θείου δόξαν συντείνοντα δριμὺς καὶ ἀδυσώπητος γέγονε· τῷ γὰρ δευτέρῳ ἔτει αὐτοῦ μετὰ βίας τὴν ὁμολογίαν αὐτοῦ παρὰ Εὐθυμίου ἔλαβε.

Theoph. I 221, 12.

τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ἀναστάσιος ἀνέστειλεν τὸν χρυσάργυρον καὶ τὰ κυνήγια, καὶ τὰς ἀρχὰς ὠνίους οὔσας δωρεὰν προεβάλλετο.

Zon. 259, 31.

καὶ ἦν μὲν ἐν τούτοις φιλότιμος καὶ τὴν τῶν πολιτικῶν πραγμάτων διοίκησιν καλῶς μετερχόμενος. τὰς γὰρ πολιτικὰς ἀρχὰς ὠνίους παρεχομένας τὸ πρὶν ἐκεῖνος ἀμίσθους ἐδίδου. περὶ δὲ τὴν εἰς τὸ θεῖον δόξαν οὐκ ἀγαθὸς ἦν e. q. s.

Inde a pag. 260, 4—15 paucis verbis Zonaras adumbrat, quae Theophanes multis paginis fuse de contentionibus inter Anastasium et patriarcham narrat. Unum desideramus in Theophane, dolo (*μετὰ δόλου*) Anastasium illud *ἔγγραφον ἰδιόχειρον* Euphemio eripuisse. Hoc quidem nullo alio loco dictum repperi.

In iis quae sequuntur rursus solum Theophanem exscripsisse

Zonaram inveniemus. Narrantur primum a pag. 260, 15—24 seditiones illorum duorum Longinorum; cf. haec:

Theoph. I p. 211, 12 sq.	Zon.
τούτῳ τῷ ἔτει βασιλεύσαντος Ἀναστασίου τοῦ Διρραχιτιάνου τοῦ Δικόρου, ἐστασίασεν κατ' αὐτοῦ ὁ Λογγῖνος ὁ Ζήνωνος ἀδελφός, ὃν χειρωσάμενος ἐπ' Αἴγυπτον πέμπει ἐξόριστον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐκέλευσε χειροτονηθῆναι αὐτὸν πρεσβύτερον. ἑπταετίαν δὲ ἐπιβιοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐτελεύτησεν. ὑποψίαν δὲ ἔχων καὶ περὶ Λογγῖνον τὸν μάγιστρον ὁ βασιλεὺς καὶ τοὺς ἐπιδημοῦντας Ἰσαύρους, παύει τὸν Λογγῖνον τοῦ μαγιστρίου.	*Λογγῖνος δὲ ὁ ἀδελφὸς Ζήνωνος, τυραννίδι ἐπιθέμενος, ἐχειρώθη παρὰ Ἀναστασίου, καὶ περιωρίσθη εἰς Ἀλεξάνδρειαν, ἔνθα καὶ πρεσβύτερος χειροτονηθεὶς ἔθανε.*
212, 15 sq. *τούτῳ τῷ ἔτει Ἀναστάσιος ὁ βασιλεὺς τοὺς ἐν ΚΠ Ἰσαύρους διὰ πολλὰς ἀτοπίας ἐδίωξεν, οἳ ἐξελθόντες τυρραννίδα ἐμελέτησαν. Λογγῖνος δὲ ὁ ἀπὸ μαγίστρων συλλαβὼν τούτους τε καὶ ἄλλην δύναμιν βαρβάρων καὶ ληστῶν ὡς πεντεκαίδεκα μυριάδας, ὅπλων τε καὶ χρημάτων εὐπορίᾳ θαρρῶν ἐν Ἰσαυρίᾳ παρὰ Ζήνωνος τεθειμένων, παραγίνεται εἰς τὴν τῶν Ἰσαύρων χώραν, ἐνδεδωκότος τοῦ βασιλέως τὴν ἔξοδον, καίτοι γε ὑποτοπάζοντος τὴν ἐπίθεσιν. παραχρῆμα δὲ ἐπανίσταται καὶ μέχρι Φρυγίας καὶ τοῦ Κοτυαίου χωρεῖ, πόλεις τε πολλὰς ληιζόμενος ....*	*καὶ τοὺς Ἰσαύρους δὲ πολλοὺς ἐν τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων διατρίβοντας ταύτης ἐξήλασεν· οὓς προσλαβόμενος ὁ μάγιστρος Λογγῖνος, οὐχ ὁ τοῦ Ζήνωνος ἀδελφὸς, ἀλλ' ἕτερος, καταστασιάζει, καὶ πολλὰ τῆς ἑῴας ἐληΐσατο.*
216, 2. *τούτῳ τῷ ἔτει Ἰωάννης ὁ Σκύθης πολιορκῶν παρέλαβεν τόν τε Λογγῖνον τὸν ἀπὸ μαγίστρων καὶ Λογγῖνον τὸν Σεληνούντιον .... καὶ τούτους ἀποτεμών, τὰς κεφαλὰς αὐτῶν εἰς τὸ Βυζάντιον ἔπεμψεν...*	*κατεπολεμήθη δὲ καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ διεφθάρησαν βάρβαροι.*

Zonaras deinde pag. 260, 24—261, 4 duas res narrat de Theodorico. Ambas e Theoph. I p. 219—221 sumpsit, qui quidem Theodorum Lectorem secutus est: cf. Theod. Lect. ed. Vales. p. 560 —61 = Cramer anecd. II 106. Theodorus Lector falso ibi Theododorico cognomentum Afri dat, quod Theophanes quoque recepit. Animadvertas, quaeso, Zonarae non sufficere Afrum eum appellasse, dicit enim *Θευδέριχος ὁ τῆς Ἀφρικῆς ἡγεμών*. Illis temporibus Bulgaros, qui populus antea cognitus non erat, Illyricum vastasse, atque cum Agarenis Anastasium tum pacem fecisse (261, 5—9) Zonaras narrat secundum Theoph. I 221—22. Deinde vero quae dicit ab eis quae Theophanes exhibet aliquantum differunt. Sequitur hoc loco Zonaras a pag. 261, 9—263 12, Georgium Monachum pag. 517, 1—518, 14 atque ex eo narrat Vitaliani sedi-ditionem atque cladem, tumultum Constantinopoli propter fidem orthodoxam contra Anastasium exortum, Alamundari, Agarenorum ducis, astutiam, qua monachos ad perversam fidem se adducere studentes irridet et fallit. Haec de Alamundaro narratio invenitur etiam apud Theophanem atque recedit in auctoritatem Theodori Lectoris, qui eam pag. 564—65 narrat.

In describenda clade Vitaliani multa ab ipso Zonara addita sunt. Nam de speculis, quibus hostium naves incendebantur, multa exponit, quae apud Georgium non inveniuntur, atque etiam Archimedis ex Dione mentionem facit, quem simile quiddam in Syracusis defendendis adhibuisse dicit. Quare, ut et tibi persuadeas, revera Zonaram hoc loco secutum esse Georgium et cognoscas, qualia Zonaras de suo adicere consuerit, Georgii et Zonarae relationes conferendas apponam.

Georg. Mon. 517, 1 sq.	**Zonaras.**
ἐπὶ αὐτοῦ Βιταλιανὸς ὁ Θρᾷξ ἀντάρας καὶ παραλαβὼν τὴν Θρᾴκην ἅμα Σκύθαις καὶ Μυσίοις ἦλθεν ἕως τοῦ Ἀνάπλου πραιδεύων· ἀλλὰ ναυμαχήσαντος αὐτῷ Μαρίνου τοῦ ἐπάρχου μετὰ τοῦ Μηδικοῦ πυρὸς καὶ θείου ἀπύρου, ὃ κατεσκεύασε Πρόκλος ὁ φιλόσοφος, κατέφλεξε τὰς ναῦς τῶν βαρβάρων. Βυθισθέντων δὲ πάντων σχεδόν, Οὔννων καὶ Γότθων καὶ Βουλγάρων καὶ τοῦ λοιποῦ	*τοῦ μέντοι Θρᾳκὸς Βιταλιανοῦ τυραννίδι ἐπικεχειρηκότος, Μυσούς τε καὶ Σκύθας προσεταιρισαμένου, καὶ ἅμα τούτοις τὰ περὶ τὴν βασιλίδα ληιζομένου τῶν πόλεων, ἀλλὰ μὴν καὶ στόλῳ κατ' αὐτῆς ἐπελθόντος, ἀντικατέστη τούτῳ διὰ Μαριανοῦ τοῦ ὑπάρχου ὁ Ἀναστάσιος, καὶ ναυμαχίας γενομένης ἔκ τινος μηχανῆς παρὰ Πρόκλου τοῦ πάνυ γεγενημένης, τότε γὰρ ἤνθει ἐπὶ φιλοσοφίᾳ καὶ ἐν τοῖς*

Georg. Mon.

στρατοῦ ἐν τῷ ῥεύματι, Βιταλιανὸς ἔφυγε μετὰ τῶν ὑπολειφθέντων ὀλίγων.

καὶ πῦρ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐφάνη, καὶ γέγονε δημοτικὴ ἐπανάστασις περὶ τοῦ ὀρθοδόξου δόγματος ἐν Κ. Π. ὡς βουληθέντος τοῦ βασιλέως προσθεῖναι εἰς Τρισάγιον τό· „Ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς". Τοῦ γὰρ λογοθέτου καὶ τοῦ ἐπάρχου ἀνελθόντων ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ τὴν αἵρεσιν ἀρξαμένην ἐκ βασιλέως ἐπιτρόπου κηρύττοντος, ἐπῆλθεν ὁ δῆμος καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς πόλεως κατ' αὐτῶν καὶ μόλις ἐξέφυγον. Καὶ γέγονε τοιαύτη στάσις καὶ ταραχὴ κραζόντων· „Ἄλλον βασιλέα θέλομεν", ὡς καὶ τὸν βασιλέα καὶ τοὺς ἄρχοντας φεύγειν καὶ ἀποκρύπτεσθαι τὴν ὁρμὴν τοῦ λαοῦ. Συναθροισθέντες δὲ οἱ στασιασταὶ εἰς τὸν οἶκον τοῦ λογοθέτου καὶ τοῦ ἐπάρχου καταδραμόντες καὶ πάντα διαρπάσαντες, ἐνέπρησαν τοὺς οἴκους αὐτῶν καὶ τοὺς εὑρεθέντας ἐκεῖ κατέσφαξαν. Εἶτα γενομένης ταραχῆς καὶ στάσεως μεγάλης ἐμπρησμοὺς οἴκων

Zonar.

μηχανήμασι, τά τε τοῦ περιβοήτου ἐν τούτοις Ἀρχιμήδους ἅπαντα διελθὼν καὶ αὐτὸς ἐκείνοις προσεξευρών, τὸ ναυτικὸν τῶν ἐναντίων κατεπολεμήθη. κάτοπτρα γὰρ ᾄδεται χαλκεῦσαι πυρφόρα ὁ Πρόκλος, καὶ ταῦτα ἐκ τοῦ τείχους τῶν πολεμίων νεῶν ἀπαιωρῆσαι κατέναντι, τούτοις δὲ τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων προσβαλουσῶν πῦρ ἐκεῖθεν ἐκκεραυνοῦσθαι καταφλέγον τὸν νηίτην τῶν ἐναντίων στρατόν, καὶ τὰς νῆας αὐτάς, ὃ πάλαι τὸν Ἀρχιμήδην ἐπινοῆσαι ὁ Δίων ἱστόρησε, τῶν Ῥωμαίων τότε πολιορκούντων Συρακούσαν. Ἀναστάσιος δὲ σπουδαστὴς τῆς Εὐτυχοῦς αἱρέσεως ὤν, ἐβουλήθη προσθεῖναι εἰς τὸ Τρισάγιον τὸ „ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς". ἔστειλεν οὖν διὰ τοῦτο εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν λογοθέτην τε καὶ τὸν ἔπαρχον· οἳ ἐν τῷ ἄμβωνι ὡς ἐπ' ὀκρίβαντος στάντες διαγγέλλειν ἤρξαντο τὸ πρόσταγμα τὸ βασιλικόν. κινεῖται τοίνυν ὅσον τοῦ πλήθους ὀρθόδοξον, καὶ διασπάσαι τοὺς ἄνδρας ὡρμήκεσαν. ἀλλ' οἱ μὲν μόλις τὴν δημοτικὴν μανίαν ἐξέφυγον, τὸ δέ γε πλῆθος εἰς θυμὸν ἐκκαυθὲν κατὰ τῶν οἰκιῶν ἐπῆλθον τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν. καὶ τὰς μὲν καθῃρήκασι, τὰ δ' ἐν αὐταῖς διηρπάκασι καὶ πολλοὺς ἀνεῖλον, καὶ εἰς τὸν βασιλέα ἐξύβριζον, τὸν δὲ Βιταλιανὸν ὡς βασιλέα εὐφήμουν, καὶ πολλοὺς οἴκους ἐνέπρησαν καὶ πλείστους ἐφόνευσαν, καί τινα μοναχὸν πλησίον ὄντα τῆς παρὰ τοῦ Ἀναστασίου κτισθείσης κινστέρνης τῆς Μωκισίας καλουμένης,

Georg. Mon.	Zonar.
πολλῶν ἐποιήσαντο καὶ φόνους μυρίους εἰργάσαντο καὶ ἄλλα τοιαῦτα φοβερά τε καὶ ἐξαίσια κατετόλμησαν, ὑβρίζοντες Ἀναστάσιον μετὰ κραυγῆς μεγάλης καὶ Βιταλιανὸν εὐφημοῦντες. καὶ οὕτως ἐλθόντες πλησίον τῆς ὑπ' αὐτοῦ κτισθείσης κινστέρνης τοῦ ἁγίου Μωκίου, εὗρον τὸν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀγαπώμενον ἡγούμενον μοναστηρίου τοῦ ἁγίου Φιλίππου, ὃν καὶ φονεύσαντες καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐπὶ δόρατος ἀναρτήσαντες ἔκραζον· „Οὗτός ἐστιν ὁ φίλος τοῦ ἐχθροῦ τῆς ἁγίας τριάδος.“ Ἐκβαλόντες δὲ καὶ γυναῖκα ἐγκλειστὴν οὖσαν πλησίον τῆς ξηροκέρκου πόρτης, εἰς ἣν ὁ βασιλεὺς εἶχε πίστιν καὶ ταύτην ἀνεῖλον. τὸ δὲ σῶμα αὐτῆς συνδήσαντες μετὰ τοῦ προλεχθέντος ἡγουμένου καὶ σύραντες, ἔκαυσαν εἰς τὰ Στουδίου.	καὶ διὰ τιμῆς τῷ βασιλεῖ τούτῳ ἀγόμενον, κτείναντες, ἀλλὰ μὴν καί τινα μονάζουσαν ἐγκεκλεισμένην ἐγγὺς τῆς πόρτης τῆς Ξυλοκέρκου ἀνελόντες, ὡς πίστιν καὶ εἰς αὐτὴν κεκτημένου τοῦ βασιλέως, καὶ συνδήσαντες ἄμφω τὰ σώματα ἔσυραν, εἶτα κατέκαυσαν.
ἐφ' ὧν χρόνων καὶ Μούνδαρος ὁ τῶν Σαρακηνῶν φύλαρχος βαπτισθεὶς ὑπὸ τῶν ὀρθοδόξων ἐν Συρίᾳ Σευῆρος ἐπισκόπους ἀπέστειλε e. q. s.	ἐν τοῖς χρόνοις τούτου τοῦ βασιλέως Ἀλαμούνδαρος ὁ τῶν Ἀγαρηνῶν φύλαρχος κατηχηθεὶς παρὰ ὀρθοδόξων ἐπίστευσέ τε καὶ ἐβαπτίσατο. πρὸς ὃν ὁ Σευῆρος e. q. s.

In hac de Alamundaro historia narranda etiam Theophanem I pag. 246 inspexisse Zonaras putandus est, nam aeque ac Theophanes illum hominem Alamundarum, non ut Georgius, Mundarum nominat atque etiam duos missos esse episcopos a Severo cum Theophane refert. Nihil interest, apud Theophanem et Georgium Monachum literas afferri Alamundaro, quibus certior fit de morte Michaelis, apud Zonaram vero hunc nuntium a servo aliquo clam cum Alamundaro communicari: haec enim ab ipso Zonara mutata esse crediderim. Pergit deinde Zonaras exponens secundam Bulgarorum in imperium Romanum incursionem (pag. 263, 12—21). Dicit nonnullos duces Romanorum cum copiis suis profectos esse ad Bulgaros repellendos, verum magnam cladem ab eis accepisse, quam non-

nulla prodigia antecedebant. Hanc de secunda Bulgarorum incursione eorumque victoria relationem apud nullum alium auctorem invenimus. Maxime dubium est, utrum haec Bulgarorum victoriae descriptio ex alio fonte deprompta referenda sit ad primam Bulgarorum invasionem, quam Theophanes I p. 222 et Zon. p. 261, 5 sq. commemorant et Marcellinus fusius persequitur, an revera in altera incursione acciderint, quae Zonaras hoc loco narrat.

Quae Zonaras p. 263, 21—25 dicit de morte Timothei patriarchae et de Iohanne successore eius et de morte Areadnae imperatricis, fluxerunt e Theophane I 250, 3. 253, 9 sq. Sequitur apud Zon. 263, 25—264, 20 miraculosa illa et fabulosa de Fortunae deae statua historia quam unde hauserit Zonaras perspici non potest.

Pag. 264, 21—265, 1 Zonaras narrat, ultimis Anastasii temporibus seditionem detectam Constantinopoli multosque correptos et in vincula coniectos esse, inter hos etiam Iustinum et Iustinianum. Sed somnio Anastasium impeditum esse, ne illos duos viros supplicio multaret. Deinde altero somnio Anastasio indicatum esse quattuordecim annos de ipsius vita propter impietatem demptum iri. Haec e Cedreno I p. 635, 8—636, 1 fluxerunt, qui quidem alterum illud somnium ex Theophane I p. 252 sq. hausit.

Quae Zonaras p. 265, 1—11 de Anastasii morte dicit, tali modo apud nullum alium auctorem ennarrata repperi. Proxime accedit Zonaras ad Georgii Monachi narrationem p. 518; fortasse ex eodem, quo Georgius, fonte hausit. Ceterum Anastasium duodenonaginta annos natum post imperii viginti septem annos mensesque tres obiisse, apud Theodorum Lectorem quoque (p. 565) invenis.

Commemorat deinde Zonaras 265, 11—15 terrae motum, qui sub Anastasio imperatore Constantinopoli et Antiochiae acciderit. De hac re ceteris in fontibus nihil inveni. Suspicor, a Zonara errore illum terrae motum referri hoc loco, cum ceteri omnes temporibus Iustini primi eum adscribant; cf. Theoph. I 265, 7 sq. Cedr. I 640, 10; Malal. 419, 5; Georg. Mon. 524, 23; Euagr. IV 5. Atque quem hi commemorant terrae motum, eundem esse atque illum a Zonara loco commemorato narratum, elucet e consensu verborum Zonarae et Georgii Monachi p. 524, 23 sq.

Muros, qui dicuntur longi, exstructos esse ab Anastasio, etiam Euagr. III 38 narrat. De statua Anastasii confer Theoph. I 229, 14 sq. et Cedr. I 629, 5 sq., e quibus Zonaras hausit.

Imperium Iustini maioris, qui Anastasio successit, a Zonara capite quinto describitur.

Quae Zon. initio capitis p. 265, 24—29 dicit exponens, quo genere natus Iustinus quaque condicione, priusquam regnavit, usus sit, ceteris in fontibus non reperiuntur. Simile quid Procopius hist. arc. c. VI dicit, sed non ita, ut eum fontem Zonarae esse putemus. Sequentia vero a pag. 265, 29 usque ad pag. 269, 1 paucis exceptis ex Theophane hausta sunt, confer Theoph. I 254, 5—260, 20. 261, 13—263, 3. 263, 14—264, 10. Initium capitis cum Theophaneis comparemus:

Theoph. I 255, 11 sq.	Zonaras 265, 29 sq.
Ἀμάντιόν τε τὸν πραιπόσιτον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν κουβικουλάριον, καὶ Θεόκριτον τὸν κόμητα Ἀμαντίου, ὃν ἐβούλετο ποιῆσαι βασιλέα, ὡς τυραννίδα μελετήσαντας, ἀνεῖλεν. ὁ γὰρ πραιπόσιτος δέδωκε Ἰουστίνῳ χρήματα ῥογεῦσαι, ὅπως Θεόκριτος βασιλεύσῃ. ὁ δὲ στρατὸς καὶ οἱ δῆμοι οὐχ εἵλοντο τὸν Θεόκριτον βασιλεῦσαι, ἀλλ' Ἰουστῖνον ἀνεκήρυξαν. αὐτοὶ δὲ δυσφορήσαντες τυραννίδα ἐμελέτησαν, καὶ ἀνῃρέθησαν.	μετὰ δέ γε τὴν τελευτὴν Ἀναστασίου, βουλῆς προτεθείσης περὶ προχειρίσεως βασιλέως ὁ εὐνοῦχος Ἀμάντιος, ὃς καὶ πραιπόσιτος ἦν καὶ μέγα δεδύνητο, θέλων Θεοκριτιανόν τινα οἰκεῖον ὄντα αὐτῷ βασιλεῦσαι, χρήματα τῷ Ἰουστίνῳ παρέσχε διανέμειν τοῖς στρατιώταις, ἵν' ἐκεῖνον ἕλωνται βασιλέα. ὁ δὲ τὰ χρήματα διανείμας ἑαυτῷ τὴν βασιλείαν προεμνηστεύσατο καὶ παρὰ τῶν στρατιωτῶν καὶ τοῦ δήμου εἰς τὴν τῆς αὐταρχίας ἀνήχθη περιωπήν. Ἀμάντιος δὲ ἐν δεινῷ πεποίητο τοῦ Ἰουστίνου τὸ σόφισμα καὶ αὐτῷ ἐπεβούλευε σὺν ἑτέροις τῶν ἐπιφανεστέρων, ὃν γνωσθέντα ὁ Ἰουστῖνος ἀνεῖλε σὺν Ἀνδρέᾳ τῷ κουβικουλαρίῳ καὶ τῷ Θεοκριτιανῷ.

Hoc loco alium fontem paullo uberiorem Zonaram inspexisse verisimile est; ex eo hoc quoque recepit, Amantium spadonem fuisse (cf. Procop. hist. arc. VI et Euagr. IV 2) et illi Amantii socio nomen fuisse Theocritiano, non Theocrito. Tamen praecipuum fontem Zonarae his in rebus enarrandis Theophanem fuisse confido.

Repetit deinde Zonaras p. 266, 9—17 ex Theoph. I 253, 3 sq. illa Anastasii et Amantii somnia, qua in re e Georgio Mon. 524, 9 aliquid addit:

Georg. Mon.	Zonaras.
Ἀμάντιον δὲ τὸν πραιπόσιτον ὃς τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου Θωμᾶ ᾠκοδόμησε καὶ ἐκόσμησε.	οὗτος τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ ἐδομήσατο· διὸ καὶ τὴν κλῆσιν ἐκείνου σώζει, τοῦ Ἀμαντίου καλούμενος.

Sequuntur a vers. 17—21 haec verba: ὀρθοδοξότατος δ' ὢν Ἰουστῖνος, δόγμα ἐξέθετο τὴν ἐν Χαλκηδόνι πάντας σέβεσθαι σύνοδον καὶ τοὺς αὐτὴν συστησαμένους ἑξακοσίους τριάκοντα ἁγίους πατέρας, τοῖς ἱεροῖς ἐγγραφῆναι διπτύχοις πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Vetat Malalae locus me putare, Zonaram haec ex Theoph. I 255, 2 sq. libero modo deprompsisse. Nam Mal. p. 411, 20 sq. dicit: ὅστις τοὺς τῆς συνόδου Χαλκηδόνος ἑξακοσίους τριάκοντα ἐπισκόπους ἐνέταξε τοῖς διπτύχοις τῶν ἐκκλησιῶν ἑκάστης πόλεως.

Ex uno fonte certissime hauserunt. Deinde vero prorsus Theophanem Zonaras sequitur; confer haec:

Theoph. I 254, 7 sq.	Zonaras.
σύμβιον δὲ ἔχων ὀνόματι Λουπικίαν, ἔστεψεν αὐγοῦσταν· ἣν οἱ δῆμοι ἐκάλεσαν Εὐφημίαν εἰς τὸ στέψαι αὐτήν. Βιταλιανὸς δὲ ὁ προρρηθεὶς μετὰ θάνατον Ἀναστασίου Ἰουστίνῳ τῷ μεγάλῳ σφόδρα ᾠκειώθη, ὥστε στρατηλάτου ἀξίαν παρ' αὐτοῦ δέξασθαι, καὶ ὑπατεῦσαι ἐλθόντα ἐν Βυζαντίῳ καὶ ὕπατον ἀναγορευθῆναι, καὶ κόμητα Πρεσέντου, παρρησίαν τε ἔχειν τοσαύτην πρὸς τὸν βασιλέα, ὥστε καὶ Σευῆρον προστάξαι ἐκβληθῆναι καὶ ἀναιρεθῆναι. λίαν γὰρ ἦν ὀρθόδοξος Βιταλιανός. ὁ δὲ Σευῆρος ἀκούσας ἔφυγεν e. q. s.	γαμετὴν δ' ἔχων Λουπικίαν κεκλημένην ἔστεψεν αὐτὴν καὶ Αὐγοῦσταν ἀνηγόρευσεν, Εὐφημίαν μετονομάσας. τούτῳ Βιταλιανός, ὃς ἐστασίασεν ἐπὶ Ἀναστασίου, πάνυ ᾠκείωτο, καὶ στρατηλάτης προεχειρίσθη, ἀλλὰ μὴν καὶ ὑπάτευσε, καὶ μέγα τι παρὰ τῷ Ἰουστίνῳ ἠδύνατο. ὀρθόδοξος δ' ὢν τὸν Σευῆρον ἐκδιωχθῆναι τοῦ θρόνου τῆς Ἀντιοχείας καὶ ἀναιρεθῆναι προσέταξεν· ὃ γνοὺς ἐκεῖνος ἀπέδρα e. q. s.

Unum inest in hac parte quod in Theophane desideramus. Postquam enim ex Theophane Zonaras exscripsit Vitalianum a civibus Constantinopolis interfectum esse, p. 267, 8—12 pergit dicens, secundum alios auctores ipsum Iustinum eum occidi iussisse et Iustinianum in eius locum suffectum esse. Eundem mortis

Vitaliani modum legimus apud Procopium hist. arc. tom. III p. 46, 17 ed. Bonn., qui dicit: *αὐτίκα δὲ καὶ Βιταλιανὸν τὸν τύραννον μετεπέμψατο, ᾧ δὴ τὰ πιστὰ πρότερον ὑπὲρ τῆς ἀσφαλείας παρέσχετο, διαλαχὼν αὐτῷ καὶ τῶν ἐν χριστιανοῖς μυστηρίων. ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ἐξ ὑποψίας αὐτῷ προσκεκρουκότα ξὺν τοῖς ἐπιτηδείοις ἐν παλατίῳ λόγῳ οὐδενὶ διεχρήσατο, πίστεις οὕτω δεινοτάτας ἐμπεδῶσαι οὐδαμῇ ἀξιώσας.* Confer etiam Euagrium IV 3, qui idem dicit. Contra Victor Tunn. affirmat: Vitalianus Constantinopoli intra palatium, loco quem Delphicum Graeco vocabulo dicunt, Iustiniani patricii factione dicitur interfectus esse. Etiam Marcellinus eum cum aliis in palatio interemptum esse contendit.

Pag. 269, 1—5 de calamitate Pompeiopolis quae dicit, Zonaras e Georgio Mon. p. 525, 7—10 hausit; quae sequuntur de femina humanae magnitudinis formam excedente ex eodem Georgio vel ex Theoph. I 264, 11 sq. fluxerunt. Zonaras in describenda illa femina genio aliquantum indulget.

Unde, quae in fine capitis (a p. 269, 13 usque ad p. 270, 6) Zonaras dicit, fluxerint, investigare non potuimus. Modus quem Zonaras praebet electionis Iustiniani in universum confirmatur a Marcellino, qui ad annum 527 dicit: anno regiae urbis conditae CXCVII Iustinus imperator Iustinianum ex sorore sua nepotem iam dudum a se nobilissimum designatum participem quoque regni sui successoremque creavit Cal. Aprilis, ipse vero quarto ab hoc mense vita decessit anno imperii IX mense II. Confer deinde Vict. Tunn., qui dicit: Post consulatum II Iustini et Apionis, Iustinus Augustus Iustinianum nepotem suum ad senatorum supplicationem invitus Caesarem fecit.

De morbo Iustini confer Theoph. I p. 266, 15 sq. Vulnere in pede fixo laborasse Iustinum confirmat Malal. p. 424, 14 sq.; Iustinianum, cum imperator fieret, quadraginta quinque annos natum fuisse, etiam Cedrenus refert I p. 642, 14.

Sequitur igitur historia imperii Iustiniani primi, quod describitur a Zonara a capite sexto usque ad nonum.

Quae initio capitis sexti Zonaras in universum de Iustiniani et Theodorae imperio et moribus dicit (a p. 270, 7—271, 3), his quidem nihil aliud continetur nisi brevissima adumbratio illarum rerum, quas Procopius in libro, qui inscribitur *ἀνέκδοτα*, fuse tradit, ita ut Alemannus hanc ipsam Zonarae partem quasi argumentum illi Procopii operi praefigendam curaverit. Longum est singulos Procopii locos afferre, quibus singuli Zonarae loci respon-

deant; quicumque illam Procopii historiam arcanam perlegerit, mihi assentietur. Deinde Zon. a p. 271, 3—7 dicit, cometam apparuisse et pacem factam esse cum Persis. Haec, quamquam Zonaras quintum Iustiniani annum nominat, apud Theophanem vero illa quarto anno facta esse legimus, tamen ex Theoph. I p. 278, 4—13 fluxisse putaverim. Nam ex Theophane elucet, Iustinianum anno 527 mense Aprili ind. V imperatorem esse nuncupatum, cometam vero apparuisse anno 530 mense Septembri ind. IX. Hoc interest inter Zonaram et Theophanem, quod ille hoc loco indictiones, hic annos mundi computat.

Sequitur deinde descriptio ingentis illius seditionis Constantinopoli ortae, cui nomen *Νίκα* inditum est. Hanc narratam invenimus a Procopio I p. 119, 11 sq. ed. Bonn., a Malala p. 473, 5 sq., ab auctore chronici Paschalis I p. 620, 3 sq., a Theoph. I 278, 14 sq.; ceteros omitto, quia brevissime tantum hanc seditionem commemorant. Omnes illi, quos nominavi, auctores, non ita inter se consentiunt, ut alterum ex altero hausisse dicere liceat, sed in rebus enarrandis omnes inter se alter alterius relationem complent. Ne Zonarae quidem ullus fons adhuc exstat, sed eiusmodi eius narratio est, ut optimum fontem eum secutum esse eiusque narrationem ceterorum relationes multis in rebus vel maxime illustrare putem. Describuntur deinde a Zon. p. 273, 22—274, 18 et 275, 10—26 nonnullae aedes, monumenta, alia, quae a Iustiniano et Theodora exstructa sunt. Habemus de his rebus proprium Procopii opus, sex libros *περὶ τῶν τοῦ δεσπότου Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων* editos in ed. Bonn. vol. III. Conferendi igitur sunt de sancta Sophia cum Zon. 273, 22—29 Procop. III p. 173, 6 sq., Theoph. I 338, 2 sq. Cedr. I 650, 12 sq. et ante omnes etiam Leo Gramm. p. 126, 17; cum Zon. 273, 29—274, 5 Procop. III 142, 20—144, 7; de Iustiniani equestri statua Procop. III p. 181, 8—182, 23. Theoph. I 347, 16—19. Cedr. I p. 656, 19 sq. Leo 129, 3 sq.; de aquaeductu Procop. III 146, 4 sq.; de aedificiis, quae Zon. 275, 9—26 commemorat, Theoph. I 362, 14 sq. Cedr. I 678, 15 sq. Georg. Mon. 548, 10 sq. Leo Gramm. 130, 12 sq., deinde vero Procop. III 184, 20 sq. 186, 17—19. 314, 15 sq. 187, 13 sq. Haec omnia ex nullo horum, quos commemoravi, auctorum Zonaram hausisse elucet, sed mea sententia ex alio fonte, qui et Procopium et alios quosdam exscripsit.

Quae huic monumentorum descriptioni interiecta sunt de terrae motu, qui Cyzici accidit, de cane illo miraculoso, de Anthimo patriarcha, de Iustiniani contra impudicos severitate (Zon.

274, 18—275, 9), partim in Theophane I 347, 14—348, 11. 337, 7 sq. 271, 15 sq. Cedren. I 645, 17 sq. Georg. Monach. 541, 9 sq. Leone 128, 17 sq. exstant; sed cum apud Zonaram longe alio ordine omnia enarrata inveniamus nonnullaque prorsus apud ceteros desiderentur, alii fonti hanc totam partem ascribam. Redolere enim mihi videntur hae narrationes chronicon aliquod Constantinopolitanum.

A p. 275, 26 usque ad p. 278, 15 Zonaras narrat, quomodo Belisarius, Iustiniani dux, regnum Vandalorum destruxerit. Haec quamquam Zonaras a Procopio fuse descripta esse sciebat, quamquam hac ipsa in parte Procopium huius historiae scriptorem commemorat, tamen unum Theophanem I a p. 287, 5 usque ad p. 308 exscripsit. Conferas quaeso utriusque scriptoris particulas, quas subieci:

Theoph. I 287, 5 sq.

τῷ δ' αὐτῷ ἔτει γεγόνασιν Οὐανδαλικοὶ πόλεμοι, καὶ παρέλαβεν Βελισάριος τὴν Ἀφρικήν. οἱ γὰρ Οὐανδῆλοι, καθὼς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις εἴρηται, ἐπὶ Ἀρκαδίου βασιλέως καὶ Ὁνωρίου τὴν Σπανίαν καταλαβόντες μετὰ Γογδιγίσκλου τοῦ ῥηγὸς αὐτῶν ἐκ ταύτης ἐπὶ Λιβύην περάσαντες, ταύτην κατέσχον. τοῦ δὲ Γογδιγίσκλου τελευτήσαντος, Γόγδαρις καὶ Γιζέριχος οἱ τούτου υἱοὶ τὴν τούτου ἀρχὴν διεδέξαντο. Γόγδαρις δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενος, Γιζέριχος βασιλεὺς Οὐανδήλων ἀναδείκνυται, καὶ πόλιν Καρθαγένναν βασιλεύσας ἔτη λθ', παραλαβὼν καὶ Ῥώμην. τούτου δὲ τελευτήσαντος Ὁνώριχος ὁ υἱὸς αὐτοῦ τὴν βασιλείαν διεδέξατο, πολλὰ κακὰ τοῖς ἐν Λιβύῃ Χριστιανοῖς ἐνδειξάμενος, καὶ ἀρειανίζειν βιασάμενος. καὶ πολλοὺς ἐφόνευσεν, καὶ ἐγλωσσοτόμησεν ἀπὸ τῆς φάρυγγος· οἳ καὶ τοῦ θεοῦ χάριτι

Zonaras 275, 26 sq.

Ὀνωρίου δέ ποτε τῆς πρεσβυτέρας βασιλεύοντος Ῥώμης, μεταναστὰν τὸ τῶν Οὐανδήλων ἔθνος καὶ εἰς Ἱσπανίαν ἐλθόν, κἀκεῖθεν εἰς Λιβύην περαιωθέν, σὺν τῷ οἰκείῳ ῥηγὶ Γονδιγίσγλῳ κατέσχε ταύτην. ἐφ' υἱοῖς δὲ δυσὶ τούτου θανόντος, ὧν ἅτερος Γόνδαρις, ὁ δὲ λοιπὸς ἐκαλεῖτο Γιζέριχος, εἰς μόνον τὸν Γιζέριχον ἡ ἀρχὴ περιέστη, τοῦ Γόνδαρι τελευτήσαντος. οὗτος οὖν ὁ Γιζέριχος τήν τε Καρτάγεναν παρειλήφει καὶ τὴν Ῥώμην αὐτήν, καὶ ἐπὶ τριάκοντα καὶ ἐννέα τῶν Οὐανδήλων ἡγεμονεύσας ἐνιαυτοὺς ἀπέτισε τὸ χρεών. ὃν Ὀνώριχος ὁ υἱὸς διεδέξατο, ὑφ' οὗ πλεῖστά δεινὰ τοῖς ὀρθοδόξοις ἐπήχθησαν, ἀρειανίζειν πάντας καταναγκάζοντος. ὃς ἐπ' ἔτη ἄρξας ὀκτὼ ἐπὶ διαδόχῳ Γουνδαμούνδῳ τῷ υἱωνῷ τελευτᾷ. καὶ οὗτος δὲ βαρὺς τοῖς ὀρθοδόξοις γενόμενος, κατέλυσε τὴν ζωὴν

Theophanes.	Zonaras.
ὕστερον ἐλάλουν. τούτων καταφρονήσαντες ἐπολέμησαν οἱ Μαυρούσιοι, καὶ πολλὰ κακὰ εἰς Οὐανδήλους εἰργάσαντο. ὀκτὼ δὲ ἔτη βασιλεύσας τελευτᾷ, ἀπολέσας Νουμιδίαν καὶ Αὐράσιον ὄρος, οἳ οὐκ ἔτι ὑπὸ Οὐανδήλους ἐγένοντο. Γουνδαβοῦν δὲ ὁ Γεήσωνος υἱός, υἱοῦ Γιζερίχου τὴν ἀρχὴν διεδέξατο, μείζονα κακὰ τοῖς Χριστιανοῖς ἐνδειξάμενος· ἐτελεύτησεν βασιλεύσας ἔτη ιβ΄ e. q. s.	ἐπὶ ἐνιαυτοὺς τὴν ἀρχὴν κατασχὼν δυοκαίδεκα e. q. s.

Zon. 278, 15—279, 20.

Hoc loco fuse describuntur Belisarii in urbem Constantinopolim reditus, triumphus eius et ludi, qui edebantur, deinde opes, quas idem Vandalis ereptas Constantinopolim contulit. Haec ex Theophane vel Procopio I 445 sq., qui omnia longe aliter narrant neque tam ingentes opes quam Zonaras enumerant hausta esse non possunt. Mihi haec pars eiusmodi fontem redolere videtur, cuius autor ipsius triumphi temporibus in ipsa urbe Constantinopoli aderat ideoque singulas praedae partes describere poterat. Certum vero huius loci fontem non repperi.

Zon. 279, 21—280, 30.

Narrat hoc loco Zonaras, Theodatum, regem Gothorum, quem aggressus erat Belisarius, Agapetum papam Constantinopolim misisse legatum ad Iustinianum. Hunc, cum Byzantium venisset, primum de orthodoxa fide collocutum esse cum imperatore, deinde repugnantibus imperatore, Theodora Augusta nonnullisque episcopis a Theodora corruptis effecisse, ut Anthimus removeretur episcopatu et Menas vir orthodoxus in eius locum sufficeretur. Deinde Agapetum, antequam revertit, Constantinopoli mortuum esse. Haec quae Zonaras tradit, in universum confirmantur a Theoph. I p. 337, 6 sq., sed res singulae multo fusius a Zonara enarrantur, ita ut nullo modo hoc loco ex Theophane hausisse possit. Conferendus est ante omnes cum Zonara Anastasius bibliothecarius in Agapeto, qui multas res a Zonara traditas, a ceteris vero omissas testatur.

Dicit, ut nonnulla afferam, Anastasius: 'Hic (Agapitus) missus est a Theodato rege Gothorum ad dominum Iustinianum Augustum in legationem, quia eodem tempore' e. q. s.

Deinde alio loco: 'Et primum coepit habere altercationem cum piissimo Principe Iustiniano Augusto de religione. Cui beatissimus Agapitus episcopus constantissimae fidei Apostolorum responsum reddidit dicens, dominum nostrum Iesum Christum deum et hominem esse, hoc est duas naturas esse in uno Christo et dum contentio verteretur, ita dominus affuit, ut episcopum Constantinopolis nomine Anthimum inveniret haereticum, et cum contentio verteretur cum Augusto et Agapito Papa, hoc dixit ei Iustinianus imperator: aut consenti nobis aut exsilio te deportari faciam. Tunc beatissimus Agapitus Papa respondit cum gaudio dicens ad imperatorem: Ego quidem peccator ad Iustinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi: nunc autem Diocletianum inveni, qui tamen minas tuas non pertimesco'.

Deinde alio quoque loco: 'dolens autem Augusta pro Anthimo patriarcha, quod depositus fuisset a sanctissimo Agapito Papa, qui eum haereticum reperisset et in locum eius constituisset Mennam servum dei'.

Vides multis in rebus consentire Anastasium et Zonaram.

Quae deinde Zonaras dicit p. 280, 30—281, 3 de Mena et Eutychio patriarchis hausta esse possunt ex Theoph. I 353, 17—354, 9 et 371, 19 sq., nisi, ut in ceteris de patriarcharum annis relationibus, proprium Zonarae fontem suspicaris. Describit deinde Zonaras a p. 281, lin. 3—18 secundum Georgium Monachum, ut videtur, quintum concilium oecumenicum: cf. Georg. Mon. 528, 17 sq.

Zonaras deinde a p. 281, 18—282, 23 e memoria mihi videtur brevissime complexus esse, quae Procopius, quem hoc quoque loco nominat, nonnullis in libris de bello Gothico exponit. Nam hoc bellum paucis tantum verbis Zonaras adumbrat atque etiam vitium inest, quo apparet Zonaram non ipsum inspexisse Procopium, cum hanc historiam conscriberet. Dicit enim, cum Belisarius Romam caperet, Theodatum regem fuisse Gothorum. E Procopio vero cognoscimus, statim post Neapolim a Belisario captam Vittigem a Gothis creatum esse regem Theodatumque interfectum esse. De ultimis, quae de Belisario et morte Theodorae dicit Zonaras, conferendus est Procopius II 272, 11 sq. 275—76 et 401, 12—14 ed. Bonn. Narrationem de sanctae Sophiae hemisphaerio caduco (Zon. 282, 23—283, 2) habet etiam Theophanes I 338, 3 sq. 359, 16 sq. 369, 6 sq., sed ex eo hausisse Zonaram verisimile non est et propter ordinem rerum enarratarum et quod Zonaras diserte dicit:

καὶ αὖθις (τὸν τροῦλον) ἀνεγερθῆναι ἐπὶ πόδας εἴκοσι

καὶ πέντε μετεωρότερον, Theophanes vero l. l.: *πλέον εἴκοσι πόδας*. Fortasse Zonaras eundem fontem hoc loco secutus est, quem in describendis aedificiis a Iustiniano exstructis adhibuit.

Sequitur apud Zonaram p. 283, 2—284, 13 narratio illa de monstro marino occiso et de bombycibus in imperium Romanum a duobus monachis translatis. Ambas narrationes e Procopio hausit Zonaras, ut ipse dicit, cf. Procop. II 399, 3 sq. et 546, 17 sq. ed. Bonn.

Atque hoc loco Zonaram Procopium revera ante oculos habuisse et exscripsisse, mihi concedes, si contuleris locos hosce:

Procop. II 399, 3 sq.

τότε καὶ τὸ κῆτος, ὃ δὴ Βυζάντιοι πορφυρίωνα ἐκάλουν, ἑάλω. τοῦτό τε τὸ κῆτος πλέον μὲν ἢ ἐς πεντήκοντα ἐνιαυτοὺς τό τε Βυζάντιον καὶ τὰ ἀμφ' αὐτὸ χωρία ἠνώχλει, οὐκ ἐφεξῆς μέντοι, ἀλλὰ διαλεῖπον, ἂν οὕτω τύχοι, πολύν τινα μεταξὺ χρόνον. καὶ πολλὰ μὲν κατέδυσε πλοῖα, πολλῶν δὲ τοὺς ἐπιβάτας ξυνταράττον τε καὶ βιαζόμενον ὡς ἀπωτάτω ἀπήνεγκεν. ἐπιμελὲς μὲν οὖν Ἰουστινιανῷ βασιλεῖ ἐγεγόνει τὸ θηρίον τοῦτο χειρώσασθαι, ἐπιτελέσαι δὲ τὸ βούλημα οὐδεμιᾷ μηχανῇ ἔσχεν. ὅπως δὲ τανῦν αὐτὸ ἁλῶναι ξυνέπεσεν, ἐγὼ δηλώσω. ἐτύγχανε μὲν γαλήνη τὴν θάλασσαν πολλὴ ἔχουσα, δελφίνων δὲ πάμπολύ τι πλῆθος ἄγχιστά πη τοῦ στόματος πόντου τοῦ Εὐξείνου ξυνέρρεεν e. q. s.

Zonaras.

ἐπὶ τούτου τοῦ βασιλέως καὶ τὸ κῆτος ἑάλω, ὃ εἰς πεντήκοντα καὶ ἐπέκεινα Βυζαντίοις ἠνώχλει ἐνιαυτούς, ὃ πορφύριον ἐκάλουν, οὐκ ἀεὶ μὲν φαινόμενον, ἀλλ' ἐκ διαλειμμάτων. ὅτε δ' ἐφαίνετο, πολλὰς μὲν τῶν νηῶν ὑποβρυχίους ἐτίθει, πολλοῖς δὲ φθορᾶς αἴτιον ἀνθρώποις ἐγίνετο, καθ' οὗ πολλαῖς μὲν ἐχρήσαντο μηχαναῖς, πᾶσαι δ' ἔμενον ἄπρακτοι, ἑάλω μέντοι δελφῖνας διῶκον. οἱ μὲν γὰρ ἐκεῖνο φεύγοντες τῇ γῇ προσεπέλαζον, τὸ δὲ τὴν κατ' ἐκείνων ὁρμὴν οὐκ ἀνέκοπτεν, ἕως ἄγχιστά πῃ τῆς γῆς γεγονὸς ἰλύι βαθείᾳ καὶ τελματώδει ἐμπέπτωκεν e. q. s.

Zonaras p. 284, 13—31 extrema Iustiniani imperii tempora describit. Belisarius Constantinopoli commorans suspectus fit Iustiniano hicque domi eum custodiendum curat. Post Belisarii mortem opes eius publicantur. Iustinianus perversam fidem prae se ferens Eutychium patriarcham deportat Amasiam, deinde Iustiniano post triginta octo imperii annos mortuo Iustinus secundus succedit. Hausta haec sunt ex Theophane I 368—372, 11.

Venimus igitur nunc ad imperium Iustini secundi a Zonara descriptum.

Initium capitis decimi Zonaras fortasse fonti nobis ignoto debet. Recte enim Iustinianum non Thracem, ut Theophanes et Cedrenus, sed Illyrium nominat. Atque etiam in ceteris, quae magna ex parte cum Theoph. I 373, 5 sq. 374, 9 sq. 375, 7 sq. 376, 15 sq. conspirant, nonnulla insunt, quae apud Theophanem et Cedrenum desiderantur, commemorationem dico epigrammatis Agathiae, templi S. Theclae, aurei triclinii.

Quae deinde Zonaras p. 285, 28—287, 3 narrat, fluxerunt e Cedreno I 680, 21—683, 6. Narratur hoc loco, Iustinum, cum morbo laboraret et aegre ferret querelas eorum, qui a potentioribus vexabantur, virum aliquem praefectum urbi nuncupasse, qui noxium aliquem, cum vocatus non veniret in tribunal, ex ipsius imperatoris palatio arcessi iussit eumque multandum curavit.

Zonaras p. 287, 3—31 exponit, iterum inimicitias exortas esse inter Iustinum et Chosroem, Iustinum magna clade accepta pacem fecisse cum Persis, deinde morbo implicitum Tiberium Caesarem nuncupasse.

Haec omnia ex Theophane I 377, 1—379, 12. 380, 13—14. 380, 20—381, 20 fluxerunt praeter hoc unum, bellum cum Persis gestum coepisse quarto imperii Iustini anno. Nam Theophanes et ex hoc Cedrenus hoc septimo Iustini anno factum esse affirmant.

Theoph. I 377, 1 sq.

τούτῳ τῷ ἔτει Ῥωμαῖοί τε καὶ Πέρσαι τὴν εἰρήνην διέφθειραν, καὶ πάλιν ὁ Περσικὸς ἀνεκαινίσθη πόλεμος διὰ τὸ πρεσβεῦσαι τοὺς Ὁμηρίτας Ἰνδοὺς πρὸς Ῥωμαίους, καὶ ἀποστεῖλαι τὸν βασιλέα Ἰουλιανὸν τὸν μαγιστριανὸν μετὰ σάκρας πρὸς Ἀρέθαν βασιλέα τῶν Αἰθιόπων διὰ τοῦ Νείλου ποταμοῦ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς Ἰνδικῆς θαλάσσης· καὶ ἀπεδέχθη τῷ βασιλεῖ Ἀρέθᾳ μετὰ χαρᾶς πολλῆς, ὡς ἐφιεμένῳ τὴν φιλίαν τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων.

378, 5 sq.

ἀναγνοὺς δὲ εὗρεν περιέχοντα

Zonaras.

αἱ δὲ πρὸς Πέρσας σπονδαὶ ἐπὶ τούτου τοῦ βασιλέως ἐλύθησαν· δασμὸν γὰρ ἐνιαύσιον λίτρας πεντακοσίας τῶν Ῥωμαίων διδόντων αὐτοῖς, ἵνα τὰ σφίσιν ἀγχίθυρα τῆς Ῥωμαϊκῆς ἡγεμονίας ἀβλαβῆ φυλάσσωνται φρούρια, ὁ Ἰουστῖνος οὗτος ἐπονείδιστον εἶναι τὸ φορολογεῖσθαι παρὰ Περσῶν Ῥωμαίους λέγων, ἐπέσχε τὸ χρυσίον (cf. Theoph. p. 379, 2 sq.). *διαπρεσβευσάμενος δὲ πρὸς Ἀρέθαν τὸν Αἰθιόπων βασιλέα ἔπεισεν αὐτὸν τὰ πλησιάζοντα τοῖς Αἰθίοψι τῆς τῶν Περσῶν ἐπικρατείας καταδραμεῖν καὶ ληίσασθαι· διὸ καὶ*

Theophanes.	Zonaras.
τοῦ ὁπλίσασθαι αὐτὸν κατὰ τοῦ βασιλέως Περσῶν, καὶ τὴν πλησιάζουσαν αὐτῷ χώραν τῶν Περσῶν ἀπολέσαι, καὶ τοῦ λοιποῦ μηκέτι συνάλλαγμα ποιεῖν μετὰ τῶν Περσῶν, ἀλλὰ δι' ἧς ὑπέταξεν χώρας τῶν Ὁμηριτῶν διὰ τοῦ Νείλου ποταμοῦ ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πραγματείαν ποιεῖσθαι e. q. s.	αὖθις μέσον Περσῶν καὶ Ῥωμαίων ἀνερριπιστο πόλεμος e. q. s.

Zonaras p. 287, 31—288, 14.

Hac parte Zonaras narrat, Iustinum morbo, quo laborabat, aliquantum liberatum praesentibus senatu atque clero ecclesiae, Tiberium, postquam longa oratione, ut officia optimi praestaret principis, adhortatus est, imperatorem fecisse et post tredecim imperii annos obiisse. Praeter Zonaram hanc rem fuse eodem fere modo quo Zonaras describunt Theophylactus Simocatta p. 136 sq. ed. Bonn., Theophanes, Cedrenus, Leo Grammaticus. Theophylacti relationem fere ad verbum exscripsit Theophanes I 382 sq. praeterquam quod Theophylactus 137, 14 scribit *μὴ συκοφάντας προσδέξῃ*, Theophanes vero I 383, 11 *μὴ στρατιώτας δέξῃ*, quod vitium librorum mihi videtur esse. Horum relationibus oppositi sunt Leo Grammaticus p. 135, 8 sq. et Cedrenus I p. 685, 17 sq. Apud Cedrenum nescio quo vitio unus versus excidit (cf. Cedr. I 686, 11—12 et Leon. Gramm. p. 136, 2—3), quem e Leone ita suppleas: *τοῖς μὴ ἔχουσι [εἰ ἀγαθοί, δώρησαι. οἶδας ὅτι τῶν σπλάγχνων μού] σε προετίμησα.* Zonaras, qui oratione obliqua reddit verba Iustini, utrum e Cedreno et Theophane an ex alio fonte hauserit — nam huius rei complures fontes exstitisse videmus ex Iohanne Ephesio p. 98 sq. versionis Schoenfelderianae — dignosci non potest. Quae dicit, optime quadrant in Cedreni et Theophanis verba, nisi offenderis his verbis Zonarae: *τοὺς ὑπηκόους εὐεργετεῖν, τοὺς ἀδικουμένους ἐκδικεῖν.* Tales sententias etiamsi non inveniuntur in Theophane, tamen eius verbis ductum Zonaram conscribere potuisse elucet. Equidem igitur Zonaram e Theophane hausisse suspicer, praesertim cum antecedentia quoque vel maxime cum Theophane conspirent; cf. haec:

Theophanes.	Zonaras.
τούτῳ τῷ ἔτει μηνὶ Ὀκτωβρίῳ ἰνδικτιῶνι ια΄ Εὐτύχιος ἀπέλαβε πάλιν τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως. ὁ δὲ βασιλεὺς ἀσθενήσας, καὶ μικρὸν ἀνεθεὶς τῆς νόσου, προσεκαλέσατο τόν τε ἀρχιερέα καὶ τὴν σύγκλητον καὶ πάντας τοὺς ἱερεῖς, καὶ πολιτευομένους . . .	ἀνεθεὶς δὲ τῆς νόσου, προσεκαλέσατο τὸν πατριάρχην Εὐτύχιον, θανόντος γὰρ τοῦ ἀπὸ σχολαστικῶν Ἰωάννου πάλιν οὗτος ἐπανήχθη καὶ εἰς τὸν θρόνον ἀποκατέστη τὸν ἀρχιερατικόν, συναθροίσας δὲ καὶ τὴν σύγκλητον καὶ τὸν κλῆρον τῆς ἐκκλησίας . . . . .

Imperium Tiberii, qui Iustino secundo successit, describitur a Zonara p. 288, 15—290, 28. Omnia fere quae hoc in capite dicit, ex Theoph. I 384, 5—388, 16 hausit: Cedrenum non secutus est hac parte, quamquam hic, qui et ipse Theophanem multis in rebus exscripsit, magnam cum Zonara similitudinem prae se fert. Hoc quoque loco Theophanis et Zonarae aliquas particulas conferendas apponemus, in quibus conscribendis Zonaram Theophanem secutum esse non tam aperte quam alibi elucet.

Theoph. I 385, 9 sq.	Zonaras p. 288, 22 sq.
ἀπέστειλε δὲ πρέσβεις πρὸς τὸν βασιλέα Περσῶν κατὰ τὸ ἔθος, μηνύων τὴν ἀναγόρευσιν αὐτοῦ· καὶ οὐ προσήκατο τὴν εἰρήνην ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς. τότε Τιβέριος μεγάλας δυνάμεις συνήθροιζεν, καὶ διασπείρας τοὺς βασιλικοὺς θησαυρούς, πολλὰ στρατόπεδα ἐποίησεν, χειροτονήσας Ἰουστινιανόν τινα στρατηγὸν ἀνατολῆς, ὃς ἀναλαβὼν τὰς δυνάμεις ἐπὶ τὸ Δαρᾶς παραγίνεται. στρατοπεδεύουσι δὲ καὶ Πέρσαι πλησίον αὐτῶν στρατηγούμενοι ὑπὸ τοῦ Μεγοσρόου. τῆς δὲ παρατάξεως γενομένης, εἰς λόγους ἦλθον, καὶ σπένδονται πρὸς ἀλλήλους, ἐφ᾽ ᾧ χρόνον τετραετῆ Ῥωμαίους τε καὶ Πέρσας τὴν ἀνατολὴν (μὴ) λυμήνασθαι· τὸν δὲ πόλεμον τῆς Ἀρμενίας συστήσασθαι. τούτῳ τῷ ἔτει ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς	οὗτος ὁ αὐτοκράτωρ καὶ πρὸς Ὁρμίσδαν πρεσβείαν ἐποιήσατο, ἀνανεῶν τὰς σπονδάς· ὁ δὲ τὴν ἀνανέωσιν οὐ προσήκατο· διὸ καὶ ὁ Τιβέριος πρὸς τὸν κατὰ Περσῶν πόλεμον πολλὴν ἡτοίμαζε στρατιὰν καὶ Ἰουστινιανὸν τῶν ἐπισήμων τινὰ τῆς ἀνατολῆς προυβάλετο στρατηγόν, ὃς ἐπὶ Πέρσας χωρήσας, ἐπεὶ πλησίον αὐτῶν ἐστρατοπεδεύσατο, εἰς λόγους ἧκε πρὸ παρατάξεως, καὶ ἔπεισεν αὐτοὺς σπείσασθαι Ῥωμαίοις ἐπὶ τριετίᾳ. ἤδη δὲ τοῦ τρίτου παραρρυϊσκομένου ἐνιαυτοῦ Ὁρμίσδας ὁ τῶν Περσῶν ἀρχηγὸς σὺν ταῖς αὐτοῦ δυνάμεσιν ἐπὶ τὴν Ἀρμενίαν χωρεῖ. τοῦτο εἰς δειλίαν ἐνέβαλε τὰ ἐκεῖ Ῥωμαίων στρατεύματα. διαλεχθεὶς δὲ τούτοις ὁ σφέτερος στρατηγὸς θάρσος ἅπασιν ἐνεποίησε, καὶ τὴν πρὸς Ὁρμίσδαν

Theophanes.	Zonaras.
ἀναλαβὼν τὰς ἑαυτοῦ δυνάμεις ἐπὶ τὴν Ἀρμενίαν χωρεῖ. ἀκηκοὼς δὲ ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς τὸν τῶν Περσῶν βασιλέα μέλλειν τὸν πόλεμον αὐτουργεῖν, ἔκλυτος γέγονεν· δέος γὰρ εἰσῆλθεν εἰς τὸν λαὸν τῶν Ῥωμαίων. διὰ τοῦτο λόγοις Ἰουστινιανὸς πρὸς τὰς δυνάμεις χρησάμενος, ἀπέπαυσεν τῆς δειλίας τὸ μάχιμον. πολέμου δὲ κροτηθέντος, καὶ τῆς τοξείας τῶν Περσῶν πολλῆς γεγονυίας, ὡς καὶ τὰς ἡλιακὰς ἀποκρύπτειν ἀκτῖνας, Ῥωμαῖοι ταῖς ἀσπίσι τὰς ἐκ τῶν τόξων βολὰς ἀπορριψάμενοι, τῆς κατὰ συστάδην μάχης ἀπήρχοντο· βαθείας δὲ καθεστώσης τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκτάξεως, φέρειν οὐκ εἶχον οἱ Πέρσαι· καὶ τρέπεται ἡ τῶν Βαβυλωνίων πληθύς, καὶ ἀναιροῦνται πλήθη πολλά. παραλαμβάνουσι δὲ καὶ τὸ τῶν Περσῶν τοῦλδον καὶ τὸ βασιλικὸν σκηνοπήγιον, καὶ πᾶσαν τὴν ἀποσκευὴν ἐπίδοξον οὖσαν. κρατοῦσι δὲ καὶ τῶν ἐλεφάντων οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ πρὸς Τιβέριον πέμπουσι τὰ ἐπίσημα ἐκεῖνα καὶ βασιλικὰ λάφυρα.	μάχην ὑπέστησαν, καὶ μέχρι μέν τινος ταῖς ἐκ τόξων κεχρημένοι βολαῖς ἐδόκουν ὑπερτερεῖν τῶν Ῥωμαίων ταῖς ἀσπίσι καταφραγνύντων ἑαυτοὺς καὶ μὴ ἀντεπεξιόντων. ἐπεὶ δ' ἔγνωσαν οἱ Ῥωμαῖοι ἤδη κεκενῶσθαι τὰς φαρέτρας τοῖς ἐναντίοις, συνησπικότες ἀλλήλοις καὶ ἀλαλάξαντες ἐνυάλιον ἐπῆλθον τοῖς Πέρσαις κατὰ συστάδην, ἀγχεμάχοις ὅπλοις αὐτοὺς ἀμυνόμενοι. οἳ οὐδὲ πρὸς βραχὺ τὴν ὁρμὴν αὐτῶν ὑπομείναντες τρέπονται, καὶ ἀναιροῦνται μὲν οἱ πλείους· τὸ δὲ στρατόπεδον αὐτῶν διαρπάζεται· καὶ ἡ μὲν βασιλικὴ τοῦ Ὁρμίσδου σκηνὴ καὶ ἡ ἀποσκευὴ ἐκείνου πᾶσα καὶ οἱ ἐλέφαντες τῷ βασιλεῖ ὑπεξήρηντο, τὰ δ' ἄλλα τοῖς στρατιώταις ειλάθησαν.

Vides, in universum conspirare Zonaram cum Theophane. Primus locus, ubi ei repugnare videtur, ille est, ubi de foedere a Iustiniano cum Persis facto agit. Dicit enim Zonaras, trium annorum indutias factas esse, Theophanes: **ἐπὶ χρόνον τετραετῆ**. Sed si conferimus lectiones Theophanis, quas illo loco cod. Peyrezianus et inter omnes praestantissimus Coislinianus praebent, suspicari nobis licet, Zonaram revera in suo Theophanis exemplari legisse *χρόνον τριετῆ*. Pergit deinde Zonaras dicens, cum iam tertius annus praetervolaret, bellum in Armenia, quae in illis indutiis, ut e Theophane videmus, exemta erat, redintegratum esse.

Si hoc ita interpretamur, Zonaram dicere tertium annum indutiarum, ex Theophane hoc hausisse ideo non potest, quod apud Theophanem iam anno illas indutias sequente illud bellum in Armenia gestum oritur. Sed mea sententia Zonaras non indutiarum, sed imperii Tiberii tertium annum significat, quod optime cum Theophaneis consentit. Deinde animadvertas, quaeso, Zonaram aliquantulum sibi indulsisse atque pleniore quam Theophanes ore illud bellum in Armenia gestum persecutum esse. Haec igitur omnia ex Theophane fluxisse videntur. Fortasse etiam quod Zonaras p. 290, 6 sq. dicit, ex ethnicis populis armasse Tiberium duodecim milia militum, codicis vitium est. Theoph. I 387, 15 de quinque milibus dicit, sed cum Cedrenus I 690, 14, qui e Theophane certissime hausit, milia quindecim nominet eundemque numerum Anastasius (Theoph. II 114 ed. Bonn.), elucet restituendam esse apud Theophanem l. l. lectionem codicis Coisliniani, et scribendum pro *χιλιάδας πέντε, δεδωκώς* e. q. s. *χιλιάδας πέντε καὶ δέκα, δεδωκώς* e. q. s. — Sed in ceteris nonnulla insunt, quae Theophani debere Zonaras nullo modo potest. Primum commemoratio aurei triclinii a Tiberio exornati e Cedreno I 680, 8 vel e Leone Gramm. p. 137, 22 fluxit. Deinde duas narrationes apud Zonaram invenimus, quarum certum fontem indicare non possumus. Dicit enim Zonaras p. 289, 28—290, 1 captos Persas a Tiberio cum honore in patriam remissos ob idque Tiberium a Persis laudibus elatum esse. Confirmatur haec Zonarae relatio a Menandro Protectore, qui dicit apud Müllerum IV 254, fr. 54: ὅτι ὁ *Τιβέριος καὶ ἕτερόν τι προστίθησι τῷ δεδογμένῳ, καὶ ἐς τὰ μάλιστα θεῷ κεχαρισμένον. Πολλοὺς γὰρ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις δορυκτήτων Περσῶν, μάλιστα τοὺς ἐν τέλει, ὧν ἔνιοι καὶ τῷ βασιλείῳ γένει ξυνημμένοι ἦσαν, ἔστειλε Χοσρόῃ δωροφορήσας*, deinde apud Müll. IV 256, fr. 55: *ἔτι γε μὴν καὶ τοὺς ἀφεθέντας αἰχμαλώτους ὡς ἂν ἐγχειρίσωσι τῷ Περσῶν βασιλεῖ. Προσημήναντος τοίνυν οἱ Ῥωμαίων πρέσβεις σὺν πολλῇ τε τιμῇ καὶ εὐφημίᾳ κατὰ τὴν Νίσιβιν ἐγένοντο· ἐν θαύματί τε μεγίστῳ ἐποιοῦντο Πέρσαι τὴν Ῥωμαίων ἀμφὶ τοὺς δορυαλώτους φιλανθρωπίαν.* Quae deinde p. 290, 1—6 Zon. refert Cacanum, regem Avarorum, architectos a Tiberio imperatore sibi missos coegisse, ut pontem in Istro flumine facerent, apud nullum alium scriptorem repperi.

Venimus nunc ad imperium Mauricii. In capite duodecimo a pag. 290, 29—296, 8 describitur primum tempus imperii Mauricii. Initio huius capitis Zonaras praeter Theophanem etiam

Cedrenum exscripsit, deinde solum Theophanem I a p. 388—420 sequitur; confer haec:

Theoph. 388, 18.	Cedr. 691, 9.	Zonar. 290, 29.
τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Μαυρίκιος ἐτῶν ὑπάρχων μγ'	Μαυρίκιος . . . . ἐκέλευσε δὲ γράφεσθαι ἐν τοῖς συμβολαίοις Μαυρίκιος καὶ Τιβέριος. ἐστέφθη δὲ ὑπὸ τοῦ πατριάρχου Ἰωάννου τοῦ νηστευτοῦ	ὁ δέ γε Μαυρίκιος τῆς τῶν κοινῶν διοικήσεως εἴχετο, στεφθεὶς ὑπὸ τοῦ πατριάρχου Ἰωάννου νηστευτοῦ. ἦν δέ, ὅτε τῆς αὐταρχίας ἐπέβη, ἐτῶν τεσσαράκοντα πρὸς τρισίν. ἐγράφετο δ' ἐν τοῖς συμβολαίοις Μαυρίκιος ὁ καὶ Τιβέριος.

Theoph. I 389, 6.	Zonaras.
τῷ δ' αὐτῷ μηνὶ πρεσβεύουσιν οἱ Ἀβάρεις πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Μαυρίκιον, οἳ πρὸ ὀλίγου χρόνου τὸ Σέρμιον χειρωσάμενοι, πόλιν τῆς Εὐρώπης ἐπίσημον, ἠξίουν ταῖς ὀγδοήκοντα χιλιάσιν χρυσίου, αἷς ἐλάμβανον κατ' ἔτος παρὰ Ῥωμαίων, προστεθῆναι ἄλλας κ'. ὁ δὲ βασιλεὺς εἰρήνης ἐφιέμενος τοῦτο κατεδέξατο. ᾔτησε δὲ καὶ ἐλέφαντα ζῶον Ἰνδικὸν ἐκπεμφθῆναι αὐτῷ πρὸς θέαν. καὶ ὁ βασιλεὺς τὸν μείζονα πάντων ἀπέστειλεν πρὸς αὐτόν, καὶ τοῦτον θεασάμενος πάλιν ἔπεμψεν αὐτὸν πρὸς τὸν βασιλέα· ὁμοίως καὶ κλίνην χρυσῆν ᾔτησεν σταλῆναι αὐτῷ. ὁ δὲ βασιλεὺς καὶ ταύτην ἀπέστειλεν e. q. s.	Χαγάνος δὲ ὁ τῶν Ἀβάρων ἀρχηγὸς τὸ Σίρμιον χειρωσάμενος ἐξήτησε προστεθῆναι ταῖς ὀγδοήκοντα χιλιάσι ταῖς ἐτησίως αὐτῷ παρεχομέναις καὶ ἑτέρας εἴκοσι· καὶ ὁ βασιλεὺς εἰρηνεύειν ἐθέλων τὴν προσθήκην ταύτην ἐποίησεν. ὁ δὲ καὶ ἐλέφαντα ᾔτησε, μήπω τὸ ζῷον ἰδών. τὸν μείζονα τοίνυν ὧν εἶχεν ὁ βασιλεὺς αὐτῷ πέπομφεν.

Unum inest in hoc capite Zonarae, quod in Theophane desideramus, dico historiam illam de Chosrois vaticinatione p. 294, 19—295, 9. Idem fere narrat Theophylactus Simocatta IV 15 p. 234, 3 sq. ed. Bonn., et Cedrenus I 696, 9 sq. sed ex his non haurit

Zonaras, cum multis in rebus aliter rem narret. Aliunde igitur hanc narratiunculam deprompsit.

In capite decimo tertio et quarto a p. 296, 9—304, 18 describit Zonaras exitum imperii Mauricii et Phocae dominationem. Quae Zonaras in initio (a versu 9—14) de patriarchis Constantinopolis dicit, ut saepissime, ita hoc quoque loco ex alio fonte fluxerunt. Sequentia (p. 296, 14—298, 3) quae agunt de nonnullis aedificiis, de corona a Sophia et Constantina imperatori donata, de bellis cum Avaris gestis, de militibus per Mauricium proditis, de seditione Constantinopoli orta, de nuptiis Theodosii, de vaticinatione monachi alicuius, haec omnia debentur Theophani I 427—438. E Cedreno I 700, 11 vel e Georgio Mon. 557, 8 vel ex Leone Gramm. p. 140, 9 recepit Zonaras, duodecim milia numero fuisse illos captivos a Cacano interfectos. Quae deinde narrat de paenitentia Mauricii ob milites ab ipso proditos, de somnio eius, de stella comete (p. 298, 4—299, 5) e Theophane I 439, 2 sq. Cedreno I 703, 22 sq. Georgio Monacho 557, 9 sq. Leone Gramm. 140, 11 sq. conscripta esse videntur; tum vero ad solum Theophanem recedit et secundum hunc (I 442—448) a p. 299, 5—300, 19, quomodo exercitus contra Mauricium rebellaverit hicque ipse per Phocam tyrannum cum liberis necatus sit, exponit. Etiam Theodosium, Mauricii filium, periisse (300, 19—21) e Cedreno I 709, 12 sq. Zonaras hausit; e Leone Gramm. 144, 13—145, 10 exprompsit narrationem mortis Constantinae eiusque filiarum et epigrammatis, quod earum sepulcro incisum erat (Zon. 300, 21—301, 7). Solus praebet Zonaras 301, 8—9 Mauricium post aetatis sexaginta tres, imperii viginti annos obiisse. Sequitur igitur descriptio dominationis Phocae. Quae Zonaras p. 301, 9—302, 8 dicit de rebellione Narsis, de multorum caede a Phoca patrata, de Romanorum finibus a Thracibus et Persis vastatis, hausta sunt ex Theophane I 449—456. Unum alii fonti debere videtur Zonaras, dico commemorationem templorum a Narse aedificatorum p. 301, 19—21.

Deinde ad Georgium Monachum Zonaras se vertit, cum a p. 302, 8—17 de magna hominum mortalitate et de crudelitate Phocae plebisque seditione narrat. Confer quaeso haec:

Georg. Mon. 562, 6—19.	**Zonaras.**
πρὸ δὲ τούτων καὶ θνῆσις ἀνθρώπων τε καὶ κτηνῶν καὶ ἀφορία τῆς γῆς πολλὴ γέγονε καὶ χειμὼν	καὶ ἄλλως δὲ πολλὴ τῶν ἀνθρώπων θνῆσις ἐγένετο καὶ ἀφορία καρπῶν καὶ ζῴων φθορὰ ἐκ

Georg. Mon.	Zonar.
βαρύτατος ὥστε παγῆναι τὴν θάλασσαν καὶ πολλοὺς ἰχθύας τεθνάναι. ὁ οὖν δόλιος Φωκᾶς μετὰ πάντων αὐτῶν τῶν ἀμέτρων κακῶν προσέθηκε καὶ τὸ τελευταῖον τοῦτο· ποιήσας γὰρ ἱππικὸν ἢ τάκτησιν, τῶν δὲ δήμων τοῦτον μὴ καταδεξαμένων, ἔκραξαν ὑβρίζοντες αὐτόν· „Ἀνάτειλον Φωκᾶ, πάλιν (εἰς) τὸν καῦκον ἔπιες, πάλιν τὸν νοῦν ἀπώλεσας". ἐφ' οἷς μανεὶς (ὁ θεομάχος) πολλοὺς (μὲν) ἠκρωτηρίασε· καὶ τὰ μέλη αὐτῶν ἐν τῇ σφενδόνῃ ἐκρέμασε, πολλοὺς δὲ ἀπεκεφάλισε καὶ ἄλλους ἐκάκησε. τὸν δὲ πλείονα λαὸν τῷ ὑπάρχῳ ἐπέτρεψεν ἀποκλεῖσαι αὐτούς, ὅπως μετὰ ἡμέρας τινὰς παραδώσῃ αὐτοὺς τῷ θανάτῳ. Οἱ δὲ ὄχλοι ἐπισυναχθέντες καὶ πῦρ εἰς τὸ πραιτώριον βάλλοντες, ἐξῆλθον οἱ δέσμιοι πάντες καὶ ἔφυγον.	βαρυτάτων χειμώνων. ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ ἀλάστωρ Φωκᾶς ἐν ἵππων ἁμίλλῃ τῶν δήμων πρὸς αὐτόν τι ἀποσκωψάντων ἐκμανείς, πολλοὺς μὲν ἀνεῖλε, πολλοὺς δὲ ἠκρωτηρίασεν, ἐνίους μέντοι καὶ κατεπόντωσε, πλείστους δὲ καὶ τῷ ἐπάρχῳ παρέδωκεν, ἵνα κολάσῃ αὐτούς, οἳ ἐν τῷ πραιτωρίῳ καθείρχθησαν. οἱ δὲ ὄχλοι ὁμοῦ γενόμενοι ἐνέπρησαν τὸ πραιτώριον, καὶ οἱ καθειργμένοι διέφυγον.

Phocam plurimos in mare deici ideoque interfici iussisse Zonaras hoc loco e Theoph. I 458, 2—3 addidit, ad quem statim revertitur, narrans secundum eum seditionem Iudaeorum Antiochiae exortam et nuptias Domnentiae et Prisci (302, 17—303, 3) cf. Theoph. I 454, 1 sq. et 457, 10 sq. Ex alio fonte nonnulla de patriarchis Constantinopolitanis adiecit pag. 302, 23—26.

Deinde a pag. 303, 3—304, 18 se vertit ad Heraclii historiam eiusque seditionem et Phocae interitum describit. Has res ex duobus auctoribus, Theophane et Nicephoro patriarcha Constantinopolitano, conscripsit; quod ex his apparet:

Theoph. I 456, 9 sq.	Zonaras.	Niceph. CP. p. 3, 11 ed. Bonn.
τούτῳ τῷ ἔτει ὁ Πρίσκος μὴ ὑποφέρων ὁρᾶν τοὺς ἀδίκους φόνους καὶ τὰ ὑπὸ Φωκᾶ γινόμενα,	καὶ στρατηγοῦντος ἐν Ἀφρικῇ καὶ Λιβύῃ Ἡρακλείου τοῦ πατρὸς τοῦ βασιλεύσαντος μετ-	διὸ οἱ περὶ τὴν Λιβύην τηνικαῦτα ἡγεμονεύοντες, ἅτε τῷ μεγίστῳ διαστήματι τὸ

Theoph.

ἔγραψεν πρὸς Ἡράκλειον τὸν πατρίκιον καὶ στρατηγὸν Ἀφρικῆς, ὥστε ἀποστεῖλαι Ἡράκλειον τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ Νικήταν τὸν υἱὸν Γρηγορᾶ τοῦ πατρικίου καὶ ὑποστρατήγου αὐτοῦ, ὅπως ἔλθωσιν κατὰ τοῦ τυράννου Φωκᾶ· ἤκουεν γὰρ μελετωμένην ἐν Ἀφρικῇ κατὰ Φωκᾶ ἀνταρσίαν.

I 458, 7 sq.

Ἡράκλειος δὲ στρατηγὸς Ἀφρικῆς ἐνοχλούμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου, ἐξώπλισεν τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἡράκλειον τοῦ ἀπολῦσαι κατὰ Φωκᾶ τοῦ τυράννου· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ὑποστράτηγος αὐτοῦ Γρηγορᾶς ἀπέλυσεν τὸν υἱὸν αὐτοῦ Νικήταν στοιχήσαντες, ἵνα ὅστις προλάβοι καὶ νικήσοι τὸν τύραννον, βασιλεύσῃ.

459, 20 sq.

ἧκεν ὁ Ἡράκλειος ἀπὸ Ἀφρικῆς φέρων πλοῖα καστελλωμένα, ἔχοντα ἐν τοῖς καταρτίοις κιβώτια, καὶ εἰκόνας τῆς θεομήτορος, καθὰ καὶ ὁ Πισίδιος Γεώργιος λέγει, καὶ στρατὸν πολὺν ἀπὸ Ἀφρικῆς καὶ Μαυριτανίας· ὁμοίως

Zonar.

ἔπειτα Ἡρακλείου οἵ τῆς συγκλήτου καὶ αὐτὸς ὁ Πρίσκος ὁ στρατηλάτης διεπέμποντο πρὸς αὐτόν, δεόμενοι ἀπαλλαγῆναι τῆς τυραννίδος Φωκᾶ. ἦν δὲ τῷ εἰρημένῳ στρατηγῷ Ἡρακλείῳ ὑποστράτηγος Γρηγορᾶς τις τῶν ἐπισήμων. οὗτοι γοῦν ἄμφω συμπνεύσαντες, στέλλουσι κατὰ τοῦ τυράννου τοὺς ἰδίους υἱούς, ὁ μὲν Ἡράκλειος τὸν Ἡράκλειον πολλαῖς ναυσὶ καὶ πλῆθος στρατιωτῶν πλοϊζόμενον, ὁ δὲ πατρίκιος Γρηγορᾶς τὸν Νικήταν πεζοποροῦντα σὺν ἱππόταις πολλοῖς καὶ πεζῇ στρατιᾷ, ἐπὶ συνθήκαις τοῦ τὸν προκαταλαβόντα τὴν ὑπερκειμένην τῶν πόλεων καὶ καθελόντα τὸν τύραννον τῆς βασιλείας ἀξιωθήσεσθαι. ταῦτα μαθὼν ὁ Φωκᾶς τὴν τοῦ Ηρακλείου μητέρα καὶ τὴν μνηστὴν Εὐδοκίαν, ἣν ἐξ Ἀφρικῆς ἐμνηστεύσατο, θυγατέρα οὖσαν τοῦ τῆς χώρας ἐκείνης πρωτεύοντος, κατασχὼν κατέκλεισεν ἐν μονῇ.

Niceph.

θαρσεῖν ἔχοντες καὶ ἅμα παρὰ Μαυρικίου τὸ τῆς στρατηγίδος ἀρχῆς ἐγκεχειρισμένοι (δύο δὲ ἤστην ἀδελφώ, Ἡράκλειος καὶ Γρηγόριος), οὗτοι κοινῇ βουλευσάμενοι τοὺς υἱεῖς ἑαυτῶν πρὸς τὸ Βυζάντιον ἐκπέμπουσιν ἄστυ, ἀλλήλοις συνθέμενοι ὡς τὸν προφθάσαντα τοῦτον τῆς βασιλείας, εἰ δύναιτο, ἐπιλήψεσθαι. καὶ Ἡράκλειον μὲν τοῦ Ἡρακλείου παῖδα ἀνδρῶν πληρώσαντες πλοῖ ἐξέπεμπον, Νικήταν δὲ τὸν Γρηγορίου υἱὸν ἱππικῇ στρατιᾷ πολλῇ περιβαλόντες διὰ τῆς ἠπείρου ἀπέστελλον.

Theoph.

καὶ ὁ Νικήτας υἱὸς Γρηγορᾶ τοῦ πατρικίου ἀπὸ (?) *Ἀλεξάνδρειαν καὶ Πεντάπολιν ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ λαὸν πολὺν πεζικόν. ἦν δὲ Ἡράκλειος ὁρμασάμενος Εὐδοκίαν τὴν θυγατέρα Ῥόγα τοῦ Ἄφρου, ἥτις τῷ καιρῷ τούτῳ ἦν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἅμα Ἐπιφανείᾳ τῇ μητρὶ Ἡρακλείου, καὶ τῇ τούτῳ μεμνηστευμένῃ Εὐδοκίᾳ* (lacuna supplenda ex Anastasio p. 141: audiens autem Phocas quod mater Heraclii esset in civitate, necnon et Eudocia, quae sibi fuerat desponsata, tenuit eas e. q. s.).

ἐκράτησεν αὐτάς, καὶ ἐφύλαξεν εἰς τὸ δεσποτικὸν μοναστήριον, τὸ λεγόμενον τῆς Νέας μετανοίας. καταλαβὼν δὲ Ἡράκλειος τὴν Ἄβυδον εὗρεν Θεόδωρον τὸν κόμητα τῆς Ἀβύδου, καὶ ἀνακρίνας ἔμαθε παρ' αὐτοῦ τὰ κινούμενα ἐν Κωνσταντινουπόλει.

460, 20 sq.

καταλαβὼν δὲ τὴν Κωνσταντινούπολιν προσώρμησε τῷ λιμένι τῆς Σοφίας· καὶ πολέμου

Zonar.

προκατέλαβε τοίνυν Ἡράκλειος καὶ προσώρμισε τῷ λιμένι τῶν Σο-

Niceph.

δεξιᾷ τε τύχῃ χρησάμενος Ἡράκλειος, καὶ πνεύμασιν ἐπιφορωτά-

Theoph.

κροτηθέντος νικᾷ χάριτι τοῦ Χριστοῦ Φωκᾶν τὸν τύραννον. οἱ δὲ δῆμοι τοῦτον παραλαβόντες, ἀνεῖλον, πυρὶ κατακαύσαντες ἐν τῷ Βοΐ.

Zonar.

φιῶν, καὶ μάχης συγκροτηθείσης ὑπερέσχε τῶν τοῦ Φωκᾶ.

συνήργητο γὰρ καὶ ὑπὸ τοῦ Κρίσπου τὴν τοῦ ἐπάρχου τότε μετιόντος ἀρχήν.

Niceph.

τοις ἀναχθεὶς, φθάνει Νικήταν εὐπλοΐας εἰς Βυζάντιον, καὶ ἤδη τῇ πόλει προσεσχηκὼς ἐπέλαξε. Κρίσπος δέ (τοῦ Φωκᾶ δὲ ἦν οὗτος γαμβρός, ὁπηνίκα δὲ τὸν τοῦ ὑπάρχου τῆς πόλεως θρόνον διέπειν ἔλαχε, καὶ μεγάλα ἐν τοῖς βασιλείοις δυνάμενος), ἐπεὶ ἀπηχθάνετο Φωκᾷ ὡς δὴ περιυβρισμένος ὑπ' ἐκείνου τυγχάνων τῆς οἰκείας εἰκόνος καθαιρέσεως ἕνεκεν, ἥν ποτε οἱ τῶν ἀντιθέτων χρωμάτων δημόται τῇ τοῦ Φωκᾶ συμπαρέγραψαν εἰκόνι, δόλῳ αὐτὸν μετήρχετο, καὶ πονεῖν μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ πλαττόμενος ἔπειθε καὶ Ἡράκλειον ἐπ' ἀπωλείᾳ ἑαυτοῦ ἥκειν ἀποσχυρίζετο, συνήργει δ' ὅμως Ἡρακλείῳ καὶ τῷ ὄντι τὰ ὑπὲρ αὐτοῦ εἰς μάλιστα ἔπραττεν. οἱ οὖν περὶ Φωκᾶν θεασάμενοι καὶ ὅσον πολιτικὸν ἑαυτῶν στασιάζον (ἤδη γὰρ οἱ τοῦ πρασίου χρώματος δημόται τοῖς περὶ τὴν Καισαρίου τὸ πῦρ ἐφῆπτον καὶ τὸν ἔπηλυν βασιλέα ἀνευφήμουν), ἐπικειμένους δὲ αὐτοῖς καρτερώτατα

Theoph.	Zonar.	Niceph.
	Φώτιος δὲ τῶν ἐπιφανῶν ὑπάρχων, οὗ τὴν γυναῖκα ὁ τύραννος βίᾳ ἐμοίχευσε, σὺν πλήθει στρατιωτῶν καταλαβὼν τὰ βασίλεια, κατέσπασε τοῦ θρόνου τὸν τύραννον. οἱ γὰρ περὶ αὐτὸν ἀπογνόντες τῶν βασιλείων ὑπανεχώρησαν. e. q. s.	*καὶ τοὺς ἐκ τῶν Ἡρακλείου στρατευμάτων εἰσιδόντες, καταλιπόντες αὐτὸν ἐφ᾽ ἑαυτοῖς γίνονται. Φώτιος δέ τις τοὔνομα, ὃς παρ᾽ αὐτοῦ εἰς τὴν σύζυγον ἐπιβουλευθείς ποτε καθυβρίζετο, εἰς τὰ βασίλεια σὺν πλήθει στρατιωτῶν ἐπὶ τὸν Φωκᾶν αὐτίκα κατέσχε, καὶ τῆς βασιλικῆς αὐτὸν ἀπαμφιέσας ἐσθῆτος, περίζωμα μέλαν αὐτῷ περιθέμενος* e. q. s.

Vides Zonaram relationem suam ex ambobus auctoribus conflasse, ita ut, quem secundum Theophanem prius Priscum nominaverat, deinde secundum Nicephorum Crispum nominaret. Cetera usque ad finem capitis ex Nicephoro fluxerunt praeter unam illam relationem, qua Phocam prius mutilatum, deinde demum interfectum esse accipimus. Hoc quidem e Cedreno I 713, 3 vel Georg. Mon. 563, 20 vel Leone Gramm. 146, 20 haustum est, item e Georgio Mon. 560, 8 vel Leone 143, 10 numerum annorum imperii Phocae Zonaras sumpsit. De Phocae supplicio conferendum est etiam Iohannis Antiocheni fragmentum (cf. Herm. VI 364—65). Recte Mommsen ad illud fragmentum affirmasse videtur, et Cedreni et Zonarae relationes recedere in Iohannis auctoritatem. Sed Zonaram quidem non inspexisse ipsum Antiochenum, verum ex Theophane, Cedreno, Nicephoro sua conscripsisse omnibus persuasisse mihi videor. Explicare rationem quae intercedat inter Nicephorum, Cedrenum, Iohannem, alii quaestioni reservandum est.

Venimus nunc ad descriptionem imperii Heraclii Magni.

Initium capitis decimi quinti (III 304, 19—305, 3), ubi agitur de coronatione Heraclii eiusque uxoris et de calamitate imperii, haustum est ex Theoph. I 461, 2—462, 7. Deinde etiam quae Zonaras dicit de duobus liberis Heraclio natis, horum coronatione, Eudociae morte, ex Theoph. I 461—62 fluxerunt. Cedreno I 713, 23 fortasse debetur, Eudociam etiam Fabiam appellatam esse.

Crispum nuncupatum esse praetorem Cappadociae et in imperatricis funere ancillam combustam esse (III 305, 11—16) ex Nicephoro p. 6, 1—3 et 8, 7—20 Zonaras desumpsit.

Ad Theophanem deinde reversus Zonaras (305, 17—306, 13) describit nuptias Heraclii et Martinae variasque illas machinas, quibus Heraclius Cacanum ad pacem faciendam adduxit: cf. Theoph. I 463—65. E memoria secundum Nicephorum p. 16, 7 sq. adiecisse videtur quae dicit p. 306, 9: *καὶ δοριαλώτων χιλιάδας πολλὰς κατὰ πᾶσαν ἄδειαν εἰληφώς*.

Deinde narrat (p. 306, 13—307, 8), Crispum de rebellione cogitasse, sed ab Heraclio dolo circumventum clericum factum esse. Haec quidem secundum Niceph. p. 6 sq. paullo ornatius referuntur.

Unde hauserit illam Fabii et Davidis, Heraclii filiorum, commemorationem, non liquet. Fortasse error Zonarae hic statuendus est, cum apud ceteros auctores filium illum Heraclii non Fabium, sed Flavium nuncupatum reperiamus. Descriptio Hierosolymorum a rege Persarum captorum et primae Heraclii de Persis victoriae (p. 307, 11—31) fluxit ex Theoph. I 465—71, cuius relatio a Zonara in brevissimum redacta est.

Incipit caput decimum sextum ab narratione proditionis Avarorum eorumque cladis. Deinde alia ab Heraclio in Perside fortiter gesta narrantur (p. 307, 32—308, 24). Recedit hoc loco Zonaras a Theophane fortasse quia fusius illae res ab hoc enarrantur, et ad Leonem Gramm. p. 151, 2 sq. se vertit, cui tenues illas de bellis Persicis relationes debet. Georgius Monachus eadem fere narrat, sed ex eo non hausisse Zonaram intelleges, si contuleris locos hosce:

Georg. Mon. 567, 21 sq.	Leo Gramm.	Zonaras.
οἱ δὲ Ἀβάρεις τὰς σπονδὰς διαλύσαντες, ἅσπερ Ἡράκλειος δώροις πρὸς αὐτοὺς ἐβεβαίωσε — μετὰ γὰρ τὸ αἰχμαλωτῆσαι αὐτοὺς τὴν Θρᾴκην καὶ λαβεῖν ο΄ χιλιάδας κατωνείδισεν αὐτοὺς ὡς μὴ φυλάξαντας τὰς συνθήκας· οἱ δὲ αἰσχυνθέντες συνέθεντο φυλάττειν — μαθόντες	*οἱ δὲ Ἀβάρεις τὰς εἰρηνικὰς σπονδὰς διαλύσαντες τῷ τείχει τοῦ Βυζαντίου προσπελάζουσι, πάντα τὰ τῆς πόλεως ἐκτὸς πυρὶ παραδιδόντες, καὶ ὥσπερ ἀναμερισάμενοι Πέρσαι* e. q. s.	*ἐν τούτοις παρασπονδήσας ὁ Χαγάνος ἐπῆλθε τῇ Βυζαντίδι καὶ πρὸς τοῦ τείχους αἱ δυνάμεις αὐτοῦ ἐστρατοπεδεύσαντο, δῃοῦσαι σύμπαντα τὰ ἐκτός.*

Georg. Mon.	Leo Gramm.	Zonaras.
δὲ τὴν τοῦ βασιλέως ἐκστρατείαν, κατέλαβον τὴν Θρᴀ́κην καὶ χείρονα τῶν πρῴην εἰργάσαντο.		

Leo hoc loco non e Georgio Monacho, sed ex ipso Nicephoro pag. 20 hausit. Zonaras e memoria secundum Theophanem I 466 vel Nicephor. p. 17 adicit, Sergium et Bonum in urbe ad res publicas administrandas relictos esse ab Heraclio.

Deinde a pag. 308, 24—310, 9 Zonaras Theophanem I 496—504 sequitur describens exitum bellorum cum Persis ab Heraclio gestorum. Prima capitis decimi septimi pars, quae agit de controversiis theologicis (pag. 310, 10—311, 16), hausta est ex Theophane I 506—508, 9.

In altera huius capitis parte exponitur de Muhamedi vita et fatis et de Heraclii perversa fide et morte. Mors Heraclii (pag. 312, 23—31) et nonnullae de Muhamedo partes (311, 16—18, 312, 16—18) dubitari nequit quin haustae sint ex Leone Gramm. pag. 155, 4—16 et 152, 15—18. De ceteris, quae Zonaras 311, 18—312, 23 de Muhamedo dicit, conferendi sunt Theoph. I 511 sq. Georg. Monach. 591 sq. Cedr. I 738 sq. Leo 152 sq. Proxime accedere videtur Zonaras ad Georgii Monachi expositionem; multa, quae apud Georgium desiderantur, a Zonara e memoria adiecta esse verisimile est. Heraclium tricesimo primo imperii anno mortuum esse, etiam Theophanes I 522, 17 et Cedrenus et Nicephorus suo loco dicunt.

Sequitur caput duodevicesimum, a pag. 312, 32—313, 20, ubi describitur brevissimum Constantini et Heraclonae imperium. Exscripsit hac parte Zonaras Theoph. I 508, 9—16 et 522, 16—523, 13. Unum annum imperasse Constantinum, ex Leone Gramm. p. 155 fortasse recepit, eius uxorem fuisse Gregoriam, fortasse ex Niceph. 24, 19 sq. sumpsit. De suo vel ex alio fonte adiecit, Pyrrhum propter rectam Constantini fidem hunc interemisse; deinde etiam illud, Heraclonam decem annos natum fuisse, cum de imperio deiceretur, in alium fontem recedit.

Describitur deinde in capite undevicesimo imperium Constantis, a pag. 313, 21—316. 15. Totum fere caput fluxit e Theoph. I 508—10. 523—539. Non invenitur in Theophane, quod Zonaras pag. 315, 2—3 dicit, cum Arabibus pacem in duos annos

factam esse. Certe vitium inest in Zonarae verbis οἱ Ἀγαρηνοὶ σπονδὰς ἔθεντο — πρὸς Ῥωμαίους καταδεξαμένους φόρους τελεῖν. Nam e Theophanis verbis I 531, 7—10 elucet, ab Arabibus tributum solutum esse Romanis. Praeterea, ut fere ubique, etiam pag. 315, 23—28 de patriarchis Constantinopolitanis nonnulla affert Zonaras, quae in ceteris fontibus non exstant.

Caput vicesimum et vicesimum primum continent imperium Constantini Pogonati. Initium capitis vicesimi a pag. 316, 16—32 maxima ex parte ex Theophane I 538—39 fluxit. Unde haustum sit illud (Γερμανὸν ἐκτομίαν ἐποίησεν ἤδη παρηβηκότα καὶ ὑπερβεβηκότα τὴν ἡλικίαν, καθ' ἣν εὐνουχίζεσθαι δεδοκίμασται) non liquet, fortasse aliud in exemplari Theophanis Zonaras legit, ubi nunc legimus Γερμανὸν τραχύτερον ὄντα, quamquam haec quidem lectio per Georgium Mon. p. 605 fulcitur. Nomen Pogonati Zonaras secundum Georg. Mon. pag. 605 interpretatur.

Sequitur deinde descriptio rebellionis Asianorum et obsidionis, quam Constantinopolis per septem annos ab Arabibus passa est.

Hac tota parte Zonaras (317, 1—318. 30) sequitur Theophanem I 539—544. Georgio Mon. pag. 613, 22 sq. debet, quae dicit de praefecto Cibyrrhaeotarum. In enumeratione tributi ab Arabibus Romanis solvendi non plane congruit Zonaras cum Theophane; sed hac in re omnes auctores differunt, quamquam hac ipsa parte artissime inter se cohaerere videntur. Narratio de sexto concilio oecumenico, a quo incipit caput vicesimum primum (p. 318, 31—319, 23), hausta est e Georgio Monacho pag. 611: solus Zonaras annos patriarcharum numerat. Etiam Theophanem I 530 in concilio commemorando inspexisse videtur Zonaras.

Cladem a Bulgaris acceptam et mortem Constantini (p. 319, 23—320, 27.) Zonaras refert secundum Theophanem I 545—50 et 552, 12.

In capite vicesimo secundo exponitur de Iustiniani secundi primo imperio (pag. 320, 28—324, 7). Imprimis Theophanem I 555—566 hac parte secutus est Zonaras. In ultima huius capitis parte, ubi quomodo Iustinianus exactus sit narratur (p. 323, 14—324, 7), praeter Theophanem etiam Georgium Monachum p. 618—19, qui et ipse hic Theophanem exscripsit, inspexisse putandus est; nam in dictione nonnullis locis Georgii locutionem redolet.

Hoc quoque Georgio Mon. pag. 615, 16 debere videtur, quod p. 324, 2 ex errore dicit, Iustinianum post sedecim imperii annos eiectum esse. E ceteris enim auctoribus elucet, primum decem, deinde cum imperium recuperasset, sex annos regnasse Iustinianum.

Caput vicesimum tertium (pag. 324, 8—325, 15), quod con-

tinet imperium Leontii, haustum est ex Theophane I 566—68; confer huius libelli p. 4 sq.

Item res se habet de capite vicesimo quarto, quo narratur Apsimari imperium et Iustiniani secundi in regnum restitutio. Hausit haec Zonaras e Theoph. I 569—573.

Alterum Iustiniani imperium (caput XXV a p. 327, 14—330, 12) describitur secundum Theoph. I 573—584 et 570, 20—571, 4.

Etiam illa, quae restant de libro quarto decimo, capita XXVI, XXVII, XXVIII, continentia imperium Philippici, Anastasii, Theodosii, (a pag. 330, 13—333, 20) ex uno Theophane I 585—600 fluxerunt. Pauca alii fonti debet, ut quae p. 331, 12—13 dicit *ὡς δ' ἔνιοι λέγουσι, τοὺς ἐν τῇ τῶν ἵππων ἁμίλλῃ νικήσαντας*, deinde quae p. 331, 23—24 affirmat, Anastasium Iohannem patriarcham, quod non recta fide uteretur, de sede episcopali deiecisse. Hoc quoque solus Zonaras praebet p. 332, 8 sq., maritimas copias Anastasium odisse, quod eis non recte uteretur. Quae p. 333, 5—8 de Theodosii moribus dicit, fortasse recepit ex Leone Gramm. p. 173, 15—16.

Venimus igitur nunc ad librum decimum quintum; in quo a primo usque ad decimum sextum caput eodem modo, quo antea, Zonaram Theophanem exscripsisse videbimus. Ceteris scriptoribus, dico Cedrenum, Georgium Monachum, Leonem Grammaticum, Zonarae historia hac parte maxime quidem similis est, quod hi accuratius quam antea Theophanem hac parte sequuntur, tamen longe plurimas res ex Theophane Zonaram hausisse inde docemur, quod res plerumque eodem ordine refert quo Theophanes atque nonnullas res ab illis omissas e Theophane recepit. Paucas tantum particulas e Georgio Monacho, Cedreno, Leone hausit, de quibus suo loco dicemus. Nunc ad singula nos vertamus.

Quattuor primis huius libri capitibus describitur imperium Leonis Isauri. Incipit primum caput ab narratione brevissima de Leonis Isauri condicione rebusque, quas priusquam ad imperium venit gessit. Hausta est haec pars (III 333, 21—334, 1) ex Theoph. I 600, 4—19, confer haec:

Theoph.	Zon.
τούτῳ τῷ ἔτει Λέων ἐβασίλευσεν ἐκ τῆς Γερμανικίων καταγόμενος, τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἐκ τῆς Ἰσαυρίας. ὑπὸ δὲ Ἰουστινιανοῦ βασιλέως σὺν τοῖς γονεῦσι μετοικίζεται ἐν Μεσημβρίᾳ τῆς Θρᾴκης ἐν τῇ	*Λέων δὲ τοῦ τῆς βασιλείας ὀνόματος ἀναξίως ἠξίωτο· ᾧ πατρὶς μὲν ἦν Ἰσαυρία, ἐκεῖθεν δὲ μετοικισθεὶς μετὰ τῶν τεκόντων παρὰ τοῦ βασιλέως Ιουστινιανοῦ, μήπω τῆς ἀρχῆς ἐξωσθέντος, ἐν Με-*

Theoph.

πρώτῃ αὐτοῦ βασιλείᾳ· ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ βασιλείᾳ ἐρχομένου αὐτοῦ μετὰ τῶν Βουλγάρων, ὑπήντησεν αὐτῷ μετὰ δώρων προβάτων πεντακοσίων. θεραπευθεὶς δὲ ὁ Ἰουστινιανὸς σπαθάριον εὐθέως αὐτὸν πεποίηκεν, καὶ εἶχεν αὐτὸν ὡς γνήσιον φίλον. φθόνῳ δὲ φερόμενοί τινες πρὸς αὐτὸν διέβαλλον αὐτόν, ὡς τῆς βασιλείας ὀρεγόμενον. ζητήσεως δὲ γενομένης περὶ τούτου, ὡς συκοφάνται κατῃσχύνθησαν. ὁ δὲ τοιοῦτος λόγος ἔκτοτε ἤρξατο ὑπὸ πολλῶν λαλεῖσθαι. ὁ οὖν Ἰουστινιανὸς εἰ καὶ προφανῶς τοῦτον βλάψαι οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλ' οὖν βρόμος τις αὐτῷ κατ' αὐτοῦ ἐντίθεται, καὶ ἀποστέλλει αὐτὸν ἐν Ἀλανίᾳ μετὰ χρημάτων πρὸς τὸ συγκινῆσαι τοὺς Ἀλανοὺς κατὰ Ἀβασγίαν καὶ Λαζικὴν καὶ Ἰβηρίαν.

Zon.

σημβρίᾳ τῇ Θρᾳκικῇ πεποίητο τὰς διατριβάς. καθαιρεθέντος δὲ τοῦ Ἰουστινιανοῦ τῆς ἀρχῆς, εἶτα ἐπανερχομένου μετὰ Βουλγάρων εἰς τὸ τὴν βασιλείαν αὖθις ἀναλαβεῖν, ὁ Λέων ὑπαντήσας αὐτῷ δῶρα προσήνεγκε. καὶ ὁ Ἰουστινιανὸς σπαθάριον αὐτὸν αὐτίκα ἐτίμησεν, καὶ βασιλεύσας τὸ δεύτερον αὐτὸν ᾠκειώσατο. εἶτα ἔσταλτο παρ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς Ἀλανούς, συγκινήσων αὐτοὺς κατὰ τῶν Ἀβασγῶν, ἀποστάντων τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς.

Non minus ea, quae post illam de Abasgis digressionem de rebus a Leone gestis, de reditu ipsius et de regno ab eo suscepto dicit (III p. 335, 21—336, 3) maximam cum Theophane I 606, 17—607, 8 similitudinem prae se ferunt, ut elucet ex hisce:

Theoph.

καὶ ἦλθεν πρὸς Ἰουστινιανόν. τοῦ δὲ Ἰουστινιανοῦ ἀναιρεθέντος, καὶ τοῦ Φιλιππικοῦ τυφλωθέντος, βασιλεύει ὁ Ἀρτέμιος, καὶ προβάλλεται αὐτὸν στρατηγὸν εἰς ἀνατολικούς. τοῦ δὲ Θεοδοσίου βασιλεύσαντος, καὶ τοῦ Ἀρτεμίου ἐκδιωχθέντος, καὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων πολιτείας συγκεχυμένης οὔσης ἔκ τε τῆς βαρβάρων ἐπιδρομῆς καὶ ἐκ τῶν τοῦ Ἰουστινιανοῦ μιαιφονιῶν καὶ τῶν τοῦ Φιλιππι-

Zonar.

ὀψὲ καὶ μόλις ἐπανελήλυθε, μήτε τὸν Ἰουστινιανὸν εὑρηκώς, ἀνῄρητο γάρ, μήτε μὴν τὸν Φιλιππικήν, καθῄρητο γὰρ πηρωθείς, ὡς εἴρηται, καὶ τὰ ὄμματα, πρόσεισιν οὖν Ἀρτεμίῳ βασιλεύοντι τότε. ὁ δὲ καὶ προσήκατο αὐτὸν εὐμενῶς καὶ στρατηγὸν τοῦ τῶν Ἀνατολικῶν προεχειρίσατο θέματος. τούτῳ γοῦν, ὡς εἴρηται, δῆθεν ἀμύνων, ἀντῆρε χεῖρα κατὰ Θεοδοσίου, καὶ τῶν σκήπτρων γέγονεν ἐγκρατής,

Theoph.	Zonar.
κοῦ ἀνοσιουργιῶν, οὗτος ὁ εἰρημένος Λέων ὑπερεμάχει τῷ Ἀρτεμίῳ, ἐναντιούμενος Θεοδοσίῳ. εἶχε δὲ συμφωνοῦντα αὐτῷ καὶ συντρέχοντα τὸν Ἀρταβάσδον τὸν τῶν Ἀρμενιακῶν στρατηγόν, ὃν καὶ γαμβρὸν μετὰ τὸ βασιλεῦσαι αὐτὸν εἰς Ἄνναν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ πεποίηκεν, προβαλλόμενος αὐτὸν καὶ κουροπαλάτην.	ὢ θεοῦ κριμάτων ἄβυσσος ἀκατάληπτος, καὶ αὐτίκα τὴν θυγατέρα τῷ Ἀρταβάσδῳ συνῴκισε, κουροπαλάτην αὐτὸν τιμήσας.

Sequitur deinde descriptio expeditionis, quam Massalmas et Soliman, duces Arabum, contra provincias imperii Byzantini maximeque ipsam Constantinopolim urbem susceperunt; deinde initio alterius capitis legimus, quomodo Sergius, Siciliae praefectus, qui nuntio allato Byzantium ab Arabibus obsideri, seditionem fecerat, ab Paulo, Leonis duce, oppressus et illa Arabum expeditio ad irritum redacta sit. Has quoque relationes (III 336, 3—338, 1) Zonaras e Theoph. I p. 607—614 hausit. Difficultas inesse videtur in hoc, quod Zonaras Gregorium appellat eum, quem Sergius in Sicilia regem a populo declarari iubet, Theophanes autem Basilium, filium Gregorii. Sed hoc non tanti momenti est, ut negemus, Zonaram hoc loco exscripsisse Theophanem; satis neglegenter nomen Gregorii pro Gregorii filii nomine ex Theophane eum desumpsisse putaverim. Quae deinde III 338, 2—26 dicit de Constantino Leonis filio nato et coronato et Artemii seditione, haec quoque ex Theophane I 614—616 fluxerunt. Quod in Theophane desideramus, inter eos, qui, quod coniuravissent cum Artemio, interfecti essent, fuisse etiam archiepiscopum Thessalonices (Zon. III 338, 21—23) e Cedreno (I 792, 23—793, 2) deprompsit.

Vertit deinde se Zonaras ad res ecclesiasticas illustrandas (III 338, 26—341, 32); hac parte recedit a Theophane, fortasse quod ab hoc res illas non ea, quam optabat, diligentia enarratas multisque locis dispersas reperiebat. Itaque hoc loco Leonem Grammaticum a pag. 173—177 exscripsit. Leo Grammaticus quidem e Georgio Monacho hausit atque plurimis locis ne verbo quidem ab eo recedit. Inspexit Zonaras etiam Georgium Monachum, sed tamen Leonem fontem praecipuum secutus est, cum in dictione multis locis propius ad hunc accedat, in ordine Leonem redoleat atque nihil afferat, quod non Leo e Georgio Monacho recepit.

Tamen inveniuntur quaedam apud Zonaram, quae in fontibus eius non occurrant nobis, praesertim adnotationes ad chronologiam spectantes. Ita dicit pag. 339, 10 Germanum per quindecim annos archiepiscopum fuisse Constantinopolis (apud Theophanem quoque quindecim huius patriarchae anni computantur), pag. 340, 9—10 nono imperii anno ad Leonem venisse illos impostores Iudaeos, qui ut imagines auferret ex ecclesiis ei persuasissent, pag. 340, 20—21 decimo imperii sui anno Leonem coepisse vetare Christianos imagines Sanctorum venerari.

In capite quarto post digressionem illam de Francis, ad Theophanem revertitur Zonaras. Quae dicit de Georgio papa, de tributis denuo Siciliae et Calabriae impositis, de nuptiis Constantini Leonis filii, de terrae motu, haec omnia usque ad finem capitis (III 342, 25—344, 3) hausta sunt ex Theophane I 630, 6—14. 631, 1—20. 634, 1—635, 4.

Unum illud, quod legitur in extremo capite de morbo Leonis haustum est ex Leone Gramm. pag. 180, 16—17.

Ut absolvamus hanc partem, qua agitur de Leone Isauro, oportet etiam agamus de digressionibus illis primi et quarti capitis, de Abasgis et Francis. Ut ipse Zonaras dicit, hausit eas ex Procopii, atque alteram quidem (III 334, 1—335, 16) ex illius libro de bello Gothico IV 3 et 9, alteram (III 341, 32—342, 25) ex libro de bello Gothico I c. 12 et 33.

Etiam in imperio Constantini Copronymi describendo (a p. 344, 4—355, 27) Theophanem praecipuum fontem Zonarae fuisse reperiemus.

Initium capitis quinti (pag. 344, 4—15) conscriptum est ex Theoph. I 636 et Leone Gramm. pag. 181. Nonnulla a Zonara ipso ad orationem exornandam apposita videntur.

Deinde usque ad caput septimum medium Zonaras solum Theophanem sequitur.

Seditio Artabasdi eiusque et coniuratorum supplicium (III 344, 15—346, 24) describuntur secundum Theophanem I 638—48 et 627, 15—628, 13. In capite quinto extremo, ubi narratur illud Germani Archiepiscopi vaticinium, fortasse etiam Leonem 184, 1—9 inspexit Zonaras, quod verba eius magis redolent dictionem Leonis.

Apud Theophanem I 648, 15—16 in codicibus legimus τῷ ψευδωνύμῳ πατριάρχῃ τυφλωθέντι δημοσίως, quam lectionem omnes editiones Theophanis receperunt. Solo hoc loco, quantum nos scimus, traditur, Anastasium patriarcham Constantinopolis oculis privatum esse a Constantino Copronymo. Hoc falsum esse et vitium inesse in illa codicum lectione, paucis exponam. Primum enim

ipse Theophanes alio loco (I 628, 10) de eadem re agens nihil aliud dicit nisi: *Ἀναστάσιον τοῦτον τύψας*. Deinde omnes auctores, qui certissime e Theophane pendent, non caecatum, sed verberatum esse Anastasium affirmant. Audi primum Anastasium Biblioth., qui p. 224 (Theoph. II ed. Bonn.) illum locum Theophanis (I 648, 15—16) vertens dicit: 'simul cum Anastasio falsi nominis patriarcha percusso publice et asino verso vultu sedente'; deinde Cedrenus, qui in hac ipsa re enarranda Theophanis vestigia anxie legit, II 6, 22 dicit: '*ἅμα Ἀναστασίῳ τῷ ψευδωνύμῳ πατριάρχῃ τυφθέντι δημοσίως καὶ ἐπὶ ὄνῳ ἀντιστρόφως καθεζομένῳ*'. Ad hos accedit Zonaras, quem Theophanem hac parte sequentem demonstravimus, dicens p. 346, 13 sq.: *ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν πατριάρχην Ἀναστάσιον ἀπὸ τοῦ Διππίου εἰσαχθῆναι κελεύσας ὄνῳ ἐφεζόμενον ἀντιστρόφως, ἵν' ὁρᾷ πρὸς οὐράν, ἀτίμως οὕτω καὶ αὐτὸν ἐθριάμβευσεν πρότερον δημοσίως τυφθέντα.* Luce clarius est illum Theophanis locum I 648, 15—16 *τῷ ψευδωνύμῳ πατριάρχῃ τυφλωθέντι δημοσίως* ita esse emendandum: *τῷ ψευδωνύμῳ πατριάρχῃ τυφθέντι δημοσίως* atque Anastasio patriarchae non esse oculos effossos a Constantino.

Caput sextum totum e Theophane fluxit. Confer de bello cum Arabibus gesto (III 346, 25—28) Theoph. I 650, de terrae in Palaestina et Syria motu (p. 346, 28—347, 6) et pestilentia per Siciliam, Calabriam, Graeciam usque ad Byzantium grassante Theoph. I 651—53, de nuptiis Leonis Constantini filii (p. 347, 6—9) Theoph. I 657—58, de Theodosiopoli et Meletina expugnatis (p. 347, 9—10) Theoph. I 658, de legibus ecclesiasticis, quas dedit Copronymus et de concilio Blacernis habito (p. 347, 11—348, 7) Theoph. I 659—60, de bello Bulgarico et more Saracenorum, quo publica vectigalium acta conficere Christianis permittebant (p. 348, 7—19) Theoph. I 664, de Calybita, quem Andream vocant Theophanes et Zonaras, cum ex actis a Bollandistis publicatis pateat Petro nomen illi Sancto iconodulo fuisse (Zon. p. 348, 20—23) Theoph. I 667; de bello Bulgarico (348, 23—349, 8) Theoph. I 667—68.

In capite septimo a pag. 349, 9—350, 14 narrationes de magna vi glaciei in ponto Euxino concretae deque insequente aquarum penuria et colloquio illo cum patriarcha Zonaras hausit e Theoph. I 669—72.

Sequitur apud Zonaram (III 350, 14—351, 10) pars quaedam quam apud Theophanem desideramus. Narrat enim Zonaras, Constantinum vetuisse nomen sancti apponi ad nomen Mariae

aliorumque venerandorum hominum, decreta concilii supra dicti eiusdem iussu in codicem esse relata, omnesque clericos, imprimis monachos, coactos esse nomen subscribere, quod nisi fecissent, supplicio esse multatos. Ob eam ipsam causam mortuum esse Stephanum quendam. Fortasse hoc loco Zonaras nonnulla recepit e Nicephoro p. 80—82; etiam vita Stephani iunioris, quam Graece editam habemus in analectis Graecis Maurinis Tom. I et latine apud Surium (mens. Novemb.) in manibus Zonarae fuisse potest et ex hac fortasse nonnulla fluxerunt; alia ex aliis fontibus hausisse videtur Zonaras, modum Stephani mortis secundum Theoph. I p. 674 exponit.

Deinde rursus solum Theophanem Zonaras sequitur. De iure iurando ex omnibus a Constantino extorto (351, 10—16) confer Theoph. I 674—75, de classis contra Bulgaros profectae naufragio (351, 16—21) Theoph. I 675, de monachis nobilibusque compluribus in exsilium eiectis et interfectis (351, 21—32) Theoph. I 675—78 et 685, de patriarcha crudeliter vexato alioque in illius locum suffecto (352, 1—30) Theoph. I 677, 680, 681—83.

Quae initio capitis octavi de uxoribus et liberis Constantini, deinde de ultimis eius actionibus et bellis cum Bulgaris gestis eiusque morte Zonaras dicit (III 352, 31—354, 23), hausta sunt e Theophane I 686—688 et 691—694. In iis, quae sequuntur (354, 24—355, 27), respicit Zonaras res a Constantino gestas. Nonnullos locos etiam hic e certis Theophanis locis hausit, ut eum, quo e monasteriis domicilia militum Constantinum fecisse narrat (354, 25—30) cf. Theoph. I 684—85. Etiam altera de Sanctae Euphemiae reliquiis relatio (355, 16—22) fluxit e Theophane I 679. Unde alteram de illa Euphemia relationem (355, 7—16) hauserit, perspici non potest. Sequitur igitur caput nonum (III 355, 28—357, 5), quo de brevissimo illo Leonis quarti imperio dicit. Ne hoc quidem aliud est nisi periocha Theophanis cf. Theoph. I 694—97. 701—702. Fortasse etiam Leonem Gramm. p. 192 hoc loco inspexit.

Venimus nunc ad narrationem imperii Irenes et Constantini filii, quae capite decimo usque ad tertium decimum continetur.

Caput decimum (III 357, 6—359, 16) maxima ex parte haustum est e Theophane I 702—707. In enarrandis legationibus ad Carolum Francorum regem missis et de uxore a Constantino in matrimonium ducta etiam Georgium Monachum p. 662 sq. Zonaras inspexit, praeter Leonem Gramm. p. 193 vel fortasse Theophanem I 718. Ita illam relationem, qua Constantini uxor nata fuit e genere Paphlagonum, neptis Philareti cuiusdam, e Georgio Monacho deprompsit.

In sequentibus quoque (358, 15—27), ubi narratur bellum cum Arabibus gestum, Zonaras praeter Theophanem I 704 inspexisse putandus est Georgium Mon. pag. 663. Nam verba eius nonnullis locis magis ad Georgii se applicant, sed in Theophane solo invenimus, quod narrat Zonaras, reges se obligasse, ut tributum penderent Arabibus.

In capite undecimo (III 359, 17—362, 10) narratur restitutio cultus imaginum sanctarum per septimum concilium oecumenicum Nicaeae habitum et coniuratio Constantini et deinde Armeniorum, quo Constantinus solus imperator factus est. Totum caput fluxit e Theoph. I 708—14, 716—17, 719—23.

Non minus caput duodecimum (III 362, 11—364, 31) e Theophane haustum est (cf. Theoph. I 723—29), praeterquam quod e Georgio Mon. p. 667 vel e Leone Gramm. p. 197 Zonaras adiecit, etiam Chrysostomi librorum divinorum interpretationem incendio illo Constantinopolitano esse consumptam (Zon. III 362, 13 sq.) De suo Zonaras p. 364, 8—10 addidisse videtur, Irenem, quae visa est tantum regnasse, revera nihil valuit, laborasse ingenti potentiae cupiditate.

Sequitur caput decimum tertium (III 364, 32—368, 19), quod item e Theophane I 729—739 fluxit. Constantinum ipsis quinque annis postquam Alexium et Nicephorum excaecavit, oculos amisisse (365, 31—366, 4), e Georgio Monacho vel Leone Grammatico haustum esse arbitrari possimus, sed eandem rem Theophanes narrat I 726, loco tantum mutato. Francos Iustiniano primo regnante in Italiam venisse, deinde sub Leone Isauro in illorum potestatem Gregorium papam confugisse foedusque cum eis pepigisse, (366, 19—28) e prioribus capitibus Zonaras repetit.

In capite decimo quarto agit Zonaras de Nicephori imperio.

Initium capitis decimi quarti (III 368, 20—369, 16) certissime haustum est e Theoph. I 740—43. Quae deinde sequuntur (369, 16—24) de coniuratione et supplicio Bardanii, derivata mihi videntur e Theoph. I 743—45 et Cedreno II 31—33. Etenim Zonarae illud εἴτε θέλοντα εἴτε ἄκοντα (369, 16) spectare videtur ad ea quae p. 32 Cedrenus de Bardanio dicit, unde id quidem elucet, habuisse aliquando Bardanium consilium regni occupandi. Nicephorum Irenes filium sibi adiunxisse, ut divitias occultas sibi ostenderet, apud Theophanem non occurrit, haustum hoc est e Cedreno II 31. In sequentibus quoque Zonaram Cedrenum inspexisse nobis statuendum est cum comparamus haec:

Zon. 369, 32.	Cedr. p. 31.	Theoph. p. 745.
ἔνθα τῇ λύπῃ καταποθεῖσα τὴν ζωὴν ἐξεμέτρησεν.	ἐκ λύπης καὶ ἀθυμίας ἐτελεύτησεν ἐν τῇ αὐτῇ Λέσβῳ.	ἐτελεύτησεν ἡ βασίλισσα Εἰρήνη ἐν τῇ ἐξορίᾳ τῆς Λέσβου νήσου.

Quae sequuntur usque ad finem capitis (370, 1—372, 2) hausta sunt e Theoph. I 745. 747. 750. 755—58. Nonnulla Cedrenus iisdem fere verbis exponit, quibus Theophanes, alia vero praetermittit. Unum addit Zonaras (370, 15—17), quod in ceteris auctoribus non reperitur. Dicit enim fuisse qui putarent, nulla alia re nisi cupiditate potentiae commotos esse illos monasterii praefectos Platonem et Theodorum, ut non agnoscerent Nicephori in archiepiscopum electionem.

Capita decimum, quintum et sextum (III 372, 3—374, 26), quibus Nicephori praeceps exitium et brevissimum Stauracii imperium explicatur, periocham Theophanis continet cf. Theoph. I 758—768.

Venimus igitur ad finem nostrae quaestionis. Nam a sequentibus capitibus Ferdinandi Hirsch de fontibus Zonarae incipit dissertatio. Ut paucis complectamur, quae de Zonarae fontibus diximus, Zonaras ante omnes Theophanem principem fontem secutus est. In imperio Leonis Magni describendo atque etiam in eius successorum usque ad Iustinum secundum gestis enarrandis hic et illic alium sibi praecipuum ducem sumpsisse statuendus est. De quo fonte quoniam non extat, nihil aliud suspicari ausi sumus, nisi, optimum eum fuisse atque bonis probatisque auctoribus nisum esse.

Has igitur partes cum solus Zonaras praebeat, haud parvum nobis adiumentum praestat ad illorum temporum historiam cognoscendam et conscribendam. In ceteris vero omnibus partibus, quas hoc libello tractavimus, Zonaram invenimus plerumque Theophanem exscribentem, raro ab hoc ad Georgium Monachum, Cedrenum, Leonem Grammaticum, Nicephorum Constantinopolitanum, Procopium recedentem. Qui scriptores cum adhuc integri exstent, nullius fere momenti Zonarae libri ducendi sunt, nisi quod nonnullis locis ex iis illorum scriptorum textum emendare licet. Tamen etiam his partibus nonnulla a Zonara interiecta sunt, quae in certum fontem reuocare non possumus, ante omnia illae de patriarchis Constantinopolitanis eorumque annis, de moribus imperatorum, de nonnullis miraculosis et fabulosis rebus relationes. Sed quam exiguae hae ipsae partes sint quamque parvi plerumque momenti, ipse, lector benevole, vidisti.

Conspectus fontium.

Zonaras	Fons principalis	Accedunt	In certum fontem reduci non possunt Zonarae	Conferri possunt
III 245, 1—250, 21 ed. Dindorf.	Theoph. I 159—169. 170, 10—14. 183, 13—184, 4 ed. Bonn.	Cedr. I 604, 16—605, 12 ed. Bonn. Vita S. Anatolii in actis S. S. Iul. II p. 663 sq.		Acta S. S. Sept. XVI tom. V 278.
250, 21—251, 7.	optimus, ut videtur, auctor deperditus.	Theoph. I 170, 16 sq.	III 250, 21—251, 7.	Mal. ed. Bonn. p. 367, 11 et 368, 16—19. Priscus ap. Muellerum IV 100 a. Dind. hist. Graec. min. I 332, 8. Candidus Isaurus Müll. IV 135 Dind. I 141, 1.
251, 8—31.	optimus ille fons deperditus.		251, 8—31.	Cand. Isaur. Müll. IV 135,2. Dindorf I 442. acta S. Marcelli ap. Surium 29. decembr.
251, 31—252, 15.		fortasse chronicon aliquod Constantinopolitanum.	251, 31—252, 15.	Theoph. I 178, 6. 172, 16. 196, 4—9. Cedr. I 612, 25. Georg. Mon. 513, 4 ed. Muralt. Leo Gramm. 115, 5 ed. Bonn. Mal. 396, 17. Mal. 375, 12—18. Chron. Pasch. I 595, 6 ed. Bonn.

252, 15—253, 9.	optimus ille fons deperditus.		252, 15—253, 9.	Cand. Isaur. Müll. IV 135 b. Dind. I 442, 8. Cedr. I 609, 23 sq. Euagrius II 13. Mal. 372, 6 sq. Theoph. I 185, 5 sq.
253, 9—16.		Theoph. 170, 19 et fortasse chron. illud CPtanum.		
253, 16—19.	optimus ille fons deperditus.		253, 16—19.	Priscus vel Malchus. Muell. IV 167,7. Dind. I 391, 26. Theoph. I 175, 10.
253, 20. 31.	optimus ille fons deperditus.		253, 20—31.	Cand. Isaur. Muell. et Dind. ll. ll. Cedr. I 613. Theoph. I 179. Mal. 372. Euagr. II 16.
253, 31—254, 16.	fortasse fons ille deperditus.	Theoph. I 184, 5 sq. Cedr. I 614, 3 sq. Georg. Mon. 512, 20 sq.	254, 2—12.	Cedreni nonnulli loci.
254, 16—28.			254, 16—28.	
254, 29—255, 5.		Cedr. I 615, 4 sq.		
255, 5—8.			255, 5—8.	
255, 8—256, 23. 257, 8—18.	Theoph. I 186, 8 sq. 188, 7 sq. 189, 7 sq. 192, 5 sq. 197, 4—8. 193, 12—194, 8. 197, 4—198, 16. 199, 11—200, 19. 204, 14—19.			
256, 23—257, 8.	fortasse fons ille deperditus, qui e Malcho hausit.		256, 23—257, 8.	Cedr. I 616, 2—17.

Zonaras	Fons principalis	Accedunt	In certum fontem reduci non possunt Zonarae	Conferri possunt
257, 18—258, 10.	fons deperditus.		257, 18—258, 10.	Cedr. I 621—22. Theoph. I 209—210.
258, 11—259, 12.	Theoph. I 210, 8—18. 211,12—13. 202—206.	Cedr. I 626.		
258, 16—20.			258, 16—20.	Mal. I 392.
259, 12—16.			259, 12—16.	
259, 16—260, 3.	Cedr. I 626—627.	Theoph. I 221, 12—15.		
260, 4—15.	Theophanis multi loci.		260, 10—11.	
260, 15—24.	Theoph. I 211, 12 sq. 212, 15 sq. 216, 2 sq.			
260, 24—261, 9.	Theoph. I 219—222. I 246.			
261, 9—263, 12.		Georg. Mon. 517, 1—518, 14.		
263, 12—21.			263, 12—21.	
263, 21—25.	Theoph. 250, 3. Theoph. 253, 9 sq.			
263, 25—264, 20.			263, 25—264, 20.	
264, 21—265, 1.		Cedr. 635, 8—636, 1.		
265, 1—11.			265, 1—11.	Georg. Mon. p. 518. Thed. Lect. p. 565 ed. Valesius.
265, 11—15.			265, 11—15.	
265, 16—19.			265, 16—19.	Euagr. III 38.
265, 19—23.	Theoph. 229, 14.	Cedr. 629, 5.		
265, 24—29.			265, 24—29.	
265, 29—269, 1.	Theoph. 253, 3 sq. 254, 5—260, 20. 261, 13—263,8. 263,14—264,10.	Georg. Mon. 524, 9—10.	265, 29—266, 9.	Euagr. IV 2.

			266, 17–19. 267, 8—12.	Mal. 411, 20 sq. Procop. III 46, 17 sq. ed. Bonn. Euagr. IV 8.
269, 1—5.		Georg. Mon. 525, 7—10.		
269, 5—18.	Theoph. 264, 11 sq.	Georg. Mon. 525, 11—15.		
269, 13—270, 6.			269, 13—270, 6.	Marcellinus ad annum 527 Victor Tunnun. Theoph. I 266, 15 sq. Mal. 424, 14 sq. Cedr. I 642, 14.
270, 7—271, 3.			270, 7—271, 3.	Procop. hist. arcana.
271, 3—7.	Theoph. I 278, 4—13. optimus, ut videtur, fons deperditus.			
271, 7—273, 22.			271, 7—273, 22.	
273, 22—274, 18. 275, 10—26.	}	{	273, 22—274, 18. 275, 10—26.	} Complures loci Procopii (de aedificiis), Theophanis, Cedreni, Leonis Grammatici, Georgii Monachi.
274, 18—275, 9.			274, 18—275, 9.	Theoph. I 347, 14—348, 11. 387, 7 sq. 271, 15 sq. Cedr. 645, 17 sq. Georg. Mon. 541, 9 sq. Leo Gramm. 128, 17 sq. Mal. 253, 15sq.
275, 26—278, 15.	Theoph. 287, 5—308.			
278, 15—279, 20.			278, 15—279, 20.	
279, 21—280, 30.			279, 21—280, 30.	Theoph. I 337, 6 sq. Anastas. in Agapeto.
280, 30—281, 3.	Theoph. 353, 17—354, 9. 371, 19 sq.			
281, 3—18.		Georg. Mon. 528, 17 sq.		

Zonaras	Fons principalis	Accedunt	In certum fontem reduci non possunt Zonarae	Conferri possunt
281, 18—282, 23. 282, 23—283, 2.			281, 18—282, 23. 282, 23—283, 2.	Procop. de bello. Goth. Theoph. 338, 3 sq. 359, 16 sq. 369, 6 sq.
283, 2—284, 13.		Procop. II p. 399, 3 sq. 546, 17 sq. ed. Bonn.		
284, 13—31.	Theoph. I 368—372, 11.			
284, 32—285, 28.			284, 32—285, 28.	Theoph. 375, 5. 374, 9 375, 7. 376, 15.
285, 28—287, 3.		Cedr. I 680, 21—683, 6.		
287, 3—31.	Theoph. I 377, 1—379, 12. 380, 13—14. 380, 20—381, 20.			
287, 31—288, 14.	Theoph. I 382 sq.			
288, 15—290, 28.	Theoph. I 384,5—388,16.	Cedr. I 680, 8. Leo Gramm. 137, 22.		
(289, 28—290, 1.)			289, 28—290, 1.	Menander Muell. IV 254, fr. 54. IV 256 fr. 55.
(290, 1—6.)			290, 1—6.	
290, 29—296, 8.	Theoph. 388—420.	Cedr. 691, 9 sq.		
			294, 19—295, 9.	Theophyl. Simoc. IV 15. p. 284, 3 sq. ed. Bonn. Cedr. I 696, 9 sq.
296, 9—14.			296, 9—14.	
296, 14—298, 3.	Theoph. I 427—438.	Cedr. I 700, 11. Georg. Mon. 557, 8. Leo Gr. 140, 9.		
298, 4—299, 5.	Theoph. I 439, 2 sq.	Cedr. I 703, 22 sq. Georg. Mon. 557, 9 sq. Leo Gramm. 140, 11 sq.		
299, 5—300, 19.	Theoph. I 442—448.			

300, 19—21.		Cedr. I 709, 12 sq.	
300, 21—301, 7.		Leo Gr. 144,13—145,10.	
301, 8—9.			301, 8—9.
301, 9—302, 8.	Theoph. I 449—456.		301, 19—21.
302, 8—17.	Theoph. I 458, 2—3.	Georg. Mon. 562, 6—19.	
302, 17—303, 3.	Theoph. I 454, 15 sq. 457, 10 sq.		302, 23—26.
303, 3—304, 18.	Theoph. I 456, 9 sq. 458, 7 sq. 459, 20 sq. 460, 20 sq.	Niceph. Constantin. p. 3, 11 ed. Bonn. Cedr. I 713, 3. Georg. Mon. 563, 20. 560, 8. Leo Gramm. 146, 20. 143, 10.	
304, 19—305, 16.	Theoph. I 461, 2—462, 7.	Cedr. I 713, 23. Nic. CP. 6, 1—3. Nic. CP. 8, 7—20.	
305, 17—306, 13.	Theoph. I 463—465.	Nic. CP. p. 16, 7 sq.	
306, 13—307, 8.		Nic. CP. p. 6 sq.	
307, 8—11.			307, 8—11.
307, 11—31.	Theoph. I 465—471.		
307, 32—308, 24.	Theoph. I 466.	Niceph. 17. Leo Gramm. 151, 2 sq.	
308, 24—310, 9.	Theoph. I 496—504.		
310, 10—311, 16.	Theoph. I 506—508.		
311, 16—18. 312, 16—18. 312, 23—31.	Theoph. I 522, 17.	Leo Gramm. 155, 4—16. 152, 15—18.	
311, 18—312, 23.		Georg. Mon. 591 sq. Leo Gramm. 155.	
312, 32—313, 10.	Theoph. I 508, 9—16. 522, 16. 523, 13.	Nic. CP. 24, 19 sq.	

Zonaras	Fons principalis	Accedunt	In certum fontem reduci non possunt Zonarae	Conferri possunt
			313, 8—10.	
			312, 17—18.	
313, 21—316, 15.	Theoph. I 508—510. 523—539.			
			315, 2—3.	
			315. 23—28.	
316, 16—32.	Theoph. I 538—39.	Georg. Mon. 605.		
317, 1—318, 30.	Theoph. I 539—44.	Georg. Mon. 613, 22 sq.		
318, 31—319, 23.	Theoph. I 530.	Georg. Mon. 611.		
319, 23—320, 27.	Theoph. I 545—50. 552, 12.			
320, 28—324, 7.	Theoph. I 555—566.	Georg. Mon. 618—19. 615, 16.		
324, 8—325, 15.	Theoph. I 566—68.			
325, 16—327, 13.	Theoph. I 569—73.			
327, 14—330, 12.	Theoph. I 573—84. 570, 20—571, 4.			
327, 14—333, 20.	Theoph. I 585—600.	Leo Gramm. 173, 15—16.		
			331, 12—13.	
			331, 23—24.	
			332, 8—10.	
333, 21—334, 1.	Theoph. I 600, 4—19.			
334, 1—335, 16.		Procop. de bello Goth. IV 3 et 9.		
335, 21—336, 3.	Theoph. I 606, 17—607, 8.	Cedr. I 792, 23—793, 2.		
336, 3—338, 26.	Theoph. I 607—616.			
338, 26—341, 32.		Leo Gramm. 173—177.	339, 10.	
			340, 9—10.	
			340, 20—21.	
341, 32—342, 25.		Procop. de bello Goth. I 12 et 33.		

342, 25—344, 3.	Theoph. I 630, 6—14. 631, 1—20. 634, 1—635. 4.	Leo Gr. 180, 10—17.		
344, 15—346, 24.	Theoph. I 638—648. 627—628.	Leo Gr. 184, 1—9.		
346, 25—349, 8.	Theoph. I 650—668.			
349, 9—350, 14	Theoph. I 659—672.			
350, 14—351, 10.	Theoph. I 674.	Niceph. CP. p. 80—82.		Vita S. Stephani iunioris (anal. Graeca Maurina tom. I).
351, 10—352, 30.	Theoph. I 674—678. 680. 681—83 685.			
352, 31—355, 27.	Theoph. I 679. 684—688. 691—694.			
355, 28—357, 5.	Theoph. I 694—97. 701—702.	Leo Gramm. 192.	355, 7—16.	
357, 6—359, 16.	Theoph. I 702—707. 718.	Georg. Mon. 662 sq. Leo Gramm. 193.		
359, 17—362, 10.	Theoph. I 708—714 716.—717. 719—723.			
362, 11—364, 31.	Theoph. I 723—29.	Georg. Mon. 667. Leo Gramm. 197.	364, 8—10.	
364, 32—368, 19.	Theoph. I 726. 729—739.			
366, 19—28.	priora Zonarae capita.			
368, 20—369, 16.	Theoph. I 740—43.			
369, 16—32.	Theoph. I 743—45.	Cedr. II 31—33.		
370, 1—372, 2.	Theoph. I 745. 747. 750. 755—758.		370, 15—17.	
372, 3—374, 26.	Theoph. I 758—768.			

DE IULI FRONTINI STRATEGEMATON

LIBRO QUI FERTUR QUARTO

DISSERUIT

GOTTHOLDUS GUNDERMANN

buerunt: Tennulium exscripsit Keuchenius. Nouorum praesidiorum copia undique coacta Oudendorpius, uir de Frontino optime omnium meritus, Lugduni Batauorum primum a. 1733, iterum a. 1779 strategemata edidit commentarioque uberrimo instruxit. Magnum is corruptelarum gregem, quae in textu paulatim resederant, prudenter expulit; sed quia libros suos certa ratione non expendebat nonnullorumque uelut Gudiani no. 16 collationem possidebat cum incuria factam atque auctoris genus dicendi reuocabat ad consuetam et magis elegantem elocutionem, fieri non potuit, quin multa relinqueret imperfecta. Oudendorpianum textum et Schwebelius et Bipontini repetierunt. Excepit eos hoc saeculo Dederichius, qui item adminiculis ex apparatu Oudendorpii repetitis incredibile quoddam specimen editionis prodidit. Nam ut non enumerem, quot uerba tacite omiserit, addiderit, transposuerit, aliis commutauerit: quae fides eis exemplaribus habenda est, quae textum exhibent ad auctoritatem codicis Petrensis semel atque iterum correctum, de quo libro interpolato ipse Oudendorpius suspicionem mouerit? Aut quo iudicio uti is putandus est, qui IV, 1, 17 auctoris uerba sanissima 'qui in proelio dubiam mortem timuissent' mutauit in 'qui in proelio subire mortem dubitauissent' uel IV, 7, 2 ex uerbis 'dolabra, id est operibus' finxit 'dolabris et operibus' et IV, 7, 13 apparatu Oudendorpiano leuius excusso pro 'Lacedaemonem uersus' emendauit 'Lacedaemoniorum in agros'? Quae cum ita esse uiderem, haud abs re fore ratus, codicum Frontinianorum condicionem circumscribere, instituendae editioni haec parani subsidia: atque ut exemplo tamquam probarem, qui spectatissimi textus recognoscendi essent testes, quartum quem ferunt librum strategematon adiecto apparatu critico subieci.

Caput I: De codicibus.

Strategematon codicum duo sunt genera: unum (α) plenius et diligentius scriptum, alterum (β) mutilum atque multifariam corruptum: illi pauci tantum sed uetustissimi libri adnumerantur, huius permagnus numerus exstat assecularum, quorum tamen plerique recentioris potius aetatis sunt. Neutrum autem in quarto et ceteris libris tradendis ullum discrepantiae uestigium prae se fert. Ac pariter in utroque pars quaedam libri secundi (cap. IX §§ 8—10, cap. X, cap. XI, cap. XII, §§ 1—2)*) exstat in extremo

*) Cf. p. 124.

quarto: nam quod in nonnullis codicibus, ut in Leid. no. 128, Burneiano no. 173 aliisque inferioris aetatis, suo loco ea inueniuntur, propterea non esse maiorem eis auctoritatem tribuendam iam alii uiderunt: quem errorem ante saeculum fere tertium decimum notatum non fuisse ac ne recte quidem correctum esse, Hedickius*) dilucide explicauit. Ipsum denique uerborum contextum si perlustraueris, in uitiis tam multis utrumque genus inter se consentire animaduertes, ut ex uno eodemque archetypo (x) eoque iam deprauato α et β fluxisse manifestum sit. Is autem ad quod usque saeculum promouendus sit parum liquet: maiusculis tamen litteris eum fuisse exaratum, certa indicia demonstrant. Praeter strategemata Frontini in eodem sine dubio inerat 'Eutropi breuiarium ab urbe condita', quia id in codicibus utriusque generis (Γ—DBO) exstat.

Pergens ad archetyporum utriusque generis naturam et condicionem explanandam ab eo incipiam quem α nominaui. Eum qui exarauit censendus est eximia diligentia summaque fide suo munere functus esse. Etenim non solum uerba accuratissime transcripsit ex eo quem habuit codice, sed ne in litteris quidem socordiae ac neglegentiae locum dedit ampliorem: quod ne uidear iusto studiosius iudicasse, argumentum luculentum habeo afferre. Fuit enim iam in omnium codicum archetypo altera lectio iuxta genuinam quibusdam locis notata: ea in genere β neglecta et omissa est, sed qui α descripsit eam uerbis immixtam tradidit. Unde fit ut IV, 7, 29 β 'galeiculis', α 'galei oculis' (= galeiculis mit übergeschriebenem o = galeiculis alias galeolis) et IV, 6, 4 β 'causa eductum', α 'causae deductum' (= causa ᵉdeductum = deductum alias eductum) nobis praebeant. Eadem fide tantum non ubique hoc genus praestare alteri ex locis nonnullis suppositis facile cognosces:

	α	β
IV, 1, 1	gaio (ğ Γ) memmio	gaio nemmio DG gaio naẽmio O gaionẽ‿mio B.
IV, 1, 3	dilectatori ΓC delectatori A	delectori
IV, 1, 18	redegit petites ad	redegit ad
IV, 1, 21	initia	initio
IV, 1, 36	Aquilius AC Aquilegius Γ	Aquirius (Aquarius O)

*) Cf. Herm. VI, p. 156.

IV, 3, 15	prouincias	prouinciam
IV, 3, 5	in maxima paupertate	maxima paupertate
IV, 2, 4	innumerabiles	innumeras
IV, 6, 3	resedisse	redisse (*in* O r *in* s *correcta*) sedisse B
IV, 7, 31	ne aut negato	ne abnegato
ibid.:	ut ileregetum *Γ* utile regetum *A*	uti legetum
IV, 7, 35	interfectis	intectis
IV, 7, 37	pythian	pitiam.

Neque tamen archetypus *α* prorsus immunis fuit mendis, quamquam leuia ea sunt, uelut: *praef.*: 'descriptione' pro 'descriptioni', similiter 7, 28 'agmine', 7, 29 'mediocres' — 7, 39 'uirgas' pro 'uirgis' — 1, 44 'ex' pro 'ea' — *praef.*: 'ordine' pro 'ordinem' — 7, 20 'exercitum' pro 'exercitu', 1, 18 'sententiam', 1, 32 'iniussum' — 5, 5 'ammisso' pro 'amisso' — 7, 6 'lacerauit' pro 'lacerabit' — 5, 8 'grassus' — 1, 4 'sed' pro 'se' — 1, 13 'praessus' — 1, 7 'honus', 1, 4 'habituros' pro 'abituros' — 1, 28 'idemque' pro 'eidemque' — 1, 10 commigrare dixit' pro 'c. edixit' — 6, 3 'concenditur' pro 'conceditur', 7, 24 'adficerent' pro 'adficeret', 7, 22 'habebant' pro 'habebat' — 1, 18 'pedem' pro 'peditem' — 7, 38 'signatae' pro 'obsignatae' — 5, 7 'decunctantem' pro 'decunctantibus' — 7, 26 'crispinum hannibal' pro 'crispinus hannibalem'.

Tres ad hoc genus pertinent libri: *A* = Harleianus no. 2666 saec. IX, *Γ* = Gothanus no. 101 saec. IX, C = Cusanus C 14 saec. XII. Hic quamuis propter bonitatem eius codicis unde excerpta strategematon desumpta sunt haud abiciendus sit, tamen pauca exempla eaque saepe praecisa exhibet. Ac ne *Γ* quidem maioribus opibus nos adiuuat, ut solus *A* huius generis testis restet integer. Quod ualde dolendum est, quia traditarum lectionum origo minus perspicuus est: fauente tamen fortuna contigit, ut eis quae *A* et *Γ* una tradunt inter se expensis naturam illius uirtutemque quodam modo perscrutari atque diiudicare possimus. Itaque locos quibus *A* et *Γ* a se distent grauissimos in comparationem uocabo:

	A	*Γ*
1, 16	tradidit	tradit
7, 20	excitauerant	excitabant

1, 39 remissio	remisso
4, 2 Fabricium	Fabricium autem
5, 18 et igne/// (r *erasa*)	et in igne
6, 1 idoneum	idoneorum
1, 26 L. pisṣo. c̃. tit'um (*corr. man. 2*)	L. piso coñs. titium
5, 1 qua licentia	quam licentiae
5, 14 non c. caelum	non claudium caeliũ
5, 23 dominum (domuum *corr. man. 2*)	domum
1, 18 iussit	iussis
1, 43 postero	postera
1, 44 cõmitiis	committi is
7, 22 reposcentibus	reponentibus
7, 22 uoluntate	uoluptate
7, 24 fuissent	fudissent
7, 41 interfectus	interceptus
7, 42 hispania	italia
7, 8 aduo'uerent	admouerent
7, 18 promi'sis id ea persuasione	promissi site apersuasione
7, 35 magna summae his promitteretur	magnae summae is promitterentur.

Vides eorum quae attuli pleraque in *A* aut recte aut certe ita tradi, ut facile restitui possint.

Iam qualis in *A* et *Γ* orthographia conspiciatur, haud alienum uidetur memorare. 'Prehendere' non contrahitur nisi 7, 7 'deprendisset' *AΓ*; sed 7, 23 *A* deprensa *Γ* deprehensa — 3, 11 *Γ* nonagensimus *A* nonageṣsimus — 7, 33 *AΓ* Voccaei, 3, 7 uocabat, 1, 44 *A* uocaret *Γ* uacaret — 2, 3 *A* paucissimis *Γ* paucis sumus (i *superscr.*) — 5, 5 *AΓ* equom, 6, 2 *A* equum *Γ* equom, 7, 36 *A* reliquum *Γ* reliquom, 7, 34 *A* quum *Γ* quom, 5, 16 *AΓ* uiuosque, 5, 5 *A* uulneratus *Γ* uolneratus — *AΓ* adulescens 1, 13. 6, 4. 7, 39, sed *AΓ* epistolis 7, 38, *A* scauros 3, 13, *Γ* pugnaturos (u *superscr.*) 7, 21, *A* munitione *Γ* monitione 7, 38 — *Γ* hannenses 7, 22 (bis) — *Γ* Lisander 1, 9, dirrachium 1, 43, cyneas 3, 2, epyrotarum 3, 2. 4, 2, *A* thermopilas 2, 9 — i et e in utroque saepe commutantur: *Γ* athenienses 7, 21; *A* aeliam *Γ* eliam pro 'Elaeam' 5, 16; *A* delectator *Γ* dilectator 1, 3; *A*

spicies *praef.*, acceperet 7, 39, expeditione 1, 1; *Γ* ordinare 1, 8, obsiditque 5, 9, recolligisset 5, 17, redigisset 7, 25 — in verbis per 'ae' vel 'e' scribendis et *A* et *Γ* saepissime peccant, ut longum sit singula enumerare.

Ex declinatione uerborum haec notaui:

A cohortium *Γ* cohortum 1, 37 — *Γ* domum (*gen. pl.*) *A* domu///um (*sed a man. 2*) 5, 22 — *Γ* Iuli *A* Iuli[i] (*corr. man. 2*) *praef.*; *AΓ* Cassi 2, 1 (bis), *AΓ* fului 7, 29, *AΓ* principis 1, 16; *AΓ* is 1, 44. 5, 22; *A* hi *Γ* hii 7, 34; *AΓ* redit 5, 17; *AΓ* perisse 5, 20; *A* uenisse *Γ* ueniisse 5, 20; — accusativi plur. qui *is* finiuntur: *AΓ* nauis 1, 15, hostis 5, 3. 5, 4. 7, 33; deprecantis 5, 2; deposcentis 7, 6; transnauigantis 7, 19; *Γ* omnis 7, 19 praetereuntis 6, 3.

Aspiratio in utroque abundat raro: *AΓ* honus 1, 7 habituros 1, 4 *Γ* pyrhrus 1, 3; 1, 14; pyrrho 4, 2; *A* pyrrhus 1, 14; pyrrhi 4, 2; pyrrho 1, 18; Ptholemeus 7, 20 — l pro ll: *Γ* mile 2, 6 — ss pro s: *Γ* nassica 1, 15. 1, 20; assia 5, 16; *A* pisso 1, 26 uespassianus 6, 4; contra *Γ* promisum *praef.* remise 1, 18 dimisa 5, 13 — tt pro t: *Γ* cottidiane 1, 1; *A* cottidiae 7, 34; contra *A* cōmitiis *Γ* committi is 1, 44, *Γ* retulit *A* rettulit 5, 4 — rr pro r: *A* interrim 7, 31 — n pro nn: *Γ* hanibalem 7, 26 — ff prò f: *Γ* affricanus 1, 5. 7, 4. 7, 16 — f pro ph: *Γ* triumfaturum 5, 1 xenofontem 6, 2 elefantos 7, 18 — b pro p: *Γ* inobs 7, 37 prolabsus 5, 17 opsidionem 5, 12 — r pro l: *Γ* gradiatorem 7, 5 expropratorem (= exploratorem) 7, 7 — c *pro* g: *A* incenti 1, 1 *Γ* acmen 1,.7, sed *Γ* Gñ. 3, 4 — ci cum ti confunditur: *A* hospicium 1, 10 internitionem 7, 16 — d et t confunduntur: *Γ* inquid 1, 10. 5, 12. 6, 1. 7, 6. 7, 37; uelud 1, 14. 1, 25. 1, 43; aliquod 5, 17. 7, 25; *AΓ* ad pro at 5, 14; contra *Γ* repetentis 4, 1 testinatum 6, 2 quot 7, 37 *A* hastrubale 3, 8 — s pro x: *Γ* artaxerxen 2, 7; contra *A* sexcentorum 2, 6; extiua 1, 6 — g pro i: *Γ* agebat 2, 9 egecerunt 5, 18.

Praepositionum in uerbis compositis numerus haud exiguus immutatus inuenitur, qua in re nullum fere inter *A* et *Γ* discrimen exstat, sed ratione usus caret: adsiduus, adsuefacere, adsistere — aspicere; adfligere, adfirmare, adficere — affectus; adgredi; adleuare — alligare; adpetere; adtemptauerit *Γ* attempt. *A* 7, 6; conlatis — collega; conmilitones *A* 1, 16 — commigrare; conplectere, conprehendere — compellere; inmuniti — imminere;

inposuit, inprudens — imperare; inrupit, inridentibus; optulit, optinuit (*Γ* obtinuit).

Ex hisce speciminibus satis apparet, antiquam scribendi rationem in neutro codice constanter seruari. Sed si formas quasdam peculiares ut 'omnis' pro 'omnes' vel 'quom' pro 'quum' exceperis, in quibus retinendis *Γ* pertinacior est, etiam rerum orthographicarum A testem esse certum negari non potest.

Venio ad alterius generis archetypum quem nota *β* indicaui. Cuius pleraque uitia esse a neglegentia inscitiaque librarii profecta apparet. Eorum autem quattuor potissimum species discerni possunt: nam ille 1) singulas litteras confudit: 'damnato' pro 'damnati' 1, 20; 'initio' pro 'initia' 1, 21; 'nemmio' pro 'memmio' 1, 1; 'motus' pro 'modus' 3, 12 — 2) uerba perperam disiuncta transcripsit: 'in ordinem herere (aerere D ar°ere O)' pro 'in ordine merere' 1, 11; 'ipsum eruerant' pro 'ipso meruerant' 2, 2 — 3) sigla falso intellexit: 'pitiam' (= pitiā) pro 'pythian' 7, 37; 'innumeras' pro 'innumerabiles' (= innumerās) 2, 4; 'ábnegato' pro 'aut negato' (= $\overset{t}{a}$ negato) 7, 31 — 4) omisit litteras: '.c. denariis' pro 'cc denariis' 5, 20; 'uti legetum' pro 'ut ilergetum' 7, 31; — uel syllabas: 'delectori' pro 'dilectatori' 1, 3; 'redisse' pro 'resedisse' 6, 3; 'intectis' pro 'interfectis' 7, 35; 'Cizi cum' pro 'Cyzicum cum' 5, 21 — uel verba: 'pedites' 1, 18; 'in' 3, 5, 'quod' 7, 6, 'percussis' 5, 2.

In orthographia ei qui *β* scripsit fides omnino abroganda est, cum inferioris iam aetatis indoli obnoxius de suo permulta mutauerit. Mitto nomina per 'ae' uel 'oe', 'y' uel 'i' scripta, aut talia uelut 'aruspices' 5, 14; 'graccus' 7, 24, 'iugurtino' 1, 2, sed praepositiones, quarum non paucae in *α* integrae remanserunt, principibus uocum consonis subiecit. Formas quoque uerborum corrupit, ut 'recuperare', 'accersere', 'tentare', 'adolescens', 'nonagesimus' in *β* legamus, ubi *α* peculiares formas tuetur. Neque *β* talia atque 'Cassi' 2, 1, 'equom' 5, 5, 'uiuosque' 5, 16 seruauit.

Grauius uero est, quod iste ea, quae iam corrupta inueniret aut non ita probe mente assequeretur, suo arbitrio emendare conatus est. Quam rem ut melius possis diiudicare, pauca exempla subiciam:

	β	*α*
5, 14	non dubitauit dare pecuniam qua nostro...	non dubitauit de ea re pecuniaquae nostro...

7, 6	uniuersos	uniuersas
7, 6	eosdem	easdem
7, 18	poscentibus promisit et ea persuasione	poscentibus promi*sis id ea persuasione *A*
		poscentibus promissi site apersuasione *Γ*
7, 29	incipere	recipientibus
7, 42	redire	nere

Haec de archetypo disserenda existimaui, antequam ad singulos codices transirem. Horum numerus satis magnus est, cum praeter tres illos qui genus α efficiunt omnes, quotquot lectionum speciminibus mihi innotuerunt, huc pertineant. Neque tamen ex eis nisi quattuor fere digni sunt qui in censum uocentur: reliqui maxima ex parte saeculo quarto uel quinto decimo exarati lacunis non carent adeoque uitiis ineptissimis scatent aut a curiosis librariis uanis emendationibus inquinati sunt, ut merum auctoris textum ex eis nemo possit agnoscere. Nonnulli profecto ex libris melioris notae passim correcti sunt, ut Burneianus no. 173 ex codice nescio quo generis α: in aliis uelut in Leidensi Voss. F 59 uitia quaedam ab ingenioso homine eleganter sublata sunt; sed, quamuis primo aspectu ad eos inuiteris, superfluentibus indiciis uilitas eorum non in occulto est.*)


Primores igitur huius generis sunt D = cod. Parisinus 7240 saec. X uel XI in., G = Gudianus 16 saec. XIV in., B = cod. Harlei. 2729 saec. XII, O = cod. Oxoniensis saec. XII. Deteriorum autem librorum quibusdam locis hunc uel illum in apparatum admisi, ut quorum auctoritate textus niteretur editionibus uulgatus illustrarem. Ipsi autem hi codices in duas secedunt classes: alterius (μ) testis primarius est D, secundarius G; alteri (λ) adnumero B et O, quorum B mihi uidetur praestantior: cum hac autem plerique faciunt deteriorum librorum. Omnes ex eodem archetypo β procul dubio fluxerunt; sed in μ loci non pauci, in quibus illius classis asseculae deprauati sunt, sani incorruptique sunt, ibique μ plerumque consentire cum α item recta tradente consentaneum est. Quod ex hoc grauiorum discriminum indice euidenter elucebit:

praef.:	hec erant μ	et erant $\lambda\alpha$
1, 19	Otalicius μ	Otacilius $\lambda\alpha$
1, 27	stationem $\mu\alpha$	stationes λ

*) Cf. de codice Vaticano 3408 pag. 103.

1, 32 coñs. μ	censor λα
3, 4 filiarum μα	feminarum λ
5, 10 latera omniaque μα	omnia latera B (*in* O *lacuna*)
5, 19 eadem omnia μα	omnia eadem B (*in* O *lacuna*)
6, 2 munera reseruaret μα	munera reuellet B (*in* O *lacuna*)
7, 5 posse eum uitam μα	eum uitam posse λ
7, 14 ad alia usus μα	ad alias usus λ
7, 16 muniendam μα	muniendum λ
7, 12 ut hoc permitterent μα	ut per hoc permitterent λ
7, 39 ipse se primus μα	ipse primus λ
7, 39 metu ceteros μα	metu ne ceteros λ
7, 40 a uirgultis μα	a uirgulas B a uirgula O
7, 13 omnem μ	omnium λα
7, 18 numida μ	numidia λα

Ex his igitur quae de archetyporum α et β condicione disserui, hoc statuo colligi, recensendi strategematon textus fundamentum fore genus α vel potius codicem *A*, in dubiis genus β maximeque codicem D in consilium adhibendum, in orthographicis codicis *A* scripturam adoptandam esse. Atque nunc iam stemmatis ut dicunt imaginem paucis describam lineis, ut quemadmodum singuli codices ex uno orti inter se cohaereant, oculis possis percurrere.



His igitur praemonitis ipsorum codicum qui quidem mihi noti fuerunt recensum exhibebo.

A. Codices adhibiti: I. Genus α.

1) *A* = cod. Harleianus no. 2666 in Museo Brit. seruatus, saeculi IX (in catalogo fertur saeculi VIII), continet Frontini stra-

tegemata. Foliis constat quaternariis pergamenis 37. Singula exempla minusculis litteris exarata capitalibus quas uocant litteris incipiunt, quae paucis locis atramento, plerisque rubro colore membranae inductae sunt semperque in marginem prominent. Tituli omnes maiusculis litteris, raro uncialibus per atramentum scripti sunt, saepius capitalibus per rubrum colorem, qui fere ubique detritus est sicut in exemplorum initialibus. Scriptura, compendiis admodum paucis impedita, rasuris atque emendationibus non uacat. Ipse enim librarius quae falso descripserat saepe correxit, sed in ipso scribendo, ut demonstrari potest. Saeculo autem X° vel XI° altera manus, quae infra est man. 2. appellata, toti libro magnum emendationum numerum iniecit. Ei debemus, quod pleraeque praepositiones uerbis cum eis compositis assimulatae nunc leguntur et narratio est signis interpuncta, quibus textus antea fere carebat: sed atro liquore quia utebatur, bene discerni potest a prima manu, cuius scriptura fusco colore est. Praeter hanc liber est etiam alias manus emendatrices expertus, quae tamen in collatione negleguntur. Peccauit librarius perquam frequenter uerba per 'ae', non per 'e' scribens, uelut 'praessus', 'statuisquae', 'caecidit' cet. Neque id silentio praetereo, quod interdum complura uerba aut omisit aut omissa in margine adscripsit, ut 1, 2: 'seueritate restituit cum insuper' et similiter 1, 31. 2, 6. 7, 38 .. qui hiatus cum omnes prope eiusdem ambitus sint, librarium suspicor in describendo quem habuit codice oculis nimis properantibus singulos uersus transiise. Collationem huius codicis itemque quattuor aliorum eximiae debeo liberalitati Walteri Giles M. A. Oxoniensis, qui eo munere grato acceptoque artissime me obstrinxit. Nonnullos locos iterum meam in gratiam inspexit Paulus Schroeder, pro qua humanitate gratias ei ago maximas.

2) Γ = codex olim Fuldensis, nunc inter codices bibliothecae ducalis Gothanae 101 numeratus, quo cum undecim aliis Maugérardi abbatis mercatu anni 1796 mense Ianuario peruenit*). Folia maioris formae membrana crassa luridaque insunt 49 (duo folia numero 15 signata sunt) quorum 1^r—8^v breuiarium Rufi, 9^r—39^r breuiarium Eutropii, 39^r—48^v excerpta ex Frontini libris continent. Singulis paginis triginta lineae 16^{cm} longae stilo inductae sunt, in quibus textus saeculo nono minusculis litteris pulchre scriptus est; neque tamen ab una manu, sed duae certe, eiusdem tamen aetatis, discernuntur, quarum altera priorem partem libri usque ad fol. 35^r

*) Cf. Philol. XXIX p. 285.

uersum 19 (= Eutrop. IX, 20 *reformauit*), altera reliquam partem exarauit: illius scriptura maior est et antiquiore specie, huius nitidior et compendiis saepius impedita. Fol. 39r subscriptionem 'ЄVTROPI LIBЄR X ЄXPLICIT' excipiunt haec: 'Et facies et pennas per quattuor partes habebant iunctaeque erant pennae eius alterius ad alterum non reuertebantur cum incederent. Sed unum quodque ante faciem suam gradiebatur. Iuncta sunt sibi euangelia herentque mutuo et in toto orbe uolitantia huc illucque discurrunt nec habent finem uolatus. Nec aliquando superabuntur et recedunt. Sed semper ad ulteriora procedunt. Unde et inpaulus dicit. Praeteritorum obliuiscens et in futurum·me extendens. Hoc idem et de uirtutibus animae possumus dicere et de uolatu temporum commixtioneque elementorum quod praeterita relinquentes semper ad priora festinent. Quod autem tempora labantur et fugiant breui uersiculo demonstratur: Sed fugit inter ea fugit inreparabile tempus*) et in carmine lyrico: Eheu fugaces postume postume labuntur anni.'**) His statim nullo addito titulo adnectuntur strategematon liber quartus 'Multa lectione sqq.' cum parte illa libri secundi, deinde praefatio et cap. I §§ 1—2 libri primi, tum praefatio et cap. I 1—3 libri secundi, denique praefatio et cap. I, cap. II, cap. III §§ 1—7 libri tertii. In calce libri recentior manus, quae in Eutropii textu multa correxit, uersum adscripsit: 'Utilis iste liber si correctus foret esset. mpdp f•bllbck: (= modo fallaci);' altera quoque manus, tironis puto, pauca appinxit. Quae in excerptis strategematon correcta occurrunt, omnia ipsius librarii sunt. Color ruber non existit. Tituli uncialibus exarati sunt. Hic illic 'a' longobardica conspicitur. Uoces per 'e' vel per 'ae' scriptae crebro confunduntur. Compendia librarius in describendo passim soluit, neque semper recte, uelut 7, 1: Titus (T. *A*), 1, 26: coñs. (c̄. A), 5, 14: claudium caelium (c. caelium A), 1, 24 hiemen 1, 43 inermen 1, 31 messam 1, 21 ignomia; atque uerba falso distinxit 1, 2: assae lixauę; 1, 7: acme noneratur; 7, 26: castrarum morem; 7, 30: quoquem adentibus; 5, 17: sere colligisset. — Collationem huius codicis, sed minus accurate factam, publici iuris fecit Jacobsius***) a. 1838; ipse eum beneuolentia bibliothecae Goth. praefecti Pertschii Ienam transmissum excussi.

3) C = codex Cusanus C 14 membranaceus in folio min.

---

*) Verg. Georg. III, 284.

**) Hor. od. II, 14, 1.

***) Cf. 'Beiträge zur ältern Litteratur' ed. Fr. Jacobs et F. A. Ukert (Lipsiae 1838) fasc. V, p. 215.

saec. XII, binis columnis exaratus.*) Praeter alia multa in eo insunt nonnulla strategematon excerpta, quae post Ciceronis Paradoxa fol. 17^v col. 1 — fol. 18^v col. 1 occurrunt et inscribuntur: EX LIBRIS IVLII FRONTINI | STRATEGEMATON. Numquam tota capita, sed singula tantum exempla, eaque frequenter praecisa exhibentur, quibus tamen suus titulus plerumque non deest. Series excerptorum haec est: liber I praef.: 'Si qui erunt quibus . . . opprimendus hostis sit'. Cap. I, 12. 13. 4. II, 7. V, 1. VI, 4. VII, 2. 3. VIII, 8. X, 4. XI, 5. 8. 19. XII, 1. 5. 12. — Liber II: cap. I, 1. 2. 13. 17. II, 2. V, 41. VI, 3. VIII, 6. 7. 11. IX, 6. 7. XIII, 2. 3. 8. — Liber III: cap. VII, 6. IX, 6. — Liber IV: cap. I, 3. 5. 17. 29. 35. 36. 38. 42. 45. III, 1. 2. 3. 9. 10. 12. IV, 1. 2. V, 12. 13. VII, 1. 4. 10. 14. 15. 37. — Liber II: cap. XI, 2. — Tum haec adduntur: 'Multiplici bonorum ducum magnificentia iusticiaeque fama copiosa mox adquiritur gloria. — Hasdrubal frater hannibalis africae imperator gisgonis filius. — NOMINA DVCVM SECVNTVR.

Themistocles. Pericles. Agesilaus . . .' sequitur igitur index nominum duodeoctoginta, qui quamquam non ad exempla in codice tradita pertinet, tamen ordinem quendam librorum capitum exemplorum tuetur. Haec excerpta, quae ex libro probae notae fluxerunt, ea quae *A* et *Γ* tradunt bene confirmare solent.

Orthographica in C exstantia fere omisi. Sed librorum *AΓ* minutissima etiam discrimina adnotare religionis esse putaui.

II. Genus *β*: 1. classis *μ*.

4) D = cod. Parisinus no. 7240 (quondam Colbertinus 3001, Regius 4940. 3), scriptus saec. X° vel XI° ineunte (in catalogo fertur saeculi XII.) singulis columnis, constat foliis membranac. 40, quorum mensura est 33^{cm} in altit., 23^{cm} in latit. — Incipit fol. 1^r nullo titulo 'Cum ad instruendam rei . . .'; fol. 14^v (lib. II, 9): 'DVO CAPITVLA SVNT REQVIRENDA'; ea igitur in libro IV extremo reperiuntur, sed ibi ut mox in G falsis capitum numeris signantur. Finitur opus fol. 25^v; pars folii 25^v et folium 26 uacant; in summa parte folii 26^v legitur subscriptio: 'Iulii Frontini strategematon liber quartus explicit. Incipit Breuiarium Eutropii'. — Verba librarius ferme recte scripsit, ut perraro 'e' cum 'ae' (maetu,

*) Cf. 'Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues' auctore Iosepho Klein (Berolini 1866), pp. 5—6 et 87—91, ex quo libro quae de hoc codice protuli assumpsi.

aequites, — hec), uel 't' cum 'c' (Portius) confusas, aliaque inuenias. — Hunc codicem iam contulerat Fridericus Haase*); collationem quarti libri diligentissime curatam accepi a uiro doctissimo Aemilio Chatelain Parisiensi, qui studiis meis summa cum benignitate hanc operam nauauit.

5) G = codex Gudianus 16, in bibl. Guelferbytana asseruatus, in fol. maiore 'anno 1332 manu Bricii Briton. clerici exaratus, cohaesit enim olim cum cod. Gud. 15 ab illo librario scripto'**). Constat foliis pergamenis 30, singulae paginae lineis in altitudinem quaternis, binis in latitudinem plumbo leuiter ductis in duas diuisae sunt columnas, quarum utraque 35 uersus habet, qui ipsi in lineis transuersis nituntur. In margine externo tria intercolumnia lineis definiuntur, quorum id quod textui proximum est, emendationes primae et secundae manus continet, in medio paragraphorum signa inscripta sunt, in extremo hic illic notae tertiae manus conspiciuntur. — Fol. 1^r in margine summo titulus rubro colore: 'Sexti Julii frōtini strategematō lib· p̂m9 īcipit.' — Textus diligenter et nitide ductu gotico exaratus compendiis ut ita dicam scatet; liquor quo librarius utebatur nunc fuscus apparet; tituli omnes librorum capitumque rubro colore eodemque ductu picti sunt, sed in praefationibus indices atramento scribuntur, numeris rubris postpositis et signis 𝒮 (alternatim rubris ceruleisue) praepositis. Princeps cuiusque libri littera albo caeruleo rubro colore pulcherrime picta atque excepto quarto libro exornata auro est. Capitum initiales rubro caeruleoue colore membranae illitae lineolis caeruleis aut rubris magna arte ductis excellunt. Titulis numerorum signa addi solent; sed, cum libri IV caput quintum suo numero notetur, reliqua mox ita numerari pergunt 'De effectu et disciplina. IIII.' sqq. 'Que facienda sunt pro . . . VIII.' (= lib. II, 12) — fol. 17^v (= lib. II, 9) in margine a tertia manu haec notata sunt: 'hic deficiūt duo capta seu due rubrice itē hic ī isto titulo duo capta sed uide eas ī fine huius libri in libro IIII.°' iam reliquiae capitis XII suo titulo inscriptae numerantur caput X, atque quod sequitur, inscribitur 'De effugiendo. XI'. — Fol. 30^r col. 2 subscriptio exstat: '~~Lyber~~ (*in marg:* S. Iulii *man.* 2) Frontini Strategematon Lyber quartus explicit'. — Ipse librarius complura in textu erasit atque correxit; altera autem manus, eiusdem certe aetatis, totum librum cum eo

*) Cf. Mus. Rhen. XII p. 312.

**) Cf. F. A. Ebert, bibliothecae Guelferbytanae codices graeci et latini classici (Lipsiae 1827) pag. 73.

unde erat descriptus contulit ductuque simillimo multa et in textu et in margine correxit. Tertia manus saeculi XV cineraceo liquore imprimis in priore libri parte supra uersus et in margine emendationes adscripsit, quae ex codice Vossiano F 59 Leidensi uel ex aliquo ei simillimo haustae sunt. Praeter has etiam aliae manus in margine occurrunt, quae nullius momenti sunt: e quibus una ubi exemplum fusius narratum deprehendisset adnotauit: fol. 1^v (= lib. I, 1, 4) 'Titus liui⁹ ab urbe condita libro primo circa finem per duo folia' — fol. 5^v (= lib. I, 8, 1) 'titus liuius ab urbe condita libro secundo circa medium li.' — fol. 12^v (= lib. II, 5, 1) 'titus liuius ab urbe condita libro primo circa inicium per sex folia'. — Collationem huius codicis ab Ioh. Chr. Wolfio leuius factam adhibuit Oudendorpius; officiosa cura bibl. Guelferb. praefecti de Heinemann translatum eum in bibl. Ienensem ipse excussi.

2. Classis λ.

6) B = cod. Harleianus no. 2729 in Museo Brit. seruatus, saeculi XII teste Eduardo Sievers, secundum catalogum saeculi X. — Numerantur folia 109 membranacea, quorum 2—50 strategemata Frontini, 51—109 breuiarium Eutropii continent. Folium 1 deperditum est; fol. 2^r incipit a uerbis 'cum hoc opus sicut cetera . . .' (= lib. I praef.). Post lib. II. cap. 9 in margine ab alia manu haec adscripta sunt 'hic deest totum caput decimum et 11^m et maior pars capitis duodecimi' et exemplis 3 et 4 capitis XII titulus datus est 'capitis 12^{mi} reliquiae'. Capiti X libri II, quod cum capp. XI et XII § 1—2 in fine operis occurrit, titulus deest et in margine manus saec. XVII rubro liquore adscripsit 'hec plura exhibet . . . r⁹ [Petrus?] Scriueri⁹ qui cum aliis rei bellici scriptorī Frontinū post Stewechiū et fr. Modiū Lugduni-Batauorum an. 1607 edidit'. — De aetate huius codicis et Harleiani 2666 (= *A*) Eduardus Sievers cum Londini uersaretur, benigne me edocuit. Contulit Walter Giles.

7) O = cod. Oxoniensis, in collegio Lincolniensi asseruatus et no. 100 signatus, membr., formae minoris, saeculo XII binis columnis exaratus, continet foliis 93 Vegetium, Frontinum, Eutropium. Fol. 34^v 'Incipit iulii frontini de exemplis rei militaris. Lib. I'. Post librum II extremum in margine haec adnotata sunt: 'capitula quae hic desunt in fine quarti libri inuenies p̄t⁷ illud De effugiendo q̄d nusquam est' (immo caput XIII 'de effugiendo' integrum suo loco extat). Fol. 69^r 'Expl. liber. IIII. Iulii Frontini.

Incip̄ liber. I. Breuiarii Eutropii de rebus Romanis'. Librorum capitumque tituli rubris litteris uncialibus scripti sunt, itemque exemplorum initiales plurimae. Folium unum (65?) periit, ita ut uerba IV, 5, 7 'fusis ad Cannas' usque ad IV, 6, 3 'dixitque ei' in codice desiderentur. Uidetur liber non ab una manu exaratus esse, nam scriptura post istum hiatum maior apparet atque minus compendiis impedita quam antea. Praeter ea, quae ipse librarius correxit, alia multa exstant, quae posterior manus ex codice interpolato uel proprio Marte emendauit; eadem textum interpunctionis signis passim instruxit: noscitur litteris flauentibus. — Contulit Walter Giles. — Orthographica et manifestos errores librorum DGBO fere omisi.

B. Codices qui raro aut omnino non adhibiti sunt.

8) Cod. Monacensis no. 5321 chartaceus saeculi XV., fol. 324. — Fol. 1ʳ 'Blondi flauíí forliuiensis uiri eruditissimi triumphantis Romae liber primus de religione urbis ad Sanctissimum Papam Pyum Secundum ffeliciter. z. Prologus'. — Fol. 277ʳ 'Incipit Iulius frontinus strategematon De instructione bellorum liber primus'. — Fol. 323ᵛ 'Et sic est finis pro quo laudatur deus in ẏmis. Expliciunt quatuor libri Iulii frontini Strategematon de instructione bellorum'. Spatio relicto ab eodem librario haec subiciuntur: 'In primo libro erunt exempla que competant prelio nondum commisso. In secundo que ad prelium et confectam pacacionem pertineant Tercius inferende soluendeque obsidionis habebit strategemata'. Quibus capitum index quattuor librorum adnectitur. — Liber sine ulla arte scriptus fluxit ex gemino codicis G, sed ualde interpolatus est. — Post singula exempla, nonnumquam etiam media in narratione leguntur nomina scriptorum Romanorum, rubro colore exarata: Titus liuius, Salustius, Quintus curcius, Iustinus, Orosius anneus florus (ita haec nomina semper coniuncta citantur), Eusipus (sic! sed solum II, 1, 16—17), Iulius Celsus. Leguntur igitur lib. I, 1 post §§ 1 et 2 'Titus liui⁹ 2ᵃ decade', post § 3 'Titus liuius prima decade', post §§ 4 et 5 'Iulius celsus'*), post § 6 'Orosius anneus florus', post § 9 'Titus liuius 3ᵃ decade', post § 10 'Iustinus liᵒ'. — Hic index fontium nimirum ab homine

*) Hoc nomen cum iuxta Caesaris exempla maxime collocatum appareat, Iulii Celsi uidetur uel potius Francisci Petrarcae 'historia Caesaris' intellegenda.

docto saeculi XIV vel XV compositus est. — Post Georgium Thomas Onoldinum (a. 1844) ipse hunc codicem Halmii V. Cl. humanitate Ienam transmissum contuli.

9) Cod. Leidensis no. 128 bibliothecae Leidensis, membr. in folio min., saec. XV. constat foliis 100, quorum 98 tantum numeris signata sunt. Fol. 1^r 'Incipit Vegescius de re militari'. Fol. 54^v 'Explicit IIII. Elauius Eutropius emendaui sine exemplario constantinopolim consulatu ualentiniani augusti. Explicit deo grãs'. Fol. 55^r 'Iulii frontini strategematon lib' incip^t pm̂9'. Fol. 98^v (proprie 100^v) 'Iulii frontini strategematon liber explicit. Deo grãs'. Liber una columna ab eodem librario diligenter, sed scriptura crassiore exaratus est. Capitum tituli omnes atramento in margine adscripti exstant. Fluxit liber ex apographo aliquo Oxoniensis, quod nonnullis locis interpolatum erat. Oudendorpius, qui eum uocat 'Leidensem primum', lectiones eius non semper accurate adnotatas pluris aestimauit. Eximia Leidensis bibliothecae praefecti Du Rieu beneuolentia mihi contigit, ut hic codex et ceteri tres Leidenses Ienam transmitterentur ibique duos menses remanerent.

10) Codex Vossianus Latinus F 59 (apud Oudendorpium 'Leidensis secundus') in bibl. Leidensi asseruatus, membranac. in folio, binis columnis ductu gotico saec. XIV exeunte exaratus. Fol. 1^r in margine summo: 'Ce Manuscrit appartient à Mr de Ualauez'. Titulus: 'Sexti Iulii frontini stragematõ liber primus Incipit'. Lib. II capp. X, XI, XII §§ 1—2 suo loco reperiuntur. Fol. 45^r: '. . . uicti sunt: deo grãs. Iulii frontini de re militari liber explicit deo gracias'. Fol. 46^r: 'Incipit Tullius de re militari' et in margine a manu recentissima 'in aliis codicibus inscribitur Modesti Libellus de uocabulis rei militaris ad Tacitum'. Folia 51 et 52 chartacea notis Holstenii ad codices Vegetianos pertinentibus repleta sunt. Fol. 53^r (membr.) 'flauii uegetii renati uiri illustris comitis ecolii epitoma rei militaris libri numero quinque incipiunt. Primus liber'. Fol. 99^v 'Explicit tractatus uegetii de re militari. Incipit quidam alius tractatus de re militari excerptus a secretis secretorum aristotelis'. Fol. 103^r: 'finito libro sit laus et gloria xp̄o'. Nonnullis in foliis scriptura inuersa conspicitur, quae ita uidetur orta, ut liquore nondum sicco membrana altera superponeretur alteri. Liber ab ingenioso homine emendationibus refertus, sed perquam neglegenter scriptus est.

11) Codex Burmanni Q 4, in bibl. Leidensi seruatus, membranac. foliorum 52 quaternariorum, certe saeculo XV exaratus,

etsi scriptura formam prae se fert antiquiorem. Fol. 1[r] Scriuerius inscripsit: 'IVL FRONTINI Strategematῶν lib. IV'. Fol. 3[r] 'Iulii frōtini ĩ strategemata prȩfatio' — dimidium paginae uacuum relictum et pulcherrime picturis ornatum est. In margine imo: 'Petri Burmanni Secundi'. Subscribitur codex 'Iulíí frontini liber ·IIII· Strategematicon explicit'. Tum sequitur a recenti manu additum nomen nisi fallor possessoris 'G^m Arbaleste'. Librarius maxima diligentia librum descripsit summaque arte exornauit. Altera manus in margine nomina scriptorum (eadem atque in cod. Monac. no. 5321) adscripsit atque intra uersus pauca correxit. A recenti manu, Scriuerii puto, hic illic ad uerba lineolis subducta emendationes in margine adiectae sunt. In margine imo tituli capitum, quasi index continuus, tenuissimis litteris inscripti sunt. Conspirat hic accuratissime cum eo codice Hillensbergii, quo Oudendorpius usus est, saepius etiam cum Monacensi 5321.

12) Codex Perizonianus ('ex legato Perizoniano') F 17 in folio maiore (apud Oudendorpium 'Leidensis tertius'). Frontiniana huius codicis saeculo XV conscripta sunt.*) Fol. 21[r] 'Incipiunt capitula libri qui uocatur sextus frontonius in quo tractantur q̃dã ualde utilia et necessaria ad opus bellicum'. Fol. 32[v] 'Sextus Frontonii liber explicit'. Sunt 46 exempla excerpta ex strategematibus, sermone barbaro ab homine inepto composita ac ne aspectu quidem digna. Fol. 33 'Incipiunt uocabula rariora super frontoneo de re bellica', fol. 37 'Incipit tabula frontonii de re militari in qua nomina et uerba atque quaedam dictiones secundum ordinem alphabeti collocantur' sqq. (e. g. 'ilico ·ʌ· statim, papauer secũdũ uirgiliụm est herba languentibus soporem faciens'). Utraque tabula sine ullo pretio est. Tum fol. 41—62 ab altera eiusdem aetatis manu sequuntur eadem Frontiniana.

13) Codex Regius XII C 21 in Museo Brit. asseruatus, chartac., foliorum 62 in quarto minore, saec. XV. — Fol. 1 'De re militari li. ·I· incipít liber frontini, sequitur primo prologus'. — Fol. 61 'Explicit liber frontini dere militari foeliciter scriptus per Iohannem Stagnensem de florentia sub anno. MCCCCLVIII. die prima Iulii Bononiae. Laus deo omnipotenti'. Liber nitide ac sine rasuris scriptus, sed nomina propria misere mutilata sunt neque raro factum est ut librarius complura uerba, quia non intellexit, lacuna relicta omitteret. Contulit Walter Giles.

---

*) De reliquis quae insunt cf. Flauii Vegeti Renati epitoma rei militaris, rec. Carolus Lang (Lipsiae 1869) pag. XXVII.

14) Codex Burneianus no. 173 in Mus. Brit. asseruatus, chartac. in quarto, saec. XV. Numerantur paginae 152. Pag. 1 'Sexti Iulii Frontini STRATEGEMATon liber primus incipit'. Capp. X, XI, XII §§ 1—2 libri secundi in suum locum restituta sunt. Subscribitur codex 'Finis ão MCCCC61 die. XIII. Februarii. petrus leo Ortinus scripsit. Qui me furatur in tribus lignis suspendatur. Deo gratias'. Compendia scripturae habet perpauca, sed interpunctionis signis ferme distinctus est. Nonnullae ei lectiones ex codice aliquo generis α iniectae sunt, sed ita ut fructum inde percipere non liceat. Cum hoc ea quae Oudendorpius ex codice quodam Palatino attulit mire consentiunt. Contulit Walter Giles.

15) Codex Egerton no. 1867, in Museo Brit. seruatus, 107 fol. membr. in 8°, saec. XV. — Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon liber primus feliciter incipit'. — Fol. 98: 'Don Lope de Urrea a su muy preciado amigo don Lope'. Tum sequitur oratio Isocratis ad Nicoclem latine uersa, praemissa interpretis epistula: 'Laurentii Lippi Florentini in Lupum Ximenium Urream, illustrem regni Siciliae proregem, in Isocratem de regni gubernatione prefatio feliciter incipit . . .'. — Collationem huius codicis perquam uilis Gustauus Masson publici iuris fecit.*)

16) Escorialensis O II 5 (olim 27. 7 signatus) membranac. in folio, binis columnis saec. XIV ineunte exaratus, 63 foliorum, initio mutilus. Fol. 45^{r}_{a} rubris litteris: 'Sexti Iulii frontini state gematicon. lib̃ .ȷ. Incip̃ ꝛ ꝯtinꝛ exͣ q̄ spectant p̄lio n̄dū ꝯmisso scd's q̄ ad p̄liū etiam ꝯfectā pagat'oeꝫ ꝑtineāt Tercius q̄ ad īferādā et soluendā obsidionem ual'āt.

Incipit ꝓlegus [sic!] seq̄tis oꝑis.

Cum ad instruendam' . . . — Fol. 63ʳ B: . . . 'et nauali et pedestri p̃lio uicti sunt. Explicit deo grãs. Amen'. Illa igitur capita libri secundi in suum locum restituta sunt. Liber ab homine indocto scriptus nullius pretii est.

17) Escorialensis O III 9 (olim signatus 28. 15 et π 39) membr. in 8°, saec. XIII ineuntis, 116 foliorum, 2 col. — Fol. 81ᵛ maiusculis: 'Sexti lutii frontini strategematon liber ·I· incipit. prefacio incipit' — minusculis: 'Cum ad instruendam' . . . — Fol. 115ᵛ A: . . . 'eodem die et nauali et pedestri p̃lio uicti s̃t. (maiusculis:) Iulii frontini strategematon liber quartus explicit'. Capita libri II restituta sunt. Codex interpolatus est.

*) Cf. Revue Archéologique: XIX 447—451, XX 116—119, XXI 19—22 (a. 1869—1870).

18) Escorialensis*) Q I 10 (olim signatus 17. 14 et π 70) membr. in folio, 1 col., saec. XV, 81 foliorum. — Folium tertium (a quo strategemata incipiunt) saeculo XVI suppletum est; fol. 4r 'ent non argui crędamus' sqq. (= praefatio libri I). Fol. 81r . . . 'et nauali et pedestri pręlio uicti sunt. (tum rubris maiusculis:) τέλος. iulii frontini de re militari liber quartus et ultimus finiit. :· ~'. Capita libri secundi restituta sunt. Posteriori inuolucro primum folium codicis saec. XV membr. 2° agglutinatum est, quod sic incipit: 'um ad instruendam rei militaris scientiam unus ex numero studiosorum eius accesserim eique destinatio quantum cura nostra'....

19) Escorialensis*) N II 20 (olim signatus 22. 14 et π 4) 2° membr., binis col. saec. XIV, 173 foliorum. Fol. 131r a: 'Iulii Frontini strategematon liber primus incipit. Cum ad . . .' accuratissime cum Leidensi no. 128 conspirat.

20) Escorialensis*) G III 8 (olim signatus IV. 1. 17 et IV F 6) 4° membr., saec. XIV, 48 foliorum. Fol. 1r: 'Sexti iulii frontini strategematon. Cum ad instruendum'. . . . fol. 48v: . . . 'et nauali et pedestri p̃lio uicti sunt. Amen deo grãs'. Manus saec. XV addidit: 'Explicit Iulius Frontinus'. Multa in margine a manu saec. XV adnotata, capita libri II item restituta sunt. Quae de his codicibus Escorialensibus disserui, ea debeo Gustauo Loewe, qui summa cum beneuolentia et comitate specimina eorum mihi misit, e quibus sperni posse omnes satis apparet.

De libris 21—44 iam enumerandis quae profero omnia desumpsi ex schedis Gulielmi Du Rieu. Is enim qua est eximia humanitate, ubi de hoc studio meo audiuit, quae de strategematon codicibus collegerat una cum excerptis ultro ad me misit: pro quo beneficio summam ei ago et semper habebo gratiam.

21) Vaticanus lat. 3408 (Fulv. Urs. 108), 8° membr. saec. XV, foliorum 74. — Fol. 1r: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber primus incip^t feliciter. Prologus. Cum ad instruendam' . . . — Subscribitur codici: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber quartus explicit feliciter. (Tum ab eadem manu:) Hic Frontinus est Iohannis Tuscanellae et Amicorum'. Scriptus est nigris litteris uulgo obuiis in codicibus Mediceis. Pauca occurrunt compendia. Altera manus quae prima omiserat suppleuit et simul emendationes adscripsit. Tertia autem, multo recentior, quam Panormitae manum esse credunt, altero codice collato plura cor-

*) Cf. Gustauus Haenel, Catalogus librorum mss. qui in bibliothecis Galliae cet. asseruantur. Lipsiae 1830. pag. 950.

rexit, quae maxime consentiunt cum Mediceis 53. 12 et 45. 15. — Totum examinauit Du Rieu, ut ex hoc uno uilitatem cognoscere possis multorum. Fluxit enim cum Leidensi Voss. F 59, Burneiano 173, Reg. XII C 21, aliis ex eodem libro interpolato: quem qui exarauit, IV, 1, 8 pro 'Theagenes' correxit 'Theogenes' (fortasse ex Polyaen. V, 28, 1 Θέογνις) — IV, 1, 14 pro 'mappalia' scripsit 'in apulia' — IV, 1, 24 ex codicum lectione 'serinum' vel 'seruium' finxit 'firmum' aliaque multa mutauit. In quibus qui Vaticanum 3408 tractauerunt ita non acquieuerunt, ut ex aliis codicibus uel de suo eiusmodi ineptias interpolarent: lib. IV praef.: 'sicut antea' — IV, 5, 10 'erant' post 'superiora' — IV, 5, 14: 'auem occidit qua occisa' — IV, 6, 2 'pedestri' post 'cursu ipse' — IV, 7, 7 'adiecit' post 'terrendique hostis causa' atque eiusdem generis innumerabilia. Scilicet non desunt quae bene isti emendauerint, uelut IV, 1, 33 'ter dato' pro codicum scriptura 'tardato' — IV, 7, 8 'uarianam' pro 'ualerianam'. — Neque pauca eidem propter inscitiam corruperunt: litterarum graecarum quia ignari erant, alii lib. I praef. uerba 'strategematicon et strategematon' graece exarata omiserunt, alii ex eis finxerunt 'ut parent graciam' vel 'et patent graciam'. — Huius generis ineptiae, quarum officina in Italia, fortasse Florentiae, uidetur fuisse, adeo mox plurimos strategematon codices occupauerunt, ut uix ullum recentiore aetate scriptum inuenias purum atque integrum. — Quae postea correcta sunt, cuncta una nota 'man. 2' indicaui. Excerpta eius, quibus Oudendorpius usus est — errore ab illo in praefatione Vatic. no. 5408 signatur —, minus diligenter aut facta aut relata sunt.

22) Cod. Vaticanus lat. 2193 membr. in folio maiore, saec. XIV, fol. 156. — Continet Apuleii opera, Frontini strategemata, Vegetii epitomam, Palladii Rutilii Tauri Aemiliani de re rustica libros cum indice locupletissimo; deinde ab alia manu Ciceronis orationes pro Marcello et pro Ligario; denique in folio ultimo (156) obseruationes quasdam de agricultura uel potius notata quaedam de cultura horti S. Ambrosii, qui est Mediolani annis 1329, 1340, 1343, 1349, 1359 a diuersis manibus scripta. Liber binis columnis ductu gotici simili exaratus est; compendia frequentissima sunt. Cuiusque operis littera initialis eleganter picta est: conspicitur Apuleii effigies, depictus inuenitur Frontinus sedens, in Vegetii opere eques more medii aevi armatus cet. fol. 85: 'Sexti Iulii Frontini Stractegematicon prologus primi libri incipit'. Fol. 101: 'Sexti Iulii Frontini Stractegematicon liber quartus et ultimus explicit feliciter'. In praefationibus librorum desunt indices

capitum. Altera quae inuenitur manus hunc librum cum Vaticano 3408 uidetur contulisse et alterum ex altero correxisse. Totum eum excussit Du Rieu.

23) Vaticanus lat. 4494 membranaceus saec. XV. Continet fol. 1—45 Vegetium, fol. 46—85 Frontini strategemata. Fol. 46: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris liber'; fol. 85: 'Deo grãs. Sexti Iulii Frontini de re militari liber explicit'. Compendia in codice nitide scripto crebra reperiuntur. Praefatio libri tertii omittitur.

24) Vaticanus lat. 4495 membr. saec. XV. — Strategematon libris (fol. 1—45) tituli et subscriptiones desunt. Excipiunt eos Plutarchi apophthegmata ad Traianum imp. latine reddita*), praeeunte praefatione ad optimum principem nomine non appellatum: cuius operis titulus quamquam non exstat, tamen aliquid lucis inde affulget, quod princeps dicitur nuper liberasse et amplificasse maximos et potentissimos reges et duces, quos memorabili inauditaque uictoria maritimi unius ac terrestris proelii Caietani captiuos habuisset. Transtulit ea fortasse Franciscus Philelphus, qui epistulam ad Ludouicum Mariam Sfortiam ducem Mediolanensium a. 1481 praemisit.

25) Vaticanus lat. 4496 chartaceus, saec. XV exeuntis. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon liber primus feliciter incipit'. Pars illa libri secundi in hoc codice nondum in suum locum redacta est. Fol. 45: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon liber quartus explicit feliciter. — Telos —

Dux fuit hic clarus Sextus Frontinus in armis
  Inscriptum titulo quem breuiore legis.
Quod si operam dederis studioso pectore lector
  Ingenio poterit quam profuisse tuo.
Hadriani felix decessit tempore diui
  Formię et emeritum cum tenuere senem'.

Strategemata sequuntur Vibii Sequestris de fluminibus, fontibus, lacubus cet. libellus; Leonardi Aretini de re militari liber; Aeliani opus de instruendis aciebus ex graeco in latinum conuersum a Theodoro Gaza Thessalonicensi, praemissa praefatione ad Antonium Panormitam, Alfonsi regis praeceptorem.

26) Vaticanus lat. Palatinus 1556 membranaceus saec. XV exeuntis. Fol. 1: 'Angelus Roscius Reatinus suo et amicorum

*) Cf. S. F. W. Hoffmann, Bibliographisches Lexicon der gesammten Literatur der Griechen (Lipsiae 1845) III pag. 203.

commodo quae ipse a Fabio Io. Bap[ta] q; fratribus accepi 1556'. Praeter Frontini strategemata inest 'Plinii secundi de uiris illustribus' libellus. Codex ab eadem manu neglegenti atque Vaticanus 4496 exaratus est.

27) Vaticanus Palatinus lat. 1563 chartac. saec. XV. — Folia 1—95 continent Vitruuii libros; fol. 96: 'Sexti Iullii Frontini Strategematicon liber incip[t] feliciter'. Lib. II, 5, §§ 19—43 desiderantur. Fol. 131: 'Sexti Iulii Frontini Rei militaris Strategematicon'. Is codex cuius excerptis a Grutero anno 1598 factis Oudendorpius usus est inter Palatinos Vaticanae non reperitur; immo conferas quae ad cod. no. 14 dixi. —

28) Vaticanus lat. 7227, membranaceus saec. XIV. — Fol. 1 litteris rubris: 'Gasparis Volaterrani Acolythi apostolici et secretarii diui pr̄is Bessarionis Car. Ep̄i Tusculani Legati Bonoñ. liber iste exsistit emptus Boñ. aureis duobus. Tertio Idus Iun. MCCCCLI'. Codex cum diligentia littera gallica scriptus continet fol. 1—37 opus Vegetii; fol. 38: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon liber incipit'. Fol. 65: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon liber explicit'.

29) Vaticanus Urbinas 1160 membranaceus saeculi XV. — Fol. 1[v] pulcherrime ornatum est: index enim libri 'In hoc codice continentur Stratagemata Frontini et Vegetii de re militari' auro depictus et corona e lauro conecta ornamentisque cinctus conspicitur. Fol. 2: 'Incipiunt Stratagemata Frontini de re militari'. Fol. 64: 'Telωc. Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon'. Maxime conspirat cum Vaticanis 4494, 4495, (Palat.) 1563. — Florentiae exaratus est, summa adhibita cura et diligentia: initiales eximie pictae sunt, titulum librarius angelis, auibus aliisque picturis ornauit; in margine stemma Urbinatium domus splendet, quod efficitur columnis transuersis aureis caeruleisque uicissim, in quarum prima aquila aurea nigraque uolans appicta est.

30) Vaticanus Reginae 812 (Bourdelot no. 272. 1656) membr. 'Anno 1487 die 15 m. martii apud Urbem Neapolī scripsit j. dittũ Cormilli'. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Artis militaris liber incipit'. Fol. 47: 'Telos'. Praeterea in hoc libro inueniuntur sex sententiae ex Liuio, Tullio, Isidoro excerptae.

31) Vaticanus Reginae 1782, chartaceus saec. XV. Fol. 1: 'Iulii Frontini Strategematicon liber incipit'. Fol. 93: 'Finis'. Post strategemata leguntur Sallustii libri de Catilinae coniuratione et de bello Iugurthino, a diuersis manibus scripti.

32) Ambrosianus B 63 sup., non saeculi XIII, ut scripsit auctor catalogi recentioris, sed saec. XV, quod colligitur ex scriptura haud ita diligenti, colore tituli, imagine principi litterae codicis appicta. Huc accedit quod in margine stemma, quod postea deletum est, duo angeli tenent quales saeculo XV pingebantur. Titulus: 'Sexti Iulii Frontini Stratagicmathicon incipit prologus'. Subscriptio: 'Sexti Iulii Frontini rei militaris Strategematicon liber explicit'. In margine et intra uersus passim apparent glossae recentiores ac nullius momenti.

33) Ambrosianus B 161 sup., chartac., saeculo XV littera italica exaratus; fuit 'S. Mariae Coronatae Mediol. Ill.'; patres religiosissimi Card. Frid. Borromaeo, bibl. Ambros. conditori, eum tradiderunt a. 1601. — Continet Aristotelis rhetoricam, Plutarchi apophthegmata in latinum conuersa, Frontini strategemata (titulus: 'Sexti Iulii Frontini Renati stratagematon lib. primus incipit'), Sicconis Polentoni exemplorum librum.

34) Patauinus B 47 in bibliotheca eccl. capitul., membr. saec. XIV—XV, ductu gotico exaratus. Maius, cum eum laudaret tamquam uetustissimum, lapsus est.

35) Mediceus*) plutei LIII no. 12, membranaceus, anno 1405 binis columnis scriptus. Collationem eius adhibuit Oudendorpius (= 'Mediceus primus').

36) Mediceus*) plutei XLV no. 20, membranaceus saec. XV, eleganter scriptus. Uterque Mediceus nullius pretii est.

37) Venetus no. CCCLXX . XV membr., scriptus a. 1453 litteris cursiuis; insunt Florus, Dictys Cretensis, Frontinus.

38) Venetus XIV no. CXXX. chartac. saec. XVI. Insunt opera Leonardi Bruni Aretini, Isidori, Petrarchae, Brunonis Astensis, Vegetii, Frontini.

39) Bernensis**) 438, partim membr. partim chartaceus saec. XV; fuit Iacobi Bongarsii Bodnaei. Fol. 1—109 Ciceronis Tusculanae; fol. 109—167 Frontini strategemata (tituli desunt). Eius libri collationem diligentissime confectam a Bremio possedit Fridericus Haase.

40) Bernensis**) 400, membranaceus saec. XV; fuit P. Danielis Aurelii; Fol. 1: 'Iulii Frontini stratagematon liber primus. Incipit'. Fol. 46 opus finitur.

41) Sangallensis 1329, chartaceus, scriptus Mediolani a.

*) Cf. Bandini, Catalogus codicum mss. bibliothecae Mediceae Laurentianae.

**) Cf. Hagen, Catalogus codicum Bernensium.

1448 in usum Gasparis Garimberti. — Ex dono D. Abrahami Iacobi Lutz a. 1792. — Titulus: 'Sexti Iulii Frontini Renati Strategematon primus liber incipit feliciter'. — Examinauit eum a. 1849 G. M. Thomas, professor Monacensis.

42) Vindobonensis 3095*) (in catalogo no. 261), chartac. saec. XV exeunt. — Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Stratagematon li. prim⁹ incip^{t}'. Fol. 54: 'Explicit liber Frontini de re militari'.

43) Vindobonensis 3191**) (in catalogo no. 262) chartac. saec. XV. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini stratagematon liber, latine de re militari incipit'. Fol. 40: 'Nomina eorum qui gesserunt et nomina eorum aduersus quos gesta sunt bella'. Sequitur deinde index ducum. Fallitur Endlicher, cum nullam operis in libros diuisionem esse in catalogo dicat; nam in libros diuisum est opus, etiamsi tituli desunt.

44) Pragensis VIII H no. 25 in bibl. Uniuers. Clementinae, membr., saec. XIV (pars prior quae Valerium Max. continet, saec. XV), binis columnis scriptus. Insunt Valerius Maximus, Frontinus, Dares Phrygius. Fol. 147: 'Iulii Frontini Strategematon liber primus incipit de re militari'. Fol. 189: 'Iulii Frontini Strategematon liber ꝗ⁹ explicit de re militari'.

C. Codices qui post Oudendorpium non excussi aut nondum examinati sunt.

45) Mediceus plut. XLV cod. 21 (cf. Bandini l. l.) membr. 4. saec. XV. Fol. 1—76: Vegetius de re militari. — Fol. 77—149 'Frontinus de re militari'.

46) Mediceus plut. XLV cod. 17 (cf. Bandini l. l.) membr. 4. saec. XV. Constat foliis scriptis 50. Fol. 1: 'Sexti Iulii Frontini Strategematicon rei militaris libri quattuor'. Subscribitur codex: 'Sexti Iulii Frontini Strategematon rei militaris libri IV et ultimi finis VIII Ianuarii 1459 Neapoli'. Contulit hunc librum interpolatum a. 1728 M. A. Biscionius in usum Oudendorpii, qui falso eum in praefatione plut. 45 no. 15 signat.

47) Mediceus, bibl. Leopoldinae Strozzianae no. LXVI. membr. in 8^{0}, scriptus a. 1464, foliorum 86: Frontini strategematon libri IV. (Cf. Bandini l. l.)

48) Cod. Parisinus ('du fonds latin') 13955 saec. X f. 130^{v}

*) Cf. Endlicher, catalogus codd. mss. bibl. Palatinae Vindobonensis I sub no. CCLXI.

**) Cf. Endlicher l. l. sub no. CCLXII.

nonnulla e Iulio Frontino continet. (Cf. Delisle, Inventaire des mss. de S. Germain-des-Prés p. 123).

49) Parisinus no. 5802 (cf. Catalogus codicum mss. bibliothecae regiae Parisiensis, IV vol. Paris. 1729—1744) membranac., uidetur saeculo XIII exaratus; insunt Suetonius, Ausonius, Florus, Frontinus, Eutropius, Ciceronis Philipp. et Tuscul.

50) Parisinus 6106, scriptus a. 1435: Caesar, Frontinus, Vegetius.

51) Parisinus 7241, membr. saec. XIV, Frontinus.

52) Parisinus 7242, saec. XIV, Frontinus, Vegetius.

53) Parisinus 7243, saec. XIV, Frontinus, Vegetius.

54) Parisinus 7244, saec. XIV, Frontinus, Quintiliani decl.

55) Parisinus 7245, saec. XV, Frontinus.

56) Parisinus 7388, scriptus a. 1370, Frontinus.

57) Parisinus 7389, saec. XV, Frontinus.

58) Parisinus 7390, saec. XV, Frontinus.

59) Middlehillensis (cf. Haenel, l. l. p. 895) chartac. in folio, saec. XIV: Frontinus de aquae ductibus, eiusdem strategemata, Isidori Hisp. chronicon, alia.

60) Harleianus 4921 in Mus. Brit., membr., scriptus a. 1463: Frontini strategematon libri IV.

61) Harleianus 5221 in Mus. Brit., membr. foliorum 102, saec. XV: Sexti Iulii Frontini de re militari libri IV.

62) Cantabrigiensis, in bibliotheca publica Mm II 18 signatus, saec. XIV, continet Frontini strategemata fol. 115^{r}—130^{v}. — De hoc et ceteris codicibus Cantabrig. summa cum humanitate me edocuit Guilelmus Wright, professor Cantabr. — Apud Oudendorpium 'Cantabrigiensis secundus'.

63) Cantabrigiensis, in collegio S. Ioannis servatus, D. 22, saec. XIV. — Apud Oudend. 'Cantabr. tertius'.

64) Cantabrigiensis, in collegio S. Petri servatus 2. O. O., saec. XV.

65) Cantabrigiensis, in collegio S. Petri servatus, 2. 5. 3. saec. XIV. — Collatio codicis 'Petrensis' qua Oudendorpius usus est, utrum ad hunc an ad illum pertineat nescio; perquam interpolatum eum esse omnis paene lectio in apparatu illius allata testatur. Ceteri quoque Cantabrigienses, quos Oudendorpius adhibuit, deteriores sunt.

66) Cantabrigiensis, in collegio S. Trinitatis seruatus (Gale ms.) O. 3. 28, saec. XV.

67) Vratislauiensis in bibliotheca urbana no. 10, scrin. I

series 2) chartac., forma maiore, scriptus a. 1474: Aelianus, Vegetius, Frontini stratagemata (sic!). — De codicibus Vratislauiensibus O. Rossbach benigne certiorem me fecit.

68) Vratislauiensis, in bibl. urbana seruatus, no. 79 (scrin. I, series 5), membr., forma quadr., a Nicolao Gualdo saec. XV scriptus: Sexti Iulii Frontini stratagematum (sic!) libri IV.

69) Vratislauiensis, in bibliotheca uniuersit. reg. seruatus, IV, fol. 38a, membr., elegantissime saec. XIV ab una manu scriptus: L. Annaei Flori epitome, S. Rufus, Frontini strategemata.

70) Collatio codicis Posnaniensis in editionis Schwebelianae exemplari inscripta a Friderico Iacob, seruata in bibl. Bonnensi; inerant in eo codice: 'Ruffus, Florus, Frontinus'. (Cf. Klette, codices lat. bibl. Bonn. 1858, no. 166 33 f.).

71) Codex qui seruatur in bibl. Fuerstenbergiensi (in oppido Donaueschingen) no. 19, chartac. fol. 18 in 2°, saec. XVI: Frontini Strategematicon libri IV.

72) Cod. Salemitanus, chart. saec. XV. Fuit olim 'B. Mariae in Salem', in monasterio quod est prope Constantiam, unde Parisios delatus est. Inde Fridericus Haase emptum eum in taberna libraria in patriam reduxit. — Lib. II c. 9 rubris litteris librarius addidit: 'Nota hic destm magnū' — recens manus in margine adnotauit capitula quae deficiunt in fine libri descripta esse.

Restat ut Ioannis (Parui) Saresberiensis Policraticum s. de nugis curialium et uestigiis philosophorum libros VIII hoc loco afferam, quippe in quibus multa ex Frontino desumpta legantur. Is magna quam ei attribuit Oudendorpius auctoritate omnino non dignus est: nam et codex seu codices, quibus usus est, a genere deteriore β maximeque classe λ stant (IV, 1, 18 *om.* 'pedites') neque exempla ad uerbum transcripsit, sed ualde mutata refert (cf. IV, 1, 16 'aut si benignius' pro 'aut si leuius' — 1, 36 'addixit securi' pro 'securi percussit' — 2, 4 'fudit' pro 'uicit' — 3, 7 'socios ad coenam uocabat' pro 'ad cenam uocabat' — aliaque multa).

In ea autem quae sequitur quarti libri recensione notis usus sum hisce: *A* = Harleianus 2666; *Γ* = Gothanus I no. 101; C = Cusanus C 14; D = Parisinus 7240; G = Gudianus 16; B = Harleianus 2729; O = Oxoniensis 100; codd. = *AΓ*[C]DGBO; codd. dett. = codices deteriores uel omnes uel plerique, ut Vat. 3408, Vat. 2193, Burneian. 173, Leidenses, alii; Leid. pr. = Leidensis 128; Leid. sec. = Leidensis Voss. F 59; Leid. tert. = Leidensis Burmanni Q. 4.

IULI FRONTINI
STRATEGEMATON LIBER QUARTUS.

Multa lectione conquisitis strategematibus et non exiguo scrupulo digestis, ut promissum trium librorum implerem, si modo impleui, hoc exhibebo ea quae parum apte descriptioni priorum ad speciem alligata subici uidebantur et erant exempla potius strategicon quam strategemata: quae idcirco separaui, quia quamuis clara diuersae tamen erant substantiae: ne, si qui forte in aliqua ex his incidissent, similitudine inducti praetermissa opinarentur. Et sane uelut res residua expediendi fuit, in qua et ipse ordinem per species seruare conabor.

1 Iuli Frontini strategematon liber quartus *scripsi.* IVLI FRONTI. STRATEGE.TICON. LIBER. III. EXPLICIT. INCIP̄ EVSDEM LIB̄. IIII. FELICITER (*rubro colore, sed* I, INI, S, MA *atramento add. m.* 2) A Iuli (Iulíí G) Frontini strategematicon (strat. *om.* G) liber tertius explicit. Incip̄ eiusdē liber quartus feliciter DG *titulum infra exhibet Γ omittunt* CBO 4 promisū *Γ* 5 hoc] in hoc *Vat. 3408* hic *codd. dett.* ȧeaquȩ A aperte *Vat. 3408* descriptione *AΓ* discrecioni G 6 et] hec DG 7 strategemate *Γ* strategematicon *Scriuerius* qua *A* 8 clar& *Γ* 9 iis DB inducti *Om. 2 et Leid. sec.* indocti *codd.* indocte *uulgo* praetermisa *Γ* 10 et sanae O et sana DGB uelud *Γ* ‖ res *addidi duce Oudendorpio* ‖ res,idua (t onea) O *corr. m. 2* expedienda O in qua sicuti antea et ipse *Vat. 2193* et sane res uelut residua expedienda fuit, in qua sicut antea et ipse *Oudend.* et sane uelut residua expedienda sunt; in quo sicut antea et ipse *uulgo* 11 ordine *AΓ* spicies *A* 12 Incipiunt capta libri. IIII. De disciplina O 13 effecto D 17 affectu *Burnei.* 173 effectu *codd.*

I. DE DISCIPLINA.

1. P. Scipio ad Numantiam corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus cotidiana exercitatione militibus; quibus cum frequens iniungeret iter portare conplurium dierum cibaria imperabat, ita ut frigora et imbres pati, uada fluminum pedibus traicere adsuesceret miles, exprobrante subinde imperatore timiditatem et ignauiam, frangente delicatioris usus ac parum necessaria expeditioni uasa: quod maxime notabiliter accidit Gaio Memmio tribuno, cui dixisse traditur Scipio: Mihi paulisper, tibi et rei publicae semper nequam eris.

2. Q. Metellus bello Iugurthino similiter lapsam militum disciplinam pari seueritate restituit, cum insuper prohibuisset alia carne quam assa elixaue milites uti.

3. Pyrrus dilectatori suo fertur dixisse: Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

4. L. Paulo et C. Varrone consulibus milites primo iure iurando adacti sunt; antea enim sacramento tantummodo a tribunis rogabantur: ceterum ipsi inter se coniurabant, se fugae atque formidinis causa non abituros neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi feriendiue hostis aut ciuis seruandi causa.

5. Scipio Africanus cum ornatum scutum elegantius cuiusdam

1 IVLI FRONTINI STRATEGEMATICON LIB̃. IIII. INCIP̃. DE DISCIPLINA Γ DE DISCIPLINA IN ,MILITES C. Incipit lib· .IIII. P. scipio .... O. 2 Publius Γ 3 incenti A 4 cottidiane Γ cộmfrequens O 5 iter iniungeret B cōnplurimũ A 6 traicere (e *prior ex* i *corr.*) A trahicere D traiecere ΓO 7 exprobrantes Γ subinde *add. in marg.* B imperatorem Γ 8 fragênte (*corr. m. 2*) delicatôris (e *ex* ic *corr. m. 1*, i *add. m. 2*) A dilicationis Γ âparum A expeditione A expeditionẽ O 9 notabiliter *Leid. sec.* nobiliter *codd.* Gaio] G̃. Γ memmio *A*Γ nemmio DG naẽmio (a *semirasa*) O gaio,nẽ‿mio B 10 mihi paulisper et rei publicae, tibi semper *Oudend. ex Plut. apophth. Scipionis min: 17* tibi *om* D 11 nequaquam BO 12 Quintus Γ iugurtino BOG 13 seueritate r. c. insuper *om.* A 14 assae lixaue Γ elisaue O quam a se assa elixaue *Scriuerius* 15 Pyrhrus Γ Pyrrhus C dilectatori ΓC delectatori A delectori DGBO 16 eos] uero *Leid. tert.* 17 Paulo *Schelius ad Polyb. de castris Rom. p. 177, coll. Liv. 22, 35, 3. 38, 1.* flacco *codd.* 18 adacti *Woelfflinus (Herm. uol. IX p. 81) ex Liv. 22, 38* facti *codd.* ante ‖ ẹạ O 19 inter (ter *add. m. 2*) O iurabant Γ se] sed *A*Γ 20 habituros *A*Γ 22 affricanus ΓCDGBO scitũ A

uidisset, dixit non mirari se, quod tanta cura ornasset, in quo plus praesidii quam in gladio haberet.

6. Philippus cum primum exercitum constitueret, uehiculorum usum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos calones habere permisit, peditibus autem denis singulos, qui molas et funes ferrent: in aestiua exeuntibus triginta dierum farinam collo portare imperauit.

7. C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, uasa et cibaria militis in fasciculos aptata furcis inposuit, sub quibus et habile onus et facilis requies esset: unde et prouerbium tractum est: Muli Mariani.

8. Theagenes Atheniensis cum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum. Deinde clam equites praemisit eosque hostium specie impetum in socios retorquere iussit. Quo facto cum hauebat, tamquam ad hostium occursum praepararentur, permisit ita ordinari aciem, ut quo quis uoluisset loco consisteret: cum inertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, ut quemque inuenerat stantem, ita ad ordines militiae prouexit.

9. Lysander Lacedaemonius egressum uia quendam castigabat: cui dicenti, ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit: Ne speciem quidem rapturi praebeas uolo.

10. Antigonus cum filium suum audisset deuertisse in eius domum, cui tres filiae insignes specie essent, Audio, inquit, fili, anguste habitare te pluribus dominis domum possidentibus: hospitium

1 se] sed C 5 calones *uulgo* lacones *codd.* moles (a *supra* e) Γ 6 in extiua A inaestiuae Γ 7 portare *Vat. 2193 et Leid. sec.* portari *codd.* 8 C.] G. O recidendorum (i *ex* e *correcta*) O impedim.] imperatorum Γ 9 acme noneratur Γ honeratur D militum *uulgo* 10 furtis (c *supra* t) O honus *A*Γ 11 et in prouerbiũ DO muli *uulgo* multi *codd.* 14 impatũ DG impatum (tela *supra*) O in] ut G 15 hauebat *scripsi* habebat *A*ΓDG *om.* B *expunxit* O cum quos habebat *Monac. 5321 et Leid. tert.* incursũ *Vat. 3408* 16 praepararentur *om* O p̃paraentur Γ praeparentur (ar *supra*) A praeparararentur D premisit (iu *supra*) O ordinare Γ 17 et cum *Vat. 2193* incertissimus quisquis G se retro A strenui (n *supra*) A 18 ro siluissent Γ prosiluiss& (n *supra*) et ut A 20 Lisander lacedemonius Γ gressum (e *supra*) A 21 didicenti A 23 ntigonus Γ euertisse A diuertisse B diuertissẽ audisset *uulgo* eius] uiduae *Eussner ex Plut. apophth. Antig. 5* 24 inquid Γ 25 angustae habitaret‿epluribus A domus G hospiciũ A

laxius accipe; iussoque commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matrisfamilias uteretur.

11. Q. Metellus consul quamuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.

12. P. Rutilius consul cum secundum leges in contubernio suo habere posset filium in legione militem fecit.

13. M. Scaurus filium quod in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum uenire uetuit: adulescens uerecundia ignominiae pressus mortem sibi consciuit.

14. Castra antiquitus Romani ceteraeque gentes passim per corpora cohortium uelut mapalia constituere soliti erant, cum solos urbium muros nosset antiquitas. Pyrrus Epirotarum rex primus totum exercitum sub eodem uallo continere instituit: Romani deinde uicto eo in campis Arusinis circa urbem Maluentum castris eius potiti et ordinatione notata paulatim ad hanc usque metationem, quae nunc effecta est peruenerunt.

15. P. Nasica in hibernis, quamuis classis usus non esset necessarius, ne tamen desidia miles corrumperetur aut per otii licentiam sociis iniuriam inferrent, nauis aedificare instituit.

16. M. Cato memoriae tradidit, in furto conprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si lentius animaduertere uoluissent, in principis sanguinem missum.

17. Clearchus dux Lacedaemoniorum exercitui dicebat, imperatorem potius quam hostem metui debere, significans eos qui

1 latius B accipere O comigrare Γ dixit ΑΓ 3 quin] q^N in D inpediretur Γ 5 in ordinem herere (aerere D ar^c ere O) DGBO 7 filium habere posset *uulgo* legionem DGBO 8 tridentin hoc loco DG 9 adolescens BOG 10 ignomiae Γ p̃ssus Γ praessus A 12 corp^o era A uelud Γ mappalia ΑΓOG 13 ^r ubiũ Γ Pyrrhus AB pyrhrus Γ 14 continer^i e O 15 Maluentum *Scaliger* statuentum (fatuentũ Γ) *codd.* Beneuentum *Modius* 16 usque *om* O ^nunc non O metatione Γ 18 nassica Γ esse D 19 ^a ut A 20 p otii licentiã O per opulentiam B *et in marg.* O inferret *Vat. 2193 et Leid. pr.* naues DGOB 21 tradit Γ 22 conmilitones AB aut si lentius *uulgo* aut silentius ΓDB aut ut silentius (sic ie lentius G) AG aut ^ut insilentius O aut si leuius *Leid. sec.* aut si lenius *Lipsius* at si lentius *Stewech.* 23 uoluisset B principiis *Tennulius* an. vol. in principes, sanguinem m. *Stewech.* 24 Clearcus BOG lacedem. Γ exercituo Γ 25 ^de habere C

in proelio dubiam mortem timuissent, certum si deseruissent manere supplicium.

18. Appii Claudii sententia senatus eos, qui a Pyrro rege Epirotarum capti et postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam, omnibus extra uallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.

19. Otacilius Crassus consul eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra uallum iussit, ut inmuniti adsuescerent periculis et aduersus hostem audentiores fierent.

20. P. Cornelio Nasica Decimo Iunio consulibus, qui exercitum deseruerant, damnati uirgis caesi publice uenierunt.

21. Domitius Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quae ad castellum Initia hostibus cesserant, extra uallum iussit tendere, donec adsiduo labore et prosperis excursionibus redimerent ignominiam.

22. Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere eorumque pars detractasset imperium, questus apud censores effecit, ut notarentur: a patribus deinde optinuit, ne eis praeterita aera procederent: tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt omniumque consensu stabilita disciplina est.

23. Q. Metellus Macedonicus in Hispania quinque cohortes, quae hostibus cesserant, testamentum facere iussas ad locum reciperandum remisit, minatus non nisi post uictoriam receptum iri.

24a. P. Valerio consuli senatus praecepit, exercitum ad Sirim

1 in proelio subire mortem dubitauissent, certum *Dederich. ex Val. II, 7, 2* 3 sententiam *ΑΓ* qui a] quia ΓD pyrrho AD 4 remise *Γ* peditem] pedem *Γ* pedēs (pedem *ex* pedes *corr. man. pr.*) A peditem 5 pedites *om.* DGBO peditos A ad leuem O iussit A 7 Otalitius DG 8 inminuti *Γ* 9 audientiores (*prior* i *erasa* O) DO audaciores G 10 nassica *Γ* hi qui O 11 deseruerat A dampnato (damnatọ i O) DGBO publicae A 12 armoenia ΓD 13 initia *ΑΓ* initio DGBO cum Paccio *vel* cum Itio *Oudend. ex Tac. ann. 13, 36* in acie *Herelius* 14 adsiduo (s) A prosperis (*priorem* s *add. m. 2*) O 15 ignomiam *Γ* 16 Aaurelius A 17 cogente] exigente B detrectasset DG 18 quaestus A 19 optinuit ABO obtinuit ΓDG 20 consensus ADG 23 cessarent (a) O 24 reciperandū (u) A recuperandū DGBO 26 Sirim] firmi G

uictum ducere Saepinum ibique castra munire et hiemem sub tentoriis exigere.

24b. Senatus cum turpiter fugati eius milites essent, decreuit, ne auxilia eis summitterentur nisi captis eius † legionibus.

25. **D u o b u s m i l i b u s**, quae Punico bello militiam detractauerant, in Siciliam uelut relegatis per septem annos hordeum ex senatus consulto datum est.

26. L. Piso C. Titium praefectum cohortis, quod loco fugitiuis cesserat, cincto togae praeciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis cotidie stare dum uigiles uenirent iussit conuiuiis et balneo abstinere.

27. Sulla cohortem et centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos et discinctos perstare in principiis iussit.

28. Domitius Corbulo in Armenia Aemilio Rufo praefecto equitum, quia hostibus cesserat et parum instructam armis alam habebat, uestimenta per lictorem scidit eidemque ut erat foedato habitu perstare in principiis, donec mitterentur, imperauit.

29. Atilius Regulus, cum ex Samnio in Luceriam transgrederetur exercitusque eius obuiis hostibus auersus esset, opposita cohorte iussit fugientes pro desertoribus caedi.

30. Cotta consul in Sicilia in Valerium nobilem tribunum militum ex gente Valeria uirgis animaduertit.

1 uictĩṛụṃ O Saepinum *scripsi* serinum ΑΓΒΟD seruũ G firmũ *Vat. 3408 Burnei. 173. Reg. XII C 21* in Samnium *Deder. secutus Niebuhrium (hist. Rom. III p. 584)* ubique A hiemen Γ 3 *hoc exemplum a proximis libri non distinguunt* Idem senatus *Deder.* eius] consulis *Dederichius* 4 eis] ei DGBO *plura uerba uidentur intercidisse;* nisi captis eius † legionibus *distinxi et mox* duobus milibus *addidi ex Liv. 24, 18.* nisi captis eius (eis B hiis *in marg. G. man. 3*) legionibus quae ΑΓDGB sũmitterentur Le/////gionibus (*complura uerba erasa sunt*) quae O nisi captis et uictis hostibus; iis uero legionibus quae *Tennulius ex cod. Voss. et Reg. pr.* nisi captis et uictis hostibus. 25) Eis legionibus quae *Oudend.* 6 uelud Γ religatis (*priorem* i *ex* e *corr. in A man. 2*) AGD 8 L.] R. B pisṣo A *corr. man. 2* C.] coñs Γ consul C. *Dederich* titium A *corr. man. 2* 9 cincto *codd.* cinctu *Guietus* 10 cotidiae Γ cotidiạe A conuiis Γ conuiuiisque *editiones* 12 Sullam A Sylla B Silla (i *ex* u *corr.*) O stationes BO 13 p̃rupat OG galeatos] discalceatos *Stewech.* gladiis aptatis *Deder.* 14 armoenia ΓD 15 quia] qui ab DG quiaḅ O qui B 16 idemque ΑΓ 17 mitteretur *Deder.* 18 Attilius B regulus ex (cum *superscr.*) Γ in] ad *Deder. ex Liv. 10, 35* lucernã O Atilius regulus cum exerc. eius (*omissis intermediis*) C 19 aduersus ΑΓCOG obuis C 20 defectoribus BOG cedi Γ 21 P. cotta *Leid. sec.*

31. Idem P. Aurelium sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Lipararum, ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus praefecerat, cum agger incensus et capta castra essent, uirgis caesum in numerum gregalium peditum referri et muneribus fungi iussit.

32. Fuluius Flaccus censor Fuluium fratrem suum, quia legionem in qua tribunus militum erat iniussu consulis dimiserat, senatu mouit.

33. M. Cato ab hostili litore in quo per aliquot dies manserat, cum ter dato profectionis signo classem soluisset et relictus e militibus quidam a terra uoce et gestu expostularet uti tolleretur, circumacta ad litus uniuersa classe, conprehensum supplicio adfici iussit et quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius inpendit.

34. Appius Claudius ex his qui loco cesserant decimum quemque militem sorte ductum fusti percussit.

35. Fabius Rullus consul ex duabus legionibus, quae loco cesserant, sorte ductos in conspectu militum securi percussit.

36. Aquilius ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit.

37. M. Antonius, cum agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant duarum cohortium militem decimauit et in singulos ex his centuriones animaduertit, legatum cum ignominia dimisit, reliquis ex legione hordeum dari iussit.

38. In legionem quae Regium oppidum iussu ducis diripuerat animaduersum est ita, ut quattuor milia tradita custodiae necarentur: praeterea senatus consulto cautum est, ne quem ex eis sepelire uel lugere fas esset.

39. L. Papirius Cursor dictator Fabium Rullianum magistrum

2 lispararũ Γ lippararum DGO ipse ad ausp. repetenda *om.* A messã Γ 5 Euluius Γ censor] coñs. DG 6 legione Γ in quam A iniussum A Γ 7 senatum A 8 littore DGBO 9 ter dato *Leid. sec. et Vat. 3408* tardato *codd.* relictis (u *supra*) O 10 e] a G uti] ut B 11 cõprehensum A supplici° Γ 14 Apius D 15 militem (e *ex* u *corr.*) O 16 Rullus] ruttus (tili *supra*) O 17 uicenos *ante* sorte *add. Oudend. ex Io. Saresb. Policrat. VI, 12* 18 Aquilegius Γ Aequirius DGB Aquarius O 21 cohortum Γ 23 ignominiam A dare (i *supra*) Γ M. Antonius. IIII. ob rem male ab eis gestam necari iussit praeterea senatus consulto (*intermediis omissis*) C 24 iussu DGBO iniussu A Γ diripuerat *Casaubonus* diruerat *codd.* 26 catum Γ sepeliri BOG eis] his B 28 dictatorem A Rullianum *scripsi* rutilium *codd.* Rullum *Oudend.*

equitum, quod aduersum edictum eius quamuis prospere pugnauerat, uirgis poposcit, caesum securi percussurus: nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem eumque profugientem Romam persecutus est, ne ibi quidem remisso prius supplicii metu quam ad genua eius et Fabius cum patre prouolueretur et pariter senatus ac populus rogarent.

40. Manlius cui Imperioso postea cognomen fuit filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnauerat, quamuis uictorem in conspectu exercitus uirgis caesum securi percussit.

41. Manlius filius exercitu pro se aduersus patrem seditionem parante negauit tanti esse quemquam, ut propter illum disciplina corrumperetur, et obtinuit, ut ipsum puniri paterentur.

42. Q. Fabius Maximus transfugarum dextras praecidit.

43. C. Curio consul bello Dardanico circa Dyrrachium, cum ex quinque legionibus una seditione facta militiam detractasset secuturamque se temeritatem ducis in expeditionem asperam et insidiosam negasset, quattuor legiones eduxit armatas et consistere ordinibus, detectis armis uelut in acie, iussit. Post hoc seditiosam legionem inermem procedere discinctamque in conspectu armati exercitus stramenta coegit secare, postero autem die similiter fossam discinctos milites facere nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit, ne signa eius summitteret nomenque aboleret, milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret.

44. Q. Fuluio Appio Claudio consulibus milites ex pugna Cannensi in Siciliam a senatu relegati postulauerunt a *pro*consule M. Marcello, ut in proelium ducerentur. Ille senatum consuluit: senatus negauit sibi placere committi is rempublicam quam de-

1 aduersus B dictum ADGBO 2 pugnauerit (a *supra*) B uirgas A Γ saecuri A uirgis poposcit, caesum sec. perc. *distinxi* uirgis pop. caesum, sec. perc. *uulgo* uirgis pop. caedendum, caesum sec. perc. *Deder.* ne contentioni A 3 cumquę A 4 ibi] sibi Γ remissio ADGB nec ibi quidem remissionem prius supplicii meruit quam *Vat. 3408* 5 et *om.* B 6 populus] pp̃s G pop. rs. O Romanus *add. Dederich.* 8 is *ex* bis *corr.* O his D 10 exercitus A seditione Γ 11 illum] ipsum B 12 optinuit BD 13 dexteras *editiones* 14 dirrachiũ Γ dirachiũ DGBO consul] *fortasse* proconsul *ex Liv. epit. 95: C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit.* 15 detraectasset Γ 16 s&‿emeritatem (*corr. man. pr.*) A temeritate Γ 18 uelud Γ aciąe A post haec *uulgo* seditionem legiosam A 19 inermen Γ inhermẽ OD 20 postera Γ 24 consule B 25 raelegati A religati BD proconsule *scripsi ex Liv. 25, 7* consule *codd.* 27 committi is ΓD cõmitiis A is] his B iis OG

seruissent; Marcello tamen permisit facere quod uideretur, dum ne quis eorum munere uocaret neue donaretur neue quod praemium ferret aut in Italiam reportaretur, dum Poeni in ea fuissent.

45. M. Salinator consularis damnatus est a populo, quod praedam non aequaliter diuiserat militibus.

46. Cum ab Liguribus in proelio Quintus Petilius consul interfectus esset, decreuit senatus, uti ea legio in cuius acie consul erat occisus tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, aera reciderentur.

II. DE EFFECTU DISCIPLINAE.

1. Bruti et Cassi exercitus, memoriae proditum est, bello ciuili cum una per Macedoniam iter facerent priorque Brutus ad fluuium in quo pontem iungi oportebat peruenisset, Cassi tamen exercitum et in efficiendo ponte et in maturando transitu praecessisse: qui uigor disciplinae effecit, ne solum in operibus uerum et in summa belli praestarent Cassiani Brutianos.

2. C. Marius cum facultatem eligendi exercitus haberet ex duobus, qui sub Rutilio et qui sub Metello ac postea sub se ipso meruerant, Rutilianum quamquam minorem quia certioris disciplinae arbitrabatur praeoptauit.

3. Domitius Corbulo duabus legionibus et paucissumis auxiliis disciplina correcta Parthos sustinuit.

4. Alexander Macedo quadraginta milibus hominum iam inde a Philippo patre disciplinae adsuefactis orbem terrarum adgressus innumerabiles hostium copias uicit.

2 uocaret A uacaret ΓDGBO neq̄ue quod A 3 aut] neu *Dederichius* 3 Poeni in] poenĩ A ea] ex A Γ fuissent *codd.* essent *Dederichius* 4 dampnatus CBOG 5 diuiserat (*altera* i *ex* e *correcta*) A 6 petulius Γ 7 aciae A 9 aeraque rescinderentur *uulgo* 11 cassii *item infra* DBO est] et A 12 maced^o^ania Γ 14 in *om.* G in transitu mat. *uulgo* 15 ne] ut non *Deder. ex cod. Petr.* 16 bell^i^o A brutian^i^os O 18 sub se ipsum (ips^o^um O) eruerant DGO 19 quamquam O *in marg.* quendam (qua^n^edam *corr. man. pr.* A) *codd.* minorem quidem *Oudend. ex cod. Petr.* 20 arbit^r^abatur Γ p̄obtauit O 21 paucis sum^i^us Γ paucissimis ADGBO 22 correcta disciplina B cor^c^repta O 23 XL. ^milibus^ hominum O milibus *om.* AΓDGB 24 adsuae factis Γ acgressus (c *ex* d *corr.*) A 25 innumeras DGBO

5. Cyrus bello aduersus Persas quattuordecim milibus armatorum inmensas difficultates superauit.

6. Epaminondas dux Thebanorum quattuor milibus hominum, ex quibus quadringenti tantum equites erant, Lacedaemoniorum exercitum uiginti quattuor milium peditum, equitum mille sescentorum uicit.

7. A quattuordecim milibus Graecorum, qui numerus in auxiliis Cyri aduersus Artaxerxen fuit, centum milia barbarorum proelio superata sunt.

8. Eadem Graecorum [proelio] quattuordecim milia amissis ducibus, reditus sui cura uni ex corpore suo Xenophonti Atheniensi demandata, per iniqua et ignota loca incolumia reuersa sunt.

9. Xerxes a trecentis Lacedaemoniorum ad Thermopylas uexatus, cum uix eos confecisset, hoc se deceptum aiebat, quod multos quidem homines haberet, uiros autem disciplinae tenaces nullos.

III. DE CONTINENTIA.

1. M. Catonem uino eodem quo remiges contentum fuisse traditur.

2. Fabricius, cum Cineas legatus Epirotarum grande pondus auri dono ei daret, non accepto eo dixit, malle se habentibus id imperare quam habere.

3. Atilius Regulus, cum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit, ut se coniugem liberosque toleraret agello, qui colebatur per unum uilicum: cuius audita morte scripsit senatui de successore, destitutis rebus obitu serui necessariam esse praesentiam suam.

1 *totum exemplum eiciendum putat Deder.* Cyrrus D 2 uniuersas (*in marg.* inmensas) O 4 tantum equites erant lacedemoniorum A *in marg. habet* 5 mile Γ sexcentorum A 7 a *om.* B grecorum ΓD 8 artar xerxen AG artarxersen Γ artaxerxem O milia *om.* O 9 praelio (o *supra* a) A superati (a *supra* i) A 10 proelio *inclusi* eodem grecorum p̄lio *Leid. tert. et Vat. 2193* Eadem Graecorum quattuordecim milia, proelio amissis *uulgo* ammissis Γ 11 xenofonti BOG 12 incolumina A 13 atrectentis lacedem. Γ thermopilas A termophilas B termopilas DGO ad] ap' *in ras.* O 14 cũ fecisset O sede coeptum D agebat Γ 15 multos] milites G autem *om.* DG 18 *hoc exemplum A superiori capiti tribuit* contemptum BOG 20 cyneas Γ epyrotarũ Γ 21 eo *om.* B 22 hebere (a *supra* e) A 24 atgello Γ 25 uillicũ DGBO cuius audita ..... suam *om.* C cuius (uillici *supra*) O morte] mor Γ scripsit (regulus *supra*) O

4. Cn. Scipio post res prospere in Hispania gestas in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia quae sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publice dotauit senatus.

5. Idem praestiterunt Athenienses filiis Aristidis post amplissimarum rerum administrationem in maxima paupertate defuncti.

6. Epaminondas dux Thebanorum tantae abstinentiae fuit, ut in supellectili eius praeter stoream et unicum ueru nihil inueniretur.

7. Hannibal surgere de nocte solitus ante noctem non requiescebat: crepusculo demum ad cenam uocabat neque amplius quam duobus lectis discumbebatur apud eum.

8. Idem, cum sub Hasdrubale imperatore militaret, plerumque super nudam humum sagulo tectus somnos capiebat.

9. Aemilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem accepto pane uesci solitum.

10. Idem et de Alexandro Macedone dicitur.

11. Masinissam, nonagensimum aetatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem uel ambulantem capere solitum cibos legimus.

12. M.' Curius, cum uictis ab eo Sabinis ex senatus consulto ampliaretur ei modus agri quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, malum ciuem dicens cui non esset idem quod ceteris satis.

13. Uniuersi quoque exercitus notabilis saepe fuit continentia, sicut eius qui sub M. Scauro meruit. Namque memoriae tradidit Scaurus, pomiferam arborem quam in pede castrorum fuerat conplexa metatio postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam.

14. Auspiciis Imperatoris Caesaris Domitiani Augusti Germanico bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum

1 Gn̄. ΓD 3 filiarum] feminarum BO puplice (p *in* b *mutata*) Γ 5 in *om.* DGBO p$\overset{a}{e}$upertate A 7 suppellectili AD subplectili Γ praeter stoream *Graeuius* praeter i$\overset{t}{o}$ream A praeteritor eā Γ praeter itorea B praeterito rea (reatu O) DGO unicum] aeneum *Deder. ex Plut. Fab. Max. 27* • ueru *editiones* uero *codd.* praeter aenum et unicum ueru *uulgo* praeter aereum et minutum ueru *Oudend.* 8 surgeret nocte Γ 9 caenam A uacabat (*prima* a *ex* o *corr.* O) BO 11 hastrubale *A* 16 nonagessimum A nonagesimum DGBO meridiae A 17 uel] ut O 19 M.' *Scriuerius* C. (at M. *in marg.* G) *codd.* uictis ab eo cum C 20 motus (t *in* d *mutata* O *man. 2*) DGBO modus agri noluit malum ciuem dicens (*omissis intermediis*) C 21 contemptus DGO 23 sepe Γ 24 sicuti *uulgo* M.] Marco D 25 scauros A escaurus DB 26 cōplexa A imp$\overset{r}{e}$t$\overset{to}{a}$ris Γ 28 Germanici eo bello *Oudend. ex duobus codd. Medic.* ilius A

opulentissima ciuitas quae ad Ciuilem desciuerat, cum aduenientе exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra exspectationem inuiolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit mihi.

15. L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solum sed etiam prouincias tabulis statuisque exornauit, adeo nihil ex tantis manubiis in suum conuertit, ut filiam eius inopem senatus ex publico dotauerit.

IV. DE IUSTITIA.

1. Camillo Faliscos obsidenti ludi magister liberos Faliscorum tamquam ambulandi causa extra murum eductos tradidit, dicens repetendis eis obsidibus necessario ciuitatem imperata facturam. Camillus non solum spreuit perfidiam, sed et restrictis post terga manibus magistrum uirgis agendum ad parentes tradidit pueris, adeptus beneficio uictoriam quam fraude non concupierat: nam Falisci ob hanc iustitiam sponte ei se dediderunt.

2. Ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pyrrhi Epirotarum regis peruenit pollicitusque est daturum se Pyrro uenenum, si merces sibi, in qua operae pretium foret, constitueretur. Quo facinore Fabricius egere uictoriam suam non arbitratus regi medicum detexit atque ea fide meruit, ut ad adpetendam amicitiam Romanorum conpelleret Pyrrum.

V. DE CONSTANTIA.

1. Cn. Pompeius minantibus direpturos pecuniam militibus, quae in triumpho ferretur, Seruilio et Claudio cohortantibus ut

1 modicum aduenientem (modi *add. man. 2*) O aduenient ADG 2 exercitus G 3 abobsequiū *Γ* 4 mihi] ei *uulgo* 5 Lucius *Γ* Chorinto D captam *Γ* 6 prouinciam DGBO statuisquaе A ex-stantis DG 7 ut filiam] infiā *Γ* 8 dutauerit (o *superscr.*) O dotauerat A 9 *titulus in marg.* A 10 faliscus obsidendi C 12 repetentis *Γ* retentis *Scriuerius ex Io. Saresb. Policr. V, 7* obsidionibus A impe///rata (t *erasa*) O 13 posterga C 16 dederunt G 17 autem ducem *Γ* pyrrhi AC epyrot. *Γ* 18 pyrrho *Γ* uinenum C 19 opere *Γ* opera A 20 egere (non *superscr. man. 2*) O egre G agere C non *om.* O 21 ad appetendam DG appetendam (*prior* p *ex* d *corr. A man. 2*, ad *in marg. add. O man. 2*) ABO adpetendam *Γ* ad appentendam militiam C 24 Gñ. D se *add. Deder. ex cod. Petr.* conf. pag. 128, 14 25 que *Γ* m. seruilio O Claudio *scripsi* glaucia *Γ*DGBO ~~con~~claucia (con *man. 2 uidetur deleuisse*) A coortantibus (h *superscr.*) B

diuideret eam, ne seditio fieret, adfirmauit non triumphaturum se, sed potius moriturum quam licentiae militum succumberet; castigatisque oratione graui laureatos fasces obiecit, ut ab illorum inciperent direptione; eaque inuidia redegit eos ad modestiam.

2. C. Caesar seditione in tumultu ciuilium armorum facta, maxume animis tumentibus, legionem totam exauctorauit, ducibus seditionis securi percussis: mox eosdem quos exauctorauerat ignominiam deprecantis restituit et optimos milites habuit.

3. Postumius consularis cohortatus suos, cum interrogatus esset a militibus, quid imperaret, dixit ut se imitarentur, et arrepto signo hostis primus inuasit: quem secuti uictoriam adepti sunt.

4. Claudius Marcellus cum in manus Gallorum inprudens incidisset, circumspiciendae regionis qua euaderet causa equum in orbem flexit; deinde cum omnia esse infesta uidisset, precatus deos in medios hostis inrupit; quibus inopinata audacia perculsis ducem quoque eorum trucidauit atque ubi spes salutis uix superfuerat, inde opima rettulit spolia.

5. L. Paulus, amisso ad Cannas exercitu, offerente equom Lentulo quo fugeret, superesse cladi quamquam non per ipsum contractae noluit, sed in eo saxo, cui se uolneratus adclinauerat persedit, donec ab hostibus oppressus confoderetur.

6. Varro collega eius uel maiore constantia post eandem cladem uixit gratiaeque ei a senatu et populo actae sunt, quod non desperasset rem publicam. Non autem uitae cupiditate, sed rei publicae amore se superfuisse reliquo aetatis suae tempore adprobauit: et barbam capillumque summisit et postea numquam recubans cibum cepit; honoribus quoque, cum ei deferrentur a populo, renuntiauit dicens, felicioribus magistratibus reipublicae opus esse.

1 tríumfat. Γ   2 potius sed AΓDG p[b]otius s[a]ed O   qua licentia A   castigatio[s]que A   4 modest[i]am A   5 facta *Oudend. ex codd. dett.* armorum (armarorum O) actam DGBO armarum (arma[to]rum A *superscr. man. 2.*) actum AΓ   6 maxume D maxime AΓBOG   7 percussis *om.* DGBO   8 deprecantes DGB   optimos (p *ex* b *corr.*) Γ   10 s[i]emitarentur O   11 ar[r]epto A arepto O   host[i]es O   12 C͡l. AΓB C. l. O   imprudens A   13 causae A   equum] circū Γ   15 hostes BOG   17 retulit ΓDGBO   18 ammisso (*prior.* m *expuncta in* A, *erasa in* O) AΓO admisso G   equom (m *ex* r *corr.* A) AΓ equum DGBO   19 lectulo [seruulo] O   cladi] claudi Γ classi G   20 contracte Γ   uulneratus ADGBO   23 easenatu A   acte Γ   25 supfuisse (e *ex* et *corr.*) O   26 nam et *uulgo*   27 defere[r]ntur A deferentur O

7. Sempronius Tuditanus et Cn. Octauius tribuni militum omnibus fusis ad Cannas cum in minoribus castris circumsederentur, suaserunt commilitonibus, stringerent gladios et per hostium praesidia erumperent secum, id sibi animi esse, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, adfirmantes. De cunctantibus XII omnino equitibus, L peditibus qui comitari sustinerent repertis, incolumes Canusium peruenerunt.

8. C. Fonteius Crassus in Hispania cum tribus milibus hominum praedatum profectus locoque iniquo circumuentus ab Hasdrubale, ad primos tantum ordiues relato consilio, incipiente nocte quo tempore minime exspectabatur, per stationes hostium erupit.

9. P. Decius tribunus militum bello Samnitico Cornelio consuli iniquis locis deprehenso ab hostibus suasit, ut ad occupandum collem qui in propinquo erat modicam manum mitteret seque ducem his qui mittebantur optulit: auocatus in diuersum hostis emisit consulem, Decium autem cinxit obseditque. Illas quoque angustias nocte eruptione facta cum eluctatus esset Decius, incolumis cum militibus consuli accessit.

10. Idem fecit sub Atilio Calatino consule, cuius uarie traduntur nomina: alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium, plurimi Calpurnium Flammam uocitatum scripserunt. Hic cum demissum in eam uallem uideret exercitum, cuius latera omniaque superiora hostis insederat, depoposcit et accepit a consule trecentos milites, quos hortatus, ut uirtute sua exercitum seruarent, in mediam uallem decucurrit: ad opprimendos eos undique descendit hostis

1 Cn.] .c. DG 2 *verba inde a* fusis V, 7 *usque ad* dixitque ei VI, 3 *desunt in* O, *uno folio deperdito* circumsiderentur (*posterior* i *ex* e *corr. a man. 2 in* A) ADGB 3 cõmilitibus G 5 fuisset *om.* DG esset *Deder.* decunctantem A Γ 6 L peditibus *om.* Γ sustinuerant B 8 grassus A Γ T. Fonteius legatus *Oudend.* 10 ordines] homines G 12 consule DGB Cornelio Cosso consuli *uulgo* 14 proponquo Γ duce A 15 his] iis *uulgo* obtulit DG diuers$\overset{n}{a}$m A 16 obsiditque Γ 17 elu$\overset{ta}{c}$tus A $\overset{\tilde{u}}{c}$omi$\overset{ti}{l}$ib: (cum militibus *ex* comilibus *corr. man. 1*) A 19 Alatilio A coñs. AB consul DG is cuius *uulgo* uariae A Γ 20 *nomina* Laberium *et* Caedicium *restituta sunt ex Front. str. I. 5, 15* traduntur ⁂ alii berarũ nomina ⁂ caedicum *cum transponendi signis* A nonnullique *add. in marg. man. 1* A alii berarũ nonnullique caedicum (caediciũ B cedi cũ DG) ΓDGB 21 calphurniũ DG 22 omnia latera superiora B omnia latera quae superiora erant *Leid. sec. et Vat. 3408* 24 quas D adortatus B 25 decucurrit A et ad B

longoque et aspero proelio retentus occasionem consuli ad extrahendum exercitum dedit.

11. C. Caesar aduersus Germanos et regem Ariouistum pugnaturus, confusis suorum animis, pro contione dixit, nullius se eo die opera nisi decimae legionis usurum: quo adsecutus est, ut et decimani tamquam praecipuae fortitudinis testimonio concitarentur et ceteri pudore, ne penes alios gloria uirtutis esset.

12. Lacedaemonius quidam nobilis, Philippo denuntiante multis se prohibiturum, nisi ciuitas sibi traderetur, Num, inquit, et pro patria mori nos prohibebit?

13. Leonidas Lacedaemonius, cum dicerentur Persae sagittarum multitudine nubes esse facturi, fertur dixisse: melius in umbra pugnabimus.

14. C. Aelius praetor urbanus, cum ei ius diceuti picus in capite insedisset et haruspices respondissent, dimissa aue hostium uictoriam fore, necata populum Romanum superiorem, at C. Aelium cum familia periturum, non dubitauit de ea re: picum n e c a u i t atque nostro exercitu uincente ipse cum quattuordecim Aeliis ex eadem familia in proelio est occisus. [Hunc quidam non C. Caelium sed Laelīum fuisse, et Laėlios non Caelios perisse credunt.]

15. P. Decius, primo pater postea filius, in magistratu se pro republica deuouerunt admissisque in hostem equis adepti uictoriam patriae contulerunt.

3 regemario nıstū AG 4 confusis suorum *uulgo cf. Caes. b. G. I, 39—41.* confusior *codd.* animi Γ 5 nisi opera B 7 uirtus (ti *supra*) A 8 philipo B pbyllippo C lacedem. Γ multis] multa *Oudend. ex cod. Petr.* 9 prohibiturum] fore perneciosum C num inquit] numquid Γ 11 lacedem. Γ perse Γ 13 propugnabimus *codd. dett.* 14 C. Aelius *scripsi, item infra* Caelius *codd.* L. Aelius, *item infra, Oudend. praeeuntibus Pighio et Perizonio* ei ius] eius (i *supra*) A eius ΓD ei BG 15 aruspices DGB dimisa Γ 16 necata] nacạtū (nactum *alio atramento ex* nacatu *corr.*) A at] ad AΓ ac *uulgo* caelium AΓB celium DG 17 familiaṃ A picum necauit atque *scripsi* de ea re pecunia (deea repecunia Γ) quae nostro AΓ dare pecuniam qua nostro DGB periturum auem occidit qua occisa nostro (*sed* auem occidit *et* occisa *add. man. 2*) *Vat. 3408* p., auem occidit nec dare poenam dubitauit. nostro ergo exercitu *Oudend.* p., auem occidit: qua occisa non dubitauit dare poenam; nam exercitu nostro *Deder.* 18 XIII. G Aeliis *Oudend.* caeliis *codd.* 19 Hunc . . . . . . credunt *seclusi* C.] c. A claudium Γ cō G *om.* DB C. Caelium] Aelium *Oudend.* 20 laelium AΓB ladiū DG lelios ΓDG celios ΓDG Aelios *Oudend.* 21 Decii *Gronovius* magistratus DG 22 adepti mortem uictoriam *Leid. sec.*

16. P. Crassus, cum bellum aduersus Aristonicum in Asia gerens inter Elaeam et Myrinam in hostium copias incidisset uiuosque abduceretur, execratus in consule Romano captiuitatem uirga, qua ad equum erat usus, oculum Thracis a quo tenebatur eruit atque ab eo per dolorem concitato transuerberatus dedecus seruitutis ut uoluerat effugit.

17. M. Cato, Censorii filius, in acie decidente equo prolapsus, cum se recollegisset animaduertissetque gladium excidisse uaginae, ueritus ignominiam redit in hostem ex eoque aliquot uulneribus reciperato demum gladio reuersus est ad suos.

18. Petelini a Poenis obsessi parentes et liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis et igne siccatis foliisque arborum et omni genere animalium uitam trahentes undecim menses obsidionem tolerauerunt.

19. Hispani, cum Saborae obsessi essent, eadem omnia passi sunt nec oppidum Hirtuleio tradiderunt.

20. Casilini obsidente Hannibale tantam inopiam perpessi sunt, ut CC denariis murem uenisse proditum memoriae sit eiusque uenditorem fame perisse, emptorem autem uixisse, fidem tamen seruare Romanis perseuerauerunt.

21. Cyzicum cum oppugnaret Mithridates, captiuos eius urbis produxit ostenditque obsessis, arbitratus futurum ut miseratione suorum conpelleret ad deditionem oppidanos; at illi cohortati ad patiendam fortiter mortem captiuos seruare Romanis fidem perseuerauerunt.

22. Segouienses, cum a Viriatho is liberi et coniuges

1 assia Γ 2 Elaeam *Oudend. praeeunte Gronovio: cf. Val. III, 2, 12* aeliam *codd.* myrrinam DG mirinam B 3 uiuusque DGB adduceretur ΑΓB 4 regendum *post* equum *add. Deder. ex Val. III. 2, 12* thragis ΓDGB thragi/// (s *erasa*) A Thraci a quo t. oculum eruit *uulgo* 5 per] opere Γ concito *Oudend. ex cod. Petr.* 6 morte *add. Deder. ex Val. III, 2, 12* 7 aciạe A prolabsus Γ 8 sere colligisset Γ uagina *Leid. sec.* 9 ex eoque] exceptisque *Leid. sec.* aliquod ΓD 10 recuperato DGB 11 Petelini *scripsi* Petilini *codd.* 12 egecerunt Γ in igne Γ igne/// (ṭ *erasa*) A 14 opsidionē Γ 15 hispanicum AΓ Saborae obsessi essent *scripsi* fabrē sesse se Γ fabren//seṣse se (n *ex* ms *corr. man. 1*) A fabresense DGB Hispani Consaburenses *Scriuerius* omnia eadem B 16 hyrtuleio B 17 Cassilini ΓDG Casilinum *Oudend.* Casilinates *Deder.* 18 .c̄. G centum DB denariis *om.* AΓ ueniisse ΓD 21 Cyzi cum opp. DG Cizi cum opp. B 22 suorum] eorum G 23 patiendum *Leid. sec. et. tert.* 24 seruare *om.* G fidem romanis B 25 Segouienses *Oudend.* Ego (Ergo B *Ego G) uiuenses (uiuentes D) *codd.* Segobrigenses *Scriuerius* uiriaco B a Viriatho is] auriathois A is] his DGB liberiṣ A

redderentur, praeoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum quam a Romanis deficere.

23. Numantini, ne se dederent, fame mori praefixis foribus domum suarum maluerunt.

VI. DE AFFECTU ET MODERATIONE.

1. Q. Fabius hortante filio, ut locum idoneum paucorum iactura caperet, Visne, inquit, tu ex illis paucis esse?

2. Xenophon, cum equo ueheretur et pedites iugum quoddam occupare iussisset, unum ex eis obmurmurantem *audiens*, quod diceret facile tam laboriosa sedentem imperare, desiluit et gregalem equo inposuit, cursu ipse ad destinatum iugum contendens. Cuius facti ruborem cum perpeti miles non posset, inridentibus commilitonibus sponte descendit; Xenophontem uix uniuersi perpulerunt, ut conscenderet equom et laborem suum in necessaria duci munera reseruaret.

3. Alexander, cum hieme duceret exercitum, residens ad ignem recognoscere praetereuntis copias coepit, cumque conspexisset quendam prope exanimatum frigore, considere loco suo iussit dixitque ei: Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capital foret, in Macedonia nato conceditur.

4. Diuus Augustus Vespasianus, cum quendam adulescentem honeste natum, militiae inhabilem, angustiarum rei familiaris causa deductum ad longiorem ordinem rescisset, censu constituto honesta missione exauctorauit.

1 redderentur] caederentur *Vat. 3408* 3 famae Γ nforib: (f *ex* m *corr.*) Γ 4 domũ Γ domu///ũ (domuum *ex* dominum *corr. man. 2*) A domuum DGB emaluerunt B 5 effectu AΓG effecto D 6 Quintus Γ idoneorum Γ 7 caparet Γ inquid Γ 9 audiens *addidi* uno ex eis obmurmurante ac dicente *Scriuerius* unusque ex eis obmurmurando diceret *Oudend.* 10 imperare *om.* DG graegalẽ Γ 11 aequo A ipse pedestri (pedestri *add. man. 2*) *Vat. 3408* testinatũ Γ 12 rumorẽ Γ 13 Xenofontẽ Γ Zenoph. *vel* Tenoph. A uniuersi uix B pe///pulerunt (r *erasa*) A 14 equum ADGB munera reuellet B 17 praetereuntes ABG 18 in loco G 19 sedisse (*prima* s *ex* r *corr.* O) BO redisse DG 20 concenditur A concenditur (t *supra* c) Γ 21 uespassianus A adolescentem (o *ex* u *corr.* A *man. 2*) ADGBO 22 angustian' Γ angustiarum O causae deductum AΓ causa eductum DGBO

VII. DE VARIIS CONSILIIS.

1. C. Caesar dicebat, idem sibi esse consilium aduersus hostem quod plerisque medicis contra uitia corporum, fame potius quam ferro superandi.

2. Domitius Corbulo dolabra, id est operibus, hostem uincendum esse dicebat.

3. L. Paulus imperatorem senem moribus dicebat esse oportere, significans moderatiora sequenda consilia.

4. Scipio Africanus fertur dixisse, cum eum parum quidam pugnacem dicerent: Imperatorem me mater, non bellatorem peperit.

5. C. Marius Teutono prouocanti eum et postulanti ut prodiret respondit, si cupidus mortis esset, laqueo posse eum uitam finire: cum deinde staret, gladiatorem contemptae staturae et prope exactae aetatis obiecit ei dixitque, si eum superasset, cum uictore congressurum.

6. Q. Sertorius quod experimento didicerat inparem se uniuerso Romanorum exercitui ut barbaros quoque inconsulte pugnam deposcentis doceret adductis in conspectum duobus equis, eorum praeualido alteri alteri admodum exili, duos admouit iuuenes similiter electos, robustum et gracilem: ac robustiori imperauit equi exilis uniuersam caudam abrumpere, gracili autem ualentioris per singulos pilos uellere: cumque gracili successisset quod imperatum erat, ualidissimus cum infirmi equi cauda sine effectu luctaretur, Naturam, inquit Sertorius, Romanarum uirium per hoc uobis exemplum ostendi, milites: insuperabiles sunt uniuersas adgredienti, easdem lacerabit et carpet qui per partes adtemptauerit.

7. Valerius Laeuinus consul, cum intra castra sua exploratorem

2 C. *Deder.* T. ADGBD Titus Γ 4 ferre Γ sperandi AΓCDO 5 id est *expungitur in* O idē DG idem (em *in ras.*) A operibus *om.* BO 7 senem *om.* Γ 9 Affricanus ΓBOG quidam parum *Oudend. quo non opus est* 11 theutono DGO teutnon A 12 eū vitam posse BO 13 staret] instaret *codd. dett.* gradiatorē Γ statura Γ prope] pene B 14 se *ante* si *add. Deder. cf. pag. 122, 24* 16 congressurūq; sertorius Γ quod *om.* DGBO 17 pugnandę poscentis D pugnande^x poscentis (*corr. man. 2*) O exposcentes B 18 conspectu A 19 alteri *semel om.* Γ alter i///alteri (n *erasa*) A admouit A 20 electos] adfectos *uulgo* graciālē A robustior Γ 21 exi//lis (l *erasa*) O ualentiores G 23 infirmis AΓ 24 inquid Γ romanorum (o *in* a *mutauit O man. 2*) AO 25 ostendit AΓ uniuersos DGBO adgraedienti Γ 26 eosdem DGBO lacerauit AΓ attemptauerit A 27 Laeuininus Γ intra] in G exproratorē Γ

hostium deprendisset magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit: terrendique hostis causa exercitus suos uisendos speculatoribus eorum quotiens uoluissent patere.

8. Caeditius primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit, ueritus ne barbari ligna quae congesta erant uallo admouerent et castra eius incenderent, simulata lignorum inopia, missis undique qui ea furarentur effecit, ut Germani uniuersos truncos amolirentur.

9. Cn. Scipio bello nauali amphoras pice et taeda plenas in hostium classem iaculatus est, quarum iactus et pondere foret noxius et diffundendo quae continuerant alimentum praestaret incendio.

10. Hannibal regi Antiocho monstrauit, ut in hostium classem uascula iacularetur uiperis plena, quarum metu perterriti milites a dimicatione et nauticis ministeriis impedirentur.

11. Idem fecit iam cedente classe sua Prusias.

12. M. Porcius Cato in classem hostium cum transiluisset, deturbatis ex ea Poenis eorumque armis et insignibus inter suos distributis, multas naues hostium quos sociali habitu fefellerat mersit.

13. Athenienses, cum subinde a Lacedaemoniis infestarentur, diebus festis quos sacros Mineruae extra urbem celebrabant omnem quidem colentium imitationem expresserunt, armis tamen et ueste celatis: peracto ritu suo non statim Athenas reuersi, sed protinus inde raptim acto Lacedaemonem uersus agmine eo tempore quo minime timebantur agrum hostium, quibus subinde praedae fuerant, ultro depopulati sunt.

14. Cassius onerarias naues, non magni ad alia usus, ac-

1 deprehendisset (*in ras* G. *man. 2*) BG   2 causa adiecit exercitus *Vat. 3408*   4 Caeditius *Oudend. ex Vell. Pat.* II, 120, 4. Caedius AΓDB Cardius (*in marg.* Cedius) O C^d^elius G   Varianam *uulgo* ualerianam *codd.*   6 aduo^l^,uerent A   7 simulata A   9 Gñ. ADBO   amphora spice Γ   teda AD   10 est *om.* Γ   11 contine^u^rant Γ   13 inostiũ G   15 nautici *Lipsius*   16 pursias Γ   17 Cato *scripsi* dento *codd.* dento ^de impetu^ *Vat. 3408* impetu *uulgo* de lembo *Wesselingius*   intransiluisset A   21 lacedemoniis Γ   22 caelebrabant Γ   omnium AΓBO   23 expraesserunt A   tamen et] tantum *uulgo*   et] et ^sub^ *Vat. 2193*   24 ritu suo] risuo A   set (s *add. man. 2*) O   25 apto G   Lacedemonẽ Γ   28 honerarias DBO   alias BO

censas opportuno uento in classem hostium misit et incendio eam consumpsit.

15. M. Liuius fuso Hasdrubale hortantibus eum quibusdam, ut hostem ad internicionem persequeretur, respondit: Aliqui et supersint, qui de uictoria nostra hostibus nuntient.

16. Scipio Africanus dicere solitus est, hosti non solum dandam esse uiam ad fugiendum, sed etiam muniendam.

17. Paches Atheniensis adfirmauit· incolumes futuros hostes, si deponerent ferrum; eisque obsecutis condicionibus uniuersos qui in sagulis ferreas fibulas habuissent interfici iussit.

18. Hasdrubal subigendorum Numidarum causa ingressus fines eorum resistere parantibus adfirmauit, ad capiendos se uenisse elephantos, quibus ferax est Numidia: ut hoc permitterent; poscentibus promissis id, ea persuasione auocatos adortus sub leges redegit.

19. Alcetas Lacedaemonius, ut Thebanorum commeatum facilius ex inopinato adgrederetur, in occulto paratis nauibus tamquam unam omnino haberet triremem uicibus in eam remigem exercebat: quodam deinde tempore omnis naues in Thebanos transnauigantis inmisit et commeatibus eorum potitus est.

20. Ptolemaeus aduersus Perdiccam exercitu praeualentem ipse inualidus omne pecudum genus, religatis ad tergum quae traherent sarmentis, agendum per paucos curauit equites: ipse praegressus cum copiis quas habebat effecit, ut puluis quem pecora excitauerant speciem magni sequentis exercitus moueret, cuius exspectatione territum uicit hostem.

1 oportuno *codd.* ẹṭ ‖ et C 3 astrubale C 4 internitionẽ DBO inter^{ec}nitionẽ A internecionẽ G interpernitionẽ C 5 hostibus *om.* C nunciant G 6 affricanus ΓBOG 7 ad fug.] fugiendi *uulgo* muniendum BO 8 Paces DGO Pa̤c̤e̤s̤^{ericles} (*corr. man. 2*) B athenienses Γ 9 conditionib; *codd.* condicioni *Oudend.* 11 subigensdorũ D subigens^{dorum} dolũ O 13 elefantos Γ numida DG ut per hoc BO 14 promi^{s}sis id ea persu. A promissi site apersu. Γ promisit et ea persu. DGBO posc. securitatem promisit et ea persu. *uulgo* adortu Γ abortus A adhortus DBO redegit (g *ex* m *corr.*) O 15 lacedem. 16 ex opinato A acgrederetur (c *ex* d *corr.*) A 17 in ea *Vat. 3408* in eam rem *Deder.* rem//i//gem A 18 omnes ABG omn^{e}is O transnauigantes (— t^{e}is O) BOG 20 Pthol^{o}emeus A Ptholemeus D Ptholomeus BOG Perd.] p̃ẹṛdict^{u}ạm A exercitũ AΓ 21 atergum DO a tergo BG 22 sarmentis *Wesselingius cf. Polyaen. 4, 19* carpentis (— tes BO) *codd.* 24 excitabant Γ magnis Γ

21. Myronides Atheniensis aduersus Thebanos equitatu praeualentes pugnaturus in campis suos edocuit, manentibus esse spem aliquam salutis, cedentibus autem perniciosissimum: qua ratione confirmatis militibus uictoriam consecutus est.

22. C. Pinarius in Sicilia praesidio Hennae praepositus, claues portarum quas penes se habebat resposcentibus magistratibus Hennensium, quod suspectos eos tamquam transitionem ad Poenum pararent habebat, petit unius noctis ad deliberationem spatium indicataque militibus fraude Graecorum cum praecepisset, ut parati postera die signum exspectarent, prima luce adsistentibus militibus redditurum se claues dixit, si idem omnes Hennenses censüissent: ob eam causam uniuersa multitudine conuocata in theatrum et idem flagitante manifesta deficiendi uoluntate, signo militibus dato uniuersos Hennenses cecidit.

23. Iphicrates dux Atheniensium classem suam hostili habitu instruxit et ad eos quos suspectos habebat inuectus, cum effuso studio exciperetur, deprehensa eorum perfidia oppidum diripuit.

24. Ti. Gracchus, cum edixisset futurum ut ex uolonum numero fortibus libertatem daret, ignauos crucibus adficeret, et quattuor milia ex his quia segnius pugnauerant metu poenae in quendam munitum collem coissent, misit qui eis dicerent, totum sibi exercitum uolonum uicisse uideri quod hostes fudissent: et sic eos et sua fide et ipsorum metu exsolutos recepit.

25. Hannibal post proelium quo ingentem cladem ad Trasimennum Romani acceperunt cum sex milia hostium interposita pactione in potestatem suam redegisset socios Latini nominis benigne in ciuitates suas dimisit dictitans se Italiae liberandae causa bellum gerere: eorumque opera aliquot populos in deditionem accepit.

1 Mironides DBO athenienses *Γ* 2 pugnaturos (u *supra* o) *Γ* 3 aliquam *om.* B caedentibus *Γ*D perniciosissimam *Γ* perniciem summam *Deder.* 5 C.] L. *uulgo ex Liv. 24, 37* henne AD 6 habebant A*Γ* reponentibus *Γ* 7 poenam AG 8 deliberandum B 10 militibus] magistratibus *Deder.* 11 /·claues /·se (*cum transponendi signis*) *Γ* hannenses *Γ* consuissent A 13 uoluptate *Γ* 14 hannenses caecidit *Γ* 15 Hiphicr. DG 17 deprensa A 18 Ti.] T. O grachus *Γ* graccus DGBO eduxisset (i *supra* u) *Γ* 19 ignaros (u *supra* r) O adficerent A adficerente quattnor *Γ* adfigeret *uulgo* 20 quia] qui *Vat. 2193* pugnauerunt A poene *Γ*DO pene A 21 misitqui (*extrema* i *ex* e *corr.*) A equis O 22 fuissent ADGBO fugissent *Leid. tert.* 24 annibal B 25 thras. *Γ* thrasyñem (m *supra* n) num A transim: G 26 redigisset *Γ* 28 belleum *Γ* eorumquae A aliquod *Γ*

26. Mago, cum Locri obsiderentur a Crispino classis nostrae praefecto, diffudit ad Romana castra rumorem, Hannibalem caeso Marcello ad liberandos obsidione Locros uenire; clam deinde equites emissos iussit a montibus qui in conspectu erant se ostendere: quo facto effecit, ut Crispinus Hannibalem adesse ratus conscenderet naues ac fugeret.

27. Scipio Aemilianus ad Numantiam omnibus non cohortibus tantum sed centuriis sagittarios et funditores interposuit.

28. Pelopidas Thebanus cum a Thessalis in fugam uersus flumen in quo tumultuarium fecerat pontem liberasset, ne sequentibus hostibus idem transitus maneret, nouissimo agmini praecepit, incenderent pontem.

29. Romani cum Campanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Naeuius centurio in exercitu Fului Flacci proconsulis excogitauit, ut delectos ex toto exercitu, qui uelocissimi uidebantur et mediocris erant staturae, parmulis non amplis et galeiculis gladiisque ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armare eosque adiunctos equitibus iuberet usque ad moenia prouehi, deinde ibi positis nostris equitibus recipientibus inter hostium equitatum proeliari: quo facto uehementer et ipsi Campani adflicti sunt et maxime equi eorum, quibus turbatis prona nostris uictoria fuit.

30. P. Scipio in Lydia cum die ac nocte imbre continuo uexatum exercitum Antiochi uideret nec homines tantum aut equos deficere, uerum arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos, exhortatus est fratrem, ut postero quamuis religioso die committeret proelium: quam sententiam secuta uictoria est.

31. Catonem uastantem Hispaniam legati Ilergetum, qui sociorum populus erat, adierunt orauerunt que auxilia: ille, ne aut

1 Crispino] Cincio *et infra* Cincius *Deder. ex Liv. 27, 28* 2 diffundit A Γ castrarum morem hanibalẽ Γ caesũ DG 3 marcellũ G 5 crispinum hannibal A Γ 7 cohortantib; A 8 centurius Γ set et O (tranmisisset) sed et *Deder. ex cod. Petr.* 9 a] ad DB 10 liberasse O 11 transiturus Γ agmine A Γ 13 patres A 14 neuius *codd.* fuluii (*alteram* i *add.* A *man. 2*) AO 15 'exercitu 'ex toto (*cum transponendi signis*) Γ 16 mediocres A Γ galei oculis A Γ galigulis (eri) O galericulis *uulgo* 17 hostis A Γ O G armare (i) O armari *Deder. ex cod. Petr.* 19 recipientibus] incipere DGBO aequitatum Γ 20 proelialiri A 22 Prescipio DG lidia DGO 24 quoquem adentib; Γ 25 exortatus BO 26 bepelium Γ 27 Ilergetum] regetum A legetum DGBO 28 ornaueruntque O aut negato] abnegato DGBO aut abnegato *uulgo*

negato adiutorio socios alienaret aut diducto exercitu uires minueret, tertiam partem militum cibaria parare et naues ascendere iussit, dato praecepto ut causati uentos retro redirent: praecedens interim aduentantis auxilii rumor ut Ilergetum excitauit animos, ita hostium consilia discussit.

32. C. Caesar cum in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus eaque armorum scientia milites conficeret, ora oculosque eorum gladiis peti iussit et sic auersa facie cedere coegit.

33. Voccaei cum a Sempronio Graccho conlatis signis urgerentur uniuersas copias cinxere plaustris quae impleuerant fortissimis uiris muliebri ueste tectis: Sempronium tamquam aduersus feminas audentius ad obsidendos hostis consurgentem hi qui in plaustris erant adgressi fugauerunt.

34. Eumenes Cardianus ex successoribus Alexandri in castello quodam clausus, quom exercere equos non poterat, certis cotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi prioribus adleuatis cum naturalem adsistendi adpetunt consuetudinem, ad sudorem usque crura iactarent.

35. M. Cato pollicentibus barbaris duces itinerum et insuper praesidium si magna summa eis promitteretur, non dubitauit polliceri, quia aut uictoribus ex spoliis hostilibus poterat dare aut interfectis exsoluebatur promisso.

36. Q. Maximus transfugere ad hostes uolentem Statilium

3 causati *uulgo* cauti AΓDGB c^sa^uti O 4 interrim A aduentantes G auxilii] in auxilii DO in auxiliis G in auxilio B ut ileregetum Γ utile regetum A uti legetum DGBO 6 C. *om.* Γ 7 armarum (o *supra* a) A scientia] magnificentia *Oudend ex Plut. Caes. 44.* 8 auersa facie *Stewechius* auersam (aduersam BO) faciem *codd.* auersam aciem *Gronov.* auersa acie *Scriuerius* caedere Γ 10 Voccaei ADO Vocca ei Γ Vocaei B Vocceni G Vaccaei *uulgo* gracco BOG 12 muliebru^bus^ uestibus O Semproniū quoque *Monac. 5321* Semproniumque *Scriuerius* 13 audientius AG hostes (e *ex* i *corr.* AO *man. 2*) AOG hii ΓBOG ii D 14 acgressi (c *ex* d *corr. man. 2*) A 15 Cardianus *Leopardus cf. Nep. Eum. 1. 5.* sardianus *codd.* alexandro (i *supra* o) Γ 16 quoddam clusus Γ quom Γ quum A quam DGBO quo *uulgo* cottidiae A 17 susp. ut] suspendebatur A innixi (*extremu* i *ex* a *corr.*) A 18 cum] dum *Oudend.* naturale A appetunt (*priorem* p *ex* d *corr. man. 2*) A 19 usque *Gronov.* uique Γ uiq: ^uae^ A uimque DGBO hinnitumque *Oudend.* undique *uulgo* ictarent Γ 21 magnae summae is promitterentur Γ summaehis A 22 ex poliis Γ hostibus A aut] ut Γ 23 intectis DGBO 24 stabilium O

nobilem clarae operae equitem uocari ad se iussit eique excusauit, quod inuidia commilitonum uirtutes illius ad id tempus ignorasset: tum donato ei equo pecuniam insuper largitus optinuit, ut quem ex conscientia trepidum accersierat laetum dimitteret et ex dubio in reliquom non minus fidelem quam fortem haberet equitem.

37. Philippus cum audisset Pythian quondam bonum pugnatorem alienatum sibi, quod tres filias inops uix aleret nec a rege adiuuaretur, monentibus quibusdam uti eum caueret: Quid? si, inquit, partem aegram corporis haberem, absciderem potius quam curarem? Deinde familiariter secreto elicitum Pythian accepta difficultate necessitatium domesticarum pecunia instruxit ac meliorem fidelioremque habuit quam habuerat antequam offenderet.

38. T. Quintius Crispinus post infaustam aduersus Poenos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat, cum comperisset potitum anulo interfecti Hannibalem, litteras circa municipia totius Italiae dimisit, ne crederent epistulis si quae Marcelli anulo obsignatae perferrentur: monitione consecutus est ut Salapia et aliae urbes frustra Hannibalis dolis temptarentur.

39. Post Cannensem cladem perculsis ita Romanorum animis ut pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendae Italiae iniret consilium, P. Scipio adulescens admodum impetu facto in eo ipso in quo talia agitabantur coetu pronuntiauit, manu se sua interfecturum nisi qui iurasset, non esse sibi mentem destituendae reipublicae: cumque ipse se primus religione tali obligasset, stricto gladio mortem uni ex proximis minatus nisi acciperet sacramentum, illum metu ceteros etiam exemplo coegit ad iurandum.

1 $\overset{\text{cl}}{\text{ḍarę}}$ O clare opere A Γ D eique] eumque A 2 commilito$\overset{\text{u}}{\text{nęm}}$ A 3 $\overset{\text{n}}{\text{ḍaṭọ}}$ donato Γ obtinuit Γ D G B O 5 reliquum A D G B O 6 Phyllippus C $\overset{\text{a}}{\text{u}}$idisset O phytiam C pitiam D G B O 7 alienat$\overset{\text{um}}{\text{o}}$ O alienato D G quot Γ quod tres . . . adiuuaretur *om.* C inobs (b *in* p *mutauit* A *m. 2*) A Γ O ualeret Γ 9 inquid Γ 10 phytian C pitiam D G B O accepta . . . domesticarum *om.* C 11 instruxit . . . offenderet] ditauit ac fidelissimum sibi fecit C 12 hab$\overset{\text{u}}{\text{e}}$rat A offender$\overset{\text{e}}{\text{a}}$t A 14 quo (o *in* a *mutauit* O) A Γ O G cum comp. pot. anulo *in marg. add. m. 1* A comp.] cognouisset G 16 ma$\overset{\text{r}}{\text{c}}$elli A epistolis *codd.* 17 signatae A Γ perferentur A munitione A est *om. codd. dett.* salabia G 19 animis] ãṇnus (*in marg. obeliscus stat*) A 20 deserende Γ 21 i$\overset{\text{i}}{\text{u}}$re A Publius O adolescens (o *ex* u *corr.* A) A B O G 22 caetu Γ O 23 destituende Γ 24 se *om.* B O *in marg. add.* O *m. 2* obligigasset Γ 25 nisi *om.* Γ acc$\overset{\text{i}}{\text{e}}$peret A 26 metu ne ceteros B O caeteros Γ

40. Volscorum castra cum prope a uirgultis siluaque posita essent, Camillus ea omnia quae conceptum ignem usque in uallum perferre poterant incendit et sic aduersarios exuit castris.

41. P. Crassus bello sociali eodem modo prope cum copiis omnibus interceptus est.

42. Q. Metellus in Hispania castra moturus, cum in agmine milites continere uellet, pronuntiauit conperisse se insidias ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent a signis neue agmen laxarent: quod cum sollerte ex disciplina fecisset, exceptus forte ueris insidiis quia praedixerat interritos milites habuit.

1 uirgultis] uirgulas B uirgula O 3 proferre poterat G exuit *om.* G 4 crasus O 5 interfectus A 6 *in restituendo hoc exemplo secutus sum Hedickium (Herm. VI p. 156): uerba* continere ...... milites habuit *antea legebantur strat. II, 12, 2* Hispania] italia Γ 7 continere uellet *scripsi* nere uellent AΓ redire uellent DGBO praedatum ire uellent *Dederichius* ire nollent *Theodorus Mommsen* 9 laxarent agmen *uulgo* sollerte ex disciplina *Oudendorpius* soluer& (soluere DGBO) ex disciplina *codd.* solum ex disciplina *Medic. pr. apud Oudend.* ne solueretur disciplina *Dederichius* 10 *exempla quae uulgo sequuntur tribuenda sunt strat. lib. II. capiti nono.*

III. ADNOTATIONES CRITICAE.

De titulo quid sit statuendum, ut suo quisque iudicio possit perpendere, singulorum librorum inscriptiones in codicibus adhibitis exstantes subiciam: *titulus libri primi in*

ADB = *deest,*
Γ = [Iuli Frontini strategematon liber quartus explicit.] Praefatio Frontonis liber I [*et mox:* Explicit Praefatio Frontonis.]
C = Ex libris Iulii Frontini Strategematon.
G = Sexti Iulii frontini strategematon liber primus incipit.
Monac. 5321 = Incipit Iulius Frontinus strategematon de instructione bellorum liber primus.
O = Incipit Iulii frontini de exemplis rei militaris. lib. I.
Leid. pr. = Iulii frontini strategematon liber incipit primus.

Titulus libri secundi in

AΓCB = *deest*
D = Sexti Iulii Frontini strategematon lib. .I. explicit. Incipit eiusdem liber .II. feliciter.
G = Sexti Iulii frontini strategematon lib. .I.^{9} explicit.' Incipit eiusdem liber .II.^{9} feliciter.
Monac. 5321 = Sexti Iulii frontini strategematon liber primus explicit. Incipit liber secundus eiusdem.
O = Iulii frontini Strategematon lib. I. expl. incip^t .II.
Leid. pr. = Iulii frontini Strategematon lib' pm^9 expl. Incipit 2^9.

Titulus libri tertii in

CBO = *deest.*
A = Iulii Frontini strategemato^n lib˜ .II. explic˜ incipit liber .III. (n *a m. 2 superscripta est*).
Γ = Prefatio Frontonis libri tertii.

D = Iulii frontini Strategematon liber .II. explicit. Incipit liber tertius.
G = Iulii frontini Strategematon liber .II. explicit. Incipit liber tertius.
Mon. 5321 = Iulii frontini Strategematon liber explicit secundus. Incipit liber tertius eiusdem:
Leid. pr. = Iulii frontini stratege^{ton} lib· 2^{9} explicit. Incipit 3^{9}.

Titulus libri quarti in

CBO = *deest.*
A = Iuli^{i}. Fronti^{ni} ṣtrate^{ma}geticon liber .III. explicit. Incipit eusdem lib˜ .IIII. feliciter (i ni ma ṣ *addidit m. 2*).
Γ = Iuli Frontini strategematicon liber .IIII. incipit.
D = Iuli Frontini strategematicon liber tertius explicit. Incipit eiusdẽ liber quartus feliciter.
G = Iulii frontini liber tertius· explicit. Incipit eiusdem liber quartus feliciter.
Mon. 5321 = Iulii frontini Strategematon liber tertius explicit. Incipit liber quartus eiusdem.
Leid. pr. = Iulii frontini strategematicon liber tertius explicit. Incipit eiusdem liber quartus.

Subscriptio libri quarti in

ACB = *deest.*
Γ = Iuli Frontini strategematon liber quartus explicit.
D = Iulii Frontini strategematon liber quartus explicit.
G = ~~Lyber~~ (*m. 2 in marg.:* S./ Iulii) Frontini Strategematon Lyber quartus explicit.
Mon. 5321 = Expliciunt quatuor libri Iulii frontini Strategematon de instructione bellorum.
O = Expl̄ liber .IIII. Iulii Frontini.
Leid. pr. = Iulii frontini strategematon liber explicit. Deo gracias.

Ex hac titulorum tabula primum id patet praenomen *Sexti* in archetypo non exstitisse. Non enim agnoscunt optimi codices AΓC neque alterius generis codices BO (= classis λ); codices autem DG in titulo libri secundi tantum consentientes id exhibent, in titulo libri primi et in subscriptione libri quarti solus G: sed eo id esse ex libro secundo deductum ab huius codicis librario

ex condicione Monacensis 5321 discimus (cf. pag. 99). Quod praenomen, cum neque in titulo alterius*) Frontini operis integri legatur neque eis locis**) quibus huius mentio fit, a scriptoribus antiquis usquam inueniatur, ab eo qui archetypum codicum DG exarauit (= μ) nescio quam ob causam uel quo casu additum esse iure concludas. — Deinde formam nominis *Iuli* et auctoritas codicum A*Γ*D in titulo libri IV atque codicis *Γ* in subscriptione libri IV et alia eiusdem generis (cf. IV, 2, 1 *Cassi* (bis!) A*Γ* — 7, 29 *Fului* A*Γ*BDG) bene confirmant. Quae quod in solo titulo libri quarti occurrit, non mirum est: nonnulli enim tituli in optimo quoque libro desunt et correctorum sedulitatem ex codice A cognosces. — In eo autem quod in *Γ* ter nomen *Frontonis* pro *Frontino* exstat, nihil aliud quaerendum est quam inuentum librarii. — Denique ex optimorum codicum titulis aperte elucet, *strategematon*, non *strategematicon* libros Frontinum composuisse. Vox autem *strategematicon,* quod monstrum in titulo reperitur solius libri quarti, sed testibus A*Γ*D et Leid. pr. eum locum iam in omnium codicum archetypo tenuit, eo modo mihi uidetur nata, ut librarius in praefatione libri quarti uerba legens *et erant exempla potius strategicon quam strategemata* indeque titulum ratus emendandum super uocem *strategematon* litteras *ic* scriberet (= strateg$\overset{ic}{ema}$ton), scilicet ut *strategicon* legeretur. Eum uero librum qui descripsit, emendatione falso intellecta finxit *strategematicon.* Qui titulus ne quarto libro putetur esse proprius, ipsa uerba quae modo attuli omnino prohibent: nam *strategematicon,* quod ibi pro *strategemata* legitur in editionibus, coniecturae Scriuerii debetur. Atque in subscriptione eiusdem libri neutro codice istum agnosci, haut neglexerim. — Ex illo erroris tamquam fonte iam altera emanauit corruptela in praefatione libri primi. Ibi enim haec leguntur: *sollertia ducum facta quae a Graecis una στρατηγηματικῶν appellatione conprehensa sunt* (sic A*Γ*DGO tradunt). Sed quid tandem sunt *στρατηγηματικά*? Graeci quidem hoc uerbum ne norunt quidem. Infra autem uerbis *In primo erunt exempla quae conpetant proelio nondum commisso .... tertius inferendae soluendaeque obsidionis habebit strategemata* exempla et strategemata prorsus idem ualere manifestum est. Sed exempla nimirum intellegenda sunt sollertia ducum facta,

*) Cf. Iuli Frontini de aquis urbis Romae libri II. recensuit Fr. Buecheler (Lipsiae 1858).

**) Cf. Tacit. hist. 4, 39. Agric. 17. — Plin. epist. 4, 8, 3. 9, 19, 1. 6. — Martial. 10, 58. — Veget. 1, 8. 2, 3.

ea autem hic appellantur *στρατηγηματικά*; ergo sequitur, ut *στρατηγήματα* sint eadem quae *στρατηγηματικά*. Ne quis dicat, mox in eadem praefatione *meminerint στρατηγηματικῶν* et *στρατηγημάτων perquam similem naturam discernere* sqq. harum uocum discrimen definiri: nam, ut hic omittam quod totum illud *Si qui erunt quibus . . . exempla posuimus* non Frontini est, sed eius qui quartum librum composuit*), ipsa res et leges grammaticae docent, strategemata non posse in specie esse strategematicon, sed contra strategematica, si ea uox usitata esset, necessario in specie haberi strategematon. Sed, ne in his librariorum nugis operam amplius conteramus, non dubium est, quin in ultima praefationis particula sic uerba fuerint scripta: *Si qui erunt quibus uolumina haec cordi sint, meminerint, στρατηγικῶν et στρατηγημάτων perquam similem naturam discernere: nam cum omnia quae a duce provide utiliter magnifice constanter fiunt στρατηγικὰ habebuntur, tum si in specie eorum sunt στρατηγήματα. Horum* sqq. His igitur additis auctor libri quarti de exemplis *στρατηγικῶν*, quae in suo libello collegerat (cf. lib. IV praef.: *et erant exempla potius strategicon quam strategemata*) atque etiam Frontini libris immiscuerat, lectorem uoluit praemonere. Ita autem, ut *στρατηγήματα* in specie essent *στρατηγικῶν*, haec nomina ab antiquis usurpata esse, cum ex aliis tum inde apparet, quod Onasander in libro qui inscribitur *στρατηγικός* singula ducis consilia persaepe uocat *στρατηγήματα*. — Eodem studio corrigendi atque inscitia librariorum factum est, ut in primam praefationis particulam ista uox introduceretur. Nam quod ibi *sollertia ducum facta* appellantur *στρατηγηματικά*, contra eadem perhibentur *στρατηγήματα* in praef. libri I: . . . *obsidionis habebit strategemata* — lib. I, 11, 13: *hoc genere strategematon non ea . . .* lib. III praef.: *edam nunc circa oppugnationem urbium defensionesque strategemata* — ibidem: *has circa expugnationem species strategematon fecimus* — lib. IV praef: *conquisitis strategematibus* — ibidem: *exempla potius strategicon quam strategemata* itemque in librorum titulis fere omnibus, eo quid est ineptius? qua de causa quin in praef. lib. I legendum sit *sollertia ducum facta quae a Graecis una στρατηγημάτων appellatione conprehensa sunt*, neminem fore puto qui dubitet. Atque ex his quae indicaui incunabulis errores ita propagati sunt, ut in codicibus inferiore aetate exaratis tantum non omnibus et praenomen *Sexti* et titulum *Stra-*

*) Hunc infra nomine 'auctoris' vocabo.

tegematicon quattuor libris reperias inscriptum. Eis igitur causis commotus titulum dedi: *Iuli Frontini strategematon liber quartus.*

1, 1: *C. Memmio*] hoc nomen, quod *AΓ* confirmant, e suo codice iam restituerat Pighius, ann. III a. u. c. 624. — Plut. apophth. Scip. min. 17: *Μεμμίου δέ τινος χιλιάρχου λαβὼν ὑποζύγια, ψυκτῆρας διαλίθους παρακομίζοντα καὶ θηρικλείους Ἐμοὶ μέν, εἶπεν, ἡμέρας τριάκοντα καὶ τῇ πατρίδι, σεαυτῷ δὲ τὸν βίον ἅπαντα τοιοῦτος ὢν ἄχρηστον πεποίηκας σεαυτόν*, unde Oudendorpius *mihi paulisper et reipublicae, tibi semper nequam eris* immerito apud hunc correxit: quale enim apud illum legitur dictum neque sententia probatur neque collocatione uerborum.

1, 2: *assa elixaue*] Scriuerius: *a se assa elixaue* scribi iubet ex Sall. Iug. 45: *ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum uenderet* et Val. 2, 7, 2: *cibumque coctum uenalem proponi uetuit.* Sed Barthius (advers. 14, 9) recte monuit, cibo delicatius parato militem uesci imperatorem uetuisse. Nam idem consilium, licet attribuant Scipioni, narrant Plut. apophth. Scip. min. 16: *προσέταξε ... δειπνεῖν δὲ κατακειμένους ἄρτον ἢ πολτὸν ἁπλῶς καὶ κρέας ὀπτὸν ἢ ἑφθόν* et Polyaen. 8, 16, 2: *ἀριστᾶν δὲ ὀρθοὺς ἄπυρον ὄψον, δειπνοῦντας δὲ προσφέρεσθαι καὶ κρέας ὀπτὸν ἢ ἑφθόν.*

1, 3: *dilectatori*] uox *delector*, quam editiones adhuc omnes ex codicibus alterius classis perhibent, non latina est. Cf. in tit. Malagensi (C. I. L. II 1970): . . .'DELECTATORI· AVG· PRO.' . . . et in tit. Lugdunensi (Boissieu p. 246): . . .'DILECTATOR· PER· AQVITANIA[E]·XI· POPVLOS' . . . *dilectatori* cum *ΓC* scripsi, quia *dilectus* formam codicum meliorum auctoritas apud omnes fere scriptores latinos tuetur. Nimirum hoc munus (cf. Mommsen, Staatsrecht II², 2, p. 820) ad superiorem aetatem externamque nationem auctor transtulit.

1, 4: *adacti* iure Woelfflinus (Herm. 9, 81) coniecit, coll. Liu. 22, 38 unde hoc exemplum ad uerbum paene transcriptum est. In codicum lectione, quia *milites* subiectum est, desideratur praedicatum. *Adigendi* uerbum in hac re sollemne est cf. Liv. 24, 16 *citatosque singulos iureiurando adigam.* 22, 38: *legitima iurisiurandi adactio.*

1, 6: *portare*] *imperandi* uerbum saepissime cum infinitiuo pass. apud optimos scriptores coniungitur, neque tamen usquam datiuum (= cui imperatur) inueni additum, ut *portari* in libris errore haud insolito ortum putem, praesertim cum illud apud auctorem cum inf. act. coniungi soleat: 1, 1: *quibus ... portare ... cibaria*

imperabat. — 1, 28: *eidemque . . . perstare in principiis . . . imperauit.* — 7, 6: *robustiori* '*imperauit . . . caudam abrumpere.*

1, 7 *militis*] similiter singularis pro plurali ponitur 1, 15 *miles* — 1, 37 *militem decimauit* — 1, 40 *cum hoste.* 5, 17. 7, 2. 16. 20. — 7, 19 *remigem* 1, 18 *equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam.*

Prouerbium . . . tractum] DO male tradunt *in prouerbium.* Aliter enim se habet illud Ou. met. 8, 245:

Ille etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum (= nahm zum Muster). Hoc uero item dicitur atque 'nomen, cognomen inde trahitur, cet.'.

Muli Mariani non milites intellegendi sunt, ut perperam lexicographi interpretantur, sed sarcinae certo quodam modo colligatae ('Tornister') cf. Fest. p. 148 M: '*muli Mariani dici solent a Mario instituti, cuius milites in furca interposita tabella uaricosius onera sua portare assueuerant*'. P. 24: '*aerumnulas Plautus refert furcillas quibus religatas sarcinas uiatores gerebant: quarum usum quia C. Marius rettulit, muli Mariani appellabantur.*

1, 8 *cum hauebat*] iam in archetypo fuit illud *habebat,* quod primum uidetur in eo libro offendisse, unde B et O sunt descripti: in hoc enim expunctum est, in illo omissum. Aliam is ingressus est rationem, qui ante *habebat* addidit *quos.* Ea emendatione, quae in nonnullis deteriorum codd. exstat indeque ab editoribus recepta est, sententia adeo claudicat, ut Oudendorpius uerba *quos habebat* duxerit spuria. Mutatione lenissima (*hauebat* pro *habebat*) locus restituitur: = während er hierauf sehnlichst wünschte, sie möchten sich wie zu einem Zusammenstoss mit Feinden rüsten, erlaubte er . . . *tamquam* ad uerbum *hostium,* non ad *praepararentur* refertur. Hauere item atque uelle etc. adhibetur, ut simplex sequatur coniunctiuus, quod quidem adamat auctor cf. 7, 28 *praecepit, incenderent pontem* 1, 9 *praebeas volo* 5, 7 *suaserunt commilitonibus, stringerent gladios et . . . erumperent.* — In coniunctione *cum* uis inest temporalis, et sequitur indicatiu. imperf. (cf. Draeger, hist. Syntax II, 534). Cf. 7, 34 *quom exercere equos non poterat, certis cotidie horis ita suspendebat.* Tac. ann. 1, 51 *turbabantur cohortes, cum . . . clamitabat.* Liv. 41, 14 *cum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures . . . coloniam ipsam ceperunt.*

Ordinari] codicibus ADGBO haec structura ita confirmatur, ut *ordinare* ex *Γ* recipi non possit: aliter enim res se habet 1, 6 *equitibus . . . singulos calones habere permisit* — 1, 44: *Marcello tamen permisit facere quod uideretur.*

Cum inertissimus] deteriores libri perperam *et* adiciunt: asyndeta auctor adamat:

a) asyndeta copulatiua: 1, 1 *dimisso ... numero, redactis ... militibus.* ib: *frigora ... pati, uada ... traicere.* ib: *exprobrante ... ignauiam, frangente ... uasa.* 1, 6: *permisit, ...: in aestiua exeuntibus ... imperauit.* 1, 20 *qui deseruerant, damnati, uirgis caesi publice uenierunt.* 1, 26 *cincto ... praeciso, soluta tunica, nudis pedibus.* ib: *stare ... iussit, conuiuiis et balneo abstinere.* 1, 46 *uti ea legio ... referretur, stipendium ... non daretur, aera reciderentur.* 2, 6 *peditum, equitum.*

b) asyndeta aduersatiua: 1, 18 *equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam.* 1, 37: *in singulos ... centuriones animaduertit, legatum ... dimisit, reliquis ... hordeum dari iussit.* 6, 3 *si in Persis natus esses ... capital foret, in Macedonia nato conceditur.* 7, 39 *illum metu, ceteros etiam exemplo.*

c) asyndeta explicatiua: 1, 8: *permisit ita ordinari aciem, ut ... consisteret: cum ... prouexit.* 1, 13: *filium ... uenire uetuit: adulescens ... mortem sibi consciuit.* 1, 44: *ille ... consuluit: senatus negauit.* 5, 6 *reliquo ... approbauit: et barbam ... summisit et ... cepit.* 5, 7 *affirmantes: de cunctantibus ... peruenerunt.* 5, 14 *non dubitauit de ea re: picum necauit.* 7, 33 *Voccaei ... copias cinxere plaustris ... tectis: Sempronium fugauerunt.* 7, 38 *Crispinus ... litteras dimisit, ne ... perferrentur: monitione consecutus est.*

1, 10 *in eius domum*] pro uoce *eius* Eussner (cf. Fleckeiseni, Nou. ann. uol. CXIII p. 76) coll. Plut. apophth. Antigoni 5 coniecit *uiduae*, quia 'non de hominis alicuius, sed de cuiusdam matris familias hospitio dici *eius domum* nemo perspicere potest, nisi extremis demum uerbis lectis'. Id tamen in litteris traditis uix latet atque dubito, an ambiguitas ista sit ab ipso auctore profecta. Apud Plutarchum autem bis eadem res uerbis paullo diuersis narratur: apophth. Antig. 5 '... *λαβεῖν κατάλυσιν παρὰ γυναικὶ χήρᾳ τρεῖς ἐχούσῃ θυγατέρας εὐπρεπεῖς*' ... et Demetr. 23: '... *ἐν οἰκίᾳ καταλύοντα τρεῖς ἐχούσῃ νέας γυναῖκας*' ...

1, 14 *Maluentum* praeeunte Scaligero scripsi, quod ad hoc nomen litterae traditae proxime accedunt idque eo tempore durabat. Cf. Paul. ex Fest. p. 34: *Beneuentum colonia cum deduceretur* [= a. u. c. 486] *appellari coeptum est melioris ominis causa. Namque eam urbem antea Graeci incolentes Μαλόεντον appellarunt.* Cf. Liu. 9, 27. Plin. N. h. 3, 11.

1, 15 *inferrent*] structura, ut ita dicam, neglegens, quod

numerus singularis et pluralis ad idem uerbum redit, neque tamen cum deterioribus corrigenda cf. Tac. ann. 1, 62: *igitur Romanus qui aderat exercitus — condebant.*

Nauis] eadem accusatiui pl. forma exstat: *hostis* 5, 3. 4. 7, 33. *omnis* 7, 19. *deprecantis* 5, 2. *deposcentis* 7, 6. *transnauigantis* 7, 19. *praetereuntis* 6, 3.

1, 16: *aut si lentius*] in AOG duae antecedentis uocis litterae bis repetitae effecerunt lectionem *aut ut silentius.* Ex litteris in ΓDB recte traditis *aut silentius* iure superiores editores finxerunt *aut si lentius.* Stewechius uoce *principis* falso intellecta *at si lentius* proposuit, neque magis aliorum coniecturis (*aut si lenius — aut si levius*) opus est, quia illud *lentius* bene quadrat in sententiam. Nam missione sanguinis, ut erat poena minus praeceps, lentius i. e. cunctantius et tamquam sine ira et impetu animi in commilitones animaduerterunt. Cf. Cic. ad Att. 2, 1, 1: *quem* (sc. librum) *tibi ego non ausus essem mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem.*

In principis] immerito Tennulius *principiis* scripsit (Brambach l. l. 194. 327). — Stewechius cum *in principis* pro *in principes* acciperet, ualde errauit: nam ad uerba *inter commilitones* aliquid contrarii desideratur, quod additur uerbis *in principis,* ut haec poena coram exercitu, illa inter commilitones exacta perhibeatur; in principiis autem poenae exigi solebant cf. 1, 26. 27. 28. (Marquardt, Röm. Staatsverwaltung II p. 398.)

Sanguinem missum] Dederichius tacite *esse,* ut saepius, addidit contra morem auctoris. Cf. 2, 9 *se deceptum aiebat.* 3, 9. 11 *solitum.* 3, 13 *arborem . . . relictam.* 7, 42 *insidias . . . dispositas.* 7, 3: *sequenda consilia.* 3, 12: *malum ciuem dicens.* — In infinit. fut. omnino *esse* auctor omittit: 1, 4 *se . . . non abituros neque . . . recessuros.* 1, 8. 43. 4, 1. 2., 5, 1. 12. 7, 5. 17. 22. 39.

1, 17: *dubiam mortem timuissent*] Dederichius, cum *subire mortem dubitauissent* corrigeret, sanissimum locum conatus est sanare: nam dubia mors opponitur certo supplicio.

1, 18: *rege Epirotarum*] Dederichius tacite *E. rege.* Cf. 1, 14 *Pyrrus Epirotarum rex* 4, 2 *Pyrri Epir. regis* — sed 7, 10 *regi Antiocho.* 5, 11 *regem Ariouistum* — 1, 17 *Clearchus dux Lacedaemoniorum;* itemque 2, 6. 3, 6. 4, 2. 7, 23.

Peditem] *pedes,* quod in A antea fuit, sane conuenit (cf. Liu. 9, 22: *sed extemplo ad pedes descensum ab Romanis est*), *pedem* uero non item: immo syllabam *di* intercidisse codices DGBO coarguunt.

Iussis] A *iussit* exhibet. Ferri possunt et asyndeton ita effectum (cf. ad 1, 8 pag. 142) et structura (cf. Curt. 5, 20, 8: *suis rex corporibus et cultu feminarum abstinere iussit*. Cic. ad Att. 9, 13. Catull. 64, 26). Sed obstat consensus reliquorum librorum et consuetudo auctoris. Cf. 1, 10. 23. — 7, 29 — 1, 8. 19. 21. 22. 26. 27. 29. 31. 33. 37. 43. 6, 2. 3. 7, 7. 26. 31. 32. 36.

1, 21 *Initia*]. Oudendorpius, qui primus perspexit, uulgatam lectionem *initio cesserant* languere, ex Taciti ann. 13, 26 nomen ducis finxit scripsitque *cum Paccio* in priore, *cum Itio* in posteriore editione. Id si auctor dixisset, sine dubio nec quo munere Paccius Orfitus functus nec qua poena esset affectus praetermisisset, praesertim cum infra (26—28. 30—32) complura exempla attulerit de ducibus punitis. Sed ne eadem quidem res uidetur apud utrumque referri: nam apud Tacitum *paucae e proximis castellis turmae*, hic uero *duae alae* commemorantur. Auctor autem quattuor Domitii Corbulonis quae narrat exempla (1, 21. 28. 2, 3. 7, 2) fortasse ex ipsius libris desumpsit. Neque solet in locis indicandis non esse curiosus: ut enim dicit 1, 14 *in campis Arusinis circa urbem Maluentum* sed 7, 34 nomine non appellato *in castello quodam*, ita consentaneum est hic non *ad castellum*, sed *ad castellum Initia* eum reliquisse. Nomen ipsum non mirum est: dederant milites, ut memoria initiorum nescio cuius rei memorabilis teneretur.

1, 24 *Saepinum*] *serinum* quod iam fuit in archetypo exaratum ignotum nomen est. Correxit librarius in recentiore codice *firmum*, quod Oudendorpius in textum nulla ratione recepit. Status belli hic erat (cf. Flor. 1, 18. Dio Cass. 172. 173 Mai. App. Samn. 10. Zon. 8, 4): Laeuinus consul ad Sirim uictus in Campaniae oppida se recepit, quae Pyrrus praetergressus ipsam Romam petiit, sequente a tergo Laeuino. Sed pace cum Etruscis facta alteroque consule Coruncanio a fronte iam aduentante rex in Campaniam regreditur et copiis in hibernacula deductis ipse Tarentum proficiscitur. Romanae legiones ubi per hiemem castra posuerint nisi hoc loco non traditur. Unum exercitum, ne subito hostium impetu urbs caperetur, in Latio hibernasse, uix incertum est: alter uero, ut Firmum in oppidum Picentium, quod ab hostibus longe aberat, duceretur, fieri omnino non potuisse, statim concedes, ubi illud iter per montes saltusque difficillimum consideraueris. Non enim eo solum consilio, ut poenas daret cladis, exercitum consulis in ista hibernacula missum esse, sed ut rem simul Romanam subleuaret, per se patet. Picentes autem tunc temporis Romanis non

adeo infensi fuerunt, ut ad eos domandos exercitum mittere senatus cogeretur: Samnites uero cum Pyrro conspirasse cum acceperimus, rectissime Niebuhrium (Röm. Gesch. III p. 584) arbitror iudicasse, cum *in Samnium* milites a Laeuino ductos moneret. Neque tamen id in textum recepi, quia lenissima litterarum P et R commutatione illud *serinum* ortum esse duco ex SAEPINVM; praepositionem autem addere ad nomen oppidi, ut Niebuhrius opinatur, non opus est (cf. 1, 8 *cum exercitum Megaram duceret*). — Ad Saepinum igitur, mediis in Samnitibus peropportune positis castris statiuis in eo erat, ut consul et inceptus Epirotarum obseruaret et coerceret Samnites; ac simul opulentia copiaque eius oppidi (cf. Liu. 10, 45) uictus tanti exercitus commode sustentabatur.

1, 24^b: exempla 24^a, 24^b, 25 in libris unum efficiunt, sed discernenda esse tria manifestum est. Quod signo 24^b notavi, ad antecedens non pertinet, quia uox *senatus* in initio posita more auctoris nouum exemplum indicat. Ad milites autem Laeuinianos quominus haec referamus eo impedimur, quod omnes qui aetatem tulerunt scriptores de *turpi* eorum fuga nihil tradunt (Liv. epit. 13. Flor. 1, 13. Eutr. 2, 11. Plut. Pyrr. 18) immo Plutarchus l. l. dicit: Ῥωμαῖοι δὲ Λαιβῖνον μὲν οὐκ ἀπήλλαξαν τῆς ἀρχῆς· καίτοι λέγεται Γάϊον Φαβρίκιον εἰπεῖν, ὡς οὐκ Ἠπειρῶται Ῥωμαίους, ἀλλὰ Πύρρος νενικήκοι Λαιβῖνον, οἰόμενον οὐ τῆς δυνάμεως, ἀλλὰ τῆς στρατηγίας γεγονέναι τὴν ἧτταν· ἀναπληροῦντες δὲ τὰς τάξεις καὶ συντάττοντες ἑτέρας προθύμως sqq. Quod cum ita sit, in uoce *eius* nomen aliquod latere suspicor, neque tamen habeo quod substituam; Dederichius quidem frustra corruptelam emendare tentauit.

Extrema quoque uerba mutilata sunt et cum exemplo insequenti confluxerunt. Nam quae Tennulius e duobus codicibus protulit: (*nisi captis*) *et uictis hostibus* (*iis uero legionibus quae* sqq.), ea nimirum non auctoris sunt. Eum locum, ut restituerem sicut supra scriptum uides, his causis commotus sum: primum uerba *quae Punico bello* sqq. non pertinere ad superius exemplum (24^b) *Senatus cum turpiter fugati eius milites essent* sqq. res ipsa docet in utroque diuersa: itaque nouum exemplum (§ 25), ut pleraeque editiones exhibent, distinguitur. Huic uocem *legionibus* addicere eo prohibemur, quod ita rem scriptorum auctoritate non confirmatam fingeremus. Ne quis dicat, intellegendos esse milites ad Cannas uictos posteaque in Siciliam relegatos: nam de eis ipse auctor infra (1, 44) fusius dicit neque bis idem narrare solet. Deinde eorum numerum tantum fuisse, ut totae legiones relegatae per-

hiberentur, nusquam legimus (Liv. 25, 5. 26, 1. Val. 2, 7, 15. Plut. Marc. 13. — infra 1, 44): denique illi non militiam detractauerant, sed ignauiae fugaeque dabant poenas. Quae cum ita sint, uox *legionibus* priori exemplo adiudicanda, huic autem quasi caput requirendum est. Iam uerba *nisi captis eius legionibus* quomodo ad sanitatem reuocanda essent, quaerere destiti atque crucis signo notaui. Alterum uero exemplum, cum ad rem a Liuio (24, 18) traditam pertinere putarem, inde suppleui (Liv. l. l. [a. u. c. 538] *nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt qui quadriennio non militassent, quibus neque uacatio iusta militiae neque morbus causa fuisset. Et ea supra duo milia nominum in aerarios relata tribuque omnes moti; additumque tam meritae censoriae notae triste senatus consultum, ut ei omnes, quos censores notassent pedibus mererent mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus relliquias* sqq.). Neque tamen hoc exemplum ex Liuio fluxisse statuo, quod is de hordeo dato tacet; in aliis quoque auctor uberius res refert quam Liuius. — *duobus milibus* autem, nullo addito genetiuo, eodem iure dicitur atque 1, 38: *quattuor milia tradita* . . .

1, 26 *C. Titium*] Titii praenomen, ut in morem auctoris conuenit, omnes libri meliores praebent praeter *Γ*, in quo ut saepius (cf. pag. 194) compendium falso explicatum est. Dederichius codicum lectionibus quasi calculis subductis summam effecit: *L. Piso consul C. Titium.* — Cf. Val. 2, 7, 9. — *cincto* cum codicibus teneo, quamuis Guieti coniectura se commendet. Cf. Scribon. compos. 163: *has uenatores diligenter colligunt et habent in cincto.* Porphyr. in Hor. art. poet. 50.

1, 27 *galeatos* neque Stewechio placuit neque Dederichio: ille proposuit *discalceatos*, hic (coll. Liu. 27, 13 *destrictis gladiis discinctos destitui*) scripsit *gladiis aptatis.* Nihil mutandum esse iam Gruterus intellexit. Haec enim poena quamquam alibi eius mentio non fit, tamen eodem redit atque illa a Liuio l. l. relata: miles discinctus idemque galeatus uel gladio destricto perstans, pudendo habitu quo armatus et simul non armatus uidebatur, irrisui erat commilitonibus.

1, 28 *mitterentur* sc. principia. Dederichius insulse *mitteretur* sc. Rufus. Intellegitur tempus quo excubias diurnas uigiliae nocturnae excipiebant. Cf. 1, 26 *stare, dum uigiles uenirent.* Front. str. 2, 5, 30: *tempus elegit quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant praetoriumque secretius praestabant.*

Eidemque] in A*Γ* *idemque* exstat, quae forma datiui sing.

confirmatur inscriptt. Neap. 1597. 6971. Or. 4106. 4425. 4777. Cic. Verr. 3, 40, 91 (cf. Neue, Formenlehre II, 198); sed dubito, utrum ea auctoris fuerit an librarii neglegentia orta.

1, 33 *ter dato* recte in Leid. sec. et Vat. 3408 correctum esse pro *tardato* et res probat et Val. Flaccus confirmat (I, 351):

Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes
Soluerat amplexus tristi tuba tertia signo.

A terra uoce et gestu] cf. Front. str. 2, 7, 14: *coepit signum uoce gestuque dare.* — In quibusdam dett. libris pro *a terra* est *acerrima* (sc. uoce), unde aliquis editorum superiorum emendauit *alta.* Expulit id tandem Oudendorpius, sed Dederichius qua est sagacitate edidit *a terra edita uoce et gestu.*

1, 35 *sorte ductos*] decimus quisque miles puniri solebat cf. 1, 34. 37. — mirum est, quod numerus sorte ductorum non additur, nam *uicenos,* quod Oudendorpius in textum recepit, certissime Ioannis Saresb. inuentum est, quod et ipse numerus ualde suspectus est (nisi hoc loco non traditur cf. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung II p. 553) neque illius fides ullam habet auctoritatem (cf. pag. 110).

1, 38 *iussu*] ipse dux sceleri uidetur interfuisse. Cf. Liu. perioch. 12: *cum in praesidium Reginorum legio Campana cum praefecto Decio Vibellio missa esset, occisis Reginis Regium occupavit.* — Liv. 28, 28: *tota legio, milia hominum quattuor in foro Romae securi percussi sunt. Sed illi primum non Atrium Umbrum semilixam . . . sed Decium Vibellium tribunum militum secuti sunt.* Appian. Samn. 9: *καὶ Δέκιος μὲν ἀντὶ φρουράρχου τύραννος ἦν.*

Diripuerat] ita Casaubonus emendauit pro *diruerat* cf. Liu. perioch. 12: *Regium occupauit;* ib. 15: *quae Regium occupauerat;* ib. 28, 28: *legio interfectis per scelus principibus ciuitatis urbem opulentam per decem annos tenuit.* Val. Max. 2, 7, 15. Polyb. 1, 7. Appian. Samn. 9.

1, 39 *Rullianum*] *rutilium* codices perperam tradunt. *Rullianum* scripsi, quia ita legitur nomen apud Liuium (8, 29), unde hoc exemplum excerptum est, et apud Valerium (2, 7, 8) eodem fonte usum. Aliis tamen et ipsi Liuio (24, 9, 8. 30, 26, 8) appellatur *Rullus,* quod nomen Oudendorpius praetulit.

Virgis poposcit, caesum securi percussurus] lectione uulgata *uirgis poposcit caesum, securi percussurus* leges grammaticae uiolantur: sed recte distincta uerba neque emendatione Oudendorpiana (*u. poposcit caesum iri, securi perc.*) neque Dederichiana (*u. poposcit*

10*

caedendum, caesum securi percussurus) indigent. — *Poscere aliquem* = Jemandes Auslieferung fordern, um ihn zur Strafe zu ziehen. Cf. Flor. 1, 22, 7 *huius tantae cladis auctor Hannibal poscitur.* Sil. 4, 32: *nec poscitur auctor.* — Atque cum datiuo poenae: Sil. 1, 677: *poscendum poenae iuvenem iubebat.* Tac. ann. 1, 23 *centurionem morti deposcit.* — Seneca atque Lactantius: *expetere aliquem poenae.* — In AΓ exstat *uirgas,* unde auctorem *ad virgas poposcit, caesum* sqq. scripsisse suspicias, praesertim cum post *pugnauerat* praepositio *ad* facile excidere potuerit. Tamen locis supra allatis datiui in hac re usus ita confirmatur, ut calami culpa ortum *uirgas* censeam.

Remisso — metu] cum ΓO *ne ibi quidem remisso prius supplicii metu quam* scripsi, simplicitati structurae parens. Sed auctoritate codicum ADGB in dubitationem reiectus nescio an ex eis *remissio* scribendum sit, suppleto uerbo *erat* uel *fuit* (cf. Zumpt § 776. Draeger, Syntax und Stil des Tacitus § 36). Non obstat huic interpretationi datiui forma *metu* (= metui cf. Neue, Formenmenlehre I, 356) neque structura (Tac. hist. 4, 61 *pignus societati;* ann. 3, 40 *uirtuti pretium* cf. Draeger l. l. § 53). 'Nicht einmal da gabs für die Furcht vor der Todesstrafe eher Nachlass, als bis . . .' tum exsistit etiam asyndeton in fine exemplorum ab auctore adamatum (cf. pag. 142).

Senatus ac populus] libri coniecturam Dederichii *Romanus* non adiuuant, nam in O et G nihil aliud cernitur nisi compendium uocis *populus.* — Cf. 5, 6 *gratiaeque ei a senatu et populo actae sunt.*

1, 44 *uocaret*] eam uerbi formam hoc loco solus A tuetur, quam omnes codices tradunt 3, 7: *ad cenam uocabat.* — Ad eandem rationem pertinet 7, 33 *Voccaei* pro *Vaccaei.* — Has formas non haesitans recepi (cf. Ritschl, neue plautin. Excurse p. 60. Brambach, lat. Orthographie p. 71).

Fuissent] Dederichius immerito *essent* correxit, fortasse ex Liu. 25, 5 (*donec hostis in terra Italia esset*), unde haec fluxerunt. cf. 5, 7 *id sibi animi esse, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, adfirmantes . . .*, ubi item Dederichius *esset* emendauit. Cf. Draeger, hist. Synt. I p. 492.

2, 2 *quamquam*] ita haud male librarius in margine codicis O adscripsit. *Quendam* defendi non potest. *Quidem* uero codicis Petrensis cum collocatione tradita non congruit.

2, 3 *paucissumis*] sic ex Γ restitui, quia ea forma ad aetatem auctoris uidetur durasse. Cf. 5, 2 *maxume.*

2, 8 [*proelio*] inclusi, quia procul dubio ex antecedenti exemplo *barbarorum proelio superata sunt* irrepsit. Lectionem uulgatam *proelio amissis ducibus* ipsa historia renuit, quod duces Graecorum post proelium commissum necatos esse constat. Atque emendationem codicum dett. *eodem Graecorum proelio* nos recipere contextus uerborum exemplorumque uetat.

3, 6 *praeter stoream et unicum ueru*] *ueru* pro *uero* recte editores restituisse, per se patet; at falso plerique interpretati sunt. Nam *ueru* esse nummum quendam, a Graecis *ὀβελίσκον* uocatum iam Xylander perspexit. Plut. Fab. Max. 27: *Ἐπαμεινώνδαν μὲν οὖν Θηβαῖοι δημοσίᾳ διὰ πενίαν ἣν ἀπέλιπεν ὁ ἀνὴρ ἔθαψαν· οὐδὲν γὰρ οἴκοι τελευτήσαντος εὑρεθῆναι πλὴν ὀβελίσκον σιδηροῦν λέγουσι· Φάβιον δὲ Ῥωμαῖοι δημοσίᾳ μὲν οὐκ ἐκήδευσαν, ἰδίᾳ δὲ ἑκάστου τὸ σμικρότατον αὐτῷ τῶν νομισμάτων ἐπενεγκόντος οὐχ ὡς δι' ἔνδειαν προσαρκούντων, ἀλλ' ὡς πατέρα τοῦ δήμου θάπτοντος* . . . unde simul sequitur, hanc Epaminondae inopiam post mortem eius conspectam esse, non per totum uitae tempus, ut ex uerbis auctoris concludere potes. *Ὀβελίσκος* autem ibi ferreus appellatur, ut discernatur ab aeneo. Cf. Plut. Lys. 17: *ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσμασι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς*. (Cf. Boeckh, Staatsh. der Athener II, 138.) Male igitur Dederichius pro *unicum* correxit *aeneum*. Atque unum tantum ueru fuisse, eadem Plutarchi uerba demonstrant. — Hanc interpretationem bene adiuuat quod exemplis antecedentibus (§§ 4. 5) maxime de pecuniae penuria agitur: at redarguit in eodem exemplo uox *supellex*. Ei profecto *storea*, ut Graeuius recte uidetur restituisse, adnumeratur: nummus in eo non habetur. Est igitur ueru instrumentum. Sed unico ueru (= Wurfspiess) ut fuerit ille dux armatus, fieri non potest; atque de ueru quo cibum assabat cogitare ridiculum est, quia haec abstinentia, ut in milite, uix ulla laude digna uidetur. Quod cum undique difficultates parari eluceat, iam in eam opinionem abire cogimur, ut uocem istam ab ipso auctore, cum hoc exemplum excerperet, perperam intellectam esse statuamus (cf. quae disserui ad 5, 1 et 7, 13). Itaque factum est, ut *ueru*, quod uerbum in fonte auctoris teste Plutarcho nummum quendam significauit, hoc loco nunc nescio quid supellectilis habeatur, frustraque uiri docti sint in his difficultatibus uersati.

3, 7 *uocabat*] cf. quae dixi ad 1, 44. — Eadem uerbi structura Seneca ep. 49, 9: *non uaco ad istas ineptias, ingens negotium in manibus est.* Ouid. ex Pont. 3, 1, 142: *corporis ad curam uix uacat illa sui.* Terent. Andr. 4, 2, 23 *uacuum me ad narrandum*

credas. — Hac in re clare conspicitur, quanta fide Ioannes Saresb. dignus sit: is enim exhibet: *crepusculo demum socios ad cenam uocabat.*

3, 14 *Germanico bello*] sic optimi codices cum historia consentientes tradunt: nam hoc bellum anno p. Chr. 70 gestum, sed cognomen *Germanico* imperatori inditum est anno p. Chr. 84 (cf. Mommsen, Abhandl. der Sächs. Ges. d. W. III, 390).

3, 15 *prouincias*] Cic. off. 2, 22, 76: (*L. Mummius*) *Italiam ornare quam domum suam maluit.* — Auct. de uir. ill. 60: *Mummius Corinthum signis tabulisque spoliauit, quibus cum totam replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.* — Ex his igitur argumentum non repetitur. *Prouincias,* quod iam Lipsius coniecerat, cum A*Γ* non modo propter maiorem eorum auctoritatem scripsi, sed quia ita abstinentia Mummii magis effertur, atque saepius prouinciae et Italia eo modo inter se opponuntur. Cf. Vellei. 2, 15: *ex prouinciis in Italiam.*

5, 1 *Seruilio et Claudio*] codices constanter tenent: *seruilio et glaucia;* nam in A (*conclaucia*) oculus scribentis ad uerbum insequens *cohortantibus* aberrauit. — Oudendorpius id ferri posse putat, quod alter nomine gentili, alter cognomine appellatur. Id tamen ex auctoris more esse omnino nego, praesertim cum Glauciae nomen etiam Seruiliorum fuerit. Eadem opinione ductus Woelfflinus (Herm. 9, 84) neglegentiae leuitatisque in exemplis describendis auctorem insimulans in fonte fuisse unum uirum *Seruilium Glauciam* nominatum statuit. Quam suspicionem uerba quaedam Plutarchi haud uidentur improbare: apophth. Pompeii 6 *Σερουήλιος δὲ ἀνὴρ ἀριστοκρατικὸς ἠγανάκτει καὶ τῶν στρατιωτῶν ἐνίσταντο πολλοὶ τῷ θριάμβῳ δωρεάς τινας ἀπαιτοῦντες. ἐπεὶ δὲ ὁ Πομπήιος ἔφη μᾶλλον ἀφήσειν τὸν θρίαμβον ἢ κολακεύσειν ἐκείνους, Νῦν, ἔφη, καὶ μέγαν ἀληθῶς ὁρᾶν καὶ ἄξιον τοῦ θριάμβου τὸν Πομπήιον.* Idem in Pomp. 14 (indeque Zonar. 10, 2): *ἐπεὶ δὲ οἱ στρατιῶται μὴ τυχόντες ἡλίκων προσεδόκησαν, ἐνοχλεῖν ἐβούλοντο καὶ θορυβεῖν, οὐδὲν ἔφη φροντίζειν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀφήσειν τὸν θρίαμβον ἢ κολακεύσειν ἐκείνους. ὅτε δὴ καὶ Σερουήλιος, ἀνὴρ ἐπιφανὴς καὶ μάλιστα πρὸς θρίαμβον ἐνστὰς τοῦ Πομπηίου, νῦν, ἔφη, τὸν Πομπήιον ὁρᾶν καὶ μέγαν ἀληθῶς καὶ ἄξιον τοῦ θριάμβου.* — Vides tamen, eandem fere rem apud utrumque paulo aliter referri. Atque accuratius in Plutarchi uerba si inquisiueris, Woelfflini sententiam inde refelli cognosces. Apud eum enim quod Seruilius uocatur *ἀνὴρ ἀριστοκρατικός* et *ἀνὴρ ἐπιφανής*, de alio nisi de P. Seruilio

Vatia, qui postea Isauricus appellatus est, cogitari non potest: is quidem propraetor a. u. c. 666 triumphauerat et magnam habebat auctoritatem, at de Seruilio Glaucia quem finxit eis temporibus fama insigni nihil accepimus. Sed alia patet uia emendationis. Nam ad hunc triumphum Pompeii fragmentum quoddam (act. triumphal. capit. a. u. c. 673) pertinere plerique credunt (Baiter; Fischer, Zeittafeln p. 188), ea potissimum ratione inducti, quod Liuius (perioch. 84) eum triumphasse scribit annos quattuor et uiginti natum, cum natus sit pridie kal. Oct. C. Attilio et Q. Seruilio coss., anno scilicet 648. — Qui uero diligentius res ab eo gestas examinarunt, ad annum potius 674 (Drumann 4, 336) uel 675 (Mommsen, Röm. Gesch. 2, 331) triumphum eius rettulerunt, illud fragmentum cum Pighio ad M. Licinium Murenam pertinere rati. Anno autem a. u. c. 675 (a. Chr. 79) consules fuerunt: *P. Seruilius C. f. M. n. Vatia, postea Isauricus Ap. Claudius, Ap. f. C. n. Pulcher* (fast. capit.). Quod si reputaueris triumphum Pompeii anno a. u. c. 675 fuisse Seruilio et Claudio consulibus in illo *glaucia* latere nomen Claudii auctoremque hoc loco consulum mentionem facere non alienum erit suspicari: eorum nimirum maxime interfuit, ne fieret seditio. Qui error utrum inscitia sit ipsius auctoris ortus an emendatione indocti librarii, equidem haud decreuerim (cf. quae disserui ad 3, 6 et 7, 13).

5, 2 *facta*] discrepantia inter libros AΓ *(actum)* et DGBO *(actam)* eo modo est nata, ut in illis *u* pro *a longobardica* describeretur. Ipsum *actam* in textum non admisi, quod significatio 'aufgeregt' (= agitata, cf. *seditionibus tribuniciis . . . respublica agitabatur* Sall.) parum constat (cf. Curt. 6, 9, 6. Nep. Att. 9, 1). Neque ea structura propter collocationem se commendat, ut emendationem Oudendorpianam *(facta)* substituere praeoptauerim. — *Maxume* cf. 2, 3.

5, 8 *C. Fonteius Crassus*] Oudendorpius collatis Liuii quibusdam locis et quia cognomen Crassi non erat Fonteiorum, scripsit *T. Fonteius Crassus*, sed pro *Crassus* ponendum monens *legatus*. Nunc quidem apud Liuium (25, 34. 36. 26, 17) praenomen legitur *Tib.* Ipsum autem hoc exemplum ibi non refertur, ut idem Fonteius, qui Scipionis legatus erat, num intellegatur nesciamus. Atque codices melioris notae omnes non solum hoc loco, sed etiam strat. 1, 5, 12, ubi idem exemplum exstat*), et praenomen *C.* et

*) Eadem exempla, uerbis tamen paulo dissentientibus referuntur in strategematon libris: IV, 5, 8 = I, 5, 12. — IV, 5, 9 = I, 5, 14. — IV, 5, 10 = I, 5, 15. — IV, 5, 11 = I, 11, 3. — IV, 7, 6 = I, 10, 1.

cognomen *Crassi* constanter retinent; neque illud praenomen *C.* Fonteiis alienum erat. Cf. Cic. pro Font. 4, 8, aliis locis. Cognomen uero *Crassi,* quamquam Liciniorum tantum et Lucullorum erat, tamen quoad certiora argumenta e testimoniis antiquitatis eruta non erunt, C. Fonteio abiudicandum atque ex textu eiciendum esse pro certo affirmare non possumus.

5, 9 *his qui mittebantur*] ducibus libris deterioribus qui praebent *hiis,* editores scripserunt *iis.* — Exspectatur sane pronomen *is* ante enuntiata, quae pronomine relatiuo incipiunt, optimorum quidem scriptorum more: qui usus apud auctorem spectatur his locis: praef. *ea, quae* — 1, 17. 18. 19 *eos qui* — 1, 46 *ea legio in cuius acie* — 3, 4 *ne ea quidem . . . quae* — 3, 13 *eius qui* — 5, 5 *in eo . . . cui* — 5, 10 *in eam . . . cuius* — 7, 13 *eo tempore quo* — 7, 23 *eos quos* — 7, 39 *in eo ipso in quo.* — *Ea omnia quae* 7, 40. — Vides in his exemplis nominatiuum, datiuum, ablatiuum pluralis, qui casus aspiratione addita cum pronomine *hic* commutari solent, non occurrere. Tales autem formae inueniuntur 5, 9 *his qui* — 1, 34. 37. 7, 24 *ex his qui* — 7, 33 *hi qui* (A *hi* ΓDGBO *hii*). — His locis codices miro consensu aspirationem tuentur, atque cum etiam aliis locis ea rarissime optimi libri AΓ abundent (cf. pag. 90), non est, cur eas formas habeamus suspectas. Idem enim usus, ut formae *hi* et *his* non *ii* et *iis* in codicibus praeferantur, apud alios quoque scriptores inuenitur (cf. Hartel, Wiener Sitzungsberichte 1872, vol. 71, pag. 282). Huc accedit, quod auctor pronomine *hic* iam paene eadem ui atque pronomine *is* uidetur uti; cf. 1, 43 *post hoc* 2, 9 *hoc se deceptum aiebat* 5, 10 *hic cum* 7, 18 *ut hoc permitterent* 1, 14 *ad hanc usque metationem quae nunc effecta est.* — Sed 1, 44. 5, 22 ubi nonnulli libri tradunt *his* auctoritatem codicum AΓ secutus scripsi *is* (= iis), cui non obstat, quod 1, 22. 1, 24^b. 7, 24. 7, 35 *eis* 6, 2 *ex eis* legitur, quia *eis* et *iis* (uel *is*) eodem iure apud scriptores poni constat (cf. Neue, l. l. II², 195).

5, 10 *cuius uarie*] editiones ex Front. strat. 1, 5, 15 scripserunt *is cuius uarie,* sed in pronomine illo omisso mos auctoris cernitur, unde etiam discrimen inter ipsum et Frontinum efficere licet. Cf. 1, 5 *non mirari se quod tanta cura ornasset, in quo* — 1, 20 *qui exercitum deseruerant* — 1, 33 *et quem . . . occisuri fuerant* — 3, 12 *malum ciuem dicens cui* — 7, 6 *carpet, qui . . . adtemptauerit* — 7, 9 *diffundendo quae continuerant* — 7, 36 *ut quem . . . arcessierat.*

5, 12 *multis*] Oudendorpius *multa* ex codice Petrensi, hic ut

saepius interpolato. Sed nulla mutatione opus est, quia more auctoris obiectum suppletur, scilicet *Lacedaemonios* uel *eos* ex uoce antecedenti *Lacedaemonius*. Item uerbum obiecti ex antecedentibus supplendum est: 1, 8 *ibi se daturum* (sc. ordines) — 1, 12 *cum . . . habere posset* (sc. filium) — 3, 2 *quam habere* (sc. id) — 3, 12 *malum ciuem dicens* (sc. eum) — 7, 34 *ita suspendebat* (sc. equos) — 7, 35 *poterat dare* (sc. summam). — *multis* ponitur pro *multis rebus* cf. Cic. Tusc. 5, 14, 42: *Lacedaemonii Philippo minitante per litteras se omnia quae conarentur prohibiturum quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus.*

5, 14 *C. Aelius*] in hoc exemplum a librariis pessime tractatum ut diligentius inquiratur, reliqua scriptorum testimonia subiriam. Varro de vit. p. R. III, 3 (= apud Nonium p. 518, 30): *P. Aelius Paetus* (codd. Pelius Petus) *cum esset praetor urbanus et sedens in sella curuli ius diceret populo, picus Martius aduolauit atque in capite eius adsedit.* — Val. 5, 6, 4: . . . *Aelio praetori cui ius dicenti cum in capite picus consedisset aruspicesque affirmassent conservato eo fore ipsius domui fatum felicissimum, rei publicae miserrimum, occiso in contrarium utrumque cessurum, e uestigio picum morsu suo in conspectu senatus necauit. Decem et VII Aelia tum familia eximiae fortitudinis uiros Cannensi proelio amisit: res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.* — Plin. nat. hist. 10, 18, 41: *in capite praetoris urbani Aelii Tuberonis in foro iura pro tribunali reddentis sedit ita placide ut manu prehenderetur. Respondere uates exitium imperio portendi, si dimitteretur; at si exanimaretur, praetori. Et ille alitem protinus concerpsit nec multo post prodigium impleuit.*

Paeto [Varro] an Tuberoni [Plin.] ei fuerit cognomen, ad illustrandum hunc locum nihil interest. Sed ex gente Aelia eum fuisse omnes quos attuli loci demonstrant, ut iam non dubium sit, quin illud *Caelius* codicum necessario dirimatur in uoces duas *C. Aelius*. Eodem igitur modo quo apud Varronem *(P. Aelius = Pelius)* praenomen et nomen in unum quasi corpus coaluerant. Sed de ipso praenomine disceptatur, utrum fuerit *C.* an *P.* Hoc propterea minus probauerim, quod in codicibus Varronis propter insequens *Paetus* oculo aberrante littera *p* uerbo antecedenti facile potuit praefigi. Illud uero, cum non uno tantum loco codices *caelius* tradant, et maiore confirmatur auctoritate neque raro in Aeliis reperitur. Tertium praenomen uiri docti ex huius exempli uerbis extremis attraxerunt: quod, ab Oudendorpio in textum receptum,

quondam fuisse etiam apud Valerium, auctoris condicione male cognita contendit Hermannus Kettner (in praef. editionis Varronis de vit. p. R. — p. 14). Nam Pighium, Perizonium, Oudendorpium, cum codicibus interpolatis, in quibus *L. elius praetor* sqq. exstat, pellecti scribendum esse praenomen *L.* praeciperent, ualde errasse apertum est: correxit Oudendorpius, meliorum codicum ratione non habita, in hoc exemplo nomina mutauitque suo arbitrio. Sed optimis libris aduocatis et uerbis ipsis diligenter perpensis res non in ambiguo est. Praetorem illum urbanum ex gente Aelia fuisse, certe scimus: ergo codicum lectio *caelius* et infra *caelium* emendanda est in *C. Aelius* et infra *C. Aelium.* At idem codices mox tradunt *cum quattuordecim caeliis:* id uidelicet ineptus librarius correxit ubi supra *caelius* et *caelium* quasi unum nomen deprehendit. Verba autem extrema quae ex codicibus sic dedi: *hunc quidam non C. Caelium sed Laelium fuisse, et Laelios non Caelios perisse credunt,* cum his prorsus dissentire consentaneum est, quia non auctoris sunt, frustraque ea emendare temptabis. Peruetusto iam tempore, sed postquam in codicibus *caelius* iam ortum est, ea a librario quodam addita sunt, qui in alius scriptoris, fortasse Varronis, libro item deprauato hoc *lelio* (= *L. Aelio*) accidisse legerat. Eundem praenomen *C.* nescio ubi recte inuenisse, e codice A (= *c. caelium,* quod quidem compendium alii perperam explicauerunt in *claudium caelium,* alia) clare atque euidenter apparet. Ipse uero, cum *laelios non caelios* scriberet, ostendit nobis, quam penitus rem intellexisset. Ac, ne illud praeteream silentio: in hoc uno exemplo tale quid in extrema narratione adicitur, uix ut suspicionem remoueas, in margine prius adnotatum postea aliquem librum describentem textui id immiscuisse. Quod si secluditur, etiam narratio sicut in ceteris exemplis ita concluditur, ut ipse effectus uerbis *in proelio est occisus* maxime eluceat.

5, 14 *at C. Aelium*] *at* cum DGBO scripsi, grammaticorum usum secutus. Attamen dubitare licet, an *ad* in AΓ auctoris scriptura fuerit. Cf. Quint. 1, 7, 5 *illa quoque seruata est a multis differentia, ut ad, cum esset praepositio, d litteram, cum autem coniunctio, t acciperet* (cf. Brambach, l. l. p. 252).

5, 14 *non dubitauit de ea re: picum necauit atque*] libros interpolatos consulentes, hoc loco editores, ut ita dicam, fabulas protulerunt. Restitui uerba ex uestigiis optimorum codicum AΓ: '. . . zweifelte er nicht daran (= an der Wahrheit dieses Ausspruches): er tödtete den Specht und wurde . . .' — nam in lectione *pecunia* latere uocem *picum* luce clarius est. Verbum autem *necavit,*

quod excidit, suppleui ex narratione ipsius auctoris *(necata populum R.)* et Valerii *(picum . . . necauit)*, quamquam auctor nullo modo Valerium descripsit, ut nonnulli aiunt (cf. *Val: Cannensi proelio* — auct: *nostro exercitu uincente . . . in proelio est occisus*). — Atque ita nascitur etiam asyndeton ab auctore perquam adamatum (cf. pag. 142).

5, 17 *eoque* sc. hoste. — *Aliquot uulneribus* est ablatiuus modi et pertinet ad *reuersus est;* nulla ei additur praepositio, sicut in nominibus fieri solet, quae copias, exercitus, alia significant. Liv. 7, 20 *cum populatione peragrati fines essent.* Curt. 3, 12 *terras uictoria peragrare.* — Coniectura igitur Leidensis sec. non opus est.

5, 18 *Petelini*] ita librorum scripturam *petilini* Dederichius emendauit, quia ea nominis forma confirmatur plurium locorum consensu: Val. 6, 6, 2. Liv. 23, 20. 30. Verg. Aen. 3, 402. Graecis scriptoribus constanter fere *Πετηλῖνοι* vocantur: Polyb. 7, 1. Strab. 6, 1, 3 p. 254 Cas. — Orell. inscr. n. 3678.

5, 19 *Hispani cum Saborae obsessi essent*] codices hunc locum tradunt corruptum. Corruptelam Scriuerii coniectura *Hispani Consaburenses* non sustulit. Ita enim nomina nationis et gentis (= die spanischen Consaburenser) nusquam apud auctorem coniunguntur. Praeterea codices uno consensu exhibent *hispani cum,* unde iure mihi uideor colligere, post nomen *hispani* eam structuram, quae sescenties apud auctorem in exemplorum initiis inuenitur, etiam hoc loco fuisse: enuntiatum dico temporale a particula *cum* incipiens. Iam e uestigiis reliquarum litterarum in *AΓ* traditarum, quamuis uix quicquam certi refingi sinant, scripsi *Saborae obsessi essent.* Huius oppidi nomen proxime ad litteras accedit commodeque in rem conuenit. Eius mentio fit in epistula Malacitana (C. I. L. II, 1423), qua Vespasianus Saborensibus permisit, ut oppido quod paulo ante cum reliqua Hispania ius Latii acceperat, nomen Flauii inderetur et ex monte in situm planum commodioremque transferretur. Situm autem oppidum erat haud procul ab urbe Malaca in prouincia Baetica, prope ad oppidum quod nunc uocatur '*Cañete la Real*'. Atque Hirtuleium in ea regione fuisse constat, quia a. u. c. 679 apud Segouiam deuictus est; neque uerisimile non est Saboram oppidum, ut in monte situm, receptaculum Hispanorum fuisse. — 'Als die Spanier in Sabora belagert waren, haben sie . . .' —

5, 20 *Casilini*] sic incolae oppidi Casilini uocantur. Cf. Dio Hal. exc. 3 *Κασιλῆνοί.* — (*Casilinus* Sil. 12, 426 adiectiuum est.)

5, 23 *domum*] haec forma non aliena est ab oratione pedestri cf. Neue l. l. I, 360. — In archetypo erat *domū*, unde *Γ* recte descripsit *domum*, A uero compendio male intellecto finxit *dominum*.

6, 2 *obmurmurantem audiens quod diceret*] in codicibus huius loci structura sana non est. Verbis traditis ui allata Scriuerius et Oudendorpius eam restituere conati sunt. At facilius simpliciusque corruptelam tolli arbitror, si participium, uelut *audiens* iam in archetypo intercidisse statuimus: quae structura haud insolens est (cf. Zumpt § 551). Cic. de off. 1, 13 *rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret.* Caes. b. G. 7, 75 *Bellouaci suum numerum non contulerunt, quod se suo nomine cum Romanis gesturos bellum dicerent.* Sall. Cat. 49: *ipsi ... ementiundo, quae se ... audisse docerent.*

6, 4: *deductum*] in A*Γ* *(causae deductum)* duae traduntur lectiones, quae uidentur iam in archetypo fuisse: *eductum* (sic DGBO) et *deductum* (cf. pag. 86). — Hoc autem uerbum recepi, quia in ea re sollemne est. Tac. dial. 34: *iuuenis ille ... deducebatur a patre uel a propinquis ad eum oratorem.* Cf. Cic. de am. 1, 1. Petr. 85, 3. Iuuenis igitur, qui erat *petitor militiae* (Marquardt, röm. Staatsverw. II, 367) ad longiorem i. e. inferiorem ordinem quam pro nobilitate par erat, deductus erat.

7, 1 *C. Caesar*] sic Dederichius tacite, sed sine dubio recte. Codices praenomen *T.* (*Γ* compendium soluit: *Titus*) exhibent, tamen *C.* et *T.* saepe commutantur. Ipsum hoc dictum in commentariis Caesaris non inueni, sed simile quid exstat b. c. 1, 72, 1—2: *Caesar in eam spem uenerat, se sine pugna et sine uolnere suorum rem conficere posse, quod re frumentaria aduersarios interclusisset. Cur etiam secundo proelio aliquos ex suis amitteret... praesertim cum non minus esset imperatoris consilio superare quam gladio?* — Idem tamen dictum P. Scipioni Africano min. tribuitur App. Ib. 87 ... συγκρίνων δ' ἔφη καὶ τοὺς ἰατροὺς μὴ χρῆσθαι τομαῖς μηδὲ καύσεσι πρὸ φαρμάκων.

7, 2 *dolabra*] Veget. 2, 25 *qua materies dedolatur* — Dederichius insulse *dolabris et operibus.* — *Idem* in ADG ortum est ex compendio falso explicato (idē = idem et id est). — Verba *id est operibus* suspecta non habenda sunt, quia saepius auctor ipse dicta interpretatur. Cf. 7, 3 *significans* 1, 17 *significans.*

7, 7 *terrendique*] illud *adiecit* quod Vat. 3408 post *causa* inserit, non auctoris est, sed librarii, qui structuram non perspexit. Totum enim enuntiatum *terrendique ... patere* dependet e uerbo

iussit. Ducibus igitur et praefecto castrorum consul mandauit, ut exploratores hostium castra uisere paterentur.

7, 12 *M. Porcius Cato*] *impetu* illud languidum, quod adhuc in editionibus legitur, ex codicibus Italicis, Mediceis puto, irrepsit, in quibus sicut in Vat. 3408 per librarios *de impetu* superscriptum erat. — Acrius Wesselingius corruptelam aggressus proposuit *de lembo.* Sed eis nauiculis Romanos in pugna nauali usos esse non accepimus. Equidem suspicor in illo *dento* latere nomen *Cato,* quod in libro uncialibus exarato corruptum est. Et profecto auctor, ubicunque eius mentionem facit, cognomine eum appellat (1, 16. 33. 3, 1. 5, 17. 7, 31. 35), ut ab eo usu ne hoc quidem loco illum discessisse iure concludas.

7, 13: *omnem*] sic ex DG dedi: nam armis celatis opponitur colentium imitatio perfecta. *Omnium* propter insequens *colentium* oculis auribusue librarii deceptis ortum est.

Et ueste] uerbis *armis tamen et veste celatis* nihil sanius est: attamen ea sanare Oudendorpius tentauit, cum ridiculum illud *sub* quod Italicorum inuentum est pro *et* ex codice Petrensi reciperet. Quomodo fieri potuit, ut arma, scilicet hasta, gladius, scutum, sub ueste nemini conspecta celarentur? Aut eodem uestitu et habitu quo sacra Mineruae celebrabant, expeditionem putas contra hostes eos fecisse? — Oudendorpius de Panathenaeis hic cogitat: at ea non extra urbem celebrabantur et eis ipsis arma ferre licebat. Cf. Thucyd. 6, 56 *Παναθήναια τὰ μεγάλα ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγίγνετο ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψαντας ἀθρόους γενέσθαι.* Quod cum ciues armati sequi pompam sollemnem solerent, cur arma celarent? Itaque si modo deae nomen rectum est, *σκιροφόρια* intellegenda sunt, quibus ad templum quoddam Mineruae, inter urbem et Eleusin situm, sacra celebrantes excedebant. Ea autem per unum tantum erant diem. Sed auctor dies festos fuisse celebratos refert. Quod cum ita sit, in ipso nomine deae uidetur error latere. Atque auctorem suspicor cum hoc exemplum, fortasse ex graeco scriptore, excerperet, nomen Mineruae perperam posuisse pro Cerere et mysteria hic intellegi Eleusinia (similiter auctor errauit 3, 6 ueru, fortasse etiam 5, 1 Glaucia pro Claudio). Ea autem sacra ad huius exempli condiciones omnes bene conueniunt.

Lacedaemonem uersus] somniauit Dederichius, cum *Lacedaemoniorum in agros* scriberet, 'adiutus codd. Mediceis, in quibus pro *uersus* exaratur *agros*'. Nam quisquis oculis non caecis appa-

ratum Oudendorpianum inspexerit, statim cognoscet, Mediceos *agros hostium* pro *agrum hostium* perhibere.

7, 18 *poscentibus promissis id*] sic hunc locum restitui, ducibus optimis libris *AΓ*. — Codices DGBO uerba tradunt 'mutilata atque in recentiore aliquo sedulus quidam librarius *securitatem* ante *promisit* addidit, ut in editionibus omnibus nunc legitur. — *Poscentibus promissis id* = quod cum promissa poscerent: 'er sei gekommen, um Elephanten zu jagen, an denen Numidien reich ist: sie möchten das doch erlauben; da die Versprechungen (d. h. dass er nur der Elephantenjagd wegen gekommen sei) dies (d. h. die Erlaubniss zu geben) erforderten, griff er sie an, als sie durch jenes Vorgeben überredet sich zerstreut hatten, und . . .'.

7, 19 *in eam remigem*] *remigem* ponitur pro *remiges* cf. ad 1, 7. — *In eam* sc. triremem, quod quidem eodem modo dicitur atque Tac. ann. 1, 57 *uicta in lacrimas*; ib. 4, 45 *in mortem affecit*. 4, 62 *in mortem adflixerat* (praepositione in c. acc. consilium uel euentus significatur). — Fortasse auctor fontem unde exemplum hausit, graece scriptum imitatus sic locutus est. Cf. Polyaen. 2, 7 *Ἀλκέτας Λακεδαιμόνιος . . . καθελκύσας τριήρη μίαν καὶ ἐς ταύτην ἀνὰ μέρος ἐμβιβάζων τοὺς στρατιώτας... ἤσκει τῶν τριήρων ἁπασῶν τὰ πληρώματα.*

Galeiculis] quomodo in *AΓ* scriptura *galei oculis* orta sit, explicaui pag. 87. — *Galeicula* est diminutiuum secundi gradus, ut recte monet Tennulius, exemplis eiusdem generis enumeratis: olla, ollula, ollicula — silua, siluula, siluicula — seruus, seruulus, seruiculus — glomus, glomulus, glomiculus, glomicellus — stera, sterula, stericula — sic etiam: galea, galeola, galeicula dicitur. — *Galericulis,* quod in O ab posteriore manu superscriptum est et in editionibus legitur, non displicet, neque tamen uocem codicibus confirmatam remouere potest. Nam nisi de ipso uerbo non disceptatur: res in utraque lectione eodem redit. *Galericulum* est tegumentum ferinae pellis: *galeicula* autem galea perquam parua ex corio facta. Itaque fit, ut uerba Polyb. (6, 20) ab Oudendorpio citata lucis nihil afferant: *προσεπικοσμεῖται δὲ λιτῷ περικεφαλαίῳ· ποτὲ δὲ καὶ λυκείαν ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν.*

7, 29: *armare*] optimi codd. eam structuram confirmant, quae apud auctorem hoc tantum loco reperitur (cf. ad 1, 18) neque tamen apud alios infrequens est: Cic. Cat. 3, 8, 20 *iusserunt simulacrum Iovis facere.* Liv. 3, 22 *signum obseruare iussit* (cf. Draeger, hist. Synt. II p. 314).

Recipientibus] haec lectio codicum *AΓ* ante incognita acceptis-

sima est. *Recipientibus* = qui uelites perpetrata re aut fugatos ab hostibus reciperent referrentque ad aciem suorum. *Incipere* admodum languet: nam coepisse eos proeliari consentaneum erat.

7, 32 *scientia*] ita cum libris scribendum est. Oudendorpius saepius locos quosdam strategematon ex aliis scriptoribus, non ex uerbis ipsius auctoris explanauit atque emendauit. Hoc quidem loco Plutarchi uerba (Caes. 44) *δεδοικὼς τὴν λαμπρότητα καὶ τὸ πλῆθος ἱππέων* nihil ualent ad huius uerba mutanda: Oudendorpii coniectura *magnificentia* claudicat, quia nemo armorum magnificentia conficitur. Atque per *eaque* (= und noch dazu) gradationem indicari patet, quae uerbo *scientia* optime exprimitur, sed illius mutatione euanescit. — Pro *conficeret* scripsit Dederichius: '*confunderet*. Cum Lipsio'. Iterum deprehendis magnam eius leuitatem: nam Lipsius hoc non proposuit sed 'notauit in uetere libro esse confunderet'.

Auersa facie] sic Stewechium secutus scripsi. Nam ea lectio non solum proxime accedit ad scripturam codicum, in quibus crebro compendium litterae *m* casum significantis falso additur, sed etiam sola conuenit in sententiam. Commutari uocem *facie* cum altera uelut *acie* uerba *ora oculosque* sqq. uetant. Structura autem enuntiati sanissima est, quia pronomen obiecti 'eos' more auctoris suppletur ex antecedenti *eorum* (cf. pag. 153).

7, 33 *Voccaei*] huic genti apud scriptores nomen est Vaccaeorum. C. I. L. II, 4233 *ex gente Vaccaeorum*. — Sed formam *Voccaei*, quia in codicibus omnibus, ne uno quidem excepto, legitur, in textum recepi, ea inductus persuasione, in his rebus libros auctoris consuetudinem dicendi scribendique tenaciter tueri (cf. ad 1, 44). Habemus item 1, 44 *uocaret* pro *uacaret* et 3, 7 *uocabat* pro *uacabat*. — Conspicitur in eis formis lingua rustica, quae item ex *Traianus* fecit *Troianus* (C. I. Rh. 1116 *troiane*) — cf. Brambach l. l. pag. 71 et 319.

7, 34 *quodam*] Dederichius temere ex libr. dett. *quondam*. — Iustin. 14, 2 *uictus in munitum quoddam castellum confugit*. — Nomen castelli Nora erat (cf. Nep. Eum. 5. Diodor. 18, 42. Plut. Eum. 10. 11).

Quom] scriptura codicis *Γ* miseriis uilium membranarum atque editorum finem facit. — De structura huius enuntiati cf. ad 1, 8.

Cum adpetunt] pro *cum* Oudend. ex edd. Ital. et mss. quibusdam scripsit *dum*. Sed illa structura apud scriptores inuenitur. Cf. Ter. Eun. 345 *huc quom aduenio, nulla erat*. Cic. Verr. 4, 14

eo cum uenio, praetor quiescebat. Cic. ad Att. 10, 16, 5: *cum redeo, Hortensius uenerat.*

Usque] *uimque* quod DGBO tradunt primo aspectu se commendat: attamen uidetur *ad sudorem uimque* durius dici (= ita crura iactabant, ut sudor uisque conspiceretur). Neque lux affertur ex eo loco, ubi Diodor. (18, 42) idem refert: *εὐθὺς οὖν μὲν ὁ ἵππος βουλόμενος στηρίζεσθαι τοῖς ἐμπροσθίοις διεπονεῖτο τῷ τε σώματι παντὶ καὶ τοῖς σκέλεσι, συμπασχόντων ἁπάντων τῶν κατὰ τὸν ὄγκον μελῶν· τοιαύτης δὲ γινομένης κινήσεως ἱδρώς τε πολὺς ἐκ τοῦ σώματος ἐξεχεῖτο καὶ τῇ τῶν πόνων ὑπερβολῇ τὴν ἀκρότητα τῶν γυμνασίων τοῖς ζώοις περιεποιεῖτο.* Similiter Plut. Eum. 11 *κατετείνοντο πᾶν τὸ σῶμα καὶ πολὺν ἠφίεσαν ἱδρῶτα καὶ σταλαγμὸν οὔτε πρὸς τάχος οὔτε πρὸς ῥώμην γυμναζόμενοι κακῶς.*

Itaque Gronouium secutus sum, qui simplicius quam Oudendorpius atque emendatio uulgata corruptelam sustulit. *Usque* igitur prius corruptum est in *uique* (sic exhibent AΓ), deinde in altera codicum classe librarius lineola addita uocem barbaram correxit in *uimque.*

7, 35: *eis*] falsa uerborum distinctione in Γ (*summae is* pro *summa eis*) per librarii curam noua lectio exstitit, quae tamen, origine perspecto, facile spernitur.

Uictoribus — interfectis] non datiui, sed ablatiui abs. accipiendi sunt. Immerito autem Dederichius inseruit *iis:* pronomen enim ex antecedentibus suppletur. Cf. 1, 10 *iussoque.* — Cf. Draeger, hist. Synt. II, p. 760.

7, 41 *interceptus*] *interfectus* in A mendum librarii est; nam ut hoc loco sic etiam Front. II, 4, 16 optimi codices atque ipse A tradunt *interceptus.*

7, 42: — totum exemplum (§ 42) optime restituit Hedickius (Herm. 6, p. 156), ubi corruptelas ex eodem fonte profectas omnes prudenter sanauit. Folium enim geminum, quod continebat uerba quae nunc leguntur in editionibus IV, 7, 42 inde a ‖ *continuerunt* [*continerent* DGBO] *se intra castra* sqq., tum exempla § 43, § 44, § 45; deinde II, 10. § 1, § 2. II, 11, §§ 1—7. II, 12. § 1, § 2 usque ad uerba *secundum consuetudinem* ‖ in nostrorum codicum archetypo e suo loco (= inter uerba II, 9, 7 *metu illi con* ‖ et ‖ *aduentaret recepit aciem* II, 12, 2) transpositum fuit in finem operis inter uerba IV, 7, 42 *in agmine milites* ‖ *nere* [*redire* DGBO] *uellent.* Quem errorem librarii inferioris aetatis ingenio haud acri ita correxerunt, ut editiones adhuc omnes perhibent. Sed, reliquas

emendationes ut hoc loco mittam, omnia quae post lacunam in medio exemplo IV, 7, 42 a Dederichio indicatam sequuntur, tribuenda esse libri II capiti nono atque ex exemplo II, 12, 2 uerba quae post *consuetudinem* leguntur, ad Metelli strategema reducenda finemque libri quarti in eis constituendum esse, recte Hedickius perspexit atque explicauit. Neque tamen ei assentior, quod IV, 7, 42 coniecturam Theodori Mommsen *ire nollent* approbauit. Codices A*Γ* sane si non corruptum, at certe non integrum locum *nere uellent* tradunt. Alteri uero generi caue ne fidem habeas, quippe quod et *redire* [nere A*Γ*!] *uellent* et *continerent* [*continuerunt* A*Γ*!] ad structuram et conexum uerborum casu conflatorum suo iure correxisse appareat. Sententiam ferme Dederichii coniectura aequat: *praedatum ire uellent*, sed nimis longe a uerbis aberrat. Illud autem Mommsenii *ire nollent*, quamuis simplex sit, tamen falsum est, quia *in agmine ire* nemo dicere solet, immo missa praepositione *agmine* uel *agmine facto, quadrato ire, procedere* sollemnis est dicendi consuetudo. Suspicor equidem in codicibus A*Γ* genuini uerbi solam partem extremam *nere* resedisse ipsumque fuisse *continere* atque lego *continere uellet.* Exemplum autem in duo folia, uti Hedickius, sed ita ut lineolae subuersae indicant: *in agmine milites conti* ‖ *nere uellet pronuntiavit* equidem colligo in archetypo fuisse distractum. Iam ubi istud folium ex libro secundo inter ambas huius exempli particulas transpositum fuit, utraque suam passus est fortunam: nam litteras *conti* propter insequens *continuerunt* (IV, 7, 42, rectius II, 9, 7) librarius omisit, ex *uellet* uero correxit *uellent*, quod structura nunc effecta poscebat (II, 12, 2 *cum tamen turmales secundum consuetudinem* ‖ *nere uellent*). Consilium autem militum in agmine continendorum uerbis insequentibus *ne discederent a signis neue agmen laxarent* apte illustratur ac probatur.

7, 42 *sollerte ex disciplina*] emendationem Oudendorpianam praetuli reliquis, quia non solum ad scripturam codicum optimorum A*Γ* *solueret ex disciplina*, uerum etiam ad ueritatem proxime accedit: nam *sollerte ex disciplina* et *ueris insidiis* inter se opponuntur.

DE THEODORO LECTORE

THEOPHANIS FONTE PRAECIPVO

SCRIPSIT

IOSEPHVS VICTOR SARRAZIN

DIBIONENSIS

Caput I.

DE THEODORI LECTORIS HISTORIA TRIPARTITA THEOPHANIS FONTE USQUE AD NESTORIUM.

Examinatis permultis uoluminibus ita chronographiam se composuisse, ut nonnullos deligeret ex rerum scriptoribus, cum prooemio ipse testetur Theophanes, quosnam adhibuerit auctores Syncelli ille continuator et quomodo singulis consuluerit, indagare et enucleare operae pretium mihi uisum est. Qua in re caueamus oportet, ne eos qui nominatim excitati sunt auctores ipsos a Theophane inspectos esse existimemus; namque nec Sozomenum[1]), nec Petrum Alexandrinum[2]), nec Priscum Panitam[3]), nec Theodorum Lectorem[4]) ipse legit misellus ille chronographus, Byzantinorum more auctorum nomina singulis ex scriptoribus describens, quorum scrinia compilauit. In ipsa autem quaestione sciendum est me ea usum esse ratione, in rebus inde a Theodosio Magno usque ad Anastasii obitum enarratis disponendis, ut primum quidem res perlustrarem ecclesiasticas, altera parte, eaque breuiore, quosnam praeterea profanos auctores adhibuerit Theophanes inquisiturus.

§ 1. DE SOZOMENI HISTORIA NUM INTEGRA SIT.

Sozomenum scholasticum nouem historiae ecclesiasticae libros conscripsisse constat inde a Constantino usque ad Theodosii minoris consulatum decimum septimum (= 439 p. Chr.) pertinentes.[5]) Paullo ante eum floruisse uidetur Socrates, qui eandem fere

1) Theoph. 126, 19, ed. Bonn.
2) Th. 172, 5.
3) Th. 179, 16.
4) Th. 250, 16.
5) Cf. Sozom. hist. eccl. prooemium: *Πρόεισι δέ μοι ἡ γραφὴ ἀπὸ τῆς Κρίσπου καὶ Κωνσταντίνου τῶν Καισάρων τρίτης ὑπατείας μέχρι τῆς ἑπτακαιδεκάτης τῆς σῆς· ἔδοξε δέ μοι καλῶς ἔχειν εἰς ἐννέα μέρη τὴν πᾶσαν πραγματείαν διελεῖν* (pag. 397 A ed. Val.).

aetatem pertractauit. — Rectissime olim Valesius, singularis acuminis uir[1]), de ratione diiudicauit, quae inter utrumque intercedat scriptorem; recte post eum Fabricius[2]) haud paucis locis Sozomenum, utpote paullo post Socratem florentem, illius libros respexisse censuit, sed ab illius sententia hic illic recedentem nonnulla modo addidisse, modo correxisse, nusquam prolato Socratis ipsius nomine. Quam uere hoc statuerint uiri doctissimi nemo poterit negare, qui Socratis librum V et Sozomeni VII accuratius inter se comparauerit ac praecipue utriusque de Iohanne Chrysostomo narrationem diligenter perlegerit. Optimo igitur iure nuperrime Güldenpenning[3]) hanc sententiam comprobauit repulsis argumentis, quae sat uana ad infringendam eam protulerat Holzhausen.[4])

Grauior est quaestio saepe proposita necdum absoluta, num integer sit Sozomeni liber extremus. — Sub finem cap. 16 illius libri Sozomenus se transire dicit ad Zachariae et Stephani reliquias[5]), deinde insequenti capite ab his verbis auspicatur: *Ἄρξομαι δὲ τοῦ προφήτου,* ita ut expectemus alteram narrationis partem qua de martyrum principis reliquiis esset agendum. Extat uero haec narratio apud eos, quos ex Sozomeno sua desumpsisse manifestum est, apud Nicephorum Callistum Theophanemque.

Nicephorus, postquam de Zacharia propheta egit (XIV, 8), prorsus conspirans cum Sozomeno, statim narrationem subiungit de Stephano (XIV, 9), tum agit de 40 martyrum inuentione, Sozomeni usque insistens uestigiis.[6]) Iam haec sufficiunt ad fulciendam eorum opinionem, qui mancum esse Sozomeni librum extremum sibi persuaserunt; sed alter existit testis Theophanes. Namque Th. 133, 12—17 legimus, in pago quodam agri Eleutheropolitani Zachariae prophetae, in pago quem Pergamala appellat chronographus Stephani reliquias detectas esse, quas res se narraturum Sozomenus pollicitus erat. Neque uero recta uia — ut dicunt — ab illo sua mutuatum esse Theophanem, ut contextus ipsa exilitas,

1) Cf. praef. edit., pag. 11—12.
2) Bibl. Gr. VI, 122 ed. Hamb.
3) Güldenpenning, der Kaiser Theodosius der Grosse. Halle 1876. pagg. 24 sqq.
4) Holzhausen, commentatio de fontibus, quibus Socrates, Sozomenus ac Theodoretus usi sint, Gotting. 1825. — Cf. Koecher, de Ioh. Antiocheni aetate etc., Bonn. 1871, pag. 31.
5) Soz. IX, 16: . . *οἷον δὴ καὶ τότε γενέσθαι συνέβη ἐπὶ Ζαχαρίᾳ τῷ παλαιοτέρῳ προφήτῃ καὶ Στεφάνῳ κτλ. ἑκατέρου δὲ τῆς εὑρέσεως παραδόξου καὶ θείας οὔσης ἀναγκαῖον εἰπεῖν τὸν τρόπον.*
6) Soz. IX, 2.

ita excerpta quaedam ostendunt a Cramero edita[1]) Theophanis uerbis simillima[2]); statuamus igitur necesse est, illis ex eclogis hanc narrationem in chronographiam suam deduxisse Theophanem, quod reuera factum esse postea uidebimus. His rebus allatis satis superque efficitur non integrum ad nos peruenisse Sozomēni librum extremum.

Nihilominus hoc nec Valesius, nec Fabricius concesserunt[3]), eo praecipue argumento pugnantes, quod Cassiodorius Senator in historiae tripartitae duobus libris extremis (XI et XII) solum sequatur Socratem, nulla Sozomeni habita ratione. — Sane non negandum est, uno ex Socrate compilatos esse Cassiodorii libros XI et XII; nec tamen inde huius rei causam deduxerim, quod Sozomenus hucusque non peruenerat, (nam ipsius auctoris efficitur testimonio, usque ad annum 439 ductam fuisse historiam ecclesiasticam[4])); immo coniecerim, paullatim languescente auctoris diligentia festinantius conscriptos esse libros XI et XII, cui opinioni id uidetur patrocinari, quod prioribus multo breuiores sunt libri illi extremi, duodenas dumtaxat columnas occupantes[5]), ceteris tricenas fere explentibus. Accedit quod si omnino illis libris Sozo-

1) Cramer, Anecd. Paris. II, 87—114: *ἐκλογαὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας.*

2)

Th. 133, 12—17	= Cr. 100, 16—21
Τούτῳ τῷ ἔτει τοῦ προφήτου Ζαχαρίου τὰ λείψανα εὑρέθησαν ἐν κώμῃ τινὶ κατὰ τὴν περιοικίδα Ἐλευθεροπόλεως, ὁμοίως καὶ Στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος ἐν κώμῃ κατὰ Περγαμαλᾶ, ἐν ᾗ Γαμαλιήλ, ὁ διδασκ. Παύλου τοῦ ἀποστ., σὺν Ἀβίβῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἔθαψαν κηδεύσαντες τὸ σῶμα τοῦ πρωτομάρτυρος.	*Ζαχαρίου τοῦ προφήτου τὸ λείψανον εἰς κώμην εὑρέθη τινὰ τῆς περιοικίδος Ἐλευθεροπόλεως ἐν τοῖς χρόνοις Θεοδοσίου· ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ Στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος ἐν κώμῃ Καπαργαμάλα· ἐν ᾗ Γαμαλιὴλ ὁ Παύλου τοῦ ἀποστόλου διδάσκαλος σὺν Ἀββίῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ τὸ Στεφάνου σῶμα κηδεύσας ἐτάφη [σὺν τῷ υἱῷ αὐτοῦ].*

— Ad nomina adnotandum est, neque Crameri eclogarium neque Theophanem genuinam nobis seruasse formam. Namque in epistola, quam Lucianus presbyter de his reliquiis ad Hierosolymitanum dedit episcopum, nomen extat *Caphargamala* (i. e. villa Gamalielis). (Nicephorus (XIV, 19) exhibet formam *καπαργαμάλα*). Cf. Baronius, Ann. Eccl. ad ann. 415, Nr. 6 —16 (vol. V, pag. 410 ed. Colon. 1624). — Martyrol. Rom., ad 23. Aug. — Filio Gamalielis nomen erat Abibon, non Abbius, ut Crameri scribit eclogarius. — Cf. Baron, ibid. ibid. — Rei ipsius meminit Ruinart, Chron. breu. (Roncalli. II, 259).

3) Vales. adnot. ad Theodoret. V, 40. — Fabric. B. Gr. VI, 122.

4) Sozom. prooem. pag. 165 Nr. 5.

5) Edit. Francof. 1618.

ratum Oudendorpianum inspexerit, statim cognoscet, Mediceos *agros hostium* pro *agrum hostium* perhibere.

7, 18 *poscentibus promissis id*] sic hunc locum restitui, ducibus optimis libris *AΓ*. — Codices DGBO uerba tradunt 'mutilata atque in recentiore aliquo sedulus quidam librarius *securitatem* ante *promisit* addidit, ut in editionibus omnibus nunc legitur. — *Poscentibus promissis id* = quod cum promissa poscerent: 'er sei gekommen, um Elephanten zu jagen, an denen Numidien reich ist: sie möchten das doch erlauben; da die Versprechungen (d. h. dass er nur der Elephantenjagd wegen gekommen sei) dies (d. h. die Erlaubniss zu geben) erforderten, griff er sie an, als sie durch jenes Vorgeben überredet sich zerstreut hatten, und . . .'.

7, 19 *in eam remigem*] *remigem* ponitur pro *remiges* cf. ad 1, 7. — *In eam* sc. triremem, quod quidem eodem modo dicitur atque Tac. ann. 1, 57 *uicta in lacrimas*; ib. 4, 45 *in mortem affecit*. 4, 62 *in mortem adflixerat* (praepositione in c. acc. consilium uel euentus significatur). — Fortasse auctor fontem unde exemplum hausit, graece scriptum imitatus sic locutus est. Cf. Polyaen. 2, 7 *Ἀλκέτας Λακεδαιμόνιος . . . καθελκύσας τριήρη μίαν καὶ ἐς ταύτην ἀνὰ μέρος ἐμβιβάζων τοὺς στρατιώτας... ἤσκει τῶν τριήρων ἁπασῶν τὰ πληρώματα.*

Galeiculis] quomodo in *AΓ* scriptura *galei oculis* orta sit, explicaui pag. 87. — *Galeicula* est diminutiuum secundi gradus, ut recte monet Tennulius, exemplis eiusdem generis enumeratis: olla, ollula, ollicula — silua, siluula, siluicula — seruus, seruulus, seruiculus — glomus, glomulus, glomiculus, glomicellus — stera, sterula, stericula — sic etiam: galea, galeola, galeicula dicitur. — *Galericulis,* quod in O ab posteriore manu superscriptum est et in editionibus legitur, non displicet, neque tamen uocem codicibus confirmatam remouere potest. Nam nisi de ipso uerbo non disceptatur: res in utraque lectione eodem redit. *Galericulum* est tegumentum ferinae pellis: *galeicula* autem galea perquam parua ex corio facta. Itaque fit, ut uerba Polyb. (6, 20) ab Oudendorpio citata lucis nihil afferant: *προσεπικοσμεῖται δὲ λιτῷ περικεφαλαίῳ· ποτὲ δὲ καὶ λυκείαν ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν.*

7, 29: *armare*] optimi codd. eam structuram confirmant, quae apud auctorem hoc tantum loco reperitur (cf. ad 1, 18) neque tamen apud alios infrequens est: Cic. Cat. 3, 8, 20 *iusserunt simulacrum Iovis facere.* Liv. 3, 22 *signum obseruare iussit* (cf. Draeger, hist. Synt. II p. 314).

Recipientibus] haec lectio codicum *AΓ* ante incognita acceptis-

sima est. *Recipientibus* = qui uelites perpetrata re aut fugatos ab hostibus reciperent referrentque ad aciem suorum. *Incipere* admodum languet: nam coepisse eos proeliari consentaneum erat.

7, 32 *scientia*] ita cum libris scribendum est. Oudendorpius saepius locos quosdam strategematon ex aliis scriptoribus, non ex uerbis ipsius auctoris explanauit atque emendauit. Hoc quidem loco Plutarchi uerba (Caes. 44) *δεδοικὼς τὴν λαμπρότητα καὶ τὸ πλῆθος ἱππέων* nihil ualent ad huius uerba mutanda: Oudendorpii coniectura *magnificentia* claudicat, quia nemo armorum magnificentia conficitur. Atque per *eaque* (= und noch dazu) gradationem indicari patet, quae uerbo *scientia* optime exprimitur, sed illius mutatione euanescit. — Pro *conficeret* scripsit Dederichius: '*confunderet*. Cum Lipsio'. Iterum deprehendis magnam eius leuitatem: nam Lipsius hoc non proposuit sed 'notauit in uetere libro esse confunderet'.

Auersa facie] sic Stewechium secutus scripsi. Nam ea lectio non solum proxime accedit ad scripturam codicum, in quibus crebro compendium litterae *m* casum significantis falso additur, sed etiam sola conuenit in sententiam. Commutari uocem *facie* cum altera uelut *acie* uerba *ora oculosque* sqq. uetant. Structura autem enuntiati sanissima est, quia pronomen obiecti 'eos' more auctoris suppletur ex antecedenti *eorum* (cf. pag. 153).

7, 33 *Voccaei*] huic genti apud scriptores nomen est Vaccaeorum. C. I. L. II, 4233 *ex gente Vaccaeorum*. — Sed formam *Voccaei*, quia in codicibus omnibus, ne uno quidem excepto, legitur, in textum recepi, ea inductus persuasione, in his rebus libros auctoris consuetudinem dicendi scribendique tenaciter tueri (cf. ad 1, 44). Habemus item 1, 44 *uocaret* pro *uacaret* et 3, 7 *uocabat* pro *uacabat*. — Conspicitur in eis formis lingua rustica, quae item ex *Traianus* fecit *Troianus* (C. I. Rh. 1116 *troiane*) — cf. Brambach l. l. pag. 71 et 319.

7, 34 *quodam*] Dederichius temere ex libr. dett. *quondam*. — Iustin. 14, 2 *uictus in munitum quoddam castellum confugit*. — Nomen castelli Nora erat (cf. Nep. Eum. 5. Diodor. 18, 42. Plut. Eum. 10. 11).

Quom] scriptura codicis *Γ* miseriis uilium membranarum atque editorum finem facit. — De structura huius enuntiati cf. ad 1, 8.

Cum adpetunt] pro *cum* Oudend. ex edd. Ital. et mss. quibusdam scripsit *dum*. Sed illa structura apud scriptores inuenitur. Cf. Ter. Eun. 345 *huc quom aduenio, nulla erat*. Cic. Verr. 4, 14

imperatorem statim uidebit.[1]) Itaque praestat deteriorum codicum contextus sic uero constituendus: ἐν δὲ τῇ (pro τινι) τῶν τοῦ Σωτῆρος γενεθλίων ἑορτῇ κτλ.

Eodem ex Theodoreto petita sunt ea, quae deinceps de lege dilatoria Ambrosio auctore promulgata a Theophane referuntur, passim ab hominibus doctis addubitata, quoniam lex ipsa non reperitur in Corpore Iuris. Sed praeter Theodoretum et Theophanem eosque qui ab eo pendent, Zonaram Cedrenumque[2]) testes illius rei existunt grauissimi Sozomenus (VII, 25), Rufinus (II, 18), Malalas (348, 2—5, Bonn.). Haud recte igitur difficultatem mihi uidetur remouisse Baronius, Anianum, codicis Theodosiani confectorem, legem sine consulum denominatione repertam suo ex arbitrio sub hunc titulum collocasse ratus.[3]) Magis arridere Valesii sententiam fateor, qui legem octo ante annos a Gratiano latam, deinde neglectam, a Theodosio demum renouatam esse suspicatur.[4])

Haec redeunt ad Theodoretum. Deinceps ad Sozomenum reuersus Theophanes paganorum persecutiones[5]) causam fuisse narrat, cur Nilus anno illo non exundarit, atque apud eundem consistit usque ad pag. 115, 6:

Th.	114, 10—17	=	Soz. VII, 20, 736 C — 737 A.
„	114, 17—115, 2	=	Soz. VII, 24.
„	115, 3—6	=	Soz. VII, 29, 752 C.

Iam ad tertium auctorem transiisse uidetur chronographus extrema Theodosii tempora expositurus:

Th.	115, 6—12	=	Theodoret.	V, 23 (230 BC, 231 BC).
„	115, 12—15	=	Socr.	V, 18, 277 BC.
„	115, 15—17	=	ibid.	277 D — 278 A.

Extremo denique loco (115, 18—116, 7) modo Socratis, modo Sozomeni redolet stilum:

1) Mense Martio data est lex 4, cod. Th. IX, 10; item l. 3. cod. Th. X, 22; mense Aprili l. 27 et 28. cod. Th. XV, 1; mense Decembri l. 9. cod. Iust. I, 40. Inde cernimus imperatorem per octo menses, quibus poena ecclesiastica afflictus erat, legibus dandis sese abstinuisse.

2) Zonar. XIII, 18, 227 ed. Dindorf; Cedr. 571, 5—7, Bonn.

3) A. E. ad ann. 390. Nr. 24 (vol. IV, 672).

4) Adnot. ad. Theodoret. V, 18. S. 46.

5) Sunt persecutiones illae, quas Ambrosio suadente institui iussit Theodosius (l. 11. Cod. Th. XVI, 10) Aquileiae tum degens, Tatiano et Symmacho coss. (= 391), XV Kal. Iul. — Clinton, F. R. I, 524. — Ex Theophane sua desumpsit Cedrenus 571, 8—15.

Th. 115, 8—116, 7 = Soz. VIII, 29, 752 D = Socr. V, 26, 295 B.

Τούτῳ τῷ ἔτει μετὰ τὴν Εὐγενίου τοῦ τυράννου ἀναίρεσιν καὶ τὴν τῶν πραγμάτων κατάστασιν ἀπῆρεν ἀπὸ Ῥώμης ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς Θεοδόσιος καὶ ἤρχετο ἐπὶ ΚΠ. Ἐλθὼν δὲ ἐν Μεδιολάνῳ ἀρρωστήσας, Ὀνώριον τὸν υἱὸν μετεστείλατο καὶ θεασάμενος αὐτὸν ῥᾷον ἔσχεν. Ἱπποδρομίαν δὲ ἰδὼν μετὰ τὸ ἄριστον κακῶς διετέθη ἀθρόως καὶ μὴ ἰσχύσας τῇ δείλῃ ἀνελθεῖν τῷ υἱῷ ἐκέλευσε ταύτην πληρῶσαι καὶ τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐκοιμήθη ἐν κυρίῳ ὑπάρχων ἐτῶν ξ΄ βασιλεύσας ἔτη ιϛ΄. .

Th. 116. 8—10.
Καταλείψας βασιλεῖς τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ Ἀρκάδιον μὲν τὸν πρε-

Μετὰ δὲ τὴν κατὰ Εὐγεν. νίκην ἔτι ἐν Μεδιολάνῳ διάγων Θεοδόσιος ὁ βασ. ἀρρώστως διετέθη, ἐννοηθείς τε ὁμοῦ τὴν τοῦ Ἰωάννου τοῦ μοναχοῦ προφήτειαν ὑφωρᾶτο τελευτήν, ἐν τάχει τε τὸν υἱὸν Ὀνώριον ἐκ τῆς ΚΠ. μετεκαλέσατο καὶ παραγενόμενον ἰδὼν ἔδοξε ῥᾷον ἔχειν, ὡς καὶ ἐπὶ θέαν ἱπποδρομίας αὐτὸν προελθεῖν· ἐξαπίνης δὲ μετὰ τὸ ἄριστον κακῶς διατεθεὶς ἐκέλευσε τῷ παιδὶ τὴν θέαν ἐπιτελέσαι· τῆς δὲ ἐχομένης νυκτὸς τὸν βίον μετήλλαξεν Ὀλυβρίου καὶ Προβιανοῦ τῶν ἀδελφῶν ὑπατευόντων.

VIII, 1, 753 A. *Ὧδε μὲν ἐτελεύτησε Θεοδόσ. ἀμφὶ τὰ ἑξήκοντα ἔτη γεγονώς· ἐκ τούτων δὲ δέκα καὶ ἓξ ἐβασίλευσε. καὶ διαδόχους κατέλιπε τῆς ἀρχῆς Ἀρκάδιον μὲν τὸν πρεσβύτερον τῶν υἱέων τῶν πρὸς ἕω ἐθνῶν, Ὀνώριον δὲ πρὸς ἑσπέραν.*

Ὁ δὲ βασιλεὺς Θεοδόσιος ἐκ τοῦ πολεμικοῦ μόχθου κακῶς διετέθη τὸ σῶμα· προσδοκήσας δὲ ἐκ τῆς ἐπιγενομένης ἀῤῥωστίας τέλος ἔχειν αὐτῷ τὰ τῆς ζωῆς, μείζονα τῆς τελευτῆς περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων εἶχε φροντίδα λογιζόμενος κτλ. μεταπέμπεται οὖν ᾗ τάχος τὸν υἱὸν Ὀνώριον ἐκ τῆς ΚΠ. καταστῆσαι τὰ ἑσπέρια μέρη βουλόμενος. φθάσαντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν τῇ Μεδ. ἀνεῤῥώσθη τῆς νόσου. Ἱπποδρομίας τε ἐπινικίους ἐπιτελεῖ καὶ πρὸ ἀρίστου μὲν ἔρρωτο τὰς ἱπποδρομίας θεώμενος· μετὰ δὲ τὸ ἄριστον ἐξαίφνης διετέθη κακῶς καὶ εἰς μὲν τὴν θεὰν προελθεῖν οὐκ ἴσχυσεν· τὸν δὲ υἱὸν τὴν ἱπποδρομίαν ἐπιτελέσαι κελεύσας νυκτὸς ἐπιγενομένης ἐτελεύτησεν, (sequuntur diei, coss., Olympiadis adnot.)· *ἔζησε δὲ ὁ βασ. Θεοδόσιος ἔτη ἑξήκοντα, ἐβασίλευσε δὲ ἔτη ιϛ΄ κτλ.*

VI, 1, 299 D . . *οἱ αὐτοῦ υἱοὶ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν διαδέχονται καὶ Ἀρκάδιος μὲν τῶν*

σβύτερον τῆς ἑῴας, Ὀνώριον δὲ τῶν ἑσπερίων.	ἑῴων, Ὀνώριος δὲ των ἑσπερίων εἶχε τὸ κράτος.

Itaque auctor ille ignotus, cuius uestigia secutus est chronographus in exponendo Theodosii Magni imperio, Sozomeno auctore ita usus est, ut nonnumquam Theodoreti Socratisque aliquam habuerit rationem. Hoc praecipue ex Theophanis pag. 109 apparet, quem locum etsi ex Soz. VII, 10—14 prodiisse concesserim, satis prope ad Theodoretum accedere non possumus negare. Immo quisquis Theodoret. V, 19—20 diligentius perlegerit atque cum Soz. VII, 10—14 accuratius comparauerit, his in rebus ad Theodoretum propius accedere Theophanem et ob rerum dispositionem et ob sermonis similitudinem quin iudicet facere non poterit. Theophanis auctor autem qualis fuerit cuiusue aetatis haud scio an postea ex minusculis quibusdam rebus colligere liceat.

Transeamus igitur ad Arcadium, cum ad ea, quae pag. 115, ex Socr. V, 18 proferuntur de poenis aduersus mancipes adulterasque feminas statutis, nil habeam quod addam.[1])

§ 3. DE THFOPHANIS FONTIBUS ARCADII THEODOSIIQUE AETATEM PERTRACTANTIS (Th. 116, 13—125).

Ea si omiseris, quae ex profano quodam fonte postea accuratius considerando attulit chronographus, tota fere Arcadii aetas Iohannis Chrysostomi historia impletur ita a Theophane concinnata, ut semper eum secutus sit auctorem, qui Iohanni quam maxime faueret. Summi hoc momenti erit de Theophanis auctore quaestionem instituentibus satis difficilem. Antea fortasse perpauca praemonenda erunt de narratione Georgii Monachi[2]), Cedreni, Zonarae

1) Cf. Cedren. 568, 15—20, ubi scribendum est καὶ τὰ ἐν τοῖς μαγκιπείοις κατὰ τῶν ἐμπιπτόντων ξένων. Earundem rerum meminit Iohannes, Nikiu oppidi episcopus, qui saeculo septimo chronographiam graecam conscripsit nunc neglectam, cuius uersionem quandam aethiopicam e codice Paris. aeth. Nr. 146, foll. 62—138 in lucem protraxit Zotenberg (Journal Asiatique, série VII, tome X, pag. 451—517, XII, pag. 245—347, XIII, 291—386). — Praeterea Bar-Hebraeus eadem fere refert (Chron. Eccl. I, 31, tom. I, 115 ed. Abbeloos et Lamy. — Procul dubio illi has res eodem ex fonte deriuauerunt, unde Theophanes Cedrenusque sua hauserunt. — De rebus ipsis cf. Iohann. Nik. (Journ. As. série VII, tom. XII) pag. 269 cum Zotenbergii adnotationibus; Güldenpenning l. c. pag. 177 ff.

2) Hoc est Ferdinandi Hirsch de Georgio Monacho iudicium: Eine Vergleichung beider zeigt, dass G. M. den Theophanes zu Anfang

qui scriptores adeo Theophanis addicti sunt auctoritati ut ille plerumque tamquam radix esse censeatur, unde eorum enata sit haud clarior suboles. — Georgius Monachus Iohannis Chrysostomi res gestas enarrans auctore quodam usus esse mihi uidetur multo uerbosiore, quam Theophanem h. l. esse cernimus, locisque ex sacris libris depromptis refertissimo.[1]) — Cedrenus per duo uersus Theophanem secutus statim ad Georgium Monachum transgreditur quem per nouem paginas ad uerbum fere exscribit.[2]) — De Zonara quid dicam nescio[3]), cum brevior sit illius narratio, quam ut certi aliquid de fonte statui possit.

Singulis locis Theophanis eiusque auctorum comparatis hoc lucramur laterculum:

Th.	117, 6—118, 3	=	Soz. VI, 2 et 3 (Cram. 98, 26—30).
„	118, 12—20	=	ibid. 6.
„	120, 3—15	=	Soz. VIII, 5.
„	121, 6—16	=	Socr. VI, 4, 304 A, VI, 5 (Cram. 98, 31—99, 5).
„	121, 16—122, 3	=	Socr. VI, 14.
„	122, 4—11	=	ibid. 16 et 17.
„	122, 11—123, 14	=	Soz. VIII, 18—20.
„	123, 14—17	=	ibid. 21, 22, 28 (Cram. 99, 8—10).
„	124, 1—6	=	ibid. 23 et 26 (Cram. 99, 10—18).
„	124, 6—11	=	ibid. 15, pag. 778.

Saepe autem tantopere consentiunt et Socrates et Sozomenus ut ab utro sua mutuatus sit Theophanes uel potius eius auctor arduum sit ac difficillimum iudicium propter narrationis breuitatem atque exilitatem. Miri inter utrumque consensus exempla afferam haec:

neben anderen Quellen benutzt hat, dasz seine Darstellung dann aber mehr und mehr zu einem Auszug aus demselben zusammenschrumpft, untermischt nur noch mit einigen Anecdoten und Digressionen theologischen Inhalts etc. (Byzant. Stud., Lpzg. 1876, pag. 8). — Satis prope accedit Hirschii sententia ad Tafelii (cf. ad specimen nouae Theophanis editionis praemonitum, Sitzungsberichte der Wiener Akademie, IX, 42): Theophane Georgium Hamartolum, inquit, cum suam ipse historiam conscriberet, praeter alios huius generis auctores usum fuisse, libri lectio mihi persuasit; unde locis haud paucis ipsa Theophanis uerba lucem aliquam formamque emendatiorem adipiscuntur.

1) Georg. Mon. ed. Muralt 489, 15—495, 7.

2) Cedr. 574, 15—17 = Th. 117, 18—20 (de Libani sophistae uoce illa praeclara); Cedr. 577—585 = Georg. Mon. 489—495.

3) Zonar. XIII, 20, pag. 233 ed. Dindorf. — Bar-Hebraeus praeter Socratem alium manu uersabat scriptorem mihi quidem ignotum. (Cf. Chron. Eccl. I, 31, uol. I, 121—131, edd. Abbeloos et Lamy).

Socr.	VI, 2 et 3	= Soz.	VIII, 2.
ibid.	6	= ibid.	8.[1])
ibid.	12	= ibid.	14.
ibid.	15	= ibid.	16 et 17.
ibid.	16—18	= ibid.	18—20.

Id certe affirmari licet, Socratis, non Sozomeni, scrinia praecipue compilata esse ab epitomatore de Iohannis Chrysostomi primordiis referente. Nam primum quidem nomina parentium non habet Sozomenus, sed in uniuersum tantummodo adicit, fuisse Iohannem *γένος τῶν εὐπατριδῶν*; contra Socrates accurate dicit, eum ex Secundo patre, Anthusa matre ortum esse, *ἐξ εὐπατριδῶν τῶν ἐκεῖ.*[2]) Deinde eodem fere ordine Theophanis narratio procedit quo Socrates, cum Sozomenus ab iuuentute Iohannis auspicatus — non ut Socr. et Th. ab ordinatione — sic fere disponendus esset ad efficiendum consensum:

Th. 117, 6—14	= Socr. VI, 2	Soz. VIII, 2, pag. 758 C,
117, 14—118, 3	= ibid. 3	758 A, 756 B.

Abhinc paullatim ad alterum uidetur se conuertisse Theophanes; nam Socrates simpliciter res ipsas exposuit, Iohannem nusquam nimiis efferens laudibus, neque ubi fortasse reprehendendus sit ille reticens[3]), Sozomenus uero multo studiosior est Chrysostomi, quamuis leniter hic illic uituperans.[4]) — Cum autem Theophanis ille auctor totus in id intentus fuisse uideatur, ut quaecunque minus fauerent Iohanni, aut submouerentur, aut certe breuiter perstringerentur, ne qua suboriretur quamuis lenissima reprehensio, Sozomenum ab eo exscriptum esse sumendum est. Neque uero Theodoretum auctorem respuisse Theophanem crediderim, quoniam uno loco, ubi narratur, quomodo Chrysostomus non modo ipsa in urbe, sed etiam in Ponto, in Asia, in Thracia ecclesiae consuluerit emendandae[5]), Theophanes haud abhorreat a Theodoreti V, 28, quo loco Iohanni inditur cognomentum *ὁ μέγας.*[6]) neque a Socrate neque a Sozo-

1) Haud dissentit Theodoret. V, 22 et 23.

2) Omnia quae de Iohanne Chrysostomo dicuntur plurimum ualent ad comprobandam Valesii opinionem de ratione quae inter utrumque auctorem intercedat. Cf. § 1.

3) Socr. VI, 5, 7, 10, 11.

4) Soz. VIII, 3 et 6.

5) Th. 119—120 (*κατεφώτισεν τὴν ἐκκλησίαν*).

6) Cfr. Theod. V, 32, 238 A. *ὁ μέγας Ἰωάννης* B. *ὁ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος* V, 33, 238 D. *τὸν μέγαν ἀριστέα.* V, 34, 240 C. *τοῦ μεγάλου διδασκάλου τῆς οἰκουμένης.* V, 35, 241 D. *Ἰωάννου τοῦ πάνυ.* V, 36, 242 A. *τοῦ διδασκάλου.*

meno unquam clarissimo illi episcopo tributum. Hac in re nimirum et Socratem et Sozomenum aspernatus est Theophanes propter libertatem, qua quamuis uerecundissime usus ne Sozomenus quidem potuit non reprehendere[1]) Iohannis uehementiam.

Praeclarum exemplum diligentiae, qua eclogarius, cuius reliquiae nonnullae apud Cramerum reperiuntur, omnia miserit, quae minus grata essent, aut certe ita expresserit, ut quid rei sit, uix dignosci possit, est fragmentum quoddam in Crameri excerptis asseruatum[2]) a chronographo ad uerbum descriptum; quo loco quamuis reticere nequeat epitomator uiolentum odium in se accendisse Iohannem, satis ambigue enuntiauit[3]) atque subinde addit ad haec accessisse:

τὰ κατὰ τὸν εὐνοῦχον Εὐτρόπιον· εἶτα δὲ καὶ ἡ φιλονεικία Σευηριανοῦ τοῦ Γαβάλων πρὸς Σαραπίωνα, τὸν Ἰωάννου ἀρχιδιάκονον, καὶ τὸν τῶν Μακρῶν ἐξ Αἰγύπτου φυγόντων Θεόφιλον, καὶ τὰ παρὰ Θεοφίλου πρὸς Ἐπιφάνιον γράμματα, καὶ οὕτως ἐξ ἁπάντων ὁ Ἰωάννης ἐπεβουλεύετο.[4])	Cf. Th. 121, 11—16: . . *τὰ κατὰ Εὐτρόπιον τὸν εὐνοῦχον· ἔτι δὲ καὶ ἡ φιλονεικία Σευηριανοῦ τοῦ Γαβαλῶν πρὸς Σαραπίωνα τὸν ἀρχιδιάκονον Ἰωάννου καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ἐξ Αἰγύπτου φυγόντων διὰ Θεόφιλον, καὶ τὰ παρὰ Θεόφιλον πρὸς Ἐπιφάνιον πεμφθέντα γράμματα· ἐξ ὧν ἁπάντων κτλ.*

Omnia haec et a Socrate et a Sozomeno gnauiter exposita cur obiter neglegenterque narrauerit Theophanis auctor in propatulo est: quia his in rebus nusquam probandus est Iohannes. Eutropium enim eunuchum propter legem de asylo datam iam dudum perosus, cum crimine quodam petitus ille in ecclesiam confugisset, imperatoris satellitibus tradiderat Iohannes antea Philippicam elegantissimam perpessum.[5]) Apud eosdem auctores causam aemulationis inuidiaeque illius in

1) Soz. VIII, 3: *Ἐλεγκτικὸς γὰρ ὢν φύσει καὶ κατὰ τῶν ἀδικούντων ἐν δίκῃ ἀγανακτῶν, ἔτι μᾶλλον ἐν τῇ ἐπισκοπῇ ἐπέδωκε τούτοις τοῖς παθήμασιν. ἡ γὰρ φύσις ἐξουσίας ἐπιλαβομένη, ῥαδίως εἰς ἔλεγχον ἐξῆγε τὴν γλῶσσαν καὶ τὴν ὀργὴν ἑτοιμότερον κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων ἐκίνει· οὐ μόνον δὲ τὴν ὑπ' αὐτὸν ἐκκλησίαν κτλ.*

2) Cramer, anecd. Paris. II, 98, 31—99, 5.

3) *μῖσος δὲ κατ' αὐτοῦ οἱ κακῶς θέλοντες ζῆν ἐσχηκότες εἰς τὸν κατ' αὐτοῦ διανέστησαν πόλεμον κτλ.*

4) Scribendum est apud Cramerum *καὶ τὸ τῶν Μακρῶν ἐξ Αἰγ. φυγόντων* [*διὰ τὸν*] *Θεόφιλον κτλ.*; apud Theophanem codicis A lectio *καὶ τὸ τῶν Μακρῶν* pro *μονάχων* restituenda est. — De quattuor illis fratribus quibus cognomen erat *οἱ Μακροί* cf. Soz. VIII, 12.

5) Socr. VI, 5; Soz. VIII, 7.

Seuerianum episcopum inueniet quisquis accuratius scire cupiet[1]; namque alienum est a proposito nostro et de hoc et de dissidiis iudicium ferre, quae cum Theophilo Alexandrino[2]) et Epiphanio Cypri episcopo[3]) habuit Iohannes Chrysostomus. — Consulto igitur perpaucis uerbis grauissimae res commemoratae sunt a Theophane.

In reliquis uno Sozomeno auctore, utpote gratiore, usus est Theophanis eclogarius. — Velut cum scribit Epiphanium cum Iohanne habitare noluisse, propius ad Sozomenum accedit sermo.[4]) Deinde in locis appellandis certissima Sozomeni deprehendimus uestigia.

1) Loco, quo synodus aduersus Iohannem congregata est, postquam acerbissimam illam in ipsam Eudoxiam habuit orationem[5]), apud alios auctores aliud nomen est:

Th. 122, 10	Soz. VIII, 17, 780 C	Socr. VI, 15, 322 D
ἐν τῇ Δρυΐ, τῇ νῦν Ῥουφινιαναῖς λεγομένῃ.	*εἰς Δρῦν· Χαλκηδόνος δὲ προάστειον Ῥουφίνου τοῦ ὑπατικοῦ νῦν ἐπώνυμον.*	*ἐν προαστείῳ Χαλκηδόνος ᾧ ἐπώνυμον Δρῦς.*[6])

2) Iohannes, synodi sententia depositus, deinde Praenestum relegatus atque breui post propter uulgi seditionem reuocatus[7]) priusquam urbem rursus intraret, in loco quodam consedit, quem sic diuersi auctores designant: Th. 122, 17: *εἰς προάστειον*[8]) *κατὰ τὸν Ἀνάπλουν* . . . Soz. VIII, 18, 782 D: *ἐν προαστείῳ αὐτῆς*

1) Socr. VI, 11; Soz. VIII, 10.
2) ibid. 7; ibid. 13.
3) ibid. 10; ibid. 14.
4) Th 122, 1 legimus noluisse Epiphanium *συμμεῖναι αὐτῷ ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ*, apud Sozomenum (VIII, 14, 776 B) *ἐν οἰκήμασιν ἐκκλησιαστικοῖς καταμένειν οὐκ ἀνέσχετο*; apud Socr. VI, 12, 318 D tantummodo extat, *καὶ τὴν μὲν προτροπὴν Ἰωάννου ἐξέκλινε.* — De causis, quibus Epiphanius commouebatur, cf. Socr. VI, 4, cf. Hefele, Conciliengeschichte II, 76 sqq.
5) Neque hoc dilucide enuntiauit Theophanes: *Ἰωάννης ὁ Χρ. λόγον κατὰ γυναικῶν πονηρῶν ἐποίησεν, ὃν οἱ δυσμενεῖς καὶ οἱ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ τὴν Εὐδοξίαν παρώξυναν λέγοντες κατ' αὐτῆς εἰρῆσθαι τὸν λόγον.* — Quid rei sit legas apud Baronium, A. E., ad ann. 403, Nr. 3 (uol. V, 185).
6) Synodi acta cf. Phot., cod. 59; Mansi III, 1142 sqq. Baron., A. E. l. c. 189. Cur hoc potissimum loco conuenerint episcopi aperte profitetur Hefele, l. c. II, 77.
7) De seditione uehementissima cf. Theodoret. V, 34. Tacet Theophanes de re grauissima, non sine sanguine Theophilum cum Alexandrinis urbe pulsum esse. Cf. Socr. VI, 17, 325 B.
8) *Προάστειον* non est suburbium, sed praedium ab urbe longius remotum.

τῆς βασιλίδος περὶ τὸν Ἀνάπλουν . . . Socr. VI, 16, 324 B: *ἐν προαστείῳ ὃ καλεῖται Μαριαναί.*[1])

Denique haud pauca habet Theophanes Socrati ignota, quae eum a Sozomeno mutuatum esse necesse est; sunt autem haec: 1) Desideratur apud Socratem synodi illius 60 episcoporum mentio, qua Iohannes Theophilo expulso absolutus est. Th. 122, 20—123, 2 = Soz. VIII, 19 extr. 2) Iohannem paullo post propter alteram orationem in Eudoxiam habitam[2]) priore multo acerbiorem iterum depositum, iterum urbe pulsum[3]) primum Cucusum deportatum esse, deinde Pityuntem Theophanes (pag. 123) ex Sozomeno (VIII, 22, 789 A) hausit; namque Socrates breuissime dicit, eum ab ecclesia abstractum in exsilium missum fuisse.[4]) — Comanis eum defunctum esse uterque auctor consentit. 3) De Flauiani Innocentiique epistolis ad Iohannem ipsum clerumque Cpolitanum datis tacet Socrates. Ex Sozomeno (VIII, 23, 24 et 26) igitur eclogarius (Cr. 99, 13—18) Theophanesque (124, 3—6) sua desumpserunt.[5]) 4) In episodio illo, quo agitur de Epiphanio (Th. 124, 9—11), extrema Epiphanii ad comites uerba non habet Socrates, quamquam mutuam illam Iohannis Epiphaniique praedictionem non omisit.[6])

1) A conditore ita dicebatur uilla illa, quam Eudoxiae fuisse Sozomeni verba efficiunt. — Cf. Steph. Byz. s. u. *γυναικόσπολις*; Proc. de aedif. I, 8, pag. 197, Bonn.

2) Th. 123, 9—15. *ὁ δὲ ἱερὸς Ἰωάννης ἐπηνέχθη τούτῳ διὰ λόγου· αὐτὸς δὲ τὴν Εὐδοξίαν κατὰ τοῦ Ἰωάννου διήγειρεν ὡς δυσχεραίνοντος ἐπὶ τῆς τιμῆς τῆς στήλης αὐτῆς κτλ. Αὐτὸς δὲ τότε τὸν λόγον ἐπεδείξατο οὗ ἡ ἀρχή· πάλιν Ἡρωδιὰς μαίνεται·* Cf. Baron. A. E. ad ann. 404 (V, 205 sqq.).

3) Neque hoc sine populi seditione factum esse testis est Socr. VI, 18, pag. 327. Eodem die, quo in exsilium profectus est Iohannes, uulgus furens ecclesiam incendit.

4) Socr. VI, 18, 327 D: *βασιλέως ἐκέλευε πρόσταγμα εἰς ἐξορίαν ἀπάγεσθαι καὶ ὁ μὲν ἀπήγετο τῆς ἐκκλησίας ἑλκυσθεὶς κτλ.* — De exsilio cf. Hefele, Conciliengeschichte II, 83.

5) Illarum quidem epistolarum mentionem facit Theophanes; consulto autem omisit, permultas epistolas quoquo uersus scripsisse Iohannem, ne asseclarum studium refrigesceret. Cf. Baron. A. E. V, 231. Cf. Ioh. Chrys. epist. 8—10, 12—14, 37, 115, 118, 124, 125, 130 ed. Montfaucon: Opp. III, S. 524 ff. Arabisso Pityuntem translatus est Iohannes haud dubie epistolarum causa, quas seditiosas emiserat (cf. ep. 131, 135, 155, 146, 149, 168, 169), quibus ex epistolis lingua non minus acutus fuisse cernitur Iohannis stilus. (Nihilo minus gemmeum eum appellat Baron. A. E. V, 274).

6) Cf. Soz. VIII, 15, 778 C. — Epiphanii verba ut extant apud Theophanem sensu cassa sunt. Scribendum est *σπεύδω ἐγὼ, ἀφίημι δὲ ὑμῖν τὰ βασίλεια, τὴν πόλιν καὶ τὴν ὑπόκρισιν*, sicut efficitur ex G. M. 496, 20 ed. Muralt, Cedren. 583, 12 ed. Bonn.

Satis superque ex eis, quae adhuc attulimus, intellegitur, ita Iohannis Chrysostomi uitam a Theophanis auctore esse compositam, ut Sozomenum ducem sequeretur potissimum, utpote grata plerumque proferentem, ex Socrate Theodoretoque autem nonnulla intertexeret.

Quae cum ita sese habeant, mirandum est, quod Theophanes ea omisit, quae Iohannis causa accidisse putat Sozomenus[1]), haesitanter dumtaxat protulerat Socrates; quod praeterea simpliciter commemoravit Eudoxiae mortem, nulla obitus causa addita[2]). — De extremis narrationis partibus minus procliue est iudicium (Th. 124), quoniam adeo exilia fuisse uideantur excerpta a Theophane adhibita, ut tota capita paucis colligerentur uerbis.

Perpauca supersunt quae non pertinent ad Iohannem Chrysostomum. Gaïnae Gothi tyrannidem, quamuis periculosissimam, tam breuiter complexus est chronographus, ut uix unum ex auctoris uerbis retinuerit, neque possit internosci, utrum ex Socr. VI, 6, 307, an ex Soz. VIII, 4, 762 sua hauserit.[3]) — Miraculum de Carya aede[4]) subito inter Arcadii egressum collapsa (Th. 124, 14—18) ex Socrate fluxit (VI, 23, 332).

De Arcadii morte bis rettulit sibi ipsi contradicens Theophanes[5]),

1) Soz. VIII, 27. — Cf. Socr. VI, 19, 328 CD.

2) Aliter ac noluerunt Socrates et Sozomenus explicandam esse Eudoxiae mortem et Zonaras docet (XIII, 20, 234 Dindorf) et Cedrenus (585, 18), nec Georgio Monacho nec Theophane hoc loco usi auctoribus. — Cf. Moses Chorenensis III, 52 (uol. II, 133 ed. Le Vaillant). Ne hic quidem ex Iohannis expulsione causam Eudoxiae obitus deducere ausus est.

3) Cf. praeterea Theodoret. V, 32 et 33; Zosim. V, 13—23 (ex Eunapio, cf. Müller F. H. G. IV, frgm. 75—82); Philostorgium Arianum XI, 8 (pag. 530 ed. Vales.). — Ex Theophane sua descripsit Cedr. 574, 21 sqq. — Cf. Clinton F. R. I, 542. — Quanto gaudio omnium animos victoria de Gaïna reportata affecerit, inde collegerim, quod passim aequales poetae bellum illud cecinerunt. Sic Socrates (l. c. pag. 309 A) Eusebium quendam carmen heroïcum composuisse tradidit, Γαΐνια inscriptum quattuorque libris distributum; item Ammonium poetam eiusdem argumenti carmen imperatori recitasse anno 430 (Theodosio XVI cum Fausto cos.).

4) Eandem rem commemorat Bar-Hebraeus (Chron. Syr. ed. Bruns et Kirsch S. 71); scribendum est Th. 124, 14 ἐν τῇ Καρύᾳ (in Nuce). De nominis illius causa cf. Socr. VI, 23, Nic. Call. XIII, 38.

5) Verum mortis annum et Socr. (VI, 23. VII, 1) habet et Sozomenus (IX. 1); Socratis errorem, quo annos 13 cum patre, solum annos 14 imperasse Arcadium attulit, Nicephorus repetiit (XIII, 38); — Georgius Monachus per 13 annos imperium tenuisse Arcadium dicit 489, 7—8 ed. Muralt. — Unius anni cum Theophane errorem habent Cedrenus

quod semper fieri solet, cum ad nouum transgreditur auctorem. Sed neutrum locum ecclesiastico scriptori adscripserim, propter ea quae et praecedunt et subsequuntur aliunde desumpta. Paginam 125, ubi Isdegerdem, Persarum regem, ab Arcadio Theodosii paruuli tutorem institutum esse legimus[1]), eidem fonti tribuerim, unde Th. 113, 9—19 et 119 prouenerunt, Procopio Malalae Cedreno Zonarae ac nonnumquam Nicephoro cum Theophane communi.

Iamiam ad Theodosii minoris aetatem delati primum quidem tempora usque ad Nestorium Ephesiamque synodum consideremus. Primis paginis perlectis statim cognoscimus inde a pag. 127 usque ad 136 uno fere tenore expilatum esse Socratis librum extremum, postquam pag. 126 nonnulla praemonita sunt de Theodosio puero atque de Pulcheria sapientissima sorore, quae ex Soz. IX, 1 descripserat Crameri eclogarius (pag. 99, 19—27):

Th.	127,	1—4	=	Socr. VII, 4 (Cram. pag. 99, 32).
„	„	13—20	=	Socr. VII, 13, 350 B.
„	128,	3—4	=	ibid. 15.
„	„	5—11	=	ibid. 8 (Cram. 100, 7).[2])
„	129,	13—17	=	ibid. 16.
„	„	19—130, 3	=	ibid. 21, 360 C.
„	130,	7—10	=	ibid. 25, 365 C.
„	131,	1—14	=	ibid. 23.
„	„	14—18	=	ibid. 24.
„	132,	3—4	=	ibid. ibid. 365 A.
„	„	5—8	=	ibid. 8, 345 D.
„	„	10—133, 5	=	ibid. 18.
„	133,	6—9	=	ibid. 20, 359 B.[3])
„	134,	11—16	=	ibid. ibid. 358, 359 B.
„	135,	4—9	=	ibid. 28.
„	„	12—15	=	ibid. 27 et 26.
„	„	16—21	=	ibid. 29.
„	136,	1—4	=	ibid. 32, 373 B.
„	„	13—18	=	ibid. ibid. 373 C.

Quae uero neque ad Socratem referenda sunt, neque ad ceteros

(586, 4) et Zonaras (XIII, 20, 284 ed. Dind.). Apud Zonarum cum Parisino scribendum esse πρὸς ἡμέραις τισίν non τρισὶν (Monac.) Theophanis loco efficitur.

1) Cf. Procop. B. P. I, 3, pag. 14 Bonn., Cedr. 586, Nic. Call. XIV, 1. — Bar-Hebraeus, chron. Syr. S. 71.

2) Th. 128, 11—129, 3 = Theodoret. V, 39, 245 AB.

3) Th. 133, 12—17 = Soz. IX, 17 (Cram. 100, 16—21).

auctores ecclesiasticos sunt frustula aut ex communi illo fonte excerpta aut ex compluribus chronicis Cap. III paullo accuratius examinandis.

Hic subsistamus atque de ignoto illo scriptore quaestionem instituamus, ecquid extet indicii, unde clarius eluceat, qualis cuiusque aetatis fuerit Theophanis auctor, cum perspectum habeamus, chronographum neque Socrate, neque Sozomeno, neque Theodoreto recta uia — ut dicere usu receptum est — usum esse.

Suppeditasse uidetur Theophani auctor quidam, qui in singulis rebus enarrandis aut Socratem aut Sozomenum praecipuum ducem secutus nonnullis locis pauca uel ex altero eorum uel ex Theodoreto intertexuit, neque uero quamuis breuissimis abstinuit additamentis[1]), ita ut illorum scriptorum narrationes inter se combinaret et tamquam in unum corpus ecclesiasticae historiae consociaret.

Quanam aetate fuerit scriptor ille, ex uno Theophanis loco elicere possumus. Th. 123 agitur de statua illa argentea Eudoxiae imperatrici erecta, quae quo loco steterit, discrepantia uidetur esse inter Theophanem eosque, quos solet exscribere, Socratem et Sozomenum:

Th. 123, 4. *ἐν τόπῳ λεγομένῳ τὰ Πιττάκια πλησίον τῆς ἁγίας Εἰρήνης.*

Socr. VI, 18. *οὔτε ἐγγύς, οὔτε πόρρω τῆς ἐκκλησίας ἢ ἐπώνυμον Σοφία· ἀλλὰ διείργει ἄμφω μέση πλατείας ὁδός.*

Soz. VIII, 20 = Nic. Call. XIV, 18. *πρὸς μεσημβρίαν τῆς Ἐκκλησίας*[2]) *πρὸ τοῦ οἴκου τῆς μεγάλης βούλης.*

Verba tantummodo differre, non sententiam, unusquisque statim intellegit, quoniam hodie extant et Sanctae Irenae et Sanctae Sophiae aedes, quamuis alii usui inseruientes.[3]) Denominatio *τὰ Πιττάκια* autem Leonis Macelli demum aetate usu uenit, quia ad statuam illam apponi solebant libelli supplices (*τὰ πιττάκια*) Leoni imperatori offerendi.[4]) Itaque cogitandum esset de scriptore

1) Th. 108, 15—109, 1 episcoporum nomina discrepant a Socrate Sozomeno Theodoreto. Cf. praeterea Th. 113, 5—8, 120, 15—17, 133, 18—134, 4. — Nil certi statuo de Th. 129, 9—10, cum hoc manare potuerit ex Magno Chronographo.

2) Ἡ Ἐκκλησία uel ἡ μεγάλη ἐκκλησία est S^ae^ Sophia. Proc. de aedif. 179, 21, Bonn; Codin. de S. Sophia 130, ed. Bonn.

3) Cf. Baron. A. E. ad ann. 330, Nr. 19 (III pag. 448). De Hagia Sophia, nunc Turcorum templo, cf. Salzenberg, Altchristl. Baudenkmale. Berlin 1847.

4) Codin. pag. 35, ed. Bonn. (pag. 20, ed. Lambec.). Haec Codinus ipso ex Theodoro petiisse mihi uidetur (cf. infra pag. 188), praecipue

uel exeuntis quinti uel sexti saeculi, ex quo modo Theophanes haec hausit.

Iam haud difficile erit diuinatu, quisnam fuerit auctor ille ecclesiasticus, qui trium auctorum opera in unum corpus concinnauerit. Summa cum uerisimilitudine suspicari licet, auctorem a Theophanis eclogario excerptum Theodorum Lectorem fuisse, quem Iustini Iustinianique aetate historiam tripartitam composuisse constat ex Theodoreto Socrate Sozomeno compilatam. Quanta autem fuerit auctoritate Theodorus Lector inde intellegas, quod et in actis synodi Nicaenae alterius[1]) et in tertia Iohannis Damasceni oratione de imaginibus[2]) inter testes excitatur. Quid quod et Bar-Hebraeus et Iohannes, Nikiu oppidi episcopus, chronographiam conscribentes Theodorum Lectorem aduocauerunt, licet nusquam nomen afferant?[3])

Utut haec se habent, fauet huic coniecturae Theodori Lectoris componendi scribendique ratio, quali ipse usum se esse profitetur in prooemio historiae tripartitae — historia ipsa enim nondum typis expressa in Marcianae bibliothecae umbraculis delitescit — dicens, se ea, in quibus inter se consensissent scriptores ecclesiastici, ita expressisse, ut illius uerba repeteret, qui apertius elegantiusque eadem rettulisset[4]); scilicet eius semper elegit narrationem Theodorus, quae maxime placebat.

Calculum adicit coniecturae, quod Theophanes in eis, quae sequuntur, Theodori Lectoris historiae ecclesiasticae duobus libris usus est — ut cap. II demonstrabitur —, qui cum duobus histo-

cum satis prope accedat ad Iohannis Diacrinomeni fragmentum ab Anonymo illo, qui de antiquitatibus Cp. collectanea confecit, nobis asseruatum. Cf. pag. 102, ed. Lambec., pag. 186, 21—187, 3, ed. Bonn.: *Ὁ Πιττάκης ὁ λεγόμενος Λέων ὁ μέγας ἐστίν, ὁ παρὰ πολλοῖς Μακελλάριος λεγόμενος. καθ' ἣν* . . (lacuna) . . *τὰ δεξήματα τῶν βασιλέων ἐκεῖσε ἐγένοντο. ἀλλὰ καὶ παλάτιον ἦν ποτε συνιστάμενον πλησίον παλαιᾶς ἐκκλησίας τῆς ἁγίας Εἰρήνης.* — Bar-Hebraeus (Chron. Syr. S. 71): Eudoxia uxor eius erexit monumentum argenteum in uicinia S^ae^ Irenes.

1) Mansi XII, 1042 = Vales. pag. 570; Mansi XIII, 180 = Val. 569 ex act. V syn. VII.

2) Ioh. Damasc. I, 376—380, 387 ed. Le Quien.

3) Theodoreti certe Sozomenique uestigia singulis fere deprehenduntur paginis. Cf. Chron. Eccl. uol. I, 118, 130, 150 edd. Abbeloos et Lamy.

4) . . *εὔλογον ᾠήθην τὰ κοινῶς αὐτοῖς συμφωνούμενα διὰ τοῦ σαφέστερον καὶ εὐφραδέστερον διηγουμένου τῇ παρούσῃ βίβλῳ κατατάξαι, ἐν τῇ παρόψει παρασημαινόμενος ὡς ἄμφω συμπεφωνήκασι· τὰ δὲ ἑκάστῳ πάλιν ἰδίως ἐκτεθέντα παραδηλώσω.* Hist. eccles. script. ed. Vales. III praef. pag. XX.

riae tripartitae libris in unum consociari solebant. Cum e. g. Iohannes Damascenus Theodori excitat librum IV, duos tripartitae libros cum historia ecclesiastiaca simul computauit[1]); namque quod ibi narratur inter excerpta legitur ex altero historiae ecclesiasticae libro[2]); cum dicit Suidas[3]) inde a Constantini usque ad Iustini tempora Theodorum pertexuisse historiam, priores libros cum historia ecclesiastica coniunxit.

Data hac occasione errorem corrigam, qui in actis alterius synodi Nicaenae extat[4]), ubi Theodori fragmentum quoddam reperimus ita inscriptum: *Ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Θεοδώρου ἀναγνώστου βιβλίον πέμπτον*; quo fragmento agitur de Anatolii patriarchae electione. Quoniam neque historia tripartita, neque historia ecclesiastica amplius habent binos libros, corruptus est titulus ille; quoniam porro Anatolius Protogene et Asterio coss. electus est[5]) ideoque post annum 439, quo desiisse historiam tripartitam necesse est, pertinet hoc fragmentum ad primum historiae ecclesiasticae hodie deperditae librum. Itaque aut scribendum est *βιβλίον πρῶτον*, aut *βιβλίον τρίτον*, prout duos tripartitae libros cum posteriore historia consociaueris.

Idem fragmentum non satis respexit Valesius, cum statueret, non absolutam fuisse historiam tripartitam, atque decem et sexaginta (sic!) annorum inter illam alterumque Theodori opus extare hiatum ingentem.[6]) — In uno nimirum codice Mariano a Leone Allatio excusso si adest ingens ille hiatus, hoc ut opus ipsum mancum esse sumamus non cogit. Melius igitur de historia tripartita iudicium tulit Fabricius[7]), cum dicit de unico illo codice: „Certe uidetur extrema parte mancus fuisse, quia Historiae telam non usque ad extrema iunioris Theodosii persequitur". — Debebat dicere „mancus est"; namque praeter fragmentum illud de Anatolio patriarcha alia suppeditant documenta, quibus efficitur, alterum Theodori opus alterum excepisse.

1) Fabricius, B. Gr. VI, 128 (ed. Hamburg. 1715).

2) Cramer II, pag. 106, 14.

3) S. u. *Θεόδωρος*.

4) Mansi XII, 1042.

5) *Ἐπράττετο δὲ ταῦτα κατὰ τὴν ὑπατείαν Πρωτογένους καὶ Ἀστερίου.* Cf. Vales. exc. ex Theodoro Lectore pag. 580 cum adnotatione. Fabricius, B. G. VI, 129. Clinton, F. R. I, 636.

6) Cf. praefationem editionis Theodori fragmentorum, pag. 12. Ipsi sibi contradicit uir optimus pag. 580, adnotat. ad fragmentum supra commemoratum.

7) Fabricius, B. G. VI, 129.

Ac primum quidem praesto est luculentum Nicephori Callisti testimonium, qui initio historiae ecclesiasticae priores rerum scriptores perlustrans Theodorum Lectorem, Basilium Cilicem, Euagrium priorum libris suas historias subiunxisse affirmat.[1] Accedit quod mirum esset, posteriores aeui auctores opus non absolutum cum altero opere in unum coniunxisse corpus ecclesiasticum; hoc autem semper fere factum esse exempla ostenderunt. Historiam tripartitam uero ante historiam ecclesiasticam esse compositam iam id arguit, quod rudem inconditamque dicendi rationem excusat auctor.[2]) Itaque hiatus inter duo Theodori opera hodie deperdita non exstitit.

Difficilior est quaestio, ubi historiae tripartitae finis statuendus sit, ubi posterioris operis cum altero coniuncti initium, cum utrumque consociauerit Theophanes. Ultra annum quidem 439 procedere non potuit historia tripartita cum neque Socrates neque Sozomenus ultra illum annum peruenerint; itaque usque ad paginam fere 143am Theophanes excerptis ex ea depromptis usus est, praesertim cum horum locorum deprehendamus auctorem:

Th. 143, 1—5 = Socr. VII, 47 (Cram. 100, 31).
„ „ 11—18 = ibid. 45 (ibid. 26).

Sed num Nestorii synodique Ephesiae historia, qualis extat in Theophanis chronographia, ex historia tripartita fluxerit ualde dubium esse mihi uidetur, praesertim cum Socrate multo copiosior sit Theophanes.[3]) Id certe concesserim, potuisse Sozomenum in capitibus deperditis de his rebus agere, quoniam synodus Ephesia in tempus cadit ab illo auctore pertractatum, neque minimam[4]) quidem ab eo omissam esse synodum perspectum habeamus.

Sed obstare uidetur, quod narratio illa ceteris fusior ac uerbosior simillima est synodi praedatoriae expositioni apud Th. 154, 15 —156, 11, quam ex historia tripartita haustam esse nemo contendet,

1) Nic. Call. I, 1, 35 C, ed. Paris. 1630, postquam de Socrate Sozomeno · Theodoreto egit, sic pergit: *ἐντεῦθεν πάλιν ὁ Βυζάντιος ἀναγνώστης Θεόδωρος καὶ ὁ Κίλιξ Βασίλειος καὶ ὁ ἀπὸ ἐπάρχων Εὐάγριος τὰ τῶν ἀνωτέρω χρόνων καὶ πρὸ αὐτῶν ὑπερβάντες, οἱ μὲν τοὺς οἰκείους χρόνους τοῖς ἐκείνοις παρέζευξαν κτλ.*

2) Th. L. prooemium hist trip. (Vales. praef. pag. 20): *Ἐπειδὴ δὲ πατρικῇ κελεύσει ἀντιλέγειν οὐχ ὅσιον, εἰ καὶ φράσεως τῆς πρεπούσης ἐλειπόμην, ἀλλ' ἐπὶ τὸ τοιοῦτον ἔργον ἀμελλητὶ ἦλθον, ὑμετέραις εὐχαῖς τεθαῤῥηκώς.*

3) Socr. VII, 32 sqq.

4) Concilia de quibus egit Sozomenus, iam supra adnotauimus, adnot. 5 S. 168.

cum ad annum pertineat 449.[1]) Obstat praeterea, quod *Iohannes Diacrinomenos*, Theodori Lectoris auctor[2]), teste Photio patriarcha[3]) a Nestorii temporibus historiam suam incohauerit; denique haud neglegendum est, quod Euagrius Socratis Sozomeni opera continuans usque ad Nestorium regressus extremas res ab illis relatas iterum perlustrauerit, idque ita, ut Socratis rationem haberet.[4]) Inde equidem concluserim, Theodorum quoque historiae ecclesiasticae librum priorem a Nestorio auspicatum esse, quia grauissimas illas res in historia tripartita obiter tantummodo Socrate duce pertractauerat, atque praeter fragmentum illud de Anatolio supra commemoratum excerptum quoddam de Nestorio[5]) ad prioris historiae ecclesiasticae libri initium pertinere coniecerim. Id sane mihi concesseris, non a Theodosii II demum morte, e quo tempore excerpta Valesiana[6]) supersunt, Theodorum operis sui praeclari initium cepisse.

Iam paucis liceat ea complecti, quae de Theophanis auctoribus adhuc enucleasse mihi uideor:

1. Sozomeni historia ecclesiastica, qualis hodie extat, non integra est.

2. Theophanes res ecclesiasticas usque ad Theodosii II consulatum XVII (= 439 p. Chr.) ex eclogarum collectione petiisse uidetur ex Theodori Lectoris historia tripartita

1) De synodo cf. Liberat. breu. cap. 12 (Mansi IX, 677—680). Baronius, A. E. ad ann. 449, Nr. 73—112 (VI, 101—112). Hefele, Conciliengeschichte II, 331—370.

2) Cf. Theodori locum apud Vales. 563 B. Cf. infra cap. II.

3) Photius, cod. 41 . . . *ἄρχεται ἀπὸ τῆς Θεοδοσίου τοῦ νέου βασιλείας ἀπ' αὐτῆς που τῆς Νεστορίου βλασφημίας καὶ καθαιρέσεως καὶ κάτεισι μέχρι Ζήνωνος καὶ τῆς καθαιρέσεως Πέτρου τοῦ αἱρετικοῦ.* — (Cf. cod. 55 de Ioh. Aegeo, qui idem est.) Cf. fragmentum de morte Nestorii, Vales. 565 C (Th. 142, 5—10).

4) Cf. Euagr. I, 2, 258 A; I, 5; I, 19. De Theodoreto cf. I, 13 fin.

5) Cramer 100, 34—101, 4: *Ἐπὶ τοσοῦτον ἐμίσει Πουλχερία τὸν Νεστόριον, ὡς τοὺς φιλοῦντας ἐκεῖνον διαθρυλεῖν, ὅτι πορνείαν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς Θεοδόσιον τὸν βασιλέα διέβαλεν Πουλχερίας Νεστόριος καὶ διὰ τοῦτο οὕτως ὑπ' αὐτῆς ἐμισεῖτο· ἐλοιδόρει γὰρ αὐτὴν εἰς τὸν τότε μάγιστρον Παυλῖνον λεγόμενον.* — Hoc sane omisit Theophanes, ne suspectam reddat Pulcheriae uirginitatem. Praeter hunc locum fortasse ex Iohanne Diacrinomeno depromptum cf. Bar-Hebr., Chron. Syr. 74, ubi legimus, uirginem illam cum Marciano adhuc tribuno, uiuo fratre, scortatam esse; sed hoc monophysitarum commentum est.

6) Vales. *ἐκλογαὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλ. ἱστορίας Θεοδώρου ἀναγνώστου ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου* ad calcem Theodoreti Euagrii Philostorgii (pag. 551—584, ed. Paris. 1673).

excerpta, quibus ex eclogis nonnulla fragmenta continet Codex Parisinus graecus Nr. 1555 nuper a Cramero edita.

3. Theodorus Lector duos historiae ecclesiasticae libros priori operi arcte subiunxit nullo hiatu relicto.

4. Theodorus historiae ecclesiasticae librum priorem a Nestorio synodoque Ephesia auspicatus est. Antiquissimum quod illius libri superest fragmentum anno 449 adscribendum est.

Caput II.

DE THEODORI LECTORIS HISTORIA ECCLESIASTICA THEOPHANIS FONTE INDE AB ANNO FERE 439 P. CHR.

§ 1. DE HISTORIAE ECCLESIASTICAE FRAGMENTIS. — DE EXCERPTIS VALESIANIS, CRAMERIANIS, MILLERIANIS.

Theodori historiam ecclesiasticam iam pridem interiisse summopere dolendum est, cum quae temporum inuidia nobis reliquit fragmenta, quamuis perpauca, doceant non modo copiosum prolixumque fuisse illud opus, sed etiam accurata temporum determinatione munitum.

Sic u. g. in illo, quod supra commemoraui, fragmento ex alterius synodi Nicaenae actis desumpto[1]) consules adnotantur Protogenes et Asterius, alio quodam fragmento eoque uerbosiore de Olympio Ariano uel dies accurate adscribitur.[2])

Itaque non nimis audacter ex paucis eisque exiguis fragmentis, quae pro tenui quadam umbra copiosi operis habenda sunt, satis eleganti stilo usum esse Theodorum collegerim praesertim amplioris illius fragmenti si rationem habuerimus, quo Olympii interitus exponitur; adeo autem contracta sunt eius uerba et apud Theophanem

1) Mansi XII, 1042.

2) Apud Ioh Damasc. orat. III de imaginibus (omn. oper. ed. Le Quien I, 376—378): *Ὑπὸ δὲ ταύτην τὴν ὑπατείαν κατὰ τὸν μῆνα τὸν Δεκέμβριον ἔχοντα αὐτὸν εἰκάδα ταὶ πέμπτην ἡμέραν θαῦμα φοβερὸν κτλ.* Quibus consulibus hoc factum sit docet Victor Tunnunensis (Roncall. II, 354): *Iohanne Scytha et Paulino coss.*, i. e. anno 498 (Clinton, F. R. I, 714), non 494 ut uoluit Baronius (A. E. ad ann. 494, Nr. 61, uol. VI, 553).

et apud epitomatorem[1]), ut ne id quidem perspici possit, quomodo Olympius Deum offenderit. Cetera Theodorei stili specimina, quorum sex apud Iohannem Damascenum, duo inter synodi Nicaenae acta ad nos peruenerunt, minoris ambitus minorisque momenti sunt. Qnantopere Theodori contextus a serioris aetatis epitomatore eiusque asseclis, Theophane et Nicephoro, decurtatus sit, praeter praeclarum illud de Olympio episodium haec exempla ostendant:

1) Th. 174, 14—18 = Cram. 103, 20—23[2]) = Th. L. apud Ioh. Dam. ed. Le Quien I, 386—387.

Th. 174, 14—18	Cram. 103, 20—23	Th. L. apud Ioh. Dam.
Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει ζωγράφου τινὸς τὸν Σωτῆρα γράψαι τολμήσαντος καθ' ὁμοιότητα τοῦ Διὸς ἐξηράνθη ἡ χείρ, ὃν ἐξαγορεύσαντα δι' εὐχῆς ἰάσατο Γεννάδιος. Φασὶ δέ τινες τῶν ἱστορικῶν ὅτι τὸ οὖλον καὶ ὀλιγότριχον[3]) σχῆμα ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος οἰκειότερόν ἐστιν.	*Ἐπὶ Γενναδίου ἡ χεὶρ τοῦ ζωγράφου ἐξηράνθη τοῦ ἐν τάξει Διὸς τὸν Σωτῆρα γράψαι τολμήσαντος· ὃν δι' εὐχῆς ἰάσατο ὁ Γεννάδιος. Φησὶ δὲ ὁ ἱστορῶν ὅτι τὸ ἄλλο σχῆμα τοῦ Σωτῆρος τὸ οὖλον καὶ ὀλιγότριχον ὑπάρχει τὸ ἀληθέστερον.*	*Ἕτερα δὲ αὐτοῦ παραθήσομαι καταπλήξεως μεστά· ζωγράφος τις τὴν εἰκόνα τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γράφων τὼ χεῖρε ἀπέψυκτο καὶ ἐλέγετο ὡς ὑπὸ Ἕλληνός τινος τὸ ἔργον ἐπιταγὲν τῆς εἰκόνος ἐν τῷ προσχήματι τοῦ ὀνόματος τοῦ Σωτῆρος γεγράφηκεν ἐξ ἑκατέρου τὰς τρίχας ἐπὶ κεφαλῆς διεστώσας ὡς μὴ τὰς ὄψεις καλύπτεσθαι. Τοιούτῳ γε σχήματι Ἑλλήνων παῖδες τὸν Δία γρά-*

1) Th. 220, 2—8 = Cram. 106, 14—20

Th. 220, 2—8	Cram. 106, 14—20
Ὀλύμπιος δέ τις Ἀρειανὸς ἐν τῷ Ἑλενιανῶν βαλανείῳ δεινῶς βλασφημήσας ἐλεεινῶς ἐν τῇ νεροφόρῳ τέθνηκεν, ὅπερ ἐν εἰκόνι ἐγράφη. *Εὐτυχιανὸς δέ τις πρῶτος τῶν διαιταρίων δώροις πεισθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀρειανῶν τὴν ἀνατεθεῖσαν εἰκόνα τοῦ Ὀλυμπίου καθεῖλεν καὶ ἐξετάκη δεινῶς τὸ σῶμα ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ἀπέθανεν.*	*Ὀλύμπιός τις Ἀρειανὸς εἰς λουτρὸν λουόμενος Ἑλενιανῶν, τολμηρῶς βλασφημήσας, ἐλεεινῷ θανάτῳ ἐν τῇ νεροφόρῳ ἀπώλετο· τὸ δὲ γενόμενον γράψαντες οἱ πιστοὶ ἐν εἰκόνι πρὸς τῇ νεροφόρῳ ἀνέθεντο.* *Εὐτυχιανός τις τῶν διαιταρίων ὁ πρῶτος χρήματα λαβὼν ὑπό τινων Ἀρειανῶν τὴν εἰκόνα κατήγαγεν καὶ αὐτὸς τὸ σῶμα δαπανηθεὶς ἀπώλετο.*

2) Cf. Vales. l. c. 554 A.

3) Hanc lectionem in excerptis repperisse chronographum Crameri Valesii textus indicant. Quid reuera scripserit Theodorus apud Ioh. Damascenum (cod. Reg. 2951 fol. 264) extat.

		φουσι, πρὸς τὸ τους ὁρῶντας νομίζειν τῷ Σωτῆρι τὴν προσκύνησιν ἀπονέμεσθαι. Addit cod. Reg. 2951 fol. 264: τὸ δὲ ἀληθέστερον ὑπάρχειν οὖλον καὶ πολύτριχα· τούτου γενομένου καὶ τῆς αἰτίας θριαμβευθείσης ὑπὸ τῆς ἀνάγκης τοῦ γεγονότος πάθους συντόμως ἤγαγον αὐτὸν πρὸς ἐπίσκοπον αἰτοῦντες εὐχῇ τὴν συμφορὰν λῦσαι. Ὁ τοῖς συνοῦσιν ἐπιτρέψας προσεύξασθαι μετὰ τὴν προσευχὴν ἐπέθηκεν αὐτῷ τὰ θεῖα εὐαγγέλια καὶ παρ' αὐτὰ τὴς ἰάσεως ἔτυχεν.

2) Th. 240, 6—8 = Cram. 107, 27[1]) = Th. L. apud Ioh. Dam. (ed. Le Quien I, 380).

Th. 240, 6—8	Cram. 107, 27	Th. L. apud Ioh. Dam.
(*Τιμόθεος*) .... *ὅστις εἰσιὼν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, πρότερον τὰς Μακεδονίου εἰκόνας κατέφερεν καὶ οὕτως ἐλειτούργει.*	*Ὅπου δή ποτε ἐν ἐκκλησίᾳ εἰσῆλθε Τιμόθεος, εἰ μὴ πρότερον τὰς εἰκόνας Μακεδονίου κατέσπασεν οὐκ ἤρχετο τῆς λειτουργίας.*	*Οὗτος ὁ ἀνόσιος ἐν ταῖς συνάξεσιν ἀπερχόμενος τοὺς σεπτοὺς οἴκους ἀναθεωρεῖσθαι κελεύων, εἴ που γεγραμμένον ἐν εἰκόνι εὗρισκε Μακεδόνιον, ταύτην εἰ μὴ καθεῖλεν, οὐκ ἂν ἐλειτούργει.*

Ad ea quae attulit Valesius fragmenta[2]) alia accedunt, de quibus in uniuersum tantummodo loquitur Fabricius[3]), ita ut uix possit

1) Cf. Vales. 563 B; Miller, revue archéol., nouv. série, tome XXVI (1873) pag. 399.

2) Vales. 569—584, ubi typothetae errore factum est, ut post pag. 569 sequeretur 580.

3) Fabricius, B. Gr. VI, 129: „Addendum (sc. ad fragmenta Valesii) inquit, et historiae ecclesiasticae *ἀποσπασμάτιον* de expositionibus fidei

disceptari utrum omnia nouerit uir doctissimus necne. Haud pauca ex Theodori historia et in *Georgii Codini* excerpta et in *Anonymi* collectanea de antiquitatibus Constantinopolitanis olim a Lambecio edita[1]) transisse quamuis non ignorasse uideantur homines in huiusmodi studiis uersati, ea Theodori fragmenta hoc loco colligere mihi liceat, quae in Codini anonymique collectaneis delitescunt.

1. De Cynegio Himeriique chartularii obitu, Codin. pag. 18 D, ed. Lambec. (31, 17—32, 12 ed. Bonn.) = Anonym. pag. 90, ed. Lambec. — Anonymum; utpote uberiorem ipsius scriptoris uerba habere existimauerim. (Cf. Lambecii adnotationes; cf. *Suidas*, s. u. *Κυνήγιον*.)

2. Codin. pag. 12 D—13 A (= pag. 25, 21—26, 11, ed. Bonn.), de terrae motu litaniisque in Campo habitis adeo conspirat cum Theoph. 143, 18—144, 15 ed. Bonn., ut communi ex fonte, quem Theodorum[2]) fuisse probabile est, consensus ille sit repetendus.

3. Septem fragmenta ex Theodoro ad nostram peruenerunt aetatem inter *Anonymi* excerpta his uerbis inscripta: *Θεοδώρου ἀναγνώστου ἔτι συντομία γυναικῶν (ed. Lamb. pag. 91).* Eadem fragmenta additamentis exornata reperies apud *Codinum, pag. 33, 10 —36, 11, ed. Bonn.*, inter quae potissimum respiciendus est locus de Pittaciis, cur ita dicta sint, iam supra (pag. 180) pertractatus.

4. Inter eiusdem *Anonymi θεάματα, pag. 93, ed. Lambec.* (172, 5 ed. Bonn.) nonnulla delitescere ex Theodoro desumpta inde colligendum est, quod semel ibi laudatur *Θεόδωρος χρονόγραφος ἀναρρωσθεὶς ἀναγνώσμασιν.*[3])

quod e bibliotheca Vaticana produxit et cum uersione sua edidit Iosephus Maria Suaresius ad S. Nili opuscula, pag. 614. Tum quae ex Theodoro Lectore afferuntur in Originibus Cpolitanis a Combefisio illustratis". — Extat fragmentum Vaticanum ap. Migne: Nili opera p. 1341: Ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Θεοδώρου ἀναγνώστου ΚΠ. πόσαι αἱ τῆς πιστεως ἐκθέσεις κτλ.

1) *Παραστάσεις σύντομοι χρονικαί*, ed. Lambecius, Paris. 1655. — Anonymus ille quomodo cum Codino cohaereat cum nemo adhuc quaesiuerit, equidem utrumque eodem ex auctore pendere coniecerim; ut obuiora quaedam adscribam, eundem arguunt fontem et Codin. 34 D—37 B = Anonym. 87—89 de statuis in S. Sophia positis; Codin. Nr. 49 et 50 (pag. 24 ed. Lambec.) = Anonym. pag. 98—99.

2) Redit extrema pars illius loci inde a uerbis *οἱ δὲ δύο δῆμοι* ad librum *περὶ κτισμάτων*, quem cum Procopii opusculo de aedificiis (ed. Bonn. III, 167—344) caue confundas.

3) Lambecius (adnot. pag. 215) coniecturam proposuit haud necessariam: *ἀναγνωσθείς*.

5. *Anonymus, pag. 102 ed. Lambec.* (187, 10 ed. Bonn.) de Augusteo agens ipse addit *ὡς ὁ Θεόδωρός φησιν.*

6. *Anonymus, pag. 103 ed. Lambec.* (189, 3 ed. Bonn.): *Ὁ ἀγωγὸς ὑπὸ Οὐάλεντος τοῦ Ἀρειανοῦ ἐκτίσθη, καθὼς γράφει Θεόδωρος.* — Praeterea totus locus inde a uerbis ὁ λεγόμενος Ξηρόλοφος Theodoro adscribere uelim, quia auctor ibi excitatur ὁ διακρινόμενος[1]), quem Theodori Lectoris fontem fuisse constat.

Permulta praeter illa ex Theodoro in Codini Anonymique illius collectanea esse delata per se haud improbabile est, quamquam non praesto sunt argumenta grauiora.

Haec igitur fragmenta magis obuia aliqua quidem ex parte Fabricio nota erant. Iam ad diuersa collectaneorum genera transeundum est, quorum uestigia apud Theophanem deprehendimus; eclogas illas adeo adamarunt serioris aetatis rerum scriptores, ut Theodorum ipsum ne inspicerent quidem, neque multum a uero aberret, qui hanc potissimum ob neglegentiam integrum Theodori opus periisse coniecerit.

Sic Theophanes eiusque asseclae, Georgius Monachus, Cedrenus, Zonaras collectaneis dumtaxat utuntur; sic postea Nicephorus Callistus ea expilasse excerptaque amanuensi dictasse uidetur nonnulla inde in historiam suam deriuaturus.[2])

Ne primarias quidem eclogas, quales Theophanes manu uersabat, hodie superesse inde intellegas, quod nonnulla habet chronographus, quae inter Crameriana Valesianaque excerpta frustra requiras nec tamen ab inertissimo compilatore suo marte addita esse putaueris; quando interierint illae, alii disceptare studeant, ego satishabeo suspicari fragmenta nuperrime a Millero detecta atque ex montis Atho bibliotheca in lucem edita[3]) commentarioque adumbrata reliquias continere eclogarum illarum olim a Theophane ceterisque descriptarum. Neque enim ueram fragmentorum condicionem perspexisse mihi uidetur Miller, integrum inesse eis Theo-

1) De hac re cfr. pag. 192 sqq. — Cf. Vales. 563 B.

2) Id certe significare uidentur uerba: *ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου*, quibus in codice Regio Valesii cura typis expresso inscripta sunt excerpta, quae Valesiana nuncupaui. Eodem modo Leontii Scholastici liber de sectis a Leunclauio editus hac inscriptione munitus est: *ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀββᾶ*, eo quod abbas ille amanuensi librum Leontii dictabat.

3) Revue Archéologique, nouuelle série, tome XXVI, (1873) pag. 396 —403 (cf. ibid. 273—288).

dori contextum ratus[1]), excerptis ex Iohanne Diacrinomeno a Theodoro ipso appendicis loco exornatum.[2])

Obstat primo statim obtutu, quod fragmenta Milleriana neque Theodori elegantissimam illam ubertatem prae se ferunt neque consulum dierumque adnotatione instructa sunt.[3]) Obstat deinde, quod haud pauca ad uerbum fere cum excerptis Cramerianis Valesianisque eclogis conspirant[4]); obstat denique locus quidam pag. 399, quo ad ipsum Theodorum hisce uerbis respicitur: *Ἰστέον δὲ ὅτι πατριάρχην* ὀνομάζει *τὸν Θεσσαλονίκης ἐπίσκοπον ὁ* ἱστορῶν, *οὐκ οἶδα διατί*[5]), quae uerba ab epitomatore, qui non intellexerat cur Thessalonicensem episcopum patriarcham appellasset Theodorus (*ὁ ἱστορῶν*), addita esse mihi quidem constat. Schedulis Millerianis autem inesse *primaria excerpta ex Theodori opere confecta* quibus argumenta nostra non persuaserunt, haud scio an illis magis arrideant exempla haec:

Th. 235, 16—19	= Miller. 396—397.[6])
Ὁ δὲ Μακεδόνιος Φλαβιανὸν τὸν Ἀντιοχείας καὶ πάντας τοὺς τολμῶντας λέγειν τι κατὰ τῆς συνόδου ἀνεθεμάτιζεν καὶ τοὺς ἀποκρισιαρίους Φλαβιανοῦ ἐλθόντας πρὸς αὐτὸν διά τινας χρείας ἀνεθεμάτισεν καὶ ἐδίωξεν.	*Μαθὼν Μακεδόνιος τὰ ὑπὸ Φλαβιανοῦ ἐν Ἀντιοχείᾳ γενόμενα, τοὺς ἀποκρισιαρίους αὐτοῦ ἐλθόντας πρὸς αὐτὸν διά τινα χρείαν ἐδίωξεν, ἀναθεματίζων κἀκεῖνον καὶ πάντα τὸν τολμῶντα ὑπενάντιον τι λέγειν ἢ ποιεῖν τῶν ἁγίων πατέρων.*

Th. 235, 7—16	= Miller. pag. 397.
Δωρόθεος δὲ μοναχὸς Ἀλεξανδρεὺς πολύστιχον βίβλον ἔγραψεν ὑπὲρ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου,	*Δωρόθεός τις μοναχὸς τῷ γένει Ἀλεξανδρεὺς βίβλον ἔχραψε πολυσύντακτον εἰς πολλὰς μυριάδας*

1) L. c. pag. 276: Ces feuillets en parchemin, de format petit in-folio etc., ces feuillets contiennent des fragments de l'histoire ecclésiastique de Théodore le Lecteur et d'un autre etc. etc. Cf. adn. 2.

2) Ibid., pag. 282: „Extraits tirés çà et là des ouvrages de Jean Diacrinomenos et qui m'ont paru les plus intéressants". C'est Théodore le Lecteur qui parle ici, comme on va le voir bientôt.

3) Cf. fragm. a Valesio edita. Cf. huius capitis initium.

4) Cf. omnia fere fragmenta pag. 397—400 cum Milleri adnotationibus.

5) Miller: Ce passage, que je suis étonné de ne pas voir dans l'édition de Valois. Praue igitur h. l. a Millero neglegentiae accusatur Valesius, cf. pag. 580.

6) Extat idem excerptum apud Cramerum, pag. 106, 21—24; desideratur inter Valesii eclogas.

ἣν δέδωκε Μάγνᾳ τῇ νυμφῇ Ἀναστασίου ἐπ' ἀδελφῷ ὀρθοδόξῳ οὔσῃ. Αὕτη δὲ Ἀναστασίῳ τὴν βίβλον προσήνεγκεν ἐλπίζουσα δι' αὐτῆς μετατίθεσθαι αὐτόν. Ὁ δὲ ἐντυχὼν αὐτῇ καὶ παρὰ γνώμην αὐτοῦ εὑρὼν οὖσαν, Δωρόθεον μὲν εἰς Ὤασιν ἐξορίζει καὶ τὴν βίβλον ἐξουθενεῖ διὰ τὸ ἐπιγράφειν Τραγῳδία, ἤγουν προφητεία τῆν νῦν καταστάσεως, ὥσπερ τῷ μεγάλῳ Βασιλείῳ φασὶν εἰρῆσθαι κατὰ Ἰουλιανοῦ.

στίχων[1]) φερομένην, συνηγορῶν δῆθεν τῇ ἐν Χαλκηδόνι συνόδῳ, ποιήσας δὲ τῆς βίβλου ἰσότυπα καὶ εἰς ἀνατολὴν δίδωσι δὲ καὶ εἰς τὴν μόνην τὴν λεγομένην τῶν Εὐσεβίου, καὶ ἄλλην δὲ δέδωκεν ὁμοίως ἰσότυπον Μάγνᾳ τῇ ἐπ' ἀδελφῷ νύμφῃ τοῦ βασιλέως· ἡ δὲ θείῳ ζήλῳ φερομένη (ὀρθόδοξος γὰρ ἦν) εἰσάγει ταύτην τῷ βασιλεῖ, νομίζουσα ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μετατίθεσθαι τὸν βασιλέα ἐκ τοῦ διώκειν τὴν σύνοδον. Ὁ δὲ ἀναγνοὺς, καὶ παρὰ τὸ θέλημα τὸ ἴδιον τὴν βίβλον εὑρὼν, ἀφορμῆς λαβόμενος, ὡς ἐνόμισεν τῷ ἐπιγράφειν τὴν βίβλον Τραγῳδία, ἤγουν προφητεία τῆς νῦν καταστάσεως, ὅπερ Βασιλείῳ τῷ θείῳ κατὰ Ἰουλιανοῦ ὡς λέγουσιν εἴρητο, ἐξορίζει εἰς Ὤασιν τὸν Δωρόθεον, ἡ δὲ βίβλος ἔτι καὶ νῦν παρά τισι διασώζεται.[2])

Th. 250, 10—17 = Miller. pag. 399.

Τοῦ δὲ ἐπισκόπου Θεσσαλονίκης διὰ φόβον τοῦ βασιλέως κοινωνήσαντος Τιμοθέῳ τῷ ΚΠ. ἐπισκόπῳ, τεσσαράκοντα ἐπίσκοποι τοῦ Ἰλλυρικοῦ καὶ τῆς Ἑλλάδος συνελθόντες εἰς ἕν, δι' ἐγγράφου ὁμολογίας, ὡς ἀπὸ ἰδίου μητροπολίτου ἀπέστησαν ἀπ' αὐτοῦ καὶ εἰς Ῥώμην πέμψαντες τῷ Ῥώμης κοινωνεῖν ἐγγράφως συν-

Τοῦ ἐπισκόπου Θεσσαλονίκης διὰ φόβον τοῦ βασιλέως κοινωνήσαντος Τιμοθέῳ, τεσσαράκοντα ἐπίσκοποι τοῦ Ἰλλυρικοῦ καὶ Ἑλλάδος ἀθροισθέντες εἰς ἕν, δι' ὁμολογίας ἐγγράφως συνέθεντο.[3]) Ἰστέον δὲ ὅτι πατριάρχην ὀνομάζει τὸν Θεσσαλονίκης ἐπίσκοπον ὁ ἱστορῶν, οὐκ οἶδα διατί.

1) De *στίχοις* quae monet Miller (l. c. pag. 279), recte sese habent. Cf. Ritschl, opusc. I, 82; Graux, Revue de Philologie II, 37; C. Wachsmuth, Rhein. Mus. XXXIV, 481 sqq.

2) Simillima ad praesentia tempora allusio reperitur Th. 175, 20: *ὅπερ ἕως σήμερον ἔκτοτε καιροῦ παρὰ τοῖς Θεοπασχίταις ἐκράτησε λέγεσθαι*, quam aeque ex eclogis transscriptam esse suspiciendum est.

3) Non vidit Miller, h. l. lacunam esse statuendam satis amplam. Festinantius a uiro optimo edita esse praeclara illa fragmenta praeterea demonstrat adnot. 5 pag. 190.

ἔθεντο. Τὸν Θεσσαλονίκης ἐπίσκοπον Θεόδωρος ἱστορικὸς πατρίαρχην ὀνομάζει ἀλόγως μὴ εἰδὼς τὸ διατί.

Quodsi concesseris, fragmenta illa a Millero detecta miseras quasdam esse reliquias primariorum excerptorum passim ab illius aetatis compilatoribus adhibitorum, iam non negabis et Valesii et Crameri eclogas ex uberioribus illis excerptis fluxisse, sed ita fluxisse, ut a diuersis compositae sint epitomatoribus; ita rem sese habere meo quidem iudicio inde colligendum est, quod nonnulla habet Valesius Crameriano epitomatori ignota, nonnulla autem attulit ille, quae apud Valesium desiderantur.[1]) Plerumque uero ad uerbum fere conspirare utrumque unaquaeque ostendit pagina; quamobrem alterum ex altero corrigi posse singulis locis uidebimus.

Quonam tempore exiliores Valesii Cramerique eclogae ex amplioribus illis manauerint, ex quibus pauca frustula seruauit Miller, haec quaestio uereor ut expediri possit, quoniam ne hoc quidem constat, utrum ante Nicephorum compositae, an ab eo demum ex clarioribus excerptis desumptae sint. Neque enim ex eclogarum inscriptione certum argumentum petere possumus. — Transeamus iam ad eum scriptorem, quem compluribus locis commemoratum in Milleri schedulis post Theodorum uidemus editum, ad Iohannem Diacrinomenum.[2])

Fol. III uo. schedularum a Millero detectarum post excerpta ex Theodoro alia adduntur hoc titulo inscripta: *Ἰωάννου τοῦ Διακρινομένου ὅσα ἐκ τῶν αὐτοῦ σποράδην ὡς ἀναγκαιότερα παρεξέβαλον*, quae addita esse ab ipso Theodoro ratus est Miller. Falsam esse hanc sententiam inde sequitur, quod ea quae in sche-

1) Solus habet Cramer. haec: 101, 9—12; 101, 30—102, 5; 102, 28—103, 2; 103, 33—104, 11; 104, 17—21; 105, 10—106, 7; 106, 14—32; 107, 32—108, 12. — Valesius haec exhibet Cramero ignota: 1) Pag. 551 inde a *Μαρῖνα δὲ παρθενεύουσα*, 2) pag. 554 C med. — 555 B (inde a *Μαρτυρίου τὴν Ἀντιοχ. ἐπισκοποῦντος ἐκκλησίαν* usque ad *Ἰουλιανὸς τ. ἐπισκ. χειρίζεται*, 3) pag. 555 C: *Λέων ὁ βασ. — οὐρανόθεν κατενεχθῆναι.* 4) pag. 555 D: *Βασιλίσκος ὁ Β.* usque ad finem pag. 560; 5) pag. 561 A—562 A: *Πέρσαι κινηθέντες — καὶ πᾶσι τὸ θαῦμα ἐποίει γνώριμον.* 6) 563 A: *Ὑπολαβὼν ὁ βασιλεὺς* usque ad *ἁρμόδια.* 7) 563 B—565 A: *Ἰωάννης ὁ Διακρινόμενος — τὴν δίκην εἰσέλθωμεν.*

2) Diacrinomeni qui dicti cf. Nic. Call. XVIII, 45. Vales. adnot. ad Theodorum Lectorem pag. 167; — Coteler. ad monum. eccl. Graec. II, 668; Ducange, ad pag. 51 Zonarae, ed. Paris. 1686; idem in glossario, s. u. — I. P. N. Land: Ioannes Bischof von Ephesos. Leyden 1856 S. 106.

dulis antecedunt non Theodori ipsius uerba sunt, sed eclogarii cuiusdam qui ante Theophanis aetatem ex Theodori historia excerpta confecit; itaque id uerisimilius est ignotum illum epitomatorem qui historiam ecclesiasticam excerpserat parecbolas ex Iohanne, Theodori auctore, adiecisse, Theodoro ipsi ut aliquam lucem affunderet. — De opere Iohannis infra iudicium ferre conabor. Antea quaeramus, nonne alicubi reliquiae reperiri possint ex historia illa uetusto tempore deperdita.

Valesianas eclogas diligenter quisquis perlegerit, eum offendet, quod bis pag. 566 testis inuocatur Theodorus Lector: 1) 566 A: *Πετρόν φησι τὸν Μογγὸν τὸ λείψανον Τιμοθέου τοῦ Σαλοφακιόλου ἀνορύξαι, ὅπερ ἱστορεῖ καὶ Θεόδωρος.*[1])—2) 566 B: *Καλανδίωνα λέγει ἐν Βυζαντίῳ χειροτονηθῆναι, συμφωνῶν τῷ Θεοδώρῳ.* Quomodo autem in eclogis ex Theodoro ipsius scriptoris testimonium afferri potest? Accedit, quod inde a pag. 565 B temporum ratio perturbata esse uidetur, quoniam post Anastasii commemorationem subito rursus importatur Nestorii obitus, deinde res ecclesiasticae proferuntur aetatis Theodosii, Marciani (565 D), Zenonis (566 C), donec 566 D ad Anastasium reuertatur eclogarius. Quam rem ita explicare studet Valesius in praefatione, ut iterum perlecto Theodoro ab epitomatore haec addita esse sumendum sit. Sed obstat Theodori in excerptis illis commemoratio. — Idem censuerim de Cramerianis eclogis, ubi consimilis occurrit perturbatio, atque praeterea pag. 109 inscriptio extat haud intellecta: *ἐκ τοῦ η' λόγου*; nam octo libros non conscripsit Theodorus. Nonne omnia haec cogunt, ut ex alio scriptore prouenisse hanc eclogarum partem suspicemur?

Commode ad dirimendam quaestionem de excerptis Valesianis 565 B—567 D atque de Cramerianis 108, 25—111, 31 in lucem

1) Sic enim scribendum est pro *Θεοδώρητος*. Et hoc loco et praua inscriptione fragmenti illius de Olympio Ariano apud Ioh. Damascenum (ed. Le Quien I, 376) innisus, iuniorem Theodoretum fuisse, praeclaro illo minus notum, praue coniecit Baronius (A. E., ad ann. 494, Nr. 59, ed. Colon. VI, 552). Hac in re post Baronium peccauit Valesius, qui altero loco deprauato scribendum censuit *συμφωνῶν τῷ Θεοδωρίτῳ* pro *τῷ Θεοδώρῳ* (Adnot. ad Theod. Lect. pag. 169). Namque praeterea quod nil innotuit de iuniore Theodoreto historiae ecclesiasticae conscriptore, Theodorum reuera de Petro Mongo egisse ut cognoueris ex Cram. 106, 23—106, 7, ita rem ipsam reperies ibid. 105, 27, ubi legitur: *Τιμοθέου δὲ τὸ λείψανον ὀρύξας ἐκ τοῦ τάφου τῶν ἱερέων εἰς ἰδιωτικὸν τάφον ἀπέθετο.* Itaque non potest dubitari quin uera scriptura sit *συμφωνῶν τῷ Θεοδώρῳ*.

emerserunt Milleri schedulae, quibus eclogae insunt ex Iohanne Diacrinomeno. Namque complura ex hac eclogarum parte cum ad uerbum conspirent cum nonnullis Milleri locis, quos rudera esse ex deperdito Iohannis Diacrinomeni opere subscriptio docet, iam luce clarius fit, et apud Valesium et apud Cramerum excerptis ex Theodoro confectis alia agglutinata esse collectanea ex Iohanne excerpta. Inde nouum argumentum lucrati sumus ad sustentandam sententiam, qua Valesianas Cramerianasque eclogas ex Millerianis emanasse conieceramus.

Liceat singulos locos adscribere quomodo cum Iohanne Diacrinomeno cohaereant.

Val. 565.		
1) *Σηκεδόνι τὸ σῶμα*		ex libro I.
2) *Μετὰ τὴν πρὸς τοὺς ἀνατολικοὺς*		(ex libro I.)
2) *Ῥαβουλᾶς Ἐδέσσης*		ex l. II.
3) *Οἱ ἐν Αἰγύπτῳ μοναχοὶ*		ex l. IV.
4) *Δύο ἐπισκόπων ἀμφισβητούντων*		ex l. V.
(= Cr. 108, 25—30).		
Val. 566.		
1) Duo excerpta de Petro Mongo		ex l. VI.
2) Duo excerpta de Calandione		(ex l. VI.)
3) *Πέτρον φησὶ τὸν Κναφέα*		ex l. VII.
Ζήνων ὁ βασιλεὺς		(ex l. VII.)
Πάντων, ὡς λέγει, τῶν ἄλλων		(ex l. VII.)
Cr. 109, 1—2.		
De Xenaia		ex l. VII.
Val. 566—567.		
1) *Κωάδης τὸν ἴδιον θεῖον*	(Cr. 109, 4—11)	ex l. VIII.
2) Duo frgm. de Anastasio. .	(Cr. 109, 4—11)	(ex l. VIII.)
3) *Ἐν Νεοκαισαρείᾳ* . . .	(Cr. 109, 15—20)	(ex l. VIII.)
4) *Ἔθος λέγει*	(ibid. 21—25)	(ex l. VIII.)
Cr. 109, 12—15. *Μέρος τοῦ λειψάνου* . . .		(ex l. VIII.)
Val. 567.		
1) *Κωάδης νόμον*		ex l. IX.
2) *Ἰμμιρηνοί ἐστιν ἔθνος*		ex l. X.
3) *Σευῆρος ὅρκον δοὺς*		(ex l. X.)

Cum ex decem libris, quos conscripsisse constat Iohannem illum haereticum, iam Photii patriarchae aetate quinque deperditi fuerint posteriores[1]), per Millerianas demum eclogas aliquid innotuit

1) Photius cod. 41: *Ἀνεγνώσθη Ἰωάννου ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία. Ἄρχεται ἀπὸ τῆς Θεοδοσίου τοῦ νέου βασιλείας, ἀπ' αὐτῆς κου τῆς Νεστορίου*

de libris illis. Dubium igitur est, utri nouarum schedularum parti maius tribuendum sit pretium, utrum priori, qua haud pauca rudera ipsarum eclogarum a Theophane exscriptarum emerserunt, an alteri Iohannis Diacrinomeni excerpta continenti. Iohannis uero haeretici opus satis amplum haud scio an hanc ipsam ob causam interierit, quia ab auctore, utpote haeretico, nonnulla prolata erant orthodoxis minus grata; afferri quidem potest Philostorgii exemplum, ex cuius historia excerpta tantummodo reliqua sunt a Photio patriarcha confecta.

Fragmenta ex Iohannis Diacrinomeni historia habemus nonnulla alia. Vnum iam Valesius nouit amplissimum, ex actis synodi Nicaenae alterius depromptum.[1]) Solus est locus, quem ex integra Iohannis historia ad nostram aetatem peruenisse nouimus; quantopere uero primum ab epitomatore, dein a Theophane breuiatus ipse sit scriptoris contextus facile cernitur:

Cram. 109, 1—2	= Iohannes Diacrinom. in actis Synodi Nicaenae II. Mansi XIII. S. 180.
Ξεναΐας ὁ Φιλόξενος οὔτε Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ οὔτε ἀγγέλου εἰκόνας ἐν ἐκκλησίᾳ συνεχώρει ἀνατίθεσθαι. Cf. Theoph. 207, 14—10. *Ξεναΐας δὲ ὁ δοῦλος τοῦ Σατανᾶ τὴν δεσποτικὴν εἰκόνα καὶ τῶν ἁγίων ἐδίδασκε μὴ δέχεσθαι.*	*Μὴ γὰρ εἶναι θεμιτὸν ἔλεγεν ὁ Ξεναΐας ἀσωμάτους ὄντας ἀγγέλους σωματοποιεῖν, καὶ ὡς ἐν μορφαῖς ἀνθρωπίναις ὑπάρχοντας ἐνσωμάτους τυποῦν, ἀλλὰ μὴν μηδὲ κἀκεῖνο νομίζειν, τίμην ἢ δόξαν ἐκνέμειν. τῷ Χριστῷ τὴν διὰ γραφῆς αὐτῷ τεχνιτευομένην εἰκόνα· εἶναι δὲ μόνην αὐτῷ προσδεκτὴν εἰδέναι τὴν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκύνησιν. Καὶ μεθ' ἕτερα·*

βλασφημίας καὶ καθαιρέσεως καὶ κάτεισι μέχρι Ζήνωνος καὶ τῆς καθαιρέσεως Πέτρου τοῦ αἱρετικοῦ κτλ. κτλ. — *Τῆς μέντοιγε ἱστορίας αὐτοῦ δέκα τυγχάνουσι τόμοι, ὡς καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος ἐπαγγέλλεται· ὧν ἡμῖν τοὺς πέντε γέγονεν ἀναγνῶναι περιέχοντας, ὡς ἔφημεν, ἀπὸ τῆς Νεστορίου βλασφημίας μέχρι τῆς τοῦ αἱρετικοῦ Πέτρου καθαιρέσεως.* — Et haec coniecturae meae fauent, qua Theodorum quoque incohasse a Nestorio posui.

1) Iam Ducange (s. u. *Διακρινόμενοι*) fragmenta Iohannis attulit haec: 1) Concil. Nic. II, act. V. 2) Theodor. Lect. libr. II. 3) Nic. Call. XVI, 29. 4) Anonymi *παραστάσεις σύντομοι* ed. Reg. pag. 79 (scribendum est: 96). 5) Codin. Nr. 34 et 49 ed. Lambec. — Fragmentum copiosissimum de Xenaïa haeretico inuenies inter acta alterius synodi Nicaenae, (Mansi XIII, 180); adnotat Goar ad Theophanem, 207, 14, Bonn (cf. uol. II, 401): Recitantur haec per Anastasium diaconum in II. Nic. conc. ex Theodoro Lectore, quo tempore eius historia integra habebatur.

(sequitur Iohannis sententia de Spiritu Sancto in columbae imaginem efficto) etc. *Ταῦτα Φιλόξενος διδάσκων ὅμου τῇ διδασκαλίᾳ καὶ τοὔργον ἐπέφερε. Πολλαχόθεν γοῦν ἀγγέλων μὲν εἰκόνας καταφέρων ἐξείληφε τὰς δὲ τὸν Χριστὸν τυπόυσας εἰς ἀδύτους ἐταμίευε τόπους.*[1])

Eodem fragmento Photii de Iohannis stilo sententia confirmatur, clarum floridumque eum esse afferentis.[2])

Ceteras reliquias operis quondam haud despiciendi post Ducangium omnes attulisse sibi uisus est *Land.*[3]) Latescunt nonnullae apud eosdem compilatores, ex quibus fragmenta Theodori lucrati sumus, apud Georgium Codinum et Anonymum illum, *παραστάσεων συντόμων* auctorem, quos eodem ex fonte haurire non uidit Land. Neque autem nouit ille iam a Ducangio allata esse complura fragmenta. Sunt uero haec:

1) Anonym. Nr. 196 (pag. 96 ed. Lambec., pag. 177, 15 —178, 1 ed. Bonn.): *Ἐν τοῖς Πανεάδος μέρεσι, τῇ ἐπονομαζομένῃ Καισαρείᾳ, τῇ Φιλίππου διερχομένου Ἰουλιανοῦ, τὸ τῆς αἱμορροούσης ἴνδαλμα θεασάμενος καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ τὸν ἀνδριάντα, ὡς ἔλεγον, ὑπ' αὐτῆς κατασκευασθέντα κτλ. Τοῦτο δὲ καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου*[4]) *καὶ ὁ Διακρινόμενος ἀκριβέστερον μέμνηται.*

2) Ibid. Nr. 198—199 (pag. 98 et 99 ed. Lamb.; pag. 180, 15—22 ed. Bonn.): De statua *ἐν τῷ φόρῳ. — Ὡς δὲ ὁ Διακρινόμενός φησι, ὅτι ἐκ τῆς καλουμένης Μαγναύρας· ἐν οἷς ἐν τῷ φόρῳ τεθεῖσα καὶ πολλάς, ὡς προείρηται, ὑμνῳδίας δεξαμένη εἰς Τύχην τῆς πόλεως προσεκυνήθη παρὰ πάντων, ἐν οἷς καὶ τὰ ἐξέρκετα κτλ. Πολλὰ οὖν ὁ Διακρινόμενος*

1) Eiusdem synodi acta ostendunt, a Iohanne sua de Xenaïa mutuatum esse Theodorum (cf. Mansi, ibid., Vales. pag. 569). Praeterea hisce fere locis Iohannis uestigia deprehendimus apud Theophanem, Theodori asseclam: Th. pag. 142, 6—10 de Nestorii morte (cf. Val. 565 C: *Σηπεδόνι* etc.), Th. 158, 2—3 de Flauiani corpore; Th. 176, 7—10 de Petro Fullone (cf. Val. 555 A), pag. 187, de episcopis Basilisco faventibus (Vales. 556 AB).

2) Photius l. c.: *Ἔστι δὲ οὗτος τὴν φράσιν σαφὴς καὶ ἀνθηρός.*

3) Cf. *Land, Johannes Bischof von Ephesos.* Leyden 1856. pag. 70.

4) Hist. eccl. VII, 18.

ἄνωθεν τοῦ κίονος φάσκει πράγματα τεθῆναι, ἔνθα ἡ στήλη ἵσταται.[1])

3) Ibid. Nr. 205 (ed. Lambec. pag. 102; pag. 186, 21—187, 3 ed. Bonn.): *Ὁ Πιττάκης*[2]) *ὁ λεγόμενος Λέων ὁ μέγας ἐστίν, ὁ παρὰ πολλοῖς Μακελάριος λεγόμενος κτλ. καθὼς Ἰωάννης ὁ Διακρινόμενος λέγει.*

4) Georg. Codin. Nr. 34 (pag. 17 ed. Lambec.; pag. 30, 6—9 ed. Bonn.): *Περὶ τοῦ Ξηρολόφου. Ὅτι τὸν Ξ. κτλ. Ὁ αὐτὸς δὲ Ξηρόλοφος καθὼς ὁ Διακρινόμενος [λόγος] φησίν, τὴν στήλην εἶχε τοῦ τε μικροῦ Θεοδοσίου καὶ Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Μαρκιανοῦ κάτωθεν τοῦ κίονος. Σεισμοῦ δὲ γενομένου πεπτωκέναι τὰς στήλας.*[3])

Ad haec si addideris Th. Lect. pag. 563 B: *Ἰωάννης ὁ Διακρινόμενος περὶ Σεβήρου ἱστορεῖ, ὅτι ὅρκον ἔλαβεν ὁ βασιλεὺς Ἀναστάσιος τοῦ Σεβήρου κτλ.*, haud scio an Iohannis reliquias habeamus omnes, quaecumque hodie supersunt.[4])

Alter, qui a Theophane excitatur Theodori Lectoris auctor[5]), Petrus presbyterus Alexandrinus est. Cum testis afferatur ille rei grauissimae — profertur enim eo Theophanis loco, Timotheum Aelurum Cyrilli opera interpolasse —, sumendum est, scriptorem

1) Non intellego cur dicat Land (l. c. pag. 70), suspectam sibi uideri similitudinem, quae inter hunc locum extat et G. Codin. Nr. 49—50 (pag. 24 et 25 ed. Lambec.). Neque mihi quidem minus obscurum est, quod de inepta Lambecii uersione («ut alii diuerse tradunt») affert Land. Similitudo facillime explicatur, si meminerimus, et Codinum et Anonymum eodem ex fonte haurire. — Cf. pg. 188 adn. 1.

2) Sic scribendum pro *ὁ Πήταξ*. Cf. Codin. Nr. 39 et 40 (pag. 20 ed. Lambec.; pag. 35 ed. Bonn.), ubi haud scio an Theodori integrum contextum habeamus. Cf. supra pag. 180, adn. 4; pag. 188—189.

3) Omnino fugit Landium quod apud Anonym. Nr. 207 (pag. 102, ed. Lambec.; pag. 188, 10—15, ed. Bonn.) eadem leguntur, quae supra attulimus. Dubito, num locus Th. 121, 4: *Τῷ δὲ αὐτῷ ἔτει ἔστησεν Ἀρκάδιος τὸν κίονα τοῦ Ξηρολόφου* (cf. adn. Goari ad h. l. ed. Bonn. II, 364) huc pertineat. Malim ad illum chronographum hunc locum referre qui dicitur *ὁ μέγας*. Cf. cap. III. — De Xerolopho cf. Suidas s. u. — Petr. Gyll. topogr. IV, 6. — De uerbis *καθὼς ὁ διακρινόμενος λόγος φησίν* cf. adnot. 4.

4) Exscripsit hunc locum Nic. Call. XVI, 29: *Ἱστορεῖ δὲ Ἰωάννης ὁ [αὐτῷ] Διακρινόμενος, ὡς μέλλων χειροτονεῖσθαι Σέβηρος, ὅρκον ἔγγραφον βασιλεῖ Ἀναστασίῳ ἐδίδου κτλ.* — Voculam *αὐτῷ* uncis secludendam esse censui utpote ineptum glossatoris insulsi additamentum, quis sit Iohannes Diacrinomenus ignorantis. — Idem coniecerim de uoce *λόγος* in frgm. 4 ex Codin., ubi extat *καθὼς ὁ διακρινόμενος [λόγος] φησίν*.

5) Theoph. pag. 172, 1—6 ed. Bonn.

illum fuisse summae auctoritatis. — Quicumque uero synodi Ephesiae acta euoluerit, in Petrum incidet Alexandrinum, synodi notariorum primicerium; eundem esse illum Petrum notarium, eundem Theodori auctorem Liberati Diaconi[1]) locus indicat. Exstant enim initio Liberati breuiarii uerba haec: „Peregrinationis necessitatibus defatigatus et aliquatenus feriatus animo a curis temporalibus, duarum, hoc est Nestorianorum et Eutychianorum, sectarum ex ecclesiastica historia nuper de graeco in latinum translata[2]), et ex gestis synodalibus uel sanctorum patrum epistolis[3]), hoc breuiarium collegi, *nectens temporum curricula illa, quae in Graeco Alexandriae scripto accepi*". — Quamquam neque Alexandrini illius auctoris nomen additur a Liberato, neque accuratius designatur, quid inde depromptum sit, res satis in propatulo est. Neque enim, ut mea quidem fert sententia, procul aberrauerit a ueritate qui coniecerit, Liberatum diaconum ea, quae de ecclesia Alexandrina habet, ac praecipue copiosam Timothei Aeluri seditionis narrationem[4]) ex Graeco illo Alexandriae scripto in breuiarium suum deriuasse. Quoniam autem Liberati narratio non abhorret a Theophane, i. e. a Theodoro Lectore[5]), utriusque consensus a communi fonte erit repetendus, etiamsi is potissimum locus, quo Petrus a Theodori epitomatore laudatur, apud Liberatum non extat. Summi momenti fuisse Petri Alexandrini opus per se patet, quippe cui breuiarium componenti praesto fuerint conciliorum acta, patrum epistolae[6]) omniaque monumenta, quibus opus est ad historiam probe conscribendam.

1) Floruit *Liberatus* sexto saeculo ineunte; id quidem ex cap. 20 cernitur, Iohanne II pontifice maximo Romae eum fuisse: „Sed papa Iohannes, *nobis ibi positis*, hoc confitendum epistola sua firmauit etc.". — Inest breuiarium Liberati Mansi, concil. collect., tomo IX, pag. 659 —702.

2) His uerbis *Cassiodori Senatoris* historiam tripartitam designari inde colligo, quod semel excitatur Theodoretus (cap. 3 = Th. V, 3, pag. 260 B—261 B), ter Socrates (cap. 2 = Socr. VII, 32, 375 A; cap. 4 = V, 29; cap. 6 = VII, 35).

3) Reuera monumenta a Liberato adhibita esse praeter omnes cap. 4 luculenter demonstrat.

4) Liber. cap. 15—16 (Mansi IX, 684—685).

5) Theodori Lectoris de his rebus narrationem exscripserunt Theophanes, pag. 171, Nicephorus Callistus XV, 16. — Afferendus est praeterea Euagr. II, 8, pag. 301.

6) In describenda Timothei Aeluri seditione δέησιν ab episcopis Aegypti ad imperatorem missam respexit Petrus Alexandrinus. Cf. Euagr. II, 8.

Hac igitur paragrapho lucrati sumus haec fere:

1) Theophanes res ecclesiasticas inde a Nestorio ex eclogis composuit ex Theodori Lectoris historia ecclesiastica excerptis.
2) Eclogarum ab ipso Theophane adhibitarum paucas quasdam reliquias nuperrime detexit Miller.[1])
3) Excerpta Valesiana et excerpta Crameriana eadem ex eclogarum collectione fluxerunt.
4) Agglutinatae sunt excerptis illis eclogae ex Iohanne Diacrinomeno, Theodori Lectoris auctore.
5) Theodorus Lector inter auctores praeter Iohannem illum Petrum adhibuit, presbyterum Alexandrinum, notariorum synodi Ephesiae primicerium, cuius opus periit.

§ 2. DE THEODORIANAE HISTORIAE ECCLESIASTICAE PRIMI LIBRI INITIO.

Postquam supra uidimus Socratem sub historiae tripartitae finem praecipuum esse Theodori Lectoris auctorem — omnia enim, quae Theophanes pag. 127—136 de ecclesiasticis rebus profert, inde fluxisse manifestum est —, quaerendum est, ubi prioris Theodoriani operis finis, alterius initium statuendum sit. Alterum uero opus alterum statim excepisse initio huius commentarioli satis demonstrasse mihi uideor. Quoniam ultra annum p. Chr. 439 neque Sozomenus, neque Socrates progressus sit, usque ad Theophanis paginam fere 143 historiae tripartitae uestigia persequeremur — reuera tres loci ex Socrate manasse uidentur: Th. 142, 12—16 = Socr. VII, 44; 143, 1—5 = ibid. 47; 143, 11—18 = ibid. 45; nisi nonnulla cogerent ut iudicium paullulum mutaremus.

Ac primum quidem obstare mihi uidetur quod, ut supra commemoratum est, *Iohannes Diacrinomenus*[2]) a Nestorio auspicatus est; obstare praeterea id putauerim, quod *Euagrius* quoque primo historiae libro ab eodem haeretico initium ceperit, quamquam ante eum Socrates de Nestorio egerat.[3]) Ex *Nicephoro Callisto*, Theo-

1) Milleri iudicium de Fragmentis suis atque de Valesii Cramerique excerptis ante me improbauit *H. Gelzer* hisce uerbis usus: Beiläufig bemerke ich, dass E. Miller den einfachen Sachverhalt nicht völlig klargestellt hat. Die sogenannten Excerpte aus Theodorus Lector von S. 565 B—567 C bei Valesius sind ein Auszug aus Johannes Diakrinomenos (Acta 33. philologorum conuentus, Gerae 1878, pag. 41, adn. 20 sub finem).

2) Photius cod. 41.

3) Socratis semper ab Euagrio rationem esse habitam loci nonnulli ostendunt. Cf. *Eu. I, 2 pag. 258 B: ὡς τὰ περὶ τούτων Σωκράτει τε καὶ τῇ ἐν Ἐφέσῳ προτέρᾳ συνόδῳ σαφῶς ἱστόρηται.* — *Eu. I, 5: εἰ καὶ*

dori assecla argumenta petere nolim, cum Euagrium[1]) nonnumquam redoleat ille, etsi omnia inde a XIV, 32 e Theodoro fluxisse ueri sit haud dissimile.

Accedit fragmentum praeclarissimum, de quo supra disseruimus (pag. 182), ex alterius Nicaenae synodi actis depromptum, cuius fragmenti inscriptionem corruptam esse demonstrauimus. Quodsi concesseris, illo loco scribendum esse βιβλίου πρώτου pro πέμπτου, negare non poteris Theodori historiam ecclesiasticam de anno egisse 449, quoniam illo anno Anatolium patriarcham factum esse inter omnes constat. Totam denique dirimit quaestionem excerptum quoddam Cramerianum de Nestorio, quod excerptum extat pag. 100, 34—101, 4: Ἐπὶ τοσοῦτον ἐμίσει Πουλχερία τὸν Νεστόριον, ὡς τοὺς φιλοῦντας ἐκεῖνον διαθρυλεῖν, ὅτι πορνείαν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς Θεοδόσιον τὸν βασιλέα διέβαλεν Πουλχερίας Νεστόριος[2]), καὶ διὰ τοῦτο οὕτως ὑπ' αὐτῆς ἐμισεῖτο· ἐλοιδόρει γὰρ αὐτὴν εἰς τὸν τότε μάγιστρον Παυλῖνον λεγόμενον.

Quid de synodi Ephesiae apud Theophanem relatione? Eam non prouenisse e Socrate manifestum est; si hac de synodo egit Sozomenus, cuius opus non integrum ad nos peruenisse iam supra uidimus, Theodorum ex Sozomeno sua deprompsisse necesse est, cum non uerisimile sit, inter utrumque Theodori opus fuisse lacunam. Neque autem neglegendum est, Nicephorum his in rebus prorsus cum Theophane conspirare (cf. XIV, 33—36 = 137, 1 —142, 10). Quod uero Socratis uestigia pagg. 142 et 143 reperiuntur, ita explicandum est, ut Theodorus Socratis rationem habuerit, sicut Euagrius initio operis hic illic uetustiores respexit auctores.

Praemissis omnibus his rebus id concludendum esse uidetur Theodorum Lectorem posteriore opere *a Nestorii temporibus* processisse historia tripartita obiter breuiterque adumbratis. Id sane certo certius est non a Theodosii Minoris demum morte incohasse

Σωκράτης ἀγνοήσας ἑτέρως ἱστόρησε. — *Eu. I, 19:* ἢ ὡς Σωκράτει δοκεῖ. — Alios respexit auctores Euagrius: *I, 13 Theodoretus* excitatur II, 2 et 8 Zacharias Rhetor, *I, 16 Iohannes Rhetor, I, 17 Priscus Rhetor, I, 19 Eustathius Epiphaniensis.*

1) Hoc praecipue cadit in Nic. Call. XIV, 36, 520 C = Eu. I, 7, 265 C; totum illud Nicephori caput ex I, 7 et I, 12 compilatum esse uidetur. Cf. praeterea Nic. XIV, 46 et Eu. I, 17. XIV, 50 et I, 11. XIV, 51 et I, 13—14.

2) Pulcheriam castissimam fuisse in unum conueniunt orthodoxi auctores; contrarium affirmant haeretici. Inde colligendum mihi uidetur, Theodorum locum supra allatum hausisse ex Iohanne Diacrinomeno.

historiae ecclesiasticae librum primum, quod ex Valesianis excerptis collegerit quispiam, cum nihil adsit causae, cur tantum temporis spatium ab rerum scriptore ceteroquin diligentissimo neglegeretur.

Itaque praeclarum Theodori Lectoris opus cum partim ex Theophane, partim ex Nicephoro Callisto reficiendum sit, primi libri initium ita fere sese habuisse suspicor:

Historiae ecclesiasticae liber I.

1. De episcoporum epistolis ad Nestorium datis; de synodo Ephesia; de Nestorii depositione ac morte.	Th. 137, 1—142, 10 = Nic. Call. XIV, 33—36 (cf. Georg. Mon. 499, 17—500, 25; Cedr. 593, 22—595, 21; Zonar. XIII, 22, 238, 18—240, 3, ed. Dind.).
2. De Hesychio; de Melania[1] =	Th. 142, 17—19.
3. De Eudociae itinere primo =	Th. 143, 1—5 (cf. *Cram. 100, 31*).
4. De Iohannis Chrysostomi translatione	Th. 143, 11—17 = Nic. Call. XIV, 43 (cf. *Cram. 100, 26*) = Georg. Mon. 502, 10—15; Cedr. 599, 15—18; Zonar. XIII, 22, 240, 11—18.
5. De terrae motu ac de miraculo in Campo facto	Th. 143, 18—144, 15 = Nic. Call. XIV, 46. — (Cf. Georg. Mon. 498, 20—499, 11; Cedr. 599, 18—600, 8.)
6. De monachis in Theodori Mopsuesteni fidem suspicionem conferentibus.	Th. 147, 21—148, 6.
7. De Antiocho degradato =	Th. 148, 12—16. (Cedr. 600, 11—15.)
8. De Cyro Smyrnae episcopo, antea urbis praefecto	Th. 148, 17—149, 16 = Nic. Call. XIV, 46. (Cf. Cedr. 598, 19—599, 5, Zonar. XIII, 22, pag. 240, 19—29.)
9. De Iohanne Vandalo uicto suppliciоque affecto[2])	Th. 149, 17—150, 5.

1) Locus qui praecedit (Th. 142, 12—16) ex annalibus manauit Rauennatibus. Cf. Marcellin. Comit. ad ann. 437 (Roncalli II, 285). Cf. cap. III.

2) Difficile est diiudicatu, utrum a Theophane an a Theodoro hic locus ex profano auctore desumptus sit. Id certe constat Theodorum quoque de eiusmodi rebus egisse. Cf. Val. 556—558, de bello Isaurico.

10. De Procli ac Cyrilli morte, de Dioscoro ac Flauiano eorum successoribus	Th. 150, 6—14 = Nic. Call. XIV, 47. (Cf. Cedr. 601, 4—10; Zonar. XIII, 23, pag. 240, 30—241, 1.)
11. De Chrysaphio eunucho atque Eudocia Flauiani Pulcheriaeque inimicis. De Synodo praedatoria	Th. 150, 17—156, 11 = Nic. Call. XIV, 47—49. (Cf. Cedr. 601, 11—14; Zonar. XIII, 23, 241, 1—242, 16.)
12. De Theodosii socordia[1]	Th. 156, 11—16. — (Cf. Cedr. 600, 15—601, 1; Zon. XIII, 23, 242, 27—243, 12; Georg. Mon. 505, 10—16.)
13. De Chrysaphii Eudociaeque exsilio	Th. 157,8—158,6 = *Val. 551 B.* Nic. Call. XIV, 49 et 50. — (Cf. Cedr. 601, 15—602, 7; Zonar. XIII, 23, 242, 16—27.)
14. De Theodosii minoris morte[2]	*Val. 551 B = Cr. 100, 5—7.* Nic. Call. XIV, 58. — (Cf. Georg. Mon. 498, 11—12; Cedr. 602, 8—10; Zonar. XIII, 23, 244, 12—16.)

Cetera ex primo libro Theodori historiae et apud Valesium et apud Cramerum reperiuntur.

Sed duobus de locis, quos Theodoro tribuimus nonnulla addenda sunt. — Th. 148, 17—149, 16 exponitur, quomodo Cyrus urbis praefectus ad episcopatum degradatus sit; cuius urbis episcopus postea fuerit ille, inter se dissentiunt auctores, cum alii Smyrnae, alii Cotyaei episcopum factum esse eum uelint.

Priorem sententiam cum Theophanes eique qui eius auctori-

1) Varium in modum a rerum scriptoribus traditur haec narratiuncula. Cum Theophane facit Georgius Monachus Cedrenusque, Zonaras uero multo illis accuratior est uerbosiorque. Haud scio an inde, quod Nicephorus hanc rem misit — sane orthodoxi Theodosii fautori ingratam — colligi possit, Theophanem hoc loco non a Theodoro sua mutuatum esse, sed a profano quodam auctore postea pertractando. — Aliter sese habet *Iohannis Nikiu episcopi* narratio (Journal Asiatique, série VII, tome XII, pag. 289).

2) Th. 159, 10 eodem ex fonte prouenit, unde ea fluxerunt, quae de Attila narrantur. — Alia narrauerunt Iohannes Nik. (J. As. l. c. 291), Zonaras l. c.; Malal. 366, 19—367, 5 conspirat cum Chron. Pasc. 589, 17—590, 5.

tati se addixerunt, Cedrenus[1]) Zonarasque[2]), tum sequitur Chronicon Paschale[3]); ab altera parte stant Malalas[4]), Iohannes Nikiu[5]), Suidas.[6]) — Tota Chronici Paschalis narratio ut largior est, ita ab hisce incipit uerbis: *Λέγει, ὅτι Κῦρος κτλ.* Quisnam scriptor ille sit, cuius uerba exscripsit Chronici illius auctor, inde elucere uoluit Niebuhr, quod Prisci Panitae supra[7]) fit mentio.

Recte autem, sicut mea quidem fert sententia, rem dubiam esse censuit C. Mueller[8]), quamuis inter Prisci reliquias fragmentum illud recipere non ausus: ipsa enim Prisci ubertas uetat, ne praeclarissimo illi inter Byzantinos auctores eiusmodi tribuamus frustulum. — Cum uero constet, Prisci scrinia ab *Eustathio Epiphaniensi* expilata esse, haud scio an de Eustathio cogitandum sit Chronici Paschalis hoc loco auctore; argumenta[9]) sane alio loco erunt proferenda.

Vnde uero error ille de Smyrna enatus sit (errorem esse inde sequitur, quod anno 448 *Aethericus* fuit Smyrnaei episcopi nomen, idemque anno 458 nondum mortuus erat[10])), explicare uix possumus; sufficiat similem errorem attulisse de Praylio, Hierosolymorum episcopo.[11]) — Itaque Malalas ueram Eustathii narrationem seruauit a Chronici Paschalis compilatoribus corruptam. Hanc corruptelam praeterea in *Theodori* (uel potius in excerptorum ex eo confectorum) contextum irrepsisse ex Theophane concludendum est; nam ubicunque Theophanes eadem profert, quae apud Nicephorum[12]) reperiuntur, utriusque auctor est Theodorus.

1) Cedr. 598, 22 - 599, 5. (Addit ille, intra 60 dies murum exstructum esse.)

2) Zonar. XIII, 22, pag. 240, 19—29 Dind., eodem cum additamento.

3) Chron. Pasc. 588, 6—589. Locus lacunosus.

4) Malal. 361, 14—362, 18. Simillima est haec narratio Chronico Paschali, nisi quod Cotyaeum extat pro Smyrna. Chronicon eodem ex fonte hausisse unde Malalas ex sequentibus locis colligendum est. Chr. 606, 3—21 = Mal. 390, 4—20; Chr. 608, 19—609 = Mal. 399, 13 20 etc.

5) Journal Asiatique l. c. pag. 276.

6) Suidas s. u. *Κῦρος*.

7) Chr. Pasc. 588, 4, ed. Bonn.

8) Fr. H. Gr. IV, 73: „Num reuera haec e Prisco Chronici auctor uel potius auctores deprompserint, in medio relinquo. Certe illud *λέγει* ita positum est, ut rem non possit dirimere".

9) De Eustathio Theodori auctore agetur cap. III § 2.

10) Cf. Le Quien, Oriens Christ. I, 741 sqq. — Baron. A. E. ad ann. 446, Nr. 14 sqq. (VI, 44 ed. Colon.).

11) Th. 139, 2.

12) Nic. Call. XIV, 46 prorsus consentit cum Theophane.

Quid de famosissima[1]) illa narratiuncula, quomodo per pomum ab Eudocia imperatrice Paulino magistro donatum factum sit, ut Theodosius uxorem relegauerit Pulcheriamque sororem reuocauerit? Hoc quoque loco Malalas Chroniconque Paschale[2]) genuinam *Eustathii* narrationem exhibere mihi uidentur, etsi aliquantulum inter eos intercedit dissensionis[3]); ad illos proxime accedunt ei, qui ceteroquin Theophanis uestigiis insistere solent, Georgius Monachus Georgiusque Cedrenus.[4]) Auctor ab eis non modo ualde breuiatus est, sed etiam discrepantia extat de pomi perniciosi pretio.[5]) Zonaras[6]) mali oblationem eodem fere modo quo Theophanes narrat, quamquam et in Eudociae primordiis exponendis copiosior est illo[7]) et ad finem statim properat hisce uerbis[8]): *Κἀντεῦθεν κτείνεται μὲν ὁ Παυλῖνος ἐξ ὑπονοίας ψεύδους, ἡ δὲ Εὐδοκία μεμίσητο.*

Theophanes autem[9]) accuratius descripto auctore Paulinum exsulem in Cappadocia trucidatum, Eudociam a Theodosio probris affectam Hierosolyma profectam esse memoriae tradidit. Hic iterum Nicephorus cum Theophane facit[10]), etsi haud pauca neglexit a chronographo diligenter allata.[11])

Hunc saltem consensum fortuitum esse nemo contendere audebit:

1) Praue eam addubitauit *Gibbon*, hist. of the decline and fall of the Rom. emp., ed. Milman, 1838, uol. V, 404 sqq.

2) Mal. 352, 10—356, 5 et 356, 17—358, 4 = Chron. Pasc. 575, 3 —579, 14 et 584, 5—585, 24.

3) In Chronico Eudociae patri nomen est Heraclitus; addit praeterea Chronicon orationem ab Augusta Antiochiae habitam.

4) Georg. Mon. 502, 17—504, 7 = Cedr. 590, 8—17 et 590, 21—591, 24.

5) Vterque centum nummis stetisse (non 150) pomum uult.

6) Zonar. XIII, 23, pag. 243, 12—32 = Theoph. 153, 4—15.

7) Cf. Th. 129, 19—130, 3 cum Zon. XIII, 22, pag. 236, 24—237, 15.

8) Zonar. ibid. pag. 243, 28—30.

9) Th. 153, 15.

10) Nic. Call. XIV, 47—49.

11) Nic. Call. ibid. pag. 548 B: *Τῆς δὲ Πουλχερίας κτλ. ὁπηνίκα καὶ ἡ κατ' αὐτῆς πρόφασις χώραν ἔσχε, τῷ περιβοήτῳ ἐκείνῳ μήλῳ διὰ Παυλῖνον τὸν μάγιστρον ὥσπερ προείρηται.* Quoniam historiam ipsam uerecundia perductus non attulerit Nicephorus, haec uerba haud scio an *ipsius fontis, i. e. Theodori, uerba sint.* — Eadem certe uerecundia Euagrium (I, 21) commouit ut rem breuissime sic absolueret: *Ἐντεῦθεν τοίνυν ἡ Εὐδοκία ἐν Ἱεροσολύμοις δὶς ἀφικνεῖται, καὶ ὅτου μὲν χάριν, ἢ τί πρωτοτύπως ὥς φασι βουλομένη τοῖς ἱστορήσασι καταληπτέον, εἰ καὶ μὴ ἀληθίζεσθαί μοι δοκοῦσιν.*

Th. 157, 13—17	= Nic. Call. XIV, 49, 554 A.
Τῇ δὲ Εὐδοκίᾳ ἐπιφέρεται σφοδρῶς πάντων τῶν κακῶν αἰτίαν αὐτὴν ἀποκαλῶν, ὡς καὶ Πουλχερίαν τῶν βασιλείων ἀποδιώξασαν, ἅμα δὲ τὰ κατὰ τὸν Παυλῖνον ὀνειδίζων αὐτῇ. Ἡ δὲ ἀπογνοῦσα παρεκάλεσεν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα ἀπολυθῆναι αὐτήν. Καὶ λαβοῦσα μεθ' ἑαυτῆς Σευῆρον κτλ. [Reliqua, nimirum Eudociae non satis fauentia, omisit Nicephorus].	*Ἔπειτα καὶ τῇ γαμετῇ Εὐδοκίᾳ σφοδρῶς μάλα προσφέρεται, οἷάπερ αἰτίᾳ γεγενημένῃ τῶν ἐπεισφρησάντων δεινῶν, οἷς καὶ τὰ κατὰ τὴν κασιγνήτην Πουλχερίαν προσῆγε δι' αὐτῆς τῶν βασιλείων ἀπελαθεῖσαν. Προσεπῆγε δὲ καὶ τὰ κατὰ Παυλῖνον καὶ τὸ μῆλον ἐκεῖνο τῆς ἔριδος, ὀνειδίζων σφόδρα καὶ καθαπτόμενος. Ἡ δὲ ἀπογνοῦσα καὶ ἐν πολλῷ δέει γεγενημένη τὴν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα ᾔτει στέλλεσθαι.*

Itaque utriusque compilatoris auctor iterum iudicandus est Theodorus Lector. Omnis tollitur dubitatio loco quodam excerptorum Valesii, quo id certe ostenditur, de illis rebus egisse Theodorum. Cur uero pii illi epitomatores narrationem de pomo omiserint in propatulo est; loci ex excerptis sunt hi:

Val. 551 B: λέγει δὲ ὡς καὶ ἡ βασίλισσα Εὐδοκία ἀπελθοῦσα εἰς Ἱεροσόλυμα οὐκέτι ὑπέστρεψε . . .

Καὶ ὅτι Χρυσάφιον τὸν Τζουμᾶν ἀνεῖλεν ἡ Πουλχερία, καὶ ὅτι ἡ Εὐδοκία τὴν εἰκόνα τῆς θεομήτορος, ἣν ὁ ἀπόστολος Λουκᾶς καθιστόρησεν, τῇ Πουλχερίᾳ ἐξ Ἱεροσολύμων ἀπέστειλεν.

Haec quoque Theodorus, sicut alia multa, ex Eustathio petiit.[1]) — Vidimus igitur, quanti pretii sint Theophanes Nicephorusque ad reficiendum Theodori opus hodie deperditum.

§ 3. DE MARCIANI REBVS GESTIS (Th. 159—169).

Excerpta ex Theodori historia statim ab initio tanta sunt exiguitate, ut saepe haud procliue sit de Theophane iudicium, utrum a Theodoro sua mutuatus sit, an a profano auctore. Sic Val. 551 C de Marciano, quomodo ad imperium sit euectus, haec profert: *Μαρκιανὸς Ἰλλύριος τὸ γένος, τριβοῦνος τὴν ἀξίαν, προβεβη-*

1) In narratione de pomo illo cum Theodoro consentit *Iohannes Nikiu* (I. A. ibid., pag. 282 sqq.). Eos qui adulterii causa supplicio affectum esse Paulinum magistrum referunt, Iohannes dicit esse: *des historiens peu véridiques*, quod ad Euagrii accederet sententiam (Eu. I, 21).

κὼς ἐν ἡλικίᾳ, ἐν πολέμοις γενόμενος ἄριστος ἀνηγορεύθη βασιλεὺς ἐν τῷ Ἑβδόμῳ ὑπὸ παντὸς τοῦ στρατοῦ· ὃς εὐθὺς ἐκέλευσεν ἄρχοντα ἐπὶ δόσει μὴ γίνεσθαι. De Marciani primordiis Theodosiique morte quid habuerit Theodorus Lector inde dignosci nequit. Videamus quid praebeat Nicephorus. Nicephorus narrat[1]) Theodosium moribundum Pulcheriae sorori aperuisse, quis imperator eligendus esset; eam uero Marciano tribuno statim accersito dixisse, se eum imperatorem facturam, dummodo uirginitatem seruare uellet intemeratam. Tum ab senatu ad *Ἕβδομον* conuocato imperatorem eum esse renuntiatum. Quae narratio perpaullum commutata apud Theophanem[2]) redit eiusque asseclas, Georgium Monachum, Cedrenum, Zonaram.[3]) Ceteri miri illius promissi mentionem non faciunt. Itaque non temerarie statuerim, haec ex Theodoro manasse, quoniam Nicephorus et his partibus et eis quae subsequuntur ubicumque Euagrio non usus est, Theodorum adhibuit auctorem, quoniam praeterea Theophanes Cedrenusque huic narratiunculae statim aliam subiungunt, Chrysaphium eunuchum a Pulcheria Iordani interficiendum traditum esse, e Theodoro desumptam.[4])

Hoc igitur tenendum est: ubicumque Theophanis Nicephorique habemus consensum, communis eorum fons est Theodorus Lector, cum Nicephorus his quidem in partibus praeter Theodorum unum adhibeat Euagrium. Quae si satis respexerimus in errorem non incidemus, cuius recte Sauerbrei[5]) coarguit Koecherum[6]) Eustathio nimium tribuentem. — Koechero id concesserim, Theophanis narrationem de caede Valentiniani et de Marciani ante eleuationem fatis satis amplam copiosamque[7]) ex Eustathio fluxisse, quoniam his in rebus conspirat cum Euagrio; sed numquam ei concedam omnia, quae paginis 154—162 insunt[8]) Theophanem ab Eustathio esse mutuatum, quod quamquam non diserte dixit, attamen sibi persuasisse uidetur ille.

Pauca tantum adferunt Excerpta Valesiana de synodo Chalce-

1) Nic. Call. XIV, 58.
2) Th. 159, 11—20.
3) Georg. Mon. 504, 15—23; Cedr. 602, 8—603, 3; Zonar. XIII, 24, pag. 245, 1—10, ed. Dind.
4) Val. 551 B = Th. 160, 1—8; Cedr. 603, 8—10.
5) *P. Sauerbrei*, de fontibus Zonarae quaestiones selectae, Diss. Ienens. I, pag. 8 sqq.
6) *Koecher*, l. c. pag. 38.
7) De hac sane re dubitare non licet, cum Euagrius ipse testetur Eustathio se uti auctore. cfr. Euagr. V, 24 et II, 1.
8) Cf. tabellam huius paragraphi fine adpositam. pag. 207 - 208.

donensi. Omnes epistolas ad eam pertinentes Theodori contextui diligenter fuisse insertas ipse testis est epitomator.[1]) Itaque hac quoque in re copiosum fuisse Theodorum probabile est. Diuersum autem in modum auctori consuluerunt Theophanes et asseclae, atque Nicephorus, qui propius ad integrum Theodori contextum accedere uidetur.

Iam uersamur in rebus certissimis; nam Th. 164, 14—19 quae leguntur de Pulcheriae morte in excerptis Valesianis quoque reperiuntur:

Th. 164, 14—18	= Val. 552 B.
Τούτῳ τῷ ἔτει Πουλχερία ἡ μακαρία ἐκοιμήθη ἐν Χριστῷ πολλὰ ποιήσασα κατορθώματα καὶ πάντα τὰ ἑαυτῆς πτωχοῖς καταλείψασα, ἅπερ Μαρκιανὸς πλεῖστα ὄντα προθύμως διέδωκεν. Ἔκτισεν δὲ ἡ αὐτὴ πολλοὺς εὐκτηρίους οἴκους καὶ πτωχεῖα καὶ ξενῶνας καὶ ξενοτάφια. Ἐν οἷς καὶ τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λαυρεντίου.	Πουλχερία ἡ εὐσεβὴς ἐτελεύτησεν, πολλὰ[2]) κατορθώματα καὶ πάντα τὰ ἑαυτῆς πτωχοῖς καταλείψασα· ἅπερ Μαρκιανὸς οὐκ ἀνέτρεψεν, ἀλλὰ καὶ ταῖς χρείαις ἁπάσαις προθύμως ὑπηρέτησεν. Ἔκτισε δὲ καὶ εὐκτηρίους οἴκους Πουλχερία πολλούς, τὸν ἐν Βλαχέρναις, τὸν Χαλκοπρατίων, τὸν Ὁδηγῶν.[3]) Μεθ' ὧν καὶ τὸν Λαυρεντίου τοῦ μάρτυρος.

Hoc iterum loco Nicephorus[4]), utpote multo uberior, Theodori ipsa uerba satis fideliter expressisse mihi uidetur.

Ex his, quae adhuc allata sunt, sequitur, sic fere de Marciano egisse Theodorum Lectorem:

1. Marcianus a Pulcheria imperator deligitur	Th. 159, 11—20; Nic. Call. XIV, 58 (cf. Val. 551 C). — Georg. Monach. 504, 15—23, Cedr. 602, 8—603, 3. Zonar. XIII, 24, pag. 245, 1—10.

1) Vales. pag. 551 extr. ἐπιστολήν, ἥτις . . ὑπὸ τοῦ ἱστοροῦντος ἐντέτακται.

2) Hic intercidit uox *ποιήσασα*. Cf. adnot. ad h. l., pag. 161, Vales.

3) De illustrissimis illis ecclesiis cf. *Ducange*, Cpolis Christiana, IV, 83, 85, 88, 127: cf. Baron. A. E. ad ann. 453, Nr. 19—24 (uol. VI, 212—218). *Blachernarum* antea meminit Theophanes (162, 19—21), cf. Cedr. 604, 13—15, Zonar. XIII, 24, 246, 18—20 ed. Dind. Praeterea Procop. de aedif. I, 3, pag. 184, 8 et I, 6, pag. 193, 9 ed. Bonn.; Georg. Codin. de aed. 95, 14—96, 2 *De Χαλκοπρατείων ecclesia* cf. Th. 158, 5; Georg. Mon. 498, 13—15, Cedr. 602, 5—6.

4) Nic. Call. XV, 14.

2. Marcianus exules reuocat. Pulcheria Chrysaphium curat interficiendum	Th. 160, 1—9. (Val. 551 B). Cf. Cedr. 603, 8—10.
3. Pulcheria ecclesiam condit *ἐν Βλαχέρναις*	(Cf. Val. 552 B.) Th. 162, 19—21. Cedr. 604, 13—15; Zonar. ibid. 246, 18—20.
4. De Dioscoro Eutycheque. De synodo Chalcedonensi	Th. 163, 1—164, 11; Nic. Call. XV, 2—8, 598 B. — Cf. G. Mon. 506, 24—507, 21. Cedr. 604, 16—605, 12. Zonar. ibid. 246, 21—249, 7.
5. De Pulcheriae morte eiusque uirtutibus	Val. 552 AB; Cr. 101, 13—23 (ibid. 9—12). Th. 164, 14—18. Nic. Call. XV, 14 et 15. — Cf. G. Mon. 504, 24—505, 4. 510, 20—22. Cedr. 605, 13—15. Zonar. XIII, 25, pag. 249, 7—11.
6. De Alexandrinorum seditione[1] aduersus Proterium	Th. 164, 19—165, 8.
7. De Eudociae aduersus synodum studio, deque tumultibus in oriente ortis	Th. 165, 11—166, 16. Nic. Call. XV, 9.
8. De Marciani pietate	Vales. 552 C[2]) = Cr. 101, 24—29. Th. 169, 17—170, 3. — Georg. Mon. 506, 20—21.
9. De Marciani morte	Vales. 552 D[3]) = Cr. 102, 8—12.

1) Nic. Call. XV, 8 Euagrium (II, 5) sequitur, quem haud scio an Eustathio sua debeat, Priscum describente.

2) Mutilus est excerpti Valesiani contextus, sed facile ex Crameri uerbis reficiendus. Scribendum est *ἐν ταῖς λιταῖς* [*ταῖς*] *γενομέναις*, et infra cum Valesio *προέτρεψεν κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἐπισκόπων*.

3) Mutilus est hic quoque Valesii locus, Cramerique scriptura omni ex parte recipienda:

Cr. 102, 8—12	= Val. 552 D.
Συνέβη δὲ ἐξελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν λιτὴν ἐν τῷ Κάμπῳ, τῷ Ἰανουαρίῳ μηνὶ εἰκάδι ἕκτῃ καὶ ὑποστρέψας ἐν τῇ πόλει τῇ ἑξῆς, τῇ εἰκάδι ἑβδόμῃ ἐτελεύτησεν, βασιλεύσας ϛ' ἥμισυ ἔτη· προχειρίζεται δὲ εἰς βασιλέα Λέων τις, Θρᾷξ μὲν τῷ γένει, τριβοῦνος δὲ τὴν ἀξίαν.	*Συνέβη δὲ αὐτὸν ἐξελθεῖν εἰς τὴν λιτὴν ἐν τῷ Κάμπῳ, τῷ Ἰανουαρίῳ μηνὶ κϛ'* . . . . *προχειρίζεται δὲ εἰς βασιλέα Λέων τις, Θρᾷξ μὲν τῷ γένει, τριβοῦνος δὲ τὴν ἀξίαν.*

Quae praeterea habet Theophanes, praecipue narratio de Valentiniani morte ac de Romae expugnatione, Eustathio debentur, quamquam et de his rebus egit Theodorus.[1])

Quod uero Theophanes 169, 15 dicit, Marcianum mortuum esse: πρὸ μιᾶς Καλ. Μαΐων, ut posteriori loco contradicit, ubi ex Theodoro refertur, Leonem mense Februario esse coronatum (Th. 170, 16—18), ita alienum redolet fontem non satis exploratum. Hunc uero locum Rauennatibus ex annalibus prouenisse quos Theophani praesto fuisse cap. III demonstrabimus recte coniecit Holder-Egger[2]), argumentis innisus ut mihi uidetur acutissimis. Neglegenter a Theophane exemplum annalium satis corruptum exscriptum esse cap. III uidebimus. Si uero annales Rauennates, quales ab Holder-Eggero refecti sunt, accuratius inspexeris, inuenies, ad annum priorem (p. Chr. 457) hanc scriptam fuisse adnotationem: His coss. Ricimer mag. milit. patricius factus est pridie Kal. Martias[3]); si deinde conieceris, aut in exemplo a Theophane lectitato, aut apud Theophanem ipsum scriptum fuisse πρὸ μιᾶς Καλ. Μαρτίων pro Μαΐων, nonne uerisimile est ab altero uersu ad alterum aberrasse oculos scriptoris? Vtut res se habet, falsum est quod Theophanes h. l. affert, uerum est, quod infra refert de Leone, Marciani successore, mense Februario coronato.[4])

§ 4. DE LEONE MACELLO.[5]) (Th. 170—185.)

Inter eas res ad ecclesiam pertinentes, quas de Leonis Macelli regno protulit Theophanes, principem obtinent locum res ecclesiarum Alexandrinae et Antiochenae illa aetate concitatissimae.

Omnia haec debentur Theodoro Lectori, cuius narrationem de

1) Cr. 101, 30—102, 7 = Vales. 552 C med.

2) Neues Archiv der G. f. ält. dtsch. Geschichtskunde, 1876, uol. I, 2, pag. 357 (adnot. ad ann. 457).

3) Anon. Cusp. apud Roncall. II, 124.

4) Vnde Zonaras notitiam petierit (XIII, 25, pag. 250, 21—23), qua Marcianum ueneno ab Aspare dato interemptum esse tradidit ignorare se profitetur *Sauerbrei* (l. c. pag. 19). Neque ego quod proferam habeo. — Recte idem uidit excepta hac re Zonaram conspirare cum Malala, 368, 16—18; sed fugit eum, quod eundem ad fontem ac Malalas Zonarasque redit Georgius Monachus (510, 23—24). Neque ego dubito, quin communi ex fonte hauserint tres illi scriptores; nonne cogitari potest de Eustathio? Cf. Müller F. H. Gr. IV, 100.

5) De ridicula nominis etymologia a uerbo latino *mactare* cf: Nic. Call. XV, 15, Georg. Mon. 511, 1—5, Cedr. 607, 14—17. Hoc quoque ex Eustathio deriuauerim.

textum ab epitomatoribus corruptum certe constituere possumus, si Nicephori rationem habemus[1]) eiusque auctoris Euagrii. Reuera a duobus episcopis consecratum esse Timotheum haereticum hi quoque scriptores Theophani Cedrenoque assentiuntur[2]), quod iuris canonici causa[3]) summi momenti est. Itaque coniuncto Theophanis contextu cum excerptis haec lucramur, quae apud Theodorum scripta fuerunt: . . . *Τιμόθεον δὲ τὸν Αἴλουρον ἐπισκόπον προχειρίζωνται, ἑαυτὸν δῆλον πᾶσι ποιῶν. Ὁ Αἴλουρος ζῶντος ἔτι τοῦ Προτερίου ὑπὸ δύο καθῃρημένων ἐπισκόπων χειροτονεῖται.*

Th. 172, 10—15 (= Cedr. 609, 1—5) medela eget satis uiolenta, quam loco praebere poterimus, si iterum Euagrium Nicephorumque accersiuerimus, eumque qui eodem ex fonte hausisse uidetur, Liberatum diaconum.[4])

Th. 172, 10—15 =	Anast. bibl. 72 ed. Bonn. =	Cedr. 609, 1—5.
Τούτῳ τῷ ἔτει μαθὼν Λεὼν ὁ βασιλεὺς τὸν ἄδικον θάνατον Προτερίου καὶ τὴν τοῦ Αἰλούρου ἄθεσμον προαγωγήν, πέμψας Καισάρειον ἐγλωσσοτόμησεν καὶ ἀμφοτέρους ἐξώρισεν, ὡς κοινωνήσαντας τῷ φόνῳ Προτερίου. Τιμοθέῳ δὲ τῷ ἀνιέρῳ οὐκ ἐπεξῆλθεν, τὴν κτλ.	mittens Caesaream linguis mutilatis exsilio relegauit eos, qui Proterii neci communicauerant. Timotheo uero etc.	*Τῷ β' ἔτει Λέων ὁ βασιλεὺς μαθὼν τὸν ἄδικον θάνατον Προτερίου καὶ τὴν Αἰλούρου ἄθεσμον προαγωγὴν πέμψας τοὺς κοινωνήσαντας τῷ Προτερίου θανάτῳ ἐγλωσσοτόμησε. Τιμοθέῳ δὲ τῷ ἀνιερῷ οὐκ ἐπεξῆλθε κτλ.*

Ac primum quidem animaduertas, neque Anastasium neque Cedrenum uerbum habere summi momenti *ἀμφοτέρους*, quod

1) Nic. Call. XV, 16, 612 A = Eu. II, 8, 299 D.

2) Eu. II, 8, 301 B (= Nic. Call. XV, 17, 617 C): *λαβὼν μεθ' ἑαυτοῦ ὁ Τιμόθεος τοὺς καθαιρεθέντας ἐνδίκως δύο ἐπισκόπους . . ., ὡς δὴ χειροτονίαν παρὰ τῶν δύο δεξάμενος . . . ἐπιλαμβάνεται ὡς ἐνόμισε τῆς ἀρχιερατικῆς καθέδρας.*

3) Theodoret. V, 23, pag. 230 A disertis uerbis dicit: *καὶ ἂν πάλιν δίχα τριῶν ἐπισκόπῳ χειροτονίαν ἀπαγορεύουσι γίνεσθαι* (sc. canones). — Respicit Th. h. l. ad can. IV synodi Nicaenae (Mansi II, 688). Cf. *Hefele*, Conciliengesch. I, 366 sqq. Sed *apostolici* qui dicuntur *canones* reluctantur. Cf. can. I: *Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν.* Cf. Hefele, ibid. 774; *von Drey*, die apost. Canones, 264—271.

4) De eo supra actum est, cap. II, § 1. pg. 198.

si ad duos illos episcopos[1]) rettulerim haereticos neminem habebo contradicentem. Iam duae offeruntur probabilitates: aut Leo duos episcopos linguis resectis in exsilium misit — tum scribendum esset *ἐγλωσσοτόμησεν καὶ ἐξώρισεν ἀμφοτέρους ὡς κτλ.* —, aut episcopos relegauit, homines seditiosos Proterii necis participes tali supplicio affecit, quod per se probabilius est, cum nullum ex illa aetate afferri possit exemplum de eiusmodi cruciatu in episcopos edito. Ad hanc quidem extricandam difficultatem neque Euagrius[2]) neque Liberatus[3]) quidquam afferunt, neque Baronio obtigit, ut rem absolueret.[4]) Sed ex eis nomen discimus eius, cui ultionem mandauerit imperator indignabundus: et Euagrius et Liberatus nomen tradunt *Στίλας*, eo uero discrimine, ut Euagrius dicat: *Στίλας πρὸς τοῦ βασιλέως Λεόντος ἐκπέμπεται*, Liberatus: Quo facto *scripsit* imperator Leo *duci Alexandriae Stilae*, ut etc. Sed neutro loco offensio tollitur, quae nomini inest *Καισάρειος*[5]) ab Theophane allato, ab Anastasio praue intellecto, ab Cedreno prorsus neglecto. Fortasse ab Anastasii contextu proficiscendum atque cogitandum est de Caesarea, i. e. de epistola imperiali ad Stilam, Alexandriae ducem missa. Quod si uerum sit, apud Theodorum haec scripta fuisse conicias: *πέμψας Καισαρείαν* [*πρὸς Στίλαν, τὸν δοῦκα Ἀλεξανδρείας*] *κτλ.*, quae Theophanes uel potius Theodori epitomator ab eo exscriptus neglegenter excerpserit. — Rem igitur in medio relinquamus.

Ea quae apud Theophanem deinceps sequuntur de encyclicis ac de responsis a sanctis uiris datis omnia ex Theodoro prouenisse excerpta Valesiana Crameriana que demonstrant; inde porro perspicimus, ad singulorum monachorum nomina, Iacobi, Symeonis, Bardae de unoquoque narrationem subiunctam fuisse ab auctore uberrimo.[6]) — In commemorando Timothei Aeluri exsilio copiosior Theo-

1) Th. 171, 2—4 = Cedr. 608, 14—16; cf. adn. 3 pg. 212.
2) Eu. II, 8, 302 B: *Τούτοις μὲν οὖν ἐπιθήσων δίκην.*
3) Liber., breu. cap. 15 (Mansi IX, 685).
4) Baron. A. E. ad ann. 457, Nr. 11—54 (uol. VI, pag. 250—261).
5) Nomen ipsum non offenderet haud rarum. Cf. Theodoret. V, 20, 224 D; Socr. VI, 2; Soz. IX, 2. Cf. Baron. A. E. VI, 648, 657; indicem ad uol. IV ed. Colon. 1624.
6) Cf. Val. 558 BC = Cr. 103, 3—14. Ineptias illas utrum Theodoro an epitomatori tribuam nescio; confunditur enim maior Iacobus cum posteriore minus noto, quod uero inde excusari potest, quod uterque Nisibi erat oriundus. De utroque egit Theodoretus in Philotheo, ad quem locum respexit eclogarius. Cf. *Theodoret. op., ed. Noesselt*, III, 1110 et 1234, ibid. 1250.

phanes est Nicephoro[1]); sed ἐνδημούσης, quae dicebatur, synodi a Theodoro[2]) non neglectae mentionem non fecit. — De Timothei alterius, Aeluri successoris, cognomine non prorsus conuenit inter auctores: 1) Th. 173, 16 = Cedr. 609, 18: ὁ ἐπίκλην Λευκός, ὁ καὶ Σαλοφακίαλος (Cedr. κίολος). 2) Nic. Call. XV, 16 = Eu. II, 11: Βασιλικός, Σαλοφακίολος (Eu. κίαλος). 3) Lib. breu. 16: Salophaciolus siue Asbus. — Apud Liberatum pro Asbus scribendum esse Albus ex Theophanis Cedrenique sequitur consensu; utra uerior sit uocis Σαλοφακίολος interpretatio[3]), Theophanis Cedreni Liberati, an Euagrii Nicephorique doctiores discernant.

De Alexandrina ecclesia hactenus. — Quae iam restant in Theophane fere omnia ad Theodori recedunt auctoritatem. Singulos locos quomodo cum fonte cohaereant, adscribam, uncinis inclusis eis, qui quamquam absunt ab eclogis, nihilominus ad Theodorum referendi esse uidentur:

1. [Th. 173, 18—174, 3] . . .		Cf. Cedr. 609, 21—22.
2. Th. 174, 4—10 =	Cr. 104, 22 Val. 555 B	Cf. G. Mon. 512, 5—9. Cedr. 609, 21—610, 5.[4])
3. Th. 174, 14—175, 2[5]) =	Cr. 103, 20. 104, 28. Val. 554 A, 555 D	Cf. Nic. Call. XV, 23. G. Mon. 511, 11—24. Cedr. 611, 5—17.
4. Th. 175, 3—7 =	Cr. 103, 2. Val. 554 B	Cf. Nic. Call. XV, 23. G. Mon. 512, 10—12. Cedr. 611, 17—19.
5. Th. 175, 9—176, 14 =	Val. 554 C—555 A	Cf. Nic. Call. XV, 28.[6]) Cedr. 611, 20—612.

1) Nic. Call. XV, 16, 615 AB. — Conspirat cum Theophane Liberatus breu. c. 16. Cf. etiam Cedren. 609, 16—18.

2) Cf. Cram. 102, 28—103, 2. — Simile aliquid habemus Th. 219, 20. Haec consuetudo Graecis ad hunc diem usque retenta est.

3) Cf. Valesii interpretationem (adn. ad Eu. II, 11, pag. 72).

4) Quae subsequuntur apud Cedrenum de ingenti illo incendio apud Zonaram quoque exstant XIII, 25, 252, 15—253, 9. Recte statuit Sauerbrei aliena haec esse a chronico Cpolitano (l. c. pag. 26). Sed quod suspicatur ad Candidum recedere haud assentior. Nonne ex Euagr. II, 13 (= Nic. Call. XV, 21) coniciendum est, Eustathium huius rei esse fontem? Fortasse sane Candidus Eustathii auctor fuit; sed Euagrius illum nusquam sequitur.

5) Integrum Theodori contextum seruauit Iohannes Damascenus (ed. Le Quien I, 386—387). Aliam de Gennadio narratiunculam misit Theophanes, quam praebebat Theodorus (Cr. 103, 24—26). — Refertur a Nic. Call. ibid. pag. 623 D; cf. G. Mon. 511, 16—20 = Cedr. 611, 12—17.

6) Vsque ad pag. 634 B Theodorum secutus, iam ad Euagrium se

6. Th. 177, 2—4 =	Cr. 103, 31 Val. 554 B	Cf. G. Mon. 512, 18—19. Cedr. 612, 15.
7. Th. ibid. 4—10 =	Cr. 104, 5[1])	. . . .
8. Th. ibid. 11—12 =	Cr. 104, 12 Val. 554 B	Cf. Nic. Call. XV, 23, 624 A. Cedr. 612, 16.
[9. Th. ibid. 13—16] =	. . . .	

Quae iam sequuntur de uariis bellis ad Theodorum non pertinent; cum uero ipse chronographus (Th. 179, 16) Priscum laudat, non ipse inspexit praeclarum illum auctorem, sed ex Eustathio, quem ciuilibus in rebus adhibere solet[2]), illius nomen recepit.[3])

Extremo demum Leonis anno ad Theodorum reuertisse mihi uidetur Theophanes. Namque ut narrationem de puluere ardente inde ab eo deriuatam esse excerpta[4]) demonstrant, ita mira quaedam molestaque repetitio ostendit, duos adhibitos esse fontes, quos distinguere non potuit paruulum chronographi ingenium.

1. Th. 184, 5—7.

Τούτῳ τῷ ἔτει Λέων ὁ β. Λέοντα τὸν Ζήνωνος υἱὸν καὶ Ἀρεάδνης τῆς ἰδίας θυγατρός, τὸν ἑαυτοῦ ἔγγονον στέψας, βασιλέα ἀνηγόρευσεν.

2. Th. 185, 10—19 = Cr. 105, 5.

Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Λέων ὁ βασιλεὺς ἐν Βυζαντίῳ ἀρρωστήσας	*Λέων ὁ μικρὸς ὁ Ζήνωνος υἱὸς ἀνηγορεύθη βασιλεύς, Λέοντος τοῦ*

uertit Nicephorus, ex quo *Iohannis rhetoris* recepit mentionem. Cf. Nic. Call. pag. 634 B = Eu. II, 10.

1) Falsa est nominis scriptura *Βασιανὸν* apud Theophanem et *Βαστιανὸν* apud Cramerum. Restituendum est *Βασσιανὸν* (cf. Th. 219, 4), quod nomen saepius inuenitur. Cf. Eu. II, 19, pag. 329 A: Liber. breu. c. 13 (Mansi IX, 682 E). — *Iohannem* illum *Vincomalum* consulem fuisse anno 453 tradit Chr. Pasc. pag. 591. — Cf. Clinton. F. R. I, 648.

2) Hoc iam uidit Koecher (cf. ea, quae praecedenti disputata sunt paragrapho), confirmauit Sauerbrei (l. c. 21—29). Haud scio an narratiuncula quoque de Isocasio (Th. 187, 6) potius ad Eustathium referenda sit quam ad fastos Cpolitanos. Id certe constat omnes auctores quos affert Sauerbrei (pag. 23—25) eodem hausisse ex fonte atque ita hausisse, ut Malalas Chroniconque Paschale Theophane Cedrenoque accuratius descripserint, breuissimi sint Georgius Monarchus et Leo Grammaticus, medius inter omnes incedat Zonaras.

3) Afferendus est Euagr. II, 16. Cf. Malal. 372.

4) Th. 185, 5—10 = Cr. 105, 2 = Val. 555 C. Cf. G. Mon. 511, 8—10 (Mal. 372, 6—10 = Chr. Pasc. 598, 10—14). — Ad eundem auctorem recedit Th. 177, 17—19, quem exscripsit G. Mon. 511, 6—8 = Cedr. 612, 18—20.

τελευτᾷ, Λέοντα τὸν Ζήνωνος υἱὸν καὶ Ἀρεάδνης νήπιον ὄντα βασιλέα προχειροτονήσας κατέλιπεν, μηνὶ Ἰανουαρίῳ ἰνδικτ. ιβʹ, καὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ ἔστεψε Ζήνωνα[1]) τὸν ἴδιον πατέρα ἐν τῷ καθίσματι τοῦ ἱπποδρομίου, Βερίνης καὶ Ἀρεάδνης συναραμένων αὐτῷ. Δέκα δὲ μόνους μῆνας τοῦ μικροῦ Λέοντος συμβασιλεύσαντος τῷ ἰδίῳ πατρὶ Ζήνωνι νόσῳ τελευτᾷ καὶ βασιλεύει μόνος Ζήνων ἔτη ιζʹ καὶ μῆνας βʹ κτλ.	μεγάλου ἀρρωστήσαντος καὶ μετὰ βραχὺ τελευτήσαντος.[2]) Λέων ὁ μικρὸς τὸν ἴδιον πατέρα Ζήνωνα βασιλέα ἐν τῷ ἱπποδρομίῳ ἀνηγόρευσεν, δέκα μόνους μῆνας αὐτὸς βασιλεύσας καὶ εὐθὺς τελευτήσας.[3])

3. Th. 186, 6—8.

Τούτῳ τῷ ἔτει Λέων ὁ μικρὸς δέκα μόνους μῆνας συμβασιλεύσας Ζήνωνι τῷ ἰδίῳ πατρὶ καὶ προελθὼν ὡς ὑπατὸς ἐτελεύτησεν, καὶ μόνος ἐκράτησε τῆς βασιλείας ὁ Ζήνων.

Th. 185, 10—19 quin ex Theodoro manauerit, dubitatio oriri nequit, cum adsint excerpta, quibus Theophanes hoc rursus loco fusior est. Sed hoc inde explicandum esse, quod largiora excerpta chronographo suppeditabant, iam antea iterum atque iterum monuimus. Itaque hac quidem in re Theophanes ad ipsum Theodori contextum[4]), cui singulorum dierum inerat designatio, propius accedit, quam ceterum fieri solet. — Sed quisnam est alter ille auctor, ex quo et 184, 5—7 et 186, 6—8 chronographus partem earum rerum repetiit, quas plane exposuerat 185, 10—19? Equidem censeo cum hos locos, tum multas alias particulas cap. III accuratius examinandas chronicon redolere Cpolitanum[5]) hic illic a Theophane allatum. Sed tanta est secundi loci atque primi tertiique similitudo, ut suspicari liceat, uel Theodorum inter auctores suos hoc quoque chronico usum esse; neque enim fortuitum

1) Mutilus est hic locus, hausto subiecto *Λεὼν ὁ μικρός*, sicut ex eclogarii contextu intellegas.

2) Fere eadem habet alter epitomator. Val. 555 B: *Λέων ὁ β. προεβάλετο Καίσαρα Λεόντα τὸν μικρὸν τὸν υἱὸν Ἀρεάδνης τῆς ἑαυτοῦ θυγατρὸς καὶ Ζήνωνος τοῦ γαμβροῦ αὐτοῦ.*

3) Ad uerbum conspirat Val. 555 D.

4) Cf. Theodori fragmentum copiosissimum de Olympio Ariano apud Ioh. Damascenum, ed. Le Quien I, 376—378.

5) Cf. de chronici reliquiis Sauerbrei l. c. pag. 25. Cf. etiam quae cap. III, § 1 extr. disputabuntur.

esse puto, quod post excerpta ex Iohanne Diacrinomeno[1]) Theodorianis eclogis apud utrumque epitomatorem agglutinata apud eosdem reliquiae subsequuntur ex chronico Cpolitano.[2])

Haec fere ex Theodoro de Leonis imperio in opus suum deriuauit Theophanes. Subinde nonnulla addamus, quae de eodem imperatore habuit Theodorus, Theophanes respuit; omnia enim, quae huc pertinent, congerere longum est. Primum quidem a Theophane omissae sunt leges quaedam a Leone Macello latae. Prior lex[3]) erat de festis diebus, quos omni opere uacuos esse uoluit pius imperator[4]); ex Theodoro illam legem nouit Nicephorus[5]), quae praeterea extat apud Malalam[6]) Chroniconque Paschale.[7]) Altera lex, quam Leoni tribuit Theodorus de clericis a praefecto praetorio dumtaxat iudicandis haud scio an non recte referatur ad hunc imperatorem; in Corpore Iuris saltem circumspicienti mihi talem legem inter Leonis leges inuenire haud contigit.[8]) Rettulit praeterea Theodorus de Deiparae uestis translatione[9]); rettulisse eum etiam de duobus episcopis miraculum, quorum alter, uerae fidei addictus, rogo incenso se commisit indeque cum Ariano disputauit, inde colligo, quod Nicephorus hanc affert fabellam. Quod si concesseris, uidebis eam ex libro quinto Iohannis Diacrinomeni[10]) desumptam esse.

1) Val. 565 B—567 C et Cr. 108, 25—111, 31 ex Diacrinomeno esse supra demonstravi cap. II § 1 pag. 193 sq.

2) Val. 567 C—568; Cr. 111, 32—114, 31.

3) Val. 553 D = Cr. 103, 15.

4) Lex sic se habebat: Dies festos, dies maiestati altissimae dedicatos nullis uolumus uoluptatibus occupari nec ullis exactionum uenationibus profanari (*l. 11, Cod. III, 2*). Data est lex Cpoli, Idibus Decembr., Zenone et Marciano coss. (= 469. Clinton F. R. 673).

5) Nic. Call. XV, 22, 623 B.

6) Malal. 371, 5—8 = Chr. Pasc. 596, 13—16. — Cf. Joh. Nik. (Journ. Asiat. l. c. pag. 293).

7) Mal. 372, 3—5 = Chr. Pasc. 597, 10—13 praeterea legum aduersus Arianos Exocionitas (cf. *Ducange*, Cpolis Christ. II, 171) mentio fit, quas non attulisse uidetur Theodorus.

8) Nic. Call. XV, 22 = Val. 553 C = Cr. 103, 15.

Nic. Call. XV, 22	Val. 553 C = Cr. 103, 15
. . . *τούς τ' ἐν κλήροις κατειλεγμένους παρὰ μόνῳ τῷ τῶν πραιτορίων ἐπάρχῳ κρίνεσθαι.*	. . . *καὶ τοὺς κληρικοὺς παρὰ τῷ ἐπάρχῳ τῶν πραιτορίων μόνον ἀποκρίνεσθαι* (falso legitur apud Cram. *ἀποχωρίζεσθαι*).

9) Nic. Call. XV, 24. Cf. G. Mon. 512, 30—513, 3 = Cedr. 614, 5—7. Zonar. XIII, 25, pag. 254. — *Sauerbrei*, l. c. pag. 30.

10) Huius rei fidem faciunt schedae Millerianae: cf. *Revue archéol.* l. c. pag. 401 = Cr. 108, 25.

Denique excerptum extat Cramerianum ex quo cernitur, Theodorum in uniuersum disseruisse de magno hominum numero, qui illa aetate monachicam amplexi sunt uitam[1]), priusquam ageret de Daniele Stylita, de Bassiano, de Iohanne Vincomalo.

§ 5. DE ZENONIS ET ANASTASII AETATE (Th. 186—253).

Mittere mihi liceat Basilisci tyrannidem, Illi Trocundique rebellionem atque illorum annorum res ecclesiasticas satis perturbatas, quippe quae, quamuis grauissimae, ad cognoscendam Theodori historiae condicionem haud multum proficiant. Videntur octo Theophanis paginae 186, 8—194, 16 e Theodoro totae fluxisse, cum supersint multa copiosaque excerpta[2]), quae a Theophanis narratione minime abhorreant; neque uero negauerim, his partibus sat multa inesse, quae Eustathium redoleant fontem[3]); sed iterum monendum est, quod supra protuli de Marciani aetate, posse res illas iam a *Theodoro* ex Eustathio esse depromptas, quem res ciuiles minime neglexisse perspectum habemus. Cum praeterea permulta insint de Timotheo Petroque Fullone, quae bene cohaerent cum profanis rebus, ad Theodori uel potius excerptorum auctoritatem recedentia, maximam certe totius tractus partem inde manasse certo certius est. — Ex nomine loci, quo Basiliscus superatus et cum uxore asportatus est, num de fonte quid possit statui ualde dubito; namque si apud Valesium nomen legitur *ἐν Βουσάμοις*, apud Theophanem Cucusum[4]), hoc inde explicandum est quod barbarico[5]) illius castelli nomini notiorem Cucusi formam dedit chronographus.

Quae Th. 198, 20—199, 15 proferuntur de Stephano Antiochiae episcopo[6]), atque de morte Timothei illius Salophacioli[7]),

1) Cr. 103, 33—104, 4: *Πλεῖστοι καὶ ἐν τῷδε τῷ κτλ.*

2) Val. 555 D—557 A.

3) Cf. *Sauerbrei*, l. c., pag. 31—35.

4) Th. 193, 9 = Val. 557 A. Cf. adn. Valesii ad hunc locum (pag. 164, ed. Mogunt.).

5) Variatur forma. Cf. Nic. Call. XVI, 8, 671 B = Eu. III, 8: *ἔν τινι σταθμῷ Ἀκουσῷ λεγομένῳ*. G. Mon. 514, 6 in universum: *εἰς τὸ φρούριον Καππαδοκίας*. Cedr. 617, 2 = Th. 193, 9; Vict. Tunn. (Roncall. II, 347) *in Gasemis*. Prorsus diuersae se addixerunt auctoritati Mal. 380, 12, Chr. Pasc. 602, 5, Joh. Niki. (Journ. Asiat. l. c. 299) Limnas missum eum esse narrantes.

6) Fortasse verba Th. 198, 18 *Ἀντιοχείας ἐπίσκοπος Στέφανος ἕτερος ὁ ῥιφεὶς εἰς τὸν Ὀρόντην ποταμὸν* a glossatore illata sunt.

7) De hac re excerptum superest Cr. 105, 19.

quae etiam postea leguntur de Petro Mongo haeretico Th. 202, 1 —15[1]) et 203, 20—204, 14[2]), omnia haec ab eodem Theodoro mutuatus est chronographus. In eundem recedunt ea, quae habet ille de Zenonis ἑνωτικῷ, cuius contextus apud Euagrium reperitur Nicephorumque[3]) atque apud Liberatum diaconum.[4])

Idem statuendum est de tota parte Th. 204, 14—208, 9, sicut elucet ex aliquot excerptorum fragmentis Valesianis Crameria-nisque:

Th. 204, 14—18 = Val. 558 B.
„ 206, 1—6 = Val. 557 D.
„ 207, 8—14 = Cr. 105, 33.

Quae iam sequuntur Th. 207, 14—208, 3 de Xenaïa seu Philoxeno, eorum auctoris non modo ipsa uerba suppeditant inter synodi Nicaenae alterius acta[5]) asseruata, sed etiam Iohannis Diacrinomeni, Theodori fontis, hac de re reliquias[6]) fausta quaedam fortuna nobis indulsit.

Omnia ea, quae hucusque in Theodorum non recedunt, Eustathio Epiphaniensi quin debeantur mihi quidem non dubitandum esse uidetur, a quo praeterea subsequentia mutuatus est chronographus de Mariani praedictione.[7]) Reliqua usque ad Anastasii imperium aeque duas in partes segreganda sunt, quarum altera ad Theodorum, altera ad Eustathium, recedit. — Ex Theodoro fluxerunt haec:

1) Th. 209, 47[8]) = { Cf. Nic. Call. XVI, 19. 685 D. / Cedr. 619, 19—22. }

1) Adeo cum hoc loco conspirat Liber. cap. 17 (Mansi IX inde a 686 E), ut idem utrique fuerit fons, fortasse Petrus Alexandrinus.

2) Cf. Nic. Call. XVI, 11—16 = Eu. III, 11—21 ex Zacharia rhetore.

3) Nic. Call. XVI, 12 = Eu. III, 14.

4) Liber. breu. cap. 18.

5) Act. V. cf. Mansi XIII, 180: Πέρσης τις Ξεναίας ἐπικληθεὶς κτλ. — Cf. cap. II, pag. 195.

6) Iohannis verba ibidem extare iam nouit *Ducange*, s. u. Διακρινόμενος. Praeterea excerptum adest *Cramerianum* (109, 1—2); hanc rem a Iohannis libri VII esse deriuatam testantur *Milleri schedulae* (Rev. archéol. l. c. pag. 402).

7) Th. 208, 9—209, 2 = Mal. 390, 4—391, 1 = Chr. Pasc. 606, 3 —21. In chronico ab hisce uerbis auspicatur ecloga: λέγει ὅτι, ad Eustathium referendis. Cf. Nic. Call. XVI, 24; G. Mon. 515, 25—516, 3 = Cedr. 620, 20—621, 2.

8) Et hoc loco et ceteris omnibus in Theophanis contextu restituenda est lectio Εὐφημίου pro Εὐθυμίου. Mirum in modum fluctuant codices: Th. 208, 3 ueram habet lectionem cod. A., 209, 4 prauam, cum deteriores ueram praebeant. Ceteris locis 210, 12. 212, 3. 215, 4 215, 10. 215, 17.

Th. 209, 8—12 = { Cf. Nic. Call. XVI, 20, 686 B. Cedr. 621, 3—7.

2) Th. 210, 10—17 = Val. 558 C. Cf. Nic. Call. XVI, 26, 692 D.
ibid. 18—211, 2 = Val. 558 D. Cf. Nic. Call. ibid. 693 BC.

— Ex Eustathio haec:

1) Th. 209, 12—210, 10. Cf. Eu. III, 27[1]) = Nic. Call. XVI, 23. (Cf. etiam Cedr. 621, 8—22; Zon. XIV, 2, 257, 15—26.)

2) Th. 211, 2—9 { Cf. Mal. 391, 2—6; Chr. Pasc. 607, 5—12. Eu. III, 29 = Nic. Call. XVI, 24.

Non alienum erit, diuersorum posterioris loci auctorum adscribere uerba, ex quibus quomodo Eustathio consuluerint singuli melius cognoscatur.

Th. 211, 2—9 = Mal. 391, 2—6 = Chr. Pasc. 607, 3—12.

Τοῦτο δὲ τὸ ἔτος ἐν ᾧ Ζήνων τέθνηκε κτλ. ἀπὸ Ἀδὰμ μὲν κατὰ Ῥωμαίους ‚εϡϟθʹ, κατὰ δὲ τὴν ἀκριβῆ καὶ ἀληθινὴν ψῆφον Ἀλεξ. ‚εϡπγʹ, ἀπὸ δὲ τῆς ἀρχῆς Διοκλητιανοῦ σζʹ, τῆς θείας σαρκώσεως υπγʹ, ἰνδικτιῶνος ιδʹ. *Ἐστέφθη δὲ Ἀναστάσιος τῇ προγεγραμμένῃ ιδʹ ἰνδικτιῶνι, μηνὶ Ἀπριλίου ιδʹ ἡμέρᾳ πέμπτῃ τῇ μεγάλῃ τοῦ Πάσχα ἐν τῷ καθίσματι τοῦ ἱπποδρομίου.*	*. . . ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ζήνων ἐτελεύτησεν, ὢν ἐνιαυτῶν ξʹ καὶ μηνῶν θʹ μηνὶ Ξανθικῷ θʹ, ἔτους κατὰ Ἀντιόχειαν φλθʹ, ἰνδικτιῶνος ιδʹ. Ἔστιν οὖν ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τῆς τελευτῆς. Ζήνωνος βασιλέως ἔτη ‚εϡπγʹ.* 394, 1—5. *Μετὰ δὲ τὴν βασιλείαν Ζήνωνος ἐβασίλευσεν ὁ θειότατος Ἀναστάσιος κτλ. στεφθεὶς ἐν μηνὶ Ἀπριλλίῳ τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ τῆς μεγάλης ἑβδομάδος.*	*Τούτῳ τῷ ἔτει μηνὶ Ξανθικῷ τῷ καὶ Ἀπριλλίῳ . . . Ζήνων τελευτᾷ ὢν ἐτῶν ξεʹ καὶ ἡμερῶν ἐννέα. Ῥωμαίων μεʹ ἐβασίλευσεν Ἀναστάσιος κτλ. στεφθεὶς μηνὶ Ξανθικῷ, τῷ καὶ Ἀπριλίῳ, τῇ εʹ τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, ἰνδικτιῶνος ιδʹ, ἔτους χρηματίζοντος κατὰ Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην λζʹ καὶ φʹ . . . Ἐβασίλευσεν ὁ αὐτὸς Ἀναστάσιος ἔτη κζʹ. Ὁμοῦ ‚ςκζʹ.*

216, 12. 216, 18. 217, 4. 217, 9. 217, 10 omnes errauerunt. Hic error autem iam in exemplo Cedreni extabat, quem persaepe deprehendimus Theophanis uerba exscribentem; Euthymium scribit Cedr. 620, 17. 626, 14. 627, 17 et 20.

1) **Caedibus enarratis scribit:** ***ἀναγράφει μάλα σοφῶς ὁ αὐτὸς Εὐστάθιος καὶ τοὺς δειλαίως ἀνῃρημένους πρὸς Ζήνωνος κτλ.***

Eu. III, 29 = Nic. Call. XVI, 24.

Ἱστορεῖ δ' οὖν ὁ Εὐστάθιος μετὰ τὴν ἀρχὴν τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας ἐς τὴν Ζήνωνος τελευτὴν καὶ τὴν ἀνάρρησιν Ἀναστασίου ἔτη διελθεῖν ἑπτὰ καὶ διακόσια, ἀπὸ δὲ τῆς Αὐγούστου μοναρχίας ἔτη δύο καὶ λ' καὶ πεντακόσια πρὸς μησὶν ἑπτά, ἀπὸ δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἀρχῆς ἔτη δύο καὶ τριάκοντα καὶ ὀκτακόσια ὁμοίως πρὸς μησὶν ἑπτά, ἐκ δὲ τῆς τῶν Ῥωμαίων καὶ Ῥωμύλου βασιλείας ἔτη δύο καὶ πεντήκοντα καὶ χίλια καὶ πρός γε μῆνος ἑπτὰ, ἀπὸ δὲ ἁλώσεως Τροίας ἔτη ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακόσια καὶ χίλια πρὸς μησὶν ἑπτά. Addit Nicephorus: *ἀπὸ δὲ τῆς θείας τοῦ Κυρίου σαρκώσεως τετρακόσια ϟ καὶ δύο, ἀπὸ δὲ Ἀδὰμ εϡπδ'.*

Clarior euadit res numeris ita dispositis:

1. ab initio Augusti	ann. 532,	mens. 7	= Euagrius et Nicephorus.
„ „ Alexandri	„ 832,	„ „	
„ „ Romuli	„ 1052,	„ „	
a Troia capta	„ 1686,	„ „	
2. ab initio Diocletiani	ann. 207	—	Eu., Nic. Call. et Theophanes.
3. ab incarnatione	ann.[1]) 492	—	Nic. Call. et Theophanes.
4. ab Adam	ann. 5984	—	Nic. Call. Malal. et Theophanes.

Ea uero, quae de Anastasii coronatione communia habent Malalas Chroniconque cum Theophane, utrum eidem auctori tribuenda sint, an aliunde addita discernere non audeo.[2])

In Anastasii, utpote aequalis, temporibus pertractandis copio-

1) Th.: anni *483*, quia alia notandorum annorum utitur ratione, Alexandrina; supra annis ab Adam primum secundum Romanam allatis aeram, Alexandrinam subiungit rationem. Annos a Diocletiani initio simpliciter exscripsit ex Eustathio, aerae suae oblitus. His de offensionibus egit *Clinton*, F. R. ad ann. 491, pag. 704—707, F. H. III, 367 sqq.

2) Dissentiunt scriptores de Zenonis morbo. Dysenteria eum correptum fuisse uolunt Mal. 391, 1 = Chr. Pasc. 607, 4; G. Mon. 516, 11, epilepsia Th. 209, 19 (cf. Cedr. 622, 21) cum Eu. III, 29 = Nic. Call. XVI, 24. Vberiorem narrationem „ex aliis" addunt Nic. Call., ibid. 695, Cedr. 622, 4—23. Hic quoque, sicut de Marciani morte (XIII, 25, 250, 22 sqq.) accuratissimus est Zon. XIV, 2, 257, 26—258, 10.

siorem fuisse Theodorum Lectorem, ostendit ambitus excerptorum Valesianorum Cramerianorumque[1]; quare exceptis paucis locis ex Eustathio[2]) desumptis omnia fere, quae Theophanes habet de Anastasio, ex Theodoro prouenisse sumendum est. Ac primum quidem tota de Isauris Longinorumque rebellione narratio usque ad paginam 216 cum Valesianis[3]) excerptis adeo conspirat, ut dubitari nequeat, quin uno tenore ex Theodoro conscripta sit; item res se habet de Euphemii depositione Macedoniique electione[4]), item de Iohannis Hemulae ordinatione. Deinde alterum ad auctorem transgressus, sed paullo infra ad priorem reuersus, inde a pag. 218, 18 res ecclesiasticas exponere pergit chronographus; primum quidem inde discimus, Macedonium imperatori morem gesturum monasteria monuisse, ut *ἑνωτικόν* illud reciperent; qua oblata opportunitate de Arianis uidetur disseruisse Theodorus; namque ea quae subsequuntur agunt de Theodericho[5]) ac de Olympio illo Ariano a Theodoro tam fuse pertractato.[6]) Deinde egit de Festo Senatore Cpolim misso, de schismate post Anastasii papae obitum Romae

1) Val. 558 C—565 B. Cramer 107—108, 9.

2) Tales locos caue quaeras ultra paginam 224; nam usque ad duodecimum dumtaxat Anastasii annum peruenisse Eustathium testis est Eu. III, 37 (= Nic. Call. XVI, 37. Cf. Mal. 399, 3).

3) Val. 558 D—559 D. Silet Crameri eclogarius ne hoc quidem loco ciuiles res huc pertinere ratus. — Cf. G. Mon. 522, 3—22. Aliunde (ex Eustathio) petita sunt Eu. III, 35 = Nic. Call. XVI, 36, Mal. 393, 12—394, 7. — Th. 212, 19 scribas *πεντεκαίδεκα χιλιάδας*.

4) Th. 216, 12—217, 2 = Val. 559 B—D, } Cf. G. Mon. 522, 19—523, 7
Th. 217 4—13 = Val. 559 D—560 A. } = Cedr. 627, 20—628, 2.

5) Th. 219, 14—17 = Val. 561 A, Cr. 106, 8. Cf. Nic. Call. XVI, 35, Cedr. 628, 6—10, Zon. XIV, 3, 260, 25—29. — Mirum Theodoricho, Gothorum regi, uno consensu omnes tribuunt cognomen *ὁ Ἄφρος*, quod cognomen iterum profertur Th. 221, 6, Nic. Call. l. c. 710 D; quin etiam Zonaras dicit: *ὁ τῆς Ἀφρικῆς ἡγεμών*. Vix intellegimus quidnam Theodorum commouerit, ut Theoderichum confunderet cum Vandalis, quos *Ἄφροι* appellari uidemus a Th. 144, 19. 178, 18. Val. 552 D, Philostorg. XI, 8, 531 A. Simile quidem confusionis exemplum est Zon. XIII, 19, 235, 7: *Ἀλάριχος ἄρχων τῶν Οὐανδήλων ἢ Γότθων*; dein cum complures gentes Gothorum nomine complexi sint scriptores (Th. 145, 11—16) aut coniecerim singulas gentes hoc quoque loco non acriter esse distinctas, aut Theoderichum affinitatis uinculis cum Vandalis coniunctum (Th. 228, 9), Vandalorum (Baron. A. E. 427. Nr. 18) fidei addictum ipsis Vandalis a scriptoribus parum diligentibus esse adnumeratum — *Valesii* coniectura (adn. ad h. l., pag. 166) haud probabilis est.

6) De insigni hoc fragmento (Ioh. Dam. de imag. III) initio huius capitis disputatum est.

orto[1]); tum de chrysargyro abolito atque de ceteris Anastasii κατορθώμασιν. Hae res autem dignae sunt, quas breuibus tangamus. Theodori enim ipsius excerptum cum non habeamus de chrysargyro, dubitauerit quispiam, num omnino illius rei mentionem fecerit scriptor. Sed adest Iohannis Diacrinomeni excerptum Theophanis contextui simillimum, quo edocemur reuera hanc rem respexisse Theodorum Lectorem, atque ita respexisse, ut Iohanne uteretur auctore.

Th. 221, 12—14	= Ioh. Diacr. (Val. 566 D).
Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ἀναστάσιος ἀνέστειλεν τὸ χρυσάργυρον καὶ τὰ κυνήγια καὶ τὰς ἀρχὰς ὠνίους οὔσας δωρεὰν προεβάλλετο.	Ἀναστάσιος ἀνέστειλε τὸ χρυσάργυρον καὶ τὰ κυνήγια ἔπαυσεν καὶ τὰς ἀρχὰς ὠνίους οὔσας προῖκα παρεῖχεν.

Non modo haec[2]), uerum etiam ea, quae de Saracenicis bellis, de terrae motu Neocaesareensi, de causa belli a Cauade Anastasio illati ex Iohanne desumpsit Theodorus:

Th. 222, 9—14 = Ioh. Diacr. (Cr. 109, 15 = Val. 566 D = Miller 403).
„ „ 15—18 = „ „ (Cr. 109, 6 = Val. 566 D = Miller 402).

Qui aliud argumentum requiret, ex quo eluceat reuera Theodorum has res omnes habuisse, ei iterum Nicephori consensum obiciam cum Theophane.[3])

Abhinc uero ecclesiasticum deseruit fontem chronographus, usque ad pag. 230 uno tenore bella enarrans, quorum relationem ex profano quodam auctore deduxit. Sed inde a pag. 230 accurate denuo Theodori insistit uestigiis, sicut copiosiora Milleri excerpta demonstrant; neque igitur nimium erit quod statuerim, ubicunque non supersint eclogae ex Theodoro, ex rerum conexu posse iudicari, eodem a Theodoro mutuatum esse Theophanem. Agitur[4]) his

1) Th. 220, 11—221, 11 = Val. 560 A—D. Cf. Nic. Call. XVI, 35, pag. 710.

2) Nic. XVI, 40 ex Eu. III, 39 petita sunt, sicut subsequentia aduersus Zosimum prolata. Cf. Mal. 398, 5—8. — *Baron.* A. E. ann. 390, Nr. 33—48, 491, Nr. 11—12 (uol. III, 452 sqq., VI, 511—512).

3) Nic. Call. XVI, 36, 714 B de Cauade. — G. Mon. 519, 13—18 = Cedr. 628, 16—20 de terrae motu.

4) Th. 231, 3—13 (= Cedr. 629, 8—17) de artifice illo Antiocheno conspirat cum Mal. 395, 6—19. Quae si quis negauerit Theodorianae esse originis, contradicentem me non habebit, cum mihi quoque probabilius sit, haec ex aliquo chronico fluxisse. Idem fortasse cogitandum est de Th. 231, 14—232, 2 (cf. Mal. 399, 13—21 = Chr. Pasc. 608, 19—609) = Cedr. 630, 14—18. — At de Dararum campo moenibus cincto

partibus plerumque de ecclesiasticis discordiis, quas funestum illud Zenonis ἑνωτικόν suscitauit, aliis episcopis imperatori fauentibus, recipientibus aliis Chalcedonensis tantummodo synodi decreta. Singula de Macedonio, Flauiano, Elia, ceteris quisquis accuratius uult cognoscere, omnia inueniet in excerptis ex Theodoro hac parte multo largioribus; sufficiat nobis nonnullorum locorum externam rationem considerare, num bene se habeat, ac praecipue ex nominibus propriis de paucis inquirere, quae saepius confusa uel corrupta sunt apud Theophanem.[1])

Ac primum quidem examinemus Th. 234, 8—14. Hoc loco legimus, Deuterium episcopum barbarum quendam baptizaturum hac formula haeretica usum esse: *βαπτίζεται βάρβαρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι*, ubi offendit barbari denominatio, utpote nimis generalis[2]); sed excerpta ex Theodoro confecta non conspirant. Initio dicitur[3]) *βάρβαρον οὕτω λεγόμενον*, infra uero *βαπτίζεται Βάρβας* deinde *ὁ δὲ Βάρβας φυγών*, quam lectionem fulcit Nicephori contextus[4]), refutant ei, qui ex Theophane sua haurire solent, Georgius Monachus Cedrenusque.[5]) Inde colligendum est, in Theophanis exemplo a Georgiis illis expilato scriptum fuisse *βάρβαρος*. Vtrum in suis excerptis hanc scripturam reppererit chronographus, an ipse nomen corruperit, quod nonnunquam factum esse uidimus, discernere nolim; id autem effecisse mihi uideor, apud Theodorum homini illi nomen datum fuisse *Βάρβας*, praesertim cum Victor quoque Tunnunensis[6]), qui hic illic a Theodoro pendere uidetur, per errorem episcopum nomine illo haud raro afficiat.[7])

egit Nic. Call. XVI, 37, quo capite primum Euagrium secutus (III, 37) reliqua haud scio an ex Theodoro receperit.

1) Confusionis exemplum supra habuimus, ubi Euphemius patriarcha confundebatur cum Euthymio Marciani coaetaneo (de quo cf. Surium, die 20. Ian.), adn. 8 pag. 219; de Praylio pro Iuuenale, Th. 139, 2. Corrupti nominis exempla initio huius paragraphi (cfr. adn. 5 pag. 218), praeterea Th. 129, 13 = Cedr. 590, 3 *εἰς τὸν Ἴμμον*, ubi ueriorem formam habet Socr. VII, 16: *ἐν Ἰνμεστάρ*.

2) Hoc nomine Gothi aliaeque gentes designari solebant.

3) Val. 262 A.

4) Nic. Call. XIV, 35, 711 B.

5) G. Mon. 523, 17—22 = Cedr. 630, 19—23.

G. Mon.	Cedr.
. . . *Βάρβαρόν τινα βαπτίζων* . . . *βαπτίζεται ὁ δεῖνα* . . . *Ὁ δὲ Βάρβαρος κτλ.*	. . . *βαπτίζων τινὰ Βάρβαρον λεγόμενον*, . . . *βαπτίζεται Βάρβαρος* . . . *Ὁ δὲ Βάρβαρος κτλ.*

6) Vict. Tunn. (Roncall. II, 355.)

7) Barbas occurrit episcopus Nic. Call. XIV, 13, 464 C = Socr. VII,

Similis est quaestio de Iuliano, Halicarnassi episcopo. Th. 237, 13—14 sic eum designat: Ἰουλιανοῦ τοῦ Καρίας[1]) ποτὲ ἐπισκόπου, ἔπειτα δὲ Ἁλικαρνασσοῦ, quae uerba sic uertit Anastasius bibl.: Iuliani, Cariae tunc, deinde uero Halicarnassi episcopi. — Hoc ex loco colligendum esset, Iulianum primum totius Cariae fuisse episcopum monophysitam[2]), quod non probabile est, cum nemo praeterea auctorum aliquid eiusmodi testetur[3]), cum deinde facile error inde enasci potuerit, quod Halicarnassus Cariae urbs est, Cariaeque nomen in contextu additum erat, sicut ex Val. 562 C cernimus, ubi exstat: Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος Ἁλικαρνάσσου τῆς Καρίας; proxime accedit Cedr. 637, 11 Theophanis locum sic exscribens σὺν Ἰουλ. τῷ Ἁλικαρνασσοῦ. Huc addas, quod Theophanes ipse postea[4]) simpliciter loquitur de Iuliano, Halicarnassi episcopo, quod Georgius Monachus Cedrenusque[5]) eundem alio loco appellant Ἰουλιανός τις καλούμενος Ἁλικαρνασσοῦ τῆς Ἀσίας ἐπίσκοπος. Procliui igitur adhibita coniectura sic censebis apud Theophanem aut fortasse apud ipsum Theodorum scriptum fuisse: Ἰουλιανοῦ, τοῦ Ἁλικαρνασσοῦ τῆς Καρίας τότε[6]) ἐπισκόπου, εἶτα δὲ καὶ[7]) Σευήρου τοῦ δυσσεβοῦς κτλ.

Tertia eiusmodi quaestio est de Th. 243, 19. Cum Dii monasterii praefecto mortuo[8]) nouus esset ordinandus, Timotheus, Macedonii haereticus successor, Chalcedonensis synodi se stare a partibus professus est, ut admitteretur ad benedictionem; qua re ad Anastasium, qui ἑνωτικῷ fauebat, delata tale quidquam se commisisse negauit episcopus mendacissimus. — Hoc ex Theodoro petiit chronographus. Sed de Studitarum, non de Dii monasterio,

6, 242 D. Cf. Baron. A. E. ad ann. 506, Nr. 14 (IV, 646), qui hoc loco legit Barbas.

1) Codd. b, e: Καρυᾶς inepte; a: Βαρείας, f: Καισαρείας. Doctae hae librariorum esse uidentur coniecturae.

2) *Ioh. Ephes.* II, 44 Deuterium commemorat, „Bischof der Provinz Karien". Cf. Land, l. c. pag. 64.

3) Lib. breu. cap. 19 (Mansi IX, 693 B), Phot. cod. 225, Bar-Hebr. Chr. eccl. I, 198, 212 edd. Abbeloos et Lamy simpliciter appellatur Halicarnassi episcopus. Cf. Baron. A. E. VII, 63.

4) Th. 254, 15—17.

5) G. Mon. 366, 21 = Cedr. 460, 7.

6) Hoc responderet Anastasii uerbis: Cariae tunc.

7) Ea structura inuenitur Cr. 99, 1. Etiam legi potest ἔτι δὲ καὶ (Th. 121, 12).

8) Monasterium a Dio conditum inter clariora affertur Th. 219, 4. Cf. 205, 12. 243, 19. — Cf. praeterea Codin, de antqtt. Cp. 123, 1 ed. Bonn.

haec res refertur Val. 563 D et Nic. Call. XVI, 35, 709 B[1]); itaque rursus errauit Theophanes. Excusandus autem est error, cum utrumque monasterium praeclarum occurrat apud Theophanem[2]), in utroque fuerint eiusdem ordinis[3]) monachi, cum denique facillime fieri potuerit ut omissa prima litterula ex genetiuo CTOYΔIOY oriretur TOYΔIOY[4]).

Denique afferamus cognomina, quibus a uolgo decorabatur Timotheus ille:

Th. 240, 5: *τὸν ἐπίκλην Λιτροβούλην καὶ Κήλωνα.*[5])

Theod. Lect. { Val. 563 A: *Λιτροβούλην καὶ Κόλωνα.*
Nic. Call. XVI, 26: *Κήλων καὶ Λιτροβούνης.*
Mill. 399: *Λιτροβούλβιν καὶ Κίλωνα.* }

Cedr. 631, 4: *Λιτροβόλης καὶ Κήλων.*

Constat igitur alterum cognomen *Κήλων.*[6]) De alterius genuina forma potest dubitari; sed non necessaria mihi uidetur esse Milleri mutatio.[7]) Fortasse praeferenda est forma *Λιτροβούλβην*, seu sumseris Timotheum *βολβοῦ λίτρας* ad excitandam Venerem comedisse, seu *βουλβοῦ λιτρὶς* ipse fuisse dicatur, i. e. bulborum comestorum tamquam arca loculusque.[8])

Iam delati sumus ad extremum Anastasii tempus, in quo exponendo unde pendeat chronographus suboritur dubitatio. Th. 253, 16—18: *Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει* (i. e. 510 = 518) *ἰνδικτ. ια΄, μηνὶ Ἀπριλλίῳ θ΄ τέθνηκεν Ἀναστάσιος ὁ δυσσεβὴς βασιλεύς, βασιλεύσας ἔτη κζ΄ καὶ μῆνας ζ΄ τῷ σλδ΄ ἔτει ἀπὸ Διοκλητιανοῦ.*

1) Apud Vales. pro *τοῦ Στουδίτου* allato Nicephori contextu apparet esse restituendum *τοῦ Στουδίου* (cf. Baron. A. E. ann. 511. Nr. 11 [VI, 675]). Cf. adnot. insequ.

2) Studium praepositum monasterium condidisse legimus Th. 175, 3 ex Val. 554 B = Cr. 103, 27 (Nic. Call. XV, 23). Cf. G. Mon. 512, 10 —12 = Cedr. 611, 17—19. — G. Codin. l. c. 102, 13.

3) Ordinis *Ἀκοιμητῶν*: Cf. Nic. Call. XV, 23 de eorum condicione. Praeterea Ducang. Cpol. Christ. IV, 151.

4) De hoc uerbo cf. Suidam s. u. *Κήλων· θερμὸς εἰς συνουσίαν.*

5) Milleri *Κίλωνα* idem est ac *Κήλωνα* (cf. *Λιτροβοῦλβιν*). Apud Valesium *ο* in *η* mutandum est.

6) Miller, l. c. 280 proposuit coniecturam *χυτροβούλβης* ab Anastasii profectus scriptura. Sed non licet nouum fabricari uocabulum, etsi haud dissimile extat exemplum.

7) Haec Goari est sententia non inepta (cf. adn. ad Th. II, 413, ed. Bonn.). Alteram proposuit Baronius, A. E. ann. 511, Nr. 8 (VI, 674), a *λυτρόω* = redimo et *βούλβα* = uulua uocabulum deriuans, quibus uerbis compositis ignominiosum efficiatur cognomen, quo homo mulierosus significetur.

Cum his non facit Vales. 565 B, ubi omisso mortis anno et die breuiter dicitur regnasse Anastasium annos 27, menses 3, uita decessisse aetatis anno 88. Itaque de Theodoro huius loci auctore meo quidem sensu non licet cogitari, quamquam non negandum est subsequentia de Iustini condicione moribusque[1]) ad eius recedere auctoritatem. Praeterea animaduertas sibi minime constare rationem, si ea attuleris, quae pag. 211 de eiusdem imperatoris coronatione afferuntur: Coronatur die 14. April., indict. 14, ann. p. Diocl. 207. Moritur die 9. April., indict. 11, ann. p. Diocl. 234. Euaderent dies 20, menses 11, anni 26.

Quam difficultatem possumus extricare, si consideramus, fluctuare posteriore loco codices, quorum optimus *A* cum *e* congruens exhibet *'Απριλ. ια'*, deterior *a*: *'Απριλ. κα'*, atque etiam alteri, ubi extat *'Απριλ. ιδ'*, inesse corruptelam. Namque Anastasii primo anno quintus dies *τῆς μεγάλης ἑβδομάδος* non erat dies Aprilis 14, sed 11.[2]) Itaque utroque chronographi loco uera scriptura est: *'Απριλ. ια'*. Nonne iam in propatulo est unde Theophanis error enatus sit? Nonne ueri est simillimum, excerpta quaedam ei ante oculos fuisse, quibus et coronationis et mortis annus diesque adnotati erant, atque in adhibendis illis excerptis compilatoris oculos ab altera lineola aberrasse ad alteram? Quaenam excerpta illa fuerint insequenti capite uidebimus.[3]) Ad uerum inaugurationis diem si addiderimus Theodori annos 27 menses tres ad uerum deuenimus Iustini tempus, ad mensem Iulium anni 518.[4])

Haec habui, quae de Theodoro Lectore afferrem Theophanis auctore praecipuo. Vnde ea prouenerint, quae non ex eo habet chronographus, ad ciuiles res plerumque spectantia, eo quod subsequitur capite enucleare conabor.

1) Th. 253, 19—21, 254, 5—8 = Val. 565 B = Cr. 108, 19—24.

2) Cf. Norisium. Ep. Syromac. 171—172.

3) Recte uidit Clinton F. R. ann. 518, pag. 734 offensiones: „μηνὶ 'Απρ. and μῆνας ἑπτὰ are probably corrupt; the indiction and the year of Diocletian are accurate.' — Cedr. 626, 9 Theodorum neglegenter exscripsit, cum imperasse uult Anastasium annos 27, menses 4. — Zon. XIV, 4, 265, 11 uerum habet numerum. De eius fonte cf. Sauerbrei, pag. 42.

4) Si annos 27, menses 3 addimus non uerum diem obitus Anastasii Iustinique inaugurationis lucramur. Testantur enim Mal. 410, 2—4 = Chr. Pasc. 611, 1—3, Eu. IV, 1 die nono mensis Iulii non undecimo haec accidisse; unus igitur accuratus est Marcell. Com. (Ronc. II, 316), qui habet annos 27, menses 2, dies 29.

Caput III.

DE CETERIS AVCTORIBVS, QVOS THEOPHANES PRAETER THEODORVM ACCIVERIT EISQVE PROFANIS.

Quam multas res profanas ecclesiasticarum rerum scriptores in libros suos receperint, dummodo aliquantulum cohaereant cum ecclesia, haud paucis locis çernere licuit. — Sic uidimus, omnia quae de Basilisco Isauro profert Theophanes, ex Theodoro fluxisse, auctore ecclesiastico; uidimus, Socratem de bello Persico egisse, quod mortuo Isdegęrde inter Vararanem exarsit et Arcadium.[1]) Sed Theophani non suffecerunt ea, quae apud Theodorum repperecerat. Alios praeterea eum adhibuisse fontes iam inde cognoscimus, quod misellus ille chronographus non semel aut sibi ipsi contradixit, aut res fusius expositas infra paucis complexus est. Tanta enim inertia usus chronographiam ille composuit, ut quid paullo supra scripsisset memoria non teneret.[2])

Obuiora repetitionum exempla afferam haec:

1. Th. 172, 8. *Ἀλεξανδρείας λῃστρικῶς ἐκράτησεν Τιμόθεος Αἴλουρος δύο ἔτη.* — Cf. Th. 170—171.

2. Th. 135, 10. *Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει ὁ κατὰ τῶν Χριστιανῶν διωγμὸς ἐν Περσίδι ἐπαύετο.* — Cf. Th. 134, 13—20.

3. Th. 132, 3. *Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Θεοδόσιος διὰ Ἡλίωνος πατρικίου στεφανὸν βασιλικὸν ἔπεμψεν τῷ Οὐαλεντινιανῷ ἐν Ῥώμῃ.* — Cf. Th. 131, 14—19.

Socordiae testimonia haec profero:

Th. 118, 4—6	= Th. 118, 9—10
Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει ἐτέχθη τῷ βασιλεῖ Ἀρκαδίῳ υἱὸς ἐξ Εὐδοξίας τῆς Αὐγούστης Θεοδόσιος ὁ μικρὸς κτλ.	*Τῷ ἑβδόμῳ ἔτει Ἀρκαδίου γεννᾶται υἱὸς αὐτῷ Θεοδόσιος ὁ μικρὸς ἐξ Εὐδοξίας.*

Th. 130, 4—5	= Th. 130, 11—12.
Τῷ δὲ αὐτῷ ἔτει ἐγεννήθη Οὐαλεντινιανὸς ὁ υἱὸς Κωνσταντίου καὶ Γάλλης Πλακιδίας ἐν Ῥαβέννῃ.	*Τῷ δὲ αὐτῷ ἔτει ἐγεννήθη Οὐαλεντινιανὸς υἱὸς Κωνσταντίου ἐν Ῥαβέννῃ ἐξαδελφὸς Θεοδοσίου.*

1) Cf. Socr. VII, 18—21. — Th. 132—133 duas inter se confudit pugnas.

2) Sed cauendum est ne glossemata, qualia nonnulla extant apud Theophanem, huc referamus. Cf. Th. 129, 4—5. 133, 10—11. 198, 18 — 19. — Cf. cap. II, § 4.

Quibus locis praeterea inest contradictio, cum alter locus alterum in annum collocetur. Grauiorem autem contradictionem deprehendimus hoc loco, de quo egimus cap. I, § 3, sub finem:

Th. 126, 3—6	= Th. 125, 1.
Τούτῳ τῷ ἔτει Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως τελευτήσαντος, ὃς ἐβασίλευσεν μετὰ τὴν τελευτὴν Θεοδοσίου τοῦ πατρὸς ἔτη ιδ′, μῆνας γ′, ἡμέρας ιδ′, συμβασιλεύσας καὶ τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἔτη ιβ′.	*Αὐτῷ δὲ ἔτει Ἀρκαδίος ἐτελεύτησεν πρὸ ια′ Καλανδῶν Σεπτεμβρίου.*

Quodsi quaerimus, undenam prouenisse potuerint eiusmodi notitiae interiectae, haud improbabiliter ad fastorum quorundam excerpta referendae erunt, qualia illa aetate complura extitisse constat. Externam uero frustulorum rationem si accuratius inspexerimus, tria potissimum genera distinguenda erunt, quoniam tribus diuersis modis tempora designantur:

1. Aegyptiaca ratione: Th. 110, 13: *Τούτῳ τῷ ἔτει Τιμοθέου τελευτήσαντος τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας μηνὶ Επιφὶ εἰκάδι ἕκτῃ χειροτονεῖται ἀντ' αὐτοῦ ὁ Θεόφιλος.*

2. Romana ratione: Th. 110, 17—20: *Τ. τ. ε. Θεοδόσιος ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς νικήσας Μάξιμον τὸν τύραννον ἀνεῖλεν πρὸ δώδεκα Καλανδῶν Αὐγούστου κτλ.*

3. Graeca ratione: Th. 130, 19—21: *Τ. τ. ε. ἐτελεύτησεν Ὀνώριος ὁ βασιλεὺς ἐν Ῥώμῃ τῇ ιε′ Αὐγούστου μηνὸς καὶ ἐδηλώθη ἐν ΚΠ. κτλ.*

Primus igitur locus ad fastos Alexandrinos pertinet, quorum rudera adsunt in Excerptis Barbari ad calcem Eusebii chronici editis[1]), alter ad Italicos, tertius ad Cpolitanos fastos. De eis locis, qui accuratiore temporum designatione carent, minus procliue erit iudicium.

Vt ab Italicis quos dixi fastis ordiar, magna cum probabilitatis specie elicere possumus, ubi sint compositi: ex crebra Rauennae urbis commemoratione colligendum est, Theophani uel potius collectaneorum illorum ab eo adhibitorum compilatori uersionem suppeditasse praeclarorum illorum fastorum Rauennatium, quibus tot tantumque debetur a V[i] ac VI[i] saeculi rerum scriptoribus multa inde tamquam copioso ex flumine in canales suos deriuantibus.

1) Euseb. Chron. ed. Schoene, Append. VI, pag. 230—239.

Primus haec uidit Holder-Egger[1]), qui diuersis epitomatoribus innisus fastos Rauennates restituere ac reficere conatus est. Quomodo suscepta prouincia functus sit iam inde intellegas, quod Wattenbachio satis esse uisum est, eius iudicium ipsis auctoris uerbis afferre.[2]) Sinas igitur me quoque duce Holder-Eggero annalium ex diuersissimis auctoribus restitutorum singulos locos, qui ad nostrum chronographum clarius perspiciendum permultum ualeant, ad Theophanis contextum adscribere quo planius fiat, qua exscribendi ratione hic usus sit ille.

1. Th. 110, 17—20	= Fast. Idat. ad ann. 388.[3])
T. τ. ε. Θεοδόσιος ὁ εὐσεβὴς βασ. νικήσας Μάξιμον τὸν τύραννον ἀνεῖλεν πρὸ δώδεκα Καλανδῶν Αὐγούστου, καὶ Ἀνδραγάθιον τὸν στρατηγὸν αὐτοῦ ὡς δολοφονήσαντα τὸν Γρατιανόν.	Et ipso anno occiditur hostis publicus Maximus tyrannus a Theodosio Augusto etc., die V. Kal. Aug. — Sed et filius eius etc.

2. Th. 111, 1—3	= Fast. Idat., ann. 389.[4])
T. τ. ε. ἦλθεν Θεοδόσιος ἐν Ῥώμῃ μετὰ Ὁνωρίου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ ἐκάθισεν αὐτὸν βασιλέα ἐν αὐτῇ πρὸ πέντε εἰδῶν Ἰουνίου καὶ ἀνῆλθεν ἐν Κπόλει.	His coss. introiuit Theudosius in urbem Romam cum Honorio filio suo die Id. Iun. etc.

3. Th. 124, 19—125, 3	= Prosperi continuator[5]) ad ann. 408.
T. τ. ε. ἐν Ῥώμῃ ἐμυκήθη ἡ γῆ ἐπὶ	Eodemque anno per dies VII

1) Neues Archiv d. G. f. ält. dtsch. Geschichtskunde, 1876, I, 2, pag. 215—368. — Et chronographum anni 354 (Furium Filocalum), et Anonymum Valesii (ad calcem Ammiani Marcellini, ed. Gardthausen, pag. 280—305) permulta Rauennatibus ex fastis hausisse diu ante Holder-Eggerum uidit Mommsen, Abh. d. Kgl. sächs. Ges. d. W., phil.-hist. Kl. 1850, II, 656—668. Idem uir illustrissimus de Cassiodorio Senatore idem coniecit, ibid., 1861, vol. III, pag. 570. — Cum Mommseni, tum aliorum uirorum doctissimorum auctoritate munitus Holder-Egger enucleauit, a duodeuiginti scriptoribus, quorum libri adhuc extant, adhibitos esse fastos Rauennates.

2) *Wattenbach,* Geschichtsquellen I, 49.

3) Roncalli. II, 97. — Anonymus Cuspinianus legit V. Kal. Sept. — In uniuersum praemonendum est, in afferendis numeris quam infidissimos esse epitomatores, qui saepissime ab alio numero ad alium aberrauerint.

4) Roncall. II, 97. — Hoc quoque loco numeri non consentiunt. Marcellinus Comes simpliciter scribit: mense Iunio. Cf. Roncalli. II, 259.

5) Ed. G. Hille, Berol. 1866. — Cf. G. Waitz, Archiv etc. VII, 251; Holder-Egger, pag. 267. — Terrae mugitus meminit Marcellinus Comes (Roncalli. II, 277).

ἡμέρας ἑπτά. Καὶ ἐσφάγη Στιλίχων ὁ λαμπρότατος ἐν Ῥαβέννῃ καὶ ἄλλοι δυνάσται. Αὐτῷ δὲ τῷ ἔτει Ἀρκάδιος ἐτελεύτησεν πρὸ ια´ (α´ cod. A) Καλ. Σεπτ.

Romae in foro pacis terra mugitum dedit etc. Multi nobilium apud Ticinum interfecti et apud Rauennam Stilico interfectus in XI Kal. Sept.[1])

4. Th. 127, 5—11 = a) Prosp. ad. ann. 410.[2])

Τ. τ. ε. Ῥώμη παρελήφθη ὑπὸ Ἀλαρίχου πρὸ θ´ Καλ. Σεπτ., καὶ μεθ᾽ ἡμέρας ὀλίγας Κωνσταντῖνος ὁ λαμπρότατος ἐσφάγη καὶ ἄλλοι πολλοί.

Vararane cos. Roma . . . a Gothis Alarico duce capta (Vat.: IX Kal. Sept.).

b) Marcell. Com., ad ann. 411.[3]) Constantinus apud Gallias inuasit imperium etc. ipse apud Arelatum ciuitatem occiditur.

Τούτῳ τ. ε. ἐσφάγησαν ἐν Γαλλίαις Ἰουβιανὸς κ. Σεβαστιανὸς οἱ λαμπρότατοι. Καὶ ἦλθον αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν ἐν Ῥώμῃ[5]) καὶ μεθ᾽ ἡμέρας πέντε ἐσφάγησαν Σαλούστιος καὶ Ἡρακλειανός.

c) Marcell. ad ann. 412.[4]) Iouinus ac Sebastianus in Galliis tyranniam molientes occisi sunt.

d) Fast. Idat. ad ann. 413. His coss. occisi sunt Iouianus Sebastianus, Salustius et Heraclinus abolitus est.

5. Th. 130, 4—5 = Marcell. Com. ad ann. 419.[6])

Τ. τ. ε. ἐγεννήθη Οὐαλεντινιανὸς ὁ υἱὸς Κωνσταντίου καὶ Γάλλης Πλακιδίας ἐν Ῥαβέννῃ.[7])

Valentinianus iunior apud Rauennam patre Constantio et Placidia matre natus est V. Non. Iul.

1) Aut Theophanes aut confector collectaneorum quae manu uersabat ille, diem obitus Stiliconis in Arcadium transtulit. Arcadium uero Kal. Mai mortuum esse ratiocinando efficitur.

2) Ronc. I, 645, 683, 713. — Cf. Fast. Idat. (Ronc. II, 15): Olym. CCXCVII, 15; Marcell. Com. ed. Ronc. II, 277; Chron. breu. ibid. 259.

3) Ronc. II, 278. — Cf. Fast. Id., Ronc. II, 15 et 99. Falso a Theophane ad h. a. relatum (Holder-Egger, 230 et 351).

4) Ronc. II, 278. Cf. ibid. 18, 99.

5) Hoc loco scribendum esse Ῥαβέννῃ recte monuit Holder-Egger, 352, adnot.

6) Ronc. II, 280. — Cf. Prosper. ex ms. Aug. (Ronc. I, 687). — V. Non. Iul cum Scaligero legendum.

7) Haec ad Rauennates, Th. 130, 11—12 ad Cpolitanos fastos recte rettulisse mihi uidetur Holder-Egger, pag. 293.

6. Th. 142, 12—15.

T. τ. ε. ἦλθεν Οὐαλεντινιανὸς ἀπὸ Ῥώμης ὁ Πλακιδίας καὶ Κωνσταντίου υἱὸς ἐν Κπόλει καὶ ἔγημεν γυναῖκα τὴν θυγατέρα Θεοδ. τ. β. Εὐδοξίαν τὴν ἐξ Εὐδοκίας γεννηθεῖσαν αὐτῷ καὶ ἐπανῆλθεν ἐν Ῥώμῃ.	Locus incertus, forsitan eodem referendus ac Th. 130, 14—16 et 170, 10—14.[1]

7. Th. 165, 10 = Prosper[2]) ad ann. 452 (Vatic.).

. . . καὶ Ἄττιλας ἔκαυσεν τὴν Ἀκυλίαν πόλιν.	Pugnarunt tunc [in] Gallis Attila et Aëtius. Aquilea fracta est.

8. Th. 169, 10—15 = a) Prosp. continuat. (Chron. a. 641).

T. τ. ε. ἐκάη ἡ Ῥάβεννα καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας ἐσφάγη ὁ πατρίκιος Ῥαμίτος εἰς Κλάσας καὶ μεθ' ἡμέρας ιθ' ἐνικήθη Ἄβιτος ὑπὸ Ῥεμίκου καὶ γέγονεν εἰς πόλιν Πλακεντίαν εἰς Γαλλίους.	His coss. Rauenna arsit. b) Anon. Cusp. ad ann. 456.[3]) His coss. occisus est Remistus patricius in Palatio Classis XV. Kal. Oct. et captiuus est imperator Placentia a mag. mil. Ricimere etc. c) Mar. Auent.[4]) Cos. suprascripto leuatus est Auitus imperator in Galliis. ad ann. insq.[5]): His coss. deiectus est Auitus imperator a Maioriano et Ricimere Placentia et factus est episcopus in civitate.

9. Th. 174, 11—13[6]) = Anon. Cusp. ad ann. 461.[7])

Τούτῳ τῷ ἔτει ἐσφάγη Μαιωρῖνος	His coss. depositus est Maioria-

1) Cf. Marcell. Com. ad ann. 437 (Ronc. II, 285), Chron. Pasc. 582, 13—18.

2) Ronc. I, 719. — Cf. Greg. Tur. II, 7. — Falso ad ann. 451 refertur Aquileiae clades. — Cf. Holder-Egger 292, 279.

3) Ronc. II, 124. Cf. Mommsen, de Chronogr. ann. 354, pag. 666. Imperator ille quisnam fuerit ex Anon. Cusp. ad ann. 455 liquet: et leuatus est imperator in Galliis Auitus VI. Id Iul. (Ronc. II, 123—124). — Cf. Cassiod. Chron. ad eund. ann. (Ronc. II, 231).

4) Cf. Ronc. II, 402.

5) Hic locus demonstrat recte olim Goarium coniecisse, apud Theophanem scribendum esse *καὶ γέγονεν [ἐπίσκοπος] εἰς πόλιν Πλακεντίαν.* — Adnot. pag. 575 ed. Parisinae 1655 (pag. 385, ed. Bonn.).

6) Cf. locum Th. 169, 1—6 aliunde depromptum.

7) Ronc. II, 125. Cf. Mommsen, Chr. d. J. 354, pag. 666. Cf. Cassiod. Chron. ad h. a. (Ronc. II, 231); Mar. Auent. ad h. a. (Ronc. ibid. 402).

εἰς Ταρτίωνα ὑπὸ Ῥεμικίου πατρικίου καὶ ἐπήρθη εἰς βασιλέα Σευῆρος καὶ Σερπέντιος νώναις Ἰουλίαις.[1])	nus imp. a patricio Ricimere Dertona IV. Non. Aug. etc., et leuatus est imperator D. N. Severus XIII. Kal. Dec.

Iam restant duo loci Theophanis, quibus tempora Romana (ut ita dicam) ratione designantur, — locum de Marciani morte non curo iam supra absolutum (cap. II, pag. 209) — quos hanc ipsam ob causam huc pertinere quispiam crediderit. Prior locus, Th. 147, 19, agit de Euphemiae in Alexandriam translatione, quam *πρὸ ξξ Καλ. Ὀκτωβρ.* anni mundi 5932 factam esse discimus; altero loco priori simillimo, Th. 176, 15—18; memoriae traditur, Elissaeum prophetam Alexandriam translatum esse V. Id. Mai. — Hos locos nemo est, qui ad Rauennates annales referendos esse censeat, quamquam non negandum est, res ecclesiasticas a fastis illis non neglectas esse. Fidem enim facit prior pars Anonymi Cuspiniani, ubi inde a Christi morte nouies uel ecclesia uel sancti respiciuntur.[2]) Itaque aut sumendum erit, bis apud Theophanem duos locos ita in unum coaluisse, ut prior utriusque excerpti pars ad fastos Alexandrinos referenda sit, posteriorque ad annales Rauennates, quod per se uix probabile est, aut ex Alexandriae urbis commemoratione colligemus, utrumque locum ex fastis manasse Alexandrinis. — At, dixerit quispiam, obstant Kalendae et Idus Aegyptiis ignotae. Immo. Namque Excerpta Barbari supra commemorata[3]) quisquis excusserit, is inueniet praeter Aegyptiacum mensem hic illic adnotatum fuisse diem Romanum[4]), unde concludendum esse uidetur, in fastis Alexandrinis duplicem fuisse ratiocinandi modum, quem reuera in Chronico Paschali nonnumquam deprehendimus.

Eorum Theophanis locorum, quos fastis illis Alexandrinis aliqua cum uerisimilitudinis specie tribuere possumus, duo conspirant cum excerptis Barbari:

1) De hoc loco corrupto cf. Holder-Egger, pag. 291, adn. 3, pag. 358, adn. ad annum 461. — Victor Tunn. (Ronc. II, 343) scribit: Maiorianus Romae occiditur et Seuerus imperium Non. Non. Iul. sumit. — Itaque cum eundem in errorem inciderit, in quem et Theophanes, aut eodem exemplo excerptorum usus est eoque corrupto, aut inspexit Theodorum. Id saltem constat nonnulla Victorem habere cum Theodoro communia.

2) Cf. Roncall. II, 108—120.

3) Cf. supra pag. 229 adn. 1.

4) Barb. pag. 230: VI Kal. Iun. = Pauni II, pag. 231: VIII Kal. Apr., quod est Famenoth XXIX; pag. 232: III. Kal. Iun. = Epifi V, pag. 234: VIII. Kal. Dec. = Thoth XVII etc. etc. — Praeterea decies septies Romanus dumtaxat affertur dies mensisque.

1) Th. 110, 13—15 = Barb. pag. 239 ed. Schoene.

T. τ. ε. Τιμοθέου τελευτήσαντος τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας μηνὶ Ἐπιφὶ εἰκάδι ἕκτῃ χειροτονεῖται ἀντ' αὐτοῦ ὁ Θεόφιλος.	Eo anno Timotheus episcopus Alexandrinus obiit Epifi XXVI. et sedit pro eo Theofilus archidiaconus etc.

2) Th. 165, 9 = Barb. pag. 233, ed. Schoene.

T. τ. ε. ἀνεκτίσθη τὸ Διοκλητιανὸν βαλανεῖον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.	In eodem anno Castrisius in Alexandria donatus est et Diocletiano balneum edificatum est.

Ceteri loci, quos Aegyptiaca mensium nomina huc pertinere indicant sunt hi:

3. Th. 130, 17—18. *T. τ. ε. ἐσφάγη Κάλλιστος ὁ Αὐγουστάλιος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ τῶν ἰδίων δούλων μηνὶ Θὼθ ι'* (sic codd.).

4. Th. 143, 8—10. *Τούτῳ τ. ε. σύμπτωσις ἐγίνετο ἐν τῷ θεάτρῳ Ἀλεξανδρείας καὶ ἀπέθανον ἄνδρες φοβ' τῇ παννυχίδι τῶν Νειλώων.*

5. Th. 148, 9—10. *T. τ. ε. Χαρμόσυνος ὁ Αὐγουστάλιος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκροταφίσθη ἐν τῷ κυνηγείῳ. καὶ ἀπέθανεν μηνὶ Ἐπιφὶ πρώτῃ.*

6. Th. 116, 20—117, 2. *T. τ. ε. μετετέθη τὰ λείψανα τοῦ ἁγίου προφήτου προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸ ἓξ Καλ.*[1]) *μηνὶ Παυνί.*

Carent accuratiore diei definitione hi loci nihilo minus ad eundem fontem reuocandi:

1. Th. 132, 1—2. *T. τ. ε. ἀκαταστασίαι καὶ ἀλληλοκτονίαι ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γεγόνασι πολλαί.*

2. Th. 169, 15—16. *Αὐτῷ δὲ τῷ ἔτει ἀνενεώθη ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τὸ Γρατιανὸν βαλανεῖον καὶ ἡ βασιλικὴ ἡ μεγάλη εἰς τὸ στοιχεῖον.*

3. Th. 178, 1—5.[2]) *T. τ. ε. ἐστράτευσεν ἐν Ἀλεξ. ἄνδρας τρισχιλίους καὶ ὁ μέγας λάκκος ἐκτίσθη εἰς τὰ Ἰωάννου καὶ τὰ δύο βαλανεῖα, ἡ ὑγεία καὶ ἡ ἴασις* (sic A, a, c). *Καὶ ὁ ποταμὸς ὠρύχθη ἐν Ἀλεξ. ἀπὸ τῆς Χερσοῦ* (A, c: *Χερσέου*) *ἕως τοῦ Κοπρεῶνος* (A).

1) Hic locus haud scio an sic reficiendus sit *πρὸ ἓξ Καλ.* [*Ἰουνίου*], *μηνὶ Παυνὶ* [*β'*]. (ante *μηνὶ* b addit *Ἰουλίου, Παυνὶ β' A.*) Cf. Barb., pag. 230.

2) Locus lacunosus corruptelisque foedatus cui medelam praebeant sagaciores.

4. Th. 180, 16. *Τῷ δὲ αὐτῷ ἔτει . . ., ἐν ᾧ ἐστερεώθη τὸ Κορεῖον βαλανεῖον.*[1])

Quid de tertio additamentorum genere? De his quaestio difficilior est, cum saepe discerni minime possit, quid Theodorus ex fastis Cpolitanis desumpserit Theophanesque inde in suam deriuauerit chronographiam, quid deinde Theophanes ipse ex fastis petierit. Nonnulla autem apud Theodorum ad fastos recedere Cpolitanos iam supra pronuntiauimus, ubi egimus de Leonis Macelli obitu; confirmatur haec sententia alio loco de eiusdem Leonis eleuatione agente, quo uidemus quantopere inter se cohaereant Theodorus Theophanes fasti Cpolitani.

Th. 170, 16—18	= Th. L. (Val. 552 D) (Cr. 102, 11)	= Fasti Cp.[2]) (Val. 568 D).
Τούτῳ τῷ ἔτει Λέων ἐβασίλευσεν, Θρᾷξ τῷ γένει, τριβοῦνος τὴν ἀξίαν, μηνὶ Φεβρουαρίῳ ἰνδικτ. ια´ στεφθεὶς ὑπὸ Ἀνατολίου τοῦ πατριάρχου.	*Προχειρίζεται εἰς βασιλέα Λέων τὶς Θρᾷξ μὲν τῷ γένει, τριβοῦνος δὲ τὴν ἀξίαν.*	*Ἐβασίλευσε* [inserendum *Λέων*] *ἰνδικτ. δεκάτης, μηνὶ Φεβρουαρίῳ στεφθεὶς ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ πατριάρχου.*

Adde quod nonnunquam de rebus egit Theodorus, quae fastos redolent, sicut de puluere ardente, qui de caelo deciderat[3]), de cisternis aedificatis[4]), de corruentibus columnis[5]); adde praeterea quod Theodori auctor, Iohannes Diacrinomenos, non pauca eiusmodi habuit, quae ad fastos haud cunctanter referremus, nisi diserte ex Iohanne prouenisse testaretur Codinus.[6]) Itaque Theodorum fastos inspexisse, aut certe multa ex fastis a Iohanne illo mutuatum esse, iam nemo erit quin concedat.

Verumtamen hos fere locos Theophanes ex fastis[7]) mihi

1) Huc praeter hos locos referendus esset Th. 172, 8: *Ἀλεξανδρείας ληστρικῶς ἐκράτησεν Τιμόθεος Αἴλουρος δύο ἔτη.* Sed omissio soliti additamenti *τούτῳ τῷ ἔτει* seu *τῷ δ᾽ αὐτῷ ἔτει* suspicionem mihi mouet haec uerba fortasse a glossatore esse addita.

2) Non puto dubitari posse, quin frustula illa reuera ex fastis manauerint, cum rursus perturbetur temporum ratio incipiaturque a Constantino Magno.

3) Th. 185, 8—10 ex Val. 552 C = Cr. 105, 2.

4) Cf. Theodori fragmentum apud Codinum, pag. 189, 3 ed. Bonn.

5) Cf. Codin. de signis 31, 17—32, 12. Cf. Theodori frgm., quae congessimus cap. II, § 1 initio.

6) Cf. frgm. Iohannis a nobis conlata cap. II, § 1.

7) Fastorum Cpolitanorum ueram condicionem non tam bene Holder-

uidetur hausisse, eis minime contentus, quae apud Theodorum reppererat:

1. Th. 110, 11, de columna ἐν Ταύρῳ.

2. Th. 116, 15, de porticu aedificata.

3. Th. 117, 4 Ἀρκάδιος δὲ ὁ βασιλεὺς ἐποίησεν ἴδιον ἀριθμὸν ἐν Κπόλει, οὓς ἐκάλησεν Ἀρκαδικούς.

4. Th. 121, 4—5. In Xerolopho columna erigitur. Arcadiopolis conditur.

5. Th. 130, 11—12.[1]) Valentinianus nascitur.

6. Th. 132, 3—5.[2]) Per Helionem corona mittitur Valentiniano.

7. Th. 135, 10—11. Christianorum persecutio sedatur.

8. Th. 136, 19—21. De SS septem pueris.[3])

9. Th. 177, 17—19. De nube tubae simili.

10. Th. 222, 3—4. Bulgari inuadunt.

11. Th. 229, 14—18. De uariis operibus.[4])

Iam fortasse miraris, quod relationem de terrae motu illo qui imperante Zenone magnam urbis partem deleuit, a Theophane pag. 194, 19—195, 7[5]) allatam huc non referam, quoniam neque ex ex Theodoro, neque ex Eustathio manauit. Sed non pertinet narratio illa ad fastorum excerpta cum ex Magno Chronographo fluxerit.

Codex Vatic. Nr. 1941, fol. 252 eclogas quasdam continet a Leone Macello incipientes de terrae motibus, incendiis, aliis eiusmodi rebus, quarum nonnullae conspirant cum excerptis, quae apud Cramerum extant post excerpta ex Iohanne Diacrinomeno. Inscribuntur hae eclogae ἐκ τοῦ μεγάλου χρονογράφου.

De ipso scriptore ex paucis excerptis cum nihil certi possit elici, haud scio an Magnus ille Chronographus fastos Cpolitanos inde a Leone Macello additamentis exornauerit copiosis. Sed leuis haec est futtilisque coniectura.

Eggero contigit ut perspiceret (cf. N. A. II, 57sqq.), cum seriorum temporum non satis habuerit rationem.

1) Cf. adnot. 7 pag. 231 de hoc loco.

2) Repetitio ex 131, 14—19. Insequens locus repetitur ex pag. 134. — Cf. init. huius capitis.

3) Copiose hoc de miraculo egit Bar-Hebraeus, Dyn. VIII, 73. Auctor hac in re esse uidetur idem chronicon Antiochenum, quod attulit Mal. 443, 20: ἐν τοῖς χαρτίοις τῶν τὰ ἄκτα γραφόντων τῆς αὐτῆς πολέως.

4) Omnia haec inter fastorum reliquias non affert Sauerbrei pag. 25.

5) = Cedr. 618, 16—22.

Liceat mihi fragmentum apponere ex Magno Chronographo, quod Henricus Gelzer mihi commodauit. Lucrum inde percipiemus haud despiciendum, cum ad emendandum Theophanis locum corruptum ansam praebeat firmissimam.

1. Magnus Chronographus	= Cr. 112, 11—17	= Th. 194, 19—195, 7.
Ἐπὶ τῆς βασιλείας Ζήνωνος σεισμὸς ἐν Ῥόδῳ γεγονὼς κτλ. — καὶ μεθ' οὐ πολὺν χρόνον ἐν φθινοπόρῳ γέγονεν εἰς τὸ Βυζάντιον σεισμὸς μέγας ὡς πολλοὺς οἴκους, ἐκκλησίας καὶ ἐμβόλους καταπεσεῖν. Κατεχώσθη δὲ καὶ πλήθη ἀνθρώπων ἀναρίθμητα. Ἔπεσεν δὲ καὶ ἡ σφαῖρα τοῦ ἀνδριάντος τοῦ φόρου καὶ ἡ στήλη τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου ἡ εἰς τὸν κίονα τοῦ Ταύρου, ἡ δὲ θάλασσα ἀγριωθεῖσα πορρωτάτω ἐξέδραμεν κτλ. Διήρκει δὲ ὁ τοιοῦτος σεισμὸς ἐπὶ σσ συνεχ ⁒ (sic cod.), ὡς καὶ τῶν τειχῶν μέρος οὐκ ὀλίγον καταπεσεῖν . . . καὶ τὴν πόλιν ὑπὸ τῶν νεκρῶν ἐπόζεσθαι κτλ.	Ἐπὶ τῆς Ζήνωνος βασιλ. γέγονε σεισμὸς μέγας καὶ φοβερὸς ἐν ΚΠ μηνὶ Σεπτεμβρίῳ κε' καὶ ἔπεσον πολλαὶ ἐκκλησίαι καὶ οἰκίαι καὶ ἔμβολοι ἕως ἐδάφους καὶ ἐγένετο ἀπώλεια ἀνθρώπων ἀναριθμήτων. Ἔπεσε δὲ καὶ ἡ σφαῖρα τοῦ ἀνδριάντος τοῦ ἐν τῷ φόρῳ καὶ ἡ στήλη τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου ἡ ἑστῶσα εἰς τὸν κίονα τοῦ Ταύρου κτλ. καὶ ἐπεκράτησεν ὁ σεισμὸς ἐπὶ πολὺν χρόνον.	Τ. τ. ε. ἐγένετο σεισμὸς φοβερὸς ἐν ΚΠ μηνὶ Σεπτ. κε', ἰνδικτ. πρώτης καὶ ἔπεσον ἐκκλησίαι πολλαί, οἰκίαι τε καὶ ἔμβολοι ἕως ἐδάφους, κατεχώσθη δέ, πλήθη ἀναρίθμητα ἀνθρώπων, ἔπεσε δε καὶ ἡ σφαῖρα κτλ. . . . . καὶ ἡ στήλη κτλ. . . . . καὶ τὰ ἔσω τείχη ἐπὶ διάστημα ἱκανόν· καὶ ἐκράτησεν ὁ σεισμὸς χρόνον πολυν, ὥστε τὴν πόλιν ἐποζέσαι.

Vides igitur uno ex fonte tres eas relationes manasse. Sed neque hic usus est Theophanes ipsis Crameri eclogis, ad quas tamen propius accedit quam ad nouas Vaticanas — solus enim cum Cramero habet additamenta a Vaticano missa *μηνὶ Σεπτ. κε'* et *ἕως ἐδάφους* — cum solus addat indictionem (*ἰνδικτ. πρώτης*), neque ipsas adhibuit Vaticanas eclogas, cum illis non insit accurata temporis designatio, sed in uniuersum dicatur, fuisse hunc terrae motum *οὐ πολὺν χρόνον* post Rhodium illum. Itaque excerpta,

ex quibus sua compilauit Theophanes, et Vaticanis et Cramerianis erant uberiora. Docent Vaticana excerpta, quomodo apud Theophanem extrema narrationis uerba sint emendanda: pro *ὥστε τὴν πόλιν ἐποζέσαι*, quod intellegi nequit[1]), Vaticana recipienda est scriptura *ὥστε τὴν πόλιν ἐπόζεσθαι* [*ὑπὸ τῶν νέκρων*].

Sed haec hactenus. — Propositum erat alterum auctorem profanum Eustathium eadem pertractare prolixitate, qua et ecclesiasticum fontem et excerpta ex diuersis fastis perlustraui. Attamen cum aliis quoniam haec cohaeret quaestionibus prius absoluendis, posteriori tempori seponenda esse mihi uidetur, dummodo fortuna uiresque suppeditent.

In uniuersum quid sentiam breuiter ostendi, cum agebatur de singulis imperatoribus. Koecheri sententiam[2]) amplector ea facta reseruatione, quam initio tertiae paragraphi protuli. Itaque omnes res ciuiles, quas neque Theodoro Lectori neque collectaneis ex tribus fastis tribuere possumus, ex Eustathio Epiphaniensi in suam chronographiam deduxit Theophanes usque fere ad bellum contra Cauadem, Persarum regem.[3]) Vtrum ipsum manibus tenuerit Eustathium Teophanes, an excerpta ex eius chronographia confecta, an collectanea ex Eustathio diuersisque fastis combinata, in hanc quaestionem alio loco inquiretur.

1) Classen in adnotatione critica ad h. l. coniecturam proposuit per se uix probabilem, quae iam nouis eclogis refutatur.

2) Koecher, pag. 63 sqq.

3) Cf. supra adn. 2 pag. 222. Praeter locos ibi allatos cf. Eu. V, 24: *ἅπερ ἅπαντα Εὐσταθίῳ τῷ Ἐπιφανεῖ ἐπιτέτμηται πανάριστα ἐν δύο τεύχεσιν, ἑνὶ μὲν ἕως ἁλώσεως Ἰλίου, τῷ δὲ ἑτέρῳ ἕως δωδεκάτου ἔτους τῆς Ἀναστασίου βασιλείας.*

COMMENTATIONES PHILO

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS

VOL. II.

LIPSIAE,
IN AEDIBVS B. G. TE
MDCCCLXXXIII

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL. II.

LIPSIAE,
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXXXIII.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI.

INDEX DISSERTATIONVM.

Utile erit monere, commentationum quae primo uolumine continentur Gundermanni et Sarrazini seorsum expressas esse paginas 83—135 et 163—199.

DEXIPPI FRAGMENTA

EX

IULIO CAPITOLINO TREBELLIO POLLIONE GEORGIO SYNCELLO COLLECTA

SCRIPSIT

GUALTERUS BOEHME

A.

I.

DE DEXIPPI VITA AC SCRIPTIS.

Quod inquirentes in magnum et graecorum et romanorum scriptorum numerum frustra quaerimus, uitae eorum dico certam et integram notitiam, idem desideramus, si de Dexippo instituimus quaestionem. Sed si scripta ipsa ad nos peruenerunt, nonnunquam ex eis, quae de uita scriptoris scire uolumus, in uniuersum quidem eruere possumus: qua bona non fruimur condicione, si pauca solum scriptoris, ut Dexippi, fragmenta tulerunt aetatem. Ac si ad quaestionem de uita Dexippi sola fragmenta eius accire possemus, concedendum nobis esset, paene nihil nos scire de huius scriptoris uita. Sed sunt nobis praesto quaedam inscriptiones, ex quibus de Dexippi uita nonnulla haurire possumus: praeterea de scriptis eius pauca attulit Photius.

Repertae autem sunt adhuc quattuor inscriptiones, in quibus de Dexippo agitur. Sunt autem hae:

1) Corp. Inscr. Att. III, 1, 714.

Ἀγαθῇ τύχῃ

κατὰ τὰ δόξαντα τῷ σεμνοτάτῳ συνεδρίῳ τῶν Ἀρεοπαγειτῶν τὸν κήρυκα τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς Πο. Ἑρέννιον Πτολεμαῖον Ἕρμειον Ἑρέννιος Δέξιππος ὁ κράτιστος τὸν πατέρα σὺν τοῖς ἀδελφοῖς. ibidem 715.

2) *Ἄρχων Ἑρέννιος Δέξιππος.*

ibid. 716 et 717, quibus inscriptionibus usus est Georgius Niebuhrius, qui de uita ac scriptis Dexippi uerba fecit Corp. script. Hist. Byz. I praef. pauca ipsius Dexippi quae supersunt fragmenta editurus.

3) 716 (Corp. Inscr. Graec. I, 380).

Κατὰ τὸ ἐπερώτημα τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, καὶ τῆς βουλῆς τῶν ΨΝ, καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων, τὸν ἄρξαντα τὴν τοῦ βασιλέως ἐν θεσμοθέταις ἀρχήν, καὶ ἄρξαντα τὴν

ἐπώνυμον ἀρχήν, καὶ πανηγυριαρχήσαντα καὶ ἀγωνοθετήσαντα τῶν μεγάλων Παναθηναίων, οἴκοθεν ἱερέα παναγῆ Πό. Ἑρέν. Δέξιππον Πτολεμαίου Ἕρμειον, τὸν ῥήτορα καὶ συγγραφέα, ἀρετῆς ἕνεκα οἱ παῖδες.

Ἀλκῇ καὶ μύθοισι καὶ ἐν βουλαῖσι κρατίστους
Ἄνδρας ἀγακλείτους γείνατο Κεκροπίη.
Ὧν ἕνα καὶ Δέξιππον, ὃς ἱστορίην ἐσαθρήσας
Αἰῶνος δολιχὴν ἀτρεκέως ἔφρασεν.
Καὶ τὰ μὲν αὐτὸς ἐπεῖδε, τὰ δ' ἐκ βίβλων ἀναλέξας
Εὕρατο παντοίην ἱστορίης ἀτραπόν.
Ἦ μέγα κλεινὸς ἀνήρ, ὃς νοῦ ἄπο μυρίον ὄμμα
Ἐκτείνας χρονίους πρήξιας ἐξέμαθεν.
Φήμη μὲν περίβωτος ἀν' Ἑλλάδα, τὴν ὁ νεανθὴς
Αἶνος Δεξίππῳ δῶκεν ἐφ' ἱστορίῃ.
Τοὔνεκα δ(ὴ) καὶ παῖδες ἀγάκλειτον γενετῆρα
Μορφήεντα λίθον θῆκαν ἀμειβόμενοι.

4) 717.

Ἀγαθῇ τύχῃ· τὸν ἄρξαντα τὴν τοῦ βασιλέως ἀρχὴν καὶ ἐπώνυμον ἄρχοντα τὸν κράτιστον ἱερέα παναγῆ Πόπλιον Ἑρέννιον Δέξιππον Πτολεμαίου Ἕρμειον οἱ παῖδες Ἑρέννιος Δέξιππος καὶ Ἑρεννία Ἑρμονάκτεια τὸν πατέρα.

Accedunt quae Suidas praebet: Δέξιππος Δεξίππου ὁ Ἑρέννιος χρηματίσας, Ἀθηναῖος ῥήτωρ, γεγονὼς ἐπὶ Βαλεριανοῦ καὶ Γαλλιηνοῦ καὶ Κλαυδίου δευτέρου καὶ Αὐρηλιανοῦ τῶν βασιλέων Ῥωμαίων.

Publius igitur Herennius Dexippus filius erat Publii Herennii Ptolemaei (quod Suidas patrem quoque appellat Dexippum collata inscriptione Nr. 714 consumitur) pago Hermensis. Natus esse uidetur Athenis, sed quo anno in lucem editus sit nescimus[1]), uitam autem eum perduxisse usque ad regnum Probi Eunapius in uita Porphyrii sub fine nobis tradidit: τοὺς χρόνους τοῦ Πορφυρίου βίου ἐς Γαλλιηνὸν καὶ Κλαύδιον εἰκάζειν συνέβαινε, Τακιτόν τε καὶ Αὐρηλιανὸν καὶ Πρόβον, καθ' οὓς ἦν καὶ Δέξιππος, ἀνὴρ ἁπάσης παιδείας τε καὶ δυνάμεως λογικῆς ἀνάπλεως. — Pater Ptolemaeus, quod docet inscriptio prima quam attuli, munere functus est Areopagi praeconis[1]), penes autem Areopagitas eo tempore in re publica Atheniensium summam fuisse consilii auctoritatisque iam ex eo elucet, quod in inscriptionibus

1) Suspicatus est eum natum esse c. a. 210 Dittenberger: Comm. in hon. Momm. pg. 249.

2) De quo magistratu conf. Luciani Anach. c. 19. Bis. acc. 4. 12.

ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλή in initio posita est.[1]) In patris honorem ex Areopagi auctoritate Dexippus una cum fratribus illam constituit statuam, in cuius basi incisa erat prima inscriptio.

Herennium ipsum Dexippum natum fuisse sacerdotali familia (οἴκοθεν ἱερέα παναγῆ) inscriptio Nr. 716 nos docet, et Boeckhius C. I. Gr. I 380 p. 440 alias respiciens inscriptiones, ubi Herennium quendam Hermensem Hierocerycem fuisse annotatur (C. I. Gr. I 353 et 190 c. not.) ualde uerisimiliter suspicatus est Dexippum ascriptum fuisse Cerycum genti. Ex more Atheniensium nobiliorum rem publicam capessiuit, publica praestitit munera (πανηγυριαρχήσαντα καὶ ἀγωνοθετήσαντα)[2]) et postquam ἄρχοντος βασιλέως functus est magistratu, summum in Atheniensium re publica obtinuit imperium: creatus est ἄρχων ἐπώνυμος. Quo anno ad hunc peruenerit magistratum ut in uniuersum saltem eruamus altius hoc loco repetere necesse est. Dexippus enim non solum scriptoris floruit laude, uerum maximam sine dubio sibi peperit gloriam eo, quod Gothos totam Graeciam uastantes, cum iam celeberrimae urbes Athenae, Corinthus, Argos, Sparta, deletae essent, et uicit et fugauit.[3]) Valde mirum, quod huius praeclarissimi facti non mentio fit in illis inscriptionibus, nec credendum, si illae statuae positae essent Dexippo mortuo, silentio liberos Herennium Dexippum et Herenniam Hermonactiam hanc patris praeterituros fuisse laudem, praesertim tempore uirorum fortium et egregiorum tam inopi: positae sunt Dexippo superstiti illae statuae et tituli uetustiores sunt illo anno, quo manus conseruit Dexippus cum Gothis. Hominibus autem non iam mortuis statuas cum titulis poni licuisse multis ostenditur inscriptionibus.[4]) — Quaeritur nunc, quo anno illa pugna contra Gothos commissa sit: irruptionem illam eos fecisse Gallieno imperante pro certo constat: cf. Treb. Gall. 13, 8. — Sync. 717, 18 συνδραμόντος καὶ Γαλιηνοῦ τοῦ βασιλέως. Gallienus autem interfectus est anno 268 (initio mensis Martis). Ad annum, quo hoc factum sit, definiendum

1) Cf. C. I. Gr. I 313. 320. 361. 380. 381. 397 cet. adde quae docet Hermannus: Griechische Staatsaltertümer § 176, 13. — Ahrens: de statu Athenarum politico et literario inde ab Achaici foederis interitu usque ad Antoninorum tempora p. 28. 35.

2) Atque illum hoc agonothetae munus administrantem optime meruisse de Atheniensium republica ostenditur inscriptione nuper reperta: Ὁ σεμνότατος ἀγωνοθέτης τῶν μεγάλων Παναθηναίων καὶ ἱερεὺς παναγὴς Π. Ἑρέννιος Δέξιππος Πτολεμαίου Ἕρμειος τὸ ἀκροστόλιον τῇ Πολιάδι τῆς Παναθηναΐδος σκάφης καὶ τὸ ἕδος τῆς θεοῦ ἀνέστησεν. Cf. Comm. in honor. Momms. p. 249 cum notis Dittenbergeri.

3) Treb. Poll. Gall. 13, 8. — Zos. I 39. — Georg. 717, 17 ed. Bonn.

4) Cf. C. I. Gr. I 373. 376. 377 cet.

accire iuuat Syncellum: dicit enim ille l. l. irrupisse Gothos in imperium Romanum eodem tempore, quo Odaenathus interfectus sit. Hunc autem interemptum esse circa annum 266 nummi docent. Habemus enim nummos Alexandrinos Vaballathi, illius, qui succedebat Odaenatho, quorum in parte auersa Aureliani caput impressum est addita littera A, cum ad caput Vaballathi in parte altera nummorum addita sit littera Δ i. e. Aurelianus ad summum peruenit imperium quarto Vaballathi anno, qui annus terminatur die V. a. Cal. Sept. anni 269 et eodem anni 270 die.[1]) Coepit igitur imperare Vaballathus anno 266/7, post mortem Odaenathi. Illo igitur anno, ut iam dictum, Heruli irruptionem fecerunt. Et si respicimus illos per temporis spatium, in septentrionalibus Asiae partibus commoratos, Lemnum deinde Scyrum insulas depopulatos esse, priusquam Graeciam aggrederentur et Athenas, Corintbum, Spartam, Argos delerent, ualde fit uerisimile, arma conseruisse Athenienses Dexippo duce cum Gothis anno 267 incipiente aut exeunte anno 266. Quo probato pro certo constituere possumus Dexippum archontem fuisse eponymum ante annum 267. Gothis Graeciam uastantibus Athenienses eum *στρατηγόν* creasse uidentur.[2])

Sed hic mihi quispiam obicere possit, inscriptionem Nr. 716, qua Dexippi scripta historica summis efferuntur laudibus, his scriptis ad finem perductis demum incisam esse posse, — i. e. post annum 269/70, cum sciamus in chronicis complexum esse Dexippum historiam inde a primis temporibus usque ad Claudium Gothicum, — nec tamen minus ne in illa quidem inscriptione mentionem fieri illius uictoriae anni 267. Hoc quoque protulit Niebuhrius[3]): dicit enim: 'Cum igitur de hac Dexippi gloria titulus statuae sileat, creditum est prius positam esse, quam illam adipisceretur: cui opinioni facile accederem, si historia aeui, quam partim ex libris partim e uita hauserit, ut epigramma praedicat, diuersa esse posset ab illa omnis aeui, cuius notitiam ex Eunapio et Photio habemus. Ea in primo Claudii Gothici Augusti anno desinebat, Athenarum autem cladem Syncellus, qui hoc Dexippi opus legebat, sub Gallieno contigisse refert. Neque si eam cum continuatore Dionis, quem Zonaras sequitur, biennio serius accidisse statuamus, ut illa ipso Claudii anno primo 269 acciderit, difficultas expediretur. Ita aut

1) Cf. Alf. de Sallet: die Fürsten Palmyras unter Gallienus, Claudius und Aurelian.

2) Hertzberg: Gesch. Griechenlands unter d. Herrschaft der Römer III 176, 35ª.

3) C. Script. Hist. Byz. I praef.

fingendum erit priorem exstitisse editionem, de qua nemo quicquam tradidit, aut concedendum, laeuam hominum in honoribus aestimandis mentem eum, quo ad maiorum gloriam elatus est, propterea neglexisse, quia tumultuarie a congregata multitudine collatus, nullum in fastis urbanis locum haberet, librorum famam extulisse, res fortiter gestas silentio transmisisse. Rem propter eius aeui prauitatem plane non incredibilem'.

Has Niebuhrii explicationes, quamuis, ut omnes illius uiri doctissimi, sint sagacissimae, tamen probare non possum, eoque minus, quod illa una offensio, qua ille, quominus putaret ante annum 267 statuam Dexippi cum titulo positam esse, prohibitus est, mea sententia potest subleuari: respiciendus enim mihi uidetur Eunapii locus: 208, 23 (hist. graec. min. ed. Dindorf. I) *εἶτα Ὀλυμπιάδας* (sc. *Δέξιππος*) *καταλογίζεται τόσας καὶ τόσας καὶ ὑπάτους καὶ ἄρχοντας ἐπὶ ταύταις, τὴν χιλιάδα τῶν ἐτῶν ὑποβαλών, ὡς ἀγωνιῶν, εἰ μὴ πολλῶν λίαν ἐτῶν ἀποδοίη λόγον τοῖς ἐντυγχάνουσιν. — τὴν χιλιάδα τῶν ἐτῶν ὑποβαλών* nihil aliud nimirum significare potest, quam Dexippum in chronographia historiam perduxisse usque ad annum millesimum urbis Romanae = 247 p. Chr. n. quo anno Philippis duobus imperantibus millesimus annus urbis Romae ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est.[1]) Quod si statuimus res in propatulo: complexus erat primum Dexippus chronographia res gestas usque ad Philippum Arabem, hisque libris (decem fortasse, ita ut singulis libris centum annorum historia pertractata esset) publici iuris factis, statua et epigrammate honoratus est. Cum deinde pugna illa contra Gothos clarus exstitisset et nimirum scriptis quoque gloriam suam propagare cuperet, bellorum Scythicorum scripsit historiam (*Σκυθικά*) et chronographiae historiam annorum 247 —270 addidit. — Haec pauca erui possunt de uita Dexippi.

Ac de eius scriptis, quae lectitata esse iam ex eo elucet, quod ex eis multi posteriorum temporum scriptores historici hauserunt, nos certiores fecit Photius[2]), a quo tria commemorantur.

1) *Τὰ μετὰ Ἀλέξανδρον.* Hoc opus quattuor continebat libros, quibus res ab excessu Alexandri Magni gestae narratae erant. Ex his libris perpauca solum fragmenta aetatem tulerunt: de libris ipsis nihil scimus, nisi quod Photius nos docet Dexippum in uniuersum conspirasse cum Arriano: *Ἀρριανῷ κατὰ τὸ πλεῖστον σύμφωνα γράφων.*[3])

1) Eutropius IX 3.
2) Cod. 82.
3) Ibid. s. f.

2) Χρονικὴ ἱστορία: Hac chronographia, ut iam dictum, complexus erat Dexippus rerum gestarum narrationem inde a primis temporibus, omissis tamen rebus nimis fabulosis, usque ad Claudium Gothicum. Tota autem historia — quod exhibet Eunapius[1]), qui continuauit Dexippum — digesta erat secundum seriem archontum Atheniensium, adscriptis quoque ex ordine consulum Romanorum nominibus, et libris continebatur, ut suspicor, duodecim. Duodecimi enim libri fragmentum citatur a Stephano Byzantio s. u. Ἔλουροι, quod fragmentum redit ad irruptionum Germanicarum in imperium Romanum narrationem, quae irruptiones inprimis fiebant Gallieno et Claudio imperantibus. Cumque Dexippum omnia breuiter persecutum esse Iulius Capitolinus nos doceat[2]) sciamusque Dexippum historiam perduxisse usque ad Claudium II, quin hoc libro totum finiuerit opus in dubium mea sententia uocari non potest.

3) Σκυθικά, de bellis scythicis libri, ex quibus maiora fragmenta ad nostram peruenerunt aetatem, quae omnia spectant ad res Dexippi ipsius temporibus gestas.

Usus erat Dexippus in conscribenda historia singulari diligentia: praedicatur enim a Capitolino eius fides historica[3]) et Eunapius l. l. eius extulit ἱστορικὴν ἀκρίβειαν καὶ κρίσιν ἀληθεστέραν.

Fragmenta Dexippea adhuc edita sunt a Niebuhrio: Corp. script. Hist. Byz. I; a Carolo Muellero: Frag. hist. graec. III; a Ludouico Dindorfio: hist. graec. min. I.

In his de uita ac scriptis Herennii Dexippi in uniuersum allatis nobis est acquiescendum. Commemoraui supra Dexippi libros a scriptoribus posterioris temporis saepissime adhibitos esse. Neque id mirum. Nam cum omnia ab eo, quod antea dixi, breuiter narrata essent, eius libri nimirum compilatoribus maxime erant idonei, cum non cogerentur excerpere eius scripta, sed ad uerbum transferre possent.

Nominatim Dexippus fons citatur apud hos scriptores[4]):

1) Apud Aelium Lampridium: Alex. Sev. 49, 3; 49, 5.

2) Apud Iulium Capitolinum[5]) his locis: Max. 32, 3; 32, 4; 33, 2. — Gord. 2, 1; 9, 6; 19, 9; 23, 1. — Max. et Balb. 1, 2; 15, 5; 16, 3; 16, 4; 16, 6.

1) Hist. graec. min. ed. Dindorf. I 207, 20.
2) Gord. 2, 1.
3) Ibid.
4) Omitto nimirum lexicographos.
5) Cf. de hoc: Brocks: de IV prioribus hist. Aug. scriptoribus. Regimonti 1869.

3) Apud Trebellium Pollionem[1]: trig. tyr. 32, 1. Claud. 12, 6.

4) Apud Georgium Syncellum[2] 334, 12; 502, 1; 632, 6; 705, 13.

5) Apud Euagrium: Hist. eccl. V 24, p. 442 C.

Hi historici ex Dexippo se hausisse confitentur: frustula autem Dexippea in aliis quoque scriptoribus inesse quaestio insequens docebit. de ratione, quae intercedit inter singulos fontes, quibus nobis opus est ad inuestiganda fragmenta Dexippi, instituta.

Annotatio ad inscriptionem Nr. 717.

Ita ut inscriptio Nr. 715 haec quoque facta est anno eo, quo Dexippus fungebatur munere archontis eponymi. Nam in inscriptionibus si agitur de magistratibus siue muneribus antea administratis, ut res postulat, aoristo uti solent Graeci: cf. Corp. I. Gr. I 375. 380. C. I. Att. III 722 cet. Si autem homini fungenti magistratu statuae ponebantur, in inscriptione nimirum adhibebatur praesentis participium: ἄρχοντα, cf. C. I. Att. III 656. 657. 658. 731. Loco, de quo agimus, dubitatio mea sententia existere nequit, cum opponantur dilucide inter sese τὸν ἄρξαντα .. καὶ ἐπώνυμον ἄρχοντα. Si igitur temporis ordinem respicimus inscriptio No. 716 incisa est post inscriptionem 717. In hanc obseruationem me deduxit Theodorus Mommsen in societate historica.

II.

Enucleanda nimirum nobis sunt fragmenta Dexippea ex illis potissimum historicis, qui nominatim Dexippum fontem citant ex Aelio igitur Lampridio, Iulio Capitolino, Trebellio Pollione[3], Georgio Syncello, qui simul propter eam causam ad hanc quaestionem ad finem perducendam aptissimi sunt, quia ex more scriptorum posterioris temporis maximeque Byzantinorum fontes plerumque non excerpentes sed ad uerbum transferentes contextum ipsum Dexippi minus quam ceteri, qui et ipsi pendent ex eo, additamentis alienis permixtum nobis praebent. Ac Georgium Syn-

1) De hoc ipse agam in appendice.

2) Georgius Syncellus monachus fuit Constantinopolitanus, σύγκελλος Tarasii patriarchae. Conscripsit chronographiam ab initio mundi usque ad Diocletianum imperatorem.

3) In reliquos hist. Aug. scriptores inquirere non opus est, cum illi Dexippi libris usi non sint. Exscripserunt hi Marium praecipue Maximum, de quo scriptore cf. I. Muellerum: Der Geschichtschreiber Marius Maximus. Buedinger, Unt. zur röm. Kaisergesch. III 22 sq.

cellum in eis chronographiae partibus, quae inscribuntur σποράδην respexisse praecipue ad Panodori chronographiam Alfredus de Gutschmid demonstrauit, Panodorus autem ipse fontes inspexit Africanum, Dexippum, Eusebium, ita tamen, ut huius saepius detegeret errores. Sed non solum in his partibus fragmenta Dexippea delitescere, uerum etiam frustula ex illius libris erui posse in ceteris Syncelli chronographiae partibus, hi doceant non ad illas quae σποράδην inscribuntur annotationes pertinentes loci tres: 502, 1; 632, 6; 705, 13 ubi Dexippus fons citatur.

Capitolini deinde et Trebellii Pollionis fontem primarium fuisse eundem Dexippum disquisitio ipsa patefaciet. Sed cum perpaucis solum locis additum sit, manasse hunc locum e Dexippo, nisi haberemus alios scriptores, qui quod aut ipsi Dexippi uestigia presserunt, aut eius ipsius fuerunt fontes, optime ad comparationem acciri possunt, termini satis angusti in iudicando nobis essent positi, cum plurimis locis nobis acquiescendum esset, si demonstrauissemus, suspicionem non abesse, quin hic uel ille locus originem duxisset a Dexippo. Illis autem scriptoribus accitis et cum contextu illorum historiae Augustae scriptorum comparatis aut cum Georgio Syncello, haud paucis locis originem Dexippeam certe ostendere possumus. Sunt autem scriptores hi:

Ac primum quidem Herodianus: nam in huius octo libris ab excessu diui Marci nixum Dexippum suos conscripsisse annales Carolus Martinus in dissertatione 'de fontibus Zosimi'[1]) recte contendit et demonstrauit. Hic Herodianus apud scriptores historiae Augustae quoque saepius fons annotatur: de hac re pauca nobis sunt facienda uerba et praecipue respicienda dissertatio, quam conscripsit Carolus Ruebelus 'de fontibus quattuor priorum historiae Augustae scriptorum'.[2]) Hic Ruebelus, quamuis nonnullas res optime explicauerit, in eo maxime errauit, quod Capitolinum et nimirum ceteros quoque historiae Augustae scriptores Herodianum ipsum inspexisse pro certo adfirmat, quam sententiam stare non posse iam antea Theodorus Mommsen in uniuersum[3]) recte contenderat, cum doceret tam Zosimum, quam historiae Augustae scriptores ita pendere ex Herodiano, ut eo ipso non essent usi, usi essent Dexippo, compilatore Herodiani. A Mommseni partibus

1) Prodiit Berolini 1866, cf. p. 13–17.

2) Prodiit Bonnae 1872. De Daendlikeri dissertatione: Die drei letzten Bücher Herodians cf. p. 35.

3) Me paululum decedere a Mommseni sententia postea in medium proferam, nihil autem ualet ad hanc quaestionem.

stat Martinus l. l. Et habemus argumenta satis certa, quibus illa Mommseni sententia probatur: Trebellius de Titi seditione uerba faciens haec profert: tyr. trig. 32, 1 docet Dexippus, nec Herodianus tacet, omnesque, qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum, tribunum Maurorum ... Respici uidetur hoc loco ad Herod. VII 1, 9: ibi autem legimus Quartinum quendam ab Osroenis sagittariis imperatorem esse electum. Discedit igitur Trebellius ab Herodiano non solum in nomine seditiosi illius ducis, uerum etiam illum Mauris praefuisse dicit. Quo modo in hos errores incidere potuerit, si Herodianum ipsum inspexisset, non liquet. Capitolinus in uita Maximinorum duorum cp. 11 (quae uita scripta est post uitam Titi Trebellianam, nam scripsit Trebellius sub Constantio Caesare cf. app. uitae autem duorum Maximinorum ad Constantinum missae sunt cf. § 1) paene ad uerbum consentit cum Herodiano, seditiosum autem non Quartinum sed Titum appellat. Praeter has narrationes tertia exstat apud Trebellium l. l. § 3: alii dicunt ab Armeniis sagittariis principem factum sc. Titum. Habemus igitur apud scriptores historiae Augustae tres diuersas narrationes, neque tamen minus et Capitolinum et Trebellium ex uno hausisse fonte in propatulo est.

Max. cap. 11, 2.	Tyr. trig. 32, 1.
denique etiam ipsi Titum, unum ex suis, sibi ducem atque imperatorem fecerunt, quem Maximinus priuatum iam dimiserat. quem quidem et purpura circumdederunt, regio adparatu ornarunt et quasi sui milites obsaepserunt, et inuitum quidem. sed hic dormiens domi suae ab uno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse praepositum, Macedonio nomine, . . .	. . . Titum, tribunum Maurorum, qui a Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore uiolentae mortis, ut illi dicunt, inuitum uero et a militibus coactum, ut plerique adserunt, imperasse, atque hunc intra paucos dies post uindicatam defectionem . . . a suis militibus interemptum.

Res, mea sententia, ita se habet: nec Capitolinus nec Trebellius ipsum Herodianum inspexerunt, usi sunt Dexippo, qui Herodianum non solum, sed alios quoque acciuerat fontes, quod optime in illum quadrat (cf. p. 16). Unam narrationum a Dexippo exhibitarum in uitas Maximinorum duorum transtulit Capitolinus, alias intexuit Titi uitae Trebellius: addiderat fortasse Dexippus apud di-

uersos scriptores de hoc usurpatore magnam esse discrepantiam (32, 4 nec mireris tantam esse uarietatem de homine, cuius uix nomen agnoscitur). Trebellium ipsum inspexisse, praeter Dexippum, Herodianum 'omnesque, qui talia legenda posteris tradiderunt' nemo credat, qui scit, quo modo cum alii illius temporis historici tum Trebellius historiam conscripserit.

Deinde in Maximinorum uitae 13, 4 exhibentur haec: 'quod (Maximinus) fecisset, si uixisset, ut Herodianus dicit, graecus scriptor, qui ei, quantum uidemus, in odium Alexandri plurimum fauit.' Sed quantum nos uidemus Herodianus non odio flagrauit in Alexandrum (VI 9, 8), at Maximinum crudelissimum barbarum ac tyrannum fuisse narrat.

Nec illud male obseruauit Martinus scriptores historiae Augustae, si Dexippus et Herodianus una testes citantur, nomen Dexippi ante Herodiani nomen ponere solere, qua re recte utitur demonstraturus, ex Herodiano ipso illos non hausisse. His nixus locis et nonnullis aliis, ubi ad res, de quibus Herodianus copiosissime agit, probandas testes afferuntur Dexippus et Arrianus[1]) rectissime Martinus Mommseni de fontium ratione fulsit sententiam. Et si Ruebelus crimini dat Capitolino 'quod narratio adeo in breue contrahitur, ut singulis locis uix dici possit, quid Herodianus narrauerit' (l. l. p. 2) eodem nos argumento uti possumus ad nostram probandam sententiam: cum Dexippi ex Herodiano excerpta transscriberet (partim fortasse iterum excerperet) Capitolinus[2]), ne-

1) Max. 33, 2. — Gord. 2, 1. — Max. et Balb. 1, 2 nisi potius his locis pro Arriano scribendum Herodianus.

2) Aemilius Brocks quoque l. l. p. 46 sq. egit 'de ratione, quae in uitis Maximini et filii, Gordianorum, Maximi et Balbini inter Capitolinum et Herodianum intercedat,' et omnibus locis diligenter comparatis, his uerbis totam concludit quaestionem: 'Paucis si nunc comprehendimus, quae ex ea Herodiani comparatione consequi uidentur, haec fere dicenda erunt: Capitolinum, ubi de rebus principum in imperio gestis loquitur, cum in uniuersum quidem Herodianum secutus sit, tamen aeque frequenter ab eo discessisse: nec tamen discessisse, ut meliorem fontem sequeretur, sed studio illo ductum, quod et in dictione deprehendimus, omnia augendi et in maius extollendi: haud raro etiam incuria narrationem Herodianeam detorsisse praesertim in uitis Gordiani et Maximi et Balbini, cum labore ad uerbum uertendi iam grauatus nimis neglegenter fontem percurreret.' Hoc certe non tulisset iudicium, si nota ei fuisset Mommseni de hac re sententia. Quod discedit ab Herodiano nonnunquam, quod errores inueniuntur, quod multo breuius res exponuntur, hoc non uitio dandum soli incuriae Capitolini, sed ei rei, quod excerpta ex Herodiano excerperet.

cessario ab hoc exhibita multo breuiora fieri debebant quam ea, quae apud Herodianum exstant.

Ceteroqui Ruebelus de latinis imprimis fontibus egit scriptorum historiae Augustae, de Maximo, Iunio Cordo, ita, ut ad eum finem, quem nobis proposuimus, assequendum perpauca ab eo discere possimus.

Hoc igitur tenendum: Herodiani libros exscripsit Dexippus, quem iterum, non Herodianum ipsum, in uitis conscribendis adhibuerunt Lampridius[1]), Capitolinus, Trebellius. Itaque si a Capitolino (nam in hunc potissimum cadit haec res) exhibita consentiunt cum eis, quae Herodianus memoriae tradidit, aut si Herodianum fontem fuisse annotatur, cum aliqua probabilitatis specie contendere possumus, latere sub Capitolini contextu uerba Dexippi.

Zosimum deinde in prioribus XLVI capitibus libri primi uestigia pressisse Dexippi iam Reitemeierus intellexerat: bibl. philol. p. 225 'quae Claudii secundi temporibus, a quibus historiam suam Eunapius inchoauit, priora sunt, e Dexippi libris historicis fortasse Zosimus sumpsit. Dexippus enim, cuius historiam, ut Photius refert, Eunapius continuauit, cum Claudii secundi regno eam finiuit', praef. ad Zos. p. 30 (ed. 1783) 'In priore enim loco, quod satis constat, Zosimus secutus est Dexippi synopsin historiam'. Ac uere hanc rationem intercedere inter Zosimum et Dexippum Martinus l. l. demonstrauit. Cumque in Zosimi breuissima narratione aliquot uerborum Herodiani uestigia deprehendamus, Dexippus multis locis uerba ipsa Herodiani mutuatus esse uidetur. Deinde inspicere et ad comparationem accire possumus Zonarae librum XII, quem inde a capite decimo quinto huius libri Dionis continuatorem excerpsisse nunc pro certo demonstratum est a Carolo Mueller (frg. hist. Graec. IV 192) atque cum Dionis ipsius historias magna ex parte ad uerbum transscripserit, prope ad ueritatem accedamus, si eum haud aliter in Dionis continuatore exscribendo uersatum esse statuerimus. Si autem Zonarae libro duodecimo inde a capite XVIII usque ad caput XXX narrata comparamus cum eis, quae exhibentur a Zosimo I 17 sq., in propatulo est, partem narratorum apud utrumque ex eodem fluxisse fonte, cum non solum in sententiarum ordine, in narrandi forma, uerum etiam in singulis consentiant uerbis. Itaque cum iam antea fontem Zosimi usque ad caput XLVI libri primi Dexippum fuisse uiderimus, eundem a Dionis quoque continuatore adhibitum esse constituamus necesse est. Quod si quispiam

1) Cf. tamen infr. p. 24 sq.

suspicetur, non solum Zonaram, sed etiam Zosimum ad Dionis, qui dicitur, continuatorem redire, id recte refellit Martinus l. l. p. 11. Restat, ut pauca dicamus de chronico quodam tempore Iustini I conscripto, in quo nonnulla inuenimus paene ad uerbum consententia cum eis, quae exhibet de his rebus Syncellus. Manasse uidetur hoc chronicon ex Panodoro. Contextus editus est a Cramero anecd. Paris. vol. II: *ἐκλογὴ ἱστοριῶν. ἀπό τε τῆς Μωσέως βίβλου καὶ τῶν ἔξω ἱστοριογραφησάντων ἐπισήμων ἀνδρῶν, καὶ τῆς θείας γραφῆς τομῶς διερχομένη μέχρι τῆς Ἀναστασίου βασιλείας.* Adhibebimus hoc chronicon fragmenta, quae ad graecam historiam pertinent, pertractantes.

Fontium igitur modo commemoratorum hoc proponere possumus stemma (uide p. 15):


Haec est igitur ratio, quae intercedit inter singulos fontes, et duobus horum uel compluribus inter sese consentientibus nostro iure contendere possumus nos habere fragmentum Dexippeum, quod aut circuitione quadam per Panodorum traditum legimus, si exstát apud Syncellum, aut recta, ut ita dicam, uia e Dexippo ipso petitum, si apud ceteros, quos attuli, inuenitur. Accedunt autem praeterea nonnulla indicia, quae quamuis leuioris sint momenti, tamen si iam aliis ex causis probabile est fragmentum e Dexippi libris fluxisse, hanc sententiam confirmare ac stabilire possunt.

1) Vidimus antea Panodorum in conscribenda chronographia fontes inspexisse Africanum, Dexippum, Eusebium, ita tamen Eusebio usum esse, ut huius saepius notaret errores (cf. Sync. p. 617—618). Si igitur aliquo loco auctoris nomine non addito exhibetur errasse Eusebium in hac re, pro certo affirmare possumus hunc locum manasse ex Panodoro. Et si ille locus, ita ut apud Syncellum legitur, apud Eusebium non exstat, duo restant fontes, ex quibus eum hausisse potest Panodorus, aut ex Africano aut ex Dexippo.

Haec est igitur prima ansa, qua uti possumus, si fieri potest, in singulis pertractandis locis, et accedit statim altera:

2) Obseruatum enim est ab Henrico Gelzero[1]) Dexippum annotationes suas chronographicas plerumque incepisse uerbis *τότε* uel *τότε καί* (Africanus *κατὰ τούτους τοὺς χρόνους* adamasse uidetur) cf. exempli gratia fragmentum uere Dexippeum de colonia in insulam Rhodum deducta Sync. 334, 12 *τότε Ῥόδος ἡ νῆσος οἰκίζεται.* ib. 481, 16; 482, 15.

1) Iulius Africanus und die byz. Chronogr. p. 183.


Africanus
Eusebius
Herodianus
Dexippus
fons x
fons y
Cordus, Sura...
Dio Contin.
Zonaras
Zosimus I 1-46
Panodorus
Georgius Syncellus
Ἐκλογὴ ἱστοριῶν.
Scriptores Hist. Aug.

3) Deinde ualde adiuuamur in disquisitione eo, quod ex Eunapio, Dexippi continuatore, scimus composuisse Dexippum historiam κατὰ τοὺς Ἀθήνησιν ἄρχοντὰς προσαριθμουμένων τῶν Ῥωμαϊκῶν ὑπάτων. Adscripsit igitur ex ordine archontum et consulum nomina, annotauit simul olympiadum numerum, quod docent uerba Eunapii subsequentia (ed. Dind. I 208, 1).

4) Postremo optimis Dexippum usum esse fontibus eorumque discrepantias in medium protulisse eodem scimus teste Eunapio (cf. p. 171, 31—172, 14). In fontibus autem fuisse praecipue Diodorum (praeterea Apollodorum, Dionysium aut Halicarnasensem aut Pergamenum, fortasse Theopompum) postea uidebimus.

Sed his praemissis iam ad ipsa inuestiganda fragmenta transitum facere liceat.

B.

FRAGMENTA DEXIPPEA QUAE PERTINENT AD HISTORIAM ROMANAM.

I.

FRAGMENTA QUIBUS AGITUR DE SCYTHARUM ET GOTHORUM IRRUPTIONIBUS.

Liceat mihi in inuestigandis fragmentis Dexippi ad res Romanas spectantibus temporis ordine non respecto proficisci ab eis locis, ubi compluribus historicis de eadem re uerba facientibus firmiores habemus, uenia sit uerbo, iudicandi ansas, qua bona fruimur condicione cum nobis agendum est de imperatoribus alterius et tertii saeculi. Et initium capiamus ab irruptionum Scytharum et Gothorum narrationibus, quarum una legitur apud Syncellum 715, 8 ≃ Zon. XII ed. Dind. III 139. Zos. I 29 — Treb. Poll. Gall. 5, 6, quia his diuersis narrationibus inter sese comparatis optime patebit, quo modo singuli scriptores pendeant e Dexippo. Illum autem de his barbarorum irruptionibus, quod iam per se uerisimile est, egisse testatur Euagrius Hist. eccl. V 24 p. 442 C. Καὶ Δεξίππῳ δὲ πλεῖστα περὶ τούτων πεπόνηται, ἀπὸ μυθικῶν (non Σκυθικῶν) ἀρξαμένῳ καὶ λήξαντι ἐς τὴν Κλαυδίου τοῦ μετὰ Γαλλιηνὸν βασιλείαν ᾧ συνανείληπται περὶ ὧν Κάρποι καὶ ἕτερα βάρβαρα ἔθνη κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ Θρᾴκην καὶ Ἰωνίαν διαπολεμοῦντες ἔπραξαν, cf. praeterea Sync. 705, 13. 21.

Syncellus 415, 8—15.	Zonaras XII 23, p. 139, 26.	Zosimus I 29 s. f.	Trebellius Gall. 5, 6.
Ἐπὶ Οὐαλεριανοῦ δὲ καὶ Γαλιηνοῦ πάλιν οἱ Σκύθαι διαβάντες τὸν Ἴστρον ποταμὸν τήν τε Θρᾴκην ἐλῄισαν καὶ Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκησαν, τὴν Ἰλλυρίδα πόλιν, οὐδὲν ἄριστον ἐπ' αὐτῇ δράσαντες τῇ τῶν φυλάκων ἀνδρείᾳ, διὰ τοῦτο ταραχθέντες Ἕλληνες τὰς Θερμοπύλας ἐφρούρησαν. τότε τεῖχος Ἀθηναῖοι ἀνῳκοδόμησαν καθαιρεθὲν ἀπὸ τῶν Σύλλου χρόνων, Πελοποννήσιοι δὲ ἀπὸ θαλάσσης εἰς θάλασσαν τὸν Ἰσθμὸν διετείχισαν . . .	Οἵ τε γὰρ Σκύθαι τὸν Ἴστρον διαβάντες καὶ αὖθις τὴν Θρᾳκῴαν χώραν ἠνδραποδίσαντο, καὶ πόλιν περιφανῆ τὴν Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκησαν μέν, οὐ μὴν καὶ εἷλον. εἰς δέος δὲ τοσοῦτον ἅπαντας περιέστησαν ὡς Ἀθηναίους μὲν ἀνοικοδομῆσαι τὸ τεῖχος τῆς ἑαυτῶν πόλεως, καθῃρημένον ἐκ τῶν τοῦ Σύλλα χρόνων, Πελοποννησίους δὲ διατειχίσαι τὸν Ἰσθμὸν ἀπὸ θαλάσσης εἰς θάλασσαν.	Σκυθῶν δὲ ἐξ ἠθῶν ἀναστάντων καὶ Μαρκομαννῶν πρὸς τούτοις ἐξ ἐφόδου τὰ πρόσοικα τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ χωρία λεηλατούντων, εἰς ἔσχατον μὲν ἡ Θεσσαλονίκη περιέστη κινδύνου, μόλις δὲ καὶ σὺν πόνῳ πολλῷ τῆς πολιορκίας λυθείσης τῶν ἔνδον καρτερῶς ἀντισχόντων, ταραχαῖς ἡ Ἑλλὰς ἐξητάζετο πᾶσα. καὶ Ἀθηναῖοι μὲν τοῦ τείχους ἐπεμελοῦντο μηδεμιᾶς ἐξότε Σύλλας τοῦτο διέφθειρεν, ἀξιωθέντος φροντίδος, Πελοποννήσιοι δὲ τὸν Ἰσθμὸν διετείχιζον.	. . . lacuna in codd. B. P. a quo dictum est superius, Gothis inditum est, occupatis Thraciis Macedoniam uastauerunt, Thessalonicam obsederunt, neque usquam spes mediocriter salutis ostentata est.

His locis inter sese collatis in propatulo est omnes illos scriptores, praecipue graecos ex uno hausisse fonte, e Dexippo nimirum. Quod deest apud Trebellium, cuius mentionem faciunt graeci scriptores, renouatum esse Athenarum murum, facile explicari potest: graecorum scriptorum intererat memoriae tradere, quanto in discrimine tum fuisset urbs Graeciae praeclarissima, maximeque Dexippi, quem ipsum paucis annis post pugnantem contra illos hostes ex septentrionali regione profectos et Graeciae perniciem minitantes laudem gloriamque sibi peperisse scimus. Trebellius autem totas res in angustum cogens omisit omnia, non ad uitam illius quem describebat imperatoris spectantia.

Et ex Dexippo nec ex alio fluxisse historico hanc narrationem pro certo affirmare possumus, si locum respicimus, qui apud Syncellum exstat 705, 10—706, 1. Ibi enim Scytharum irruptio in imperium Romanum Decio regnante narratur, et bis ipsius Dexippi affertur nomen. De huius igitur fragmenti origine nemo dubitare potest, et si hoc loco Syncellus usus est auctore Dexippo, permirum esset et prorsus alienum a more scriptorum Byzantinorum, si de eadem re narrare pergens alium quam antea esset secutus. Nec Trebellium alium ante oculos habuisse fontem demonstratur enuntiato hoc:

Sync. 705, 10.	Trebell. Gall. 6, 2.
Σκύθαι περαιωθέντες, οἱ λεγόμενοι Γότθοι, τὸν Ἴστρον ποταμόν . . . ὡς Δέξιππος ἱστορεῖ.	Scythae autem, hoc est pars Gothorum . . .

Idem enuntiatum nos docet nec in sequente irruptione Scytharum narranda deseruisse suum fontem Syncellum: nam redeunt paene eadem uerba 716, 16 *τότε πάλιν οἱ Σκύθαι καὶ Γότθοι λεγόμενοι*, et antecedentia quoque apud Syncellum (quamquam non spectant ad Scythas sed ad Persas, tamen optimum duco hoc statim loco de his proferre, quae proferenda sunt) 715, 16—716, 16 e Dexippo manasse comparatio cum Zonarae uerbis ostendit. Zosimus hoc loco ad comparationem acciri non potest, cum totam rem nimis in breue contraxerit.

Sync. 715, 16—716, 16.	Zon. XII 23 p. 140, 21.	Treb. Val. 4, 3. Zos. I 36.
Ἐπὶ τούτοις καὶ Σαπώρης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς καταδραμὼν Συρίαν ἦλθεν εἰς Ἀντιόχειαν καὶ πᾶσαν Καπ-	*εἰσὶ δ' οἳ ἑκόντα φασὶ τὸν Οὐαλεριανὸν προσχωρῆσαι τοῖς Πέρσαις, ὅτι ἐν Ἐδέσῃ διάγοντος*	

Sync. 715, 16—716, 16.

παδοκίαν ἐδῄωσε. τοῦ δὲ Ῥωμαϊκοῦ στρατοῦ λιμώξαντος ἐν Ἐδέσῃ καὶ διὰ τοῦτο ταραχθέντος Οὐαλεριανὸς πτοηθεὶς καὶ σχηματισάμενος ἐπὶ δευτέραν ἰέναι μάχην ἑαυτὸν προὔδωκε τῷ Περσῶν βασιλεῖ Σαπώρῃ, συνθέμενος καὶ τὴν τοῦ πλήθους προδοσίαν, ἣν αἰσθόμενοι Ῥωμαῖοι μόλις διέφυγον ὀλίγων ἀναιρεθέντων. οὓς καταδιώκων ὁ Περσῶν βασιλεὺς Σαπώρης τήν τε μεγάλην Ἀντιόχειαν αἱρεῖ καὶ τὴν Κιλίκων Ταρσὸν καὶ τὴν Καππαδόκων Καισάρειαν. τότε Πέρσαι διασπαρέντες ἀπὸ πλεονεξίας ἄλλοι ἀλλαχοῦ, καὶ τὴν πρὸς θάλασσαν Πομπηϊούπολιν αἱρεῖν μέλλοντες, Λυκαονίαν τε πορθοῦντες, ἀναιροῦνται πλεῖστοι, Καλλίστου τούτοις ἐπελθόντος ἀδοκήτως ναυσὶ μετὰ δυνάμεως τοῦ Ῥωμαίων στρατηγοῦ, ὃν φυγόντες προεστήσαντο ἑαυτοῖς. οὗτος καὶ τὰς Σαπώρου παλλακίδας σὺν πολλῷ πλού-

Zon. XII 23 p. 140, 21.

αὐτοῦ λιμὸς ἐπῆκτο τοῖς στρατιώταις, κἀντεῦθεν εἰς στάσιν κεκίνηντο, καὶ ἀνελεῖν ἐζήτουν τὸν αὐτοκράτορα. ὁ δὲ τὴν τῶν στρατιωτῶν δεδοικὼς ἐπανάστασιν πρὸς τὸν Σαπώρην κατέφυγεν, ἵνα μὴ ὑπὸ τῶν οἰκείων ἀπόληται, τῷ πολεμίῳ προδεδωκὼς ἑαυτόν, ἀλλὰ μέντοι, ὅσον τὸ ἐπ' αὐτῷ, καὶ τὰ Ῥωμαίων στρατεύματα. οὐ μὴν οἱ στρατιῶται ἀπώλοντο, ἀλλὰ γνόντες τὴν προδοσίαν διέφυγον ὀλίγων ἀναιρεθέντων . . . οἱ Πέρσαι δὲ κατὰ πᾶσαν ἄδειαν ταῖς πόλεσιν ἐπιόντες τήν τε πρὸς τῷ Ὀρόντῃ αἱροῦσιν Ἀντιόχειαν καὶ τὴν περιφανεστέραν τῶν τῆς Κιλικίας πόλεων τὴν Ταρσὸν καὶ τὴν ἐν Καππαδοκίᾳ Καισάρειαν . . οὕτω δὲ τῶν πραγμάτων τοῖς Πέρσαις συνενεχθέντων, κατὰ πᾶσαν τὴν ὑποκειμένην Ῥωμαίοις ἑῴαν διεσκεδάσθησαν χώραν καὶ ἐπόρθουν αὐτὴν ἀδεῶς. οἱ μέντοι Ῥωμαῖοι φυγόντες, ὡς εἴρηται, στρατηγὸν ἑαυτοῖς ἐπέστησαν Κάλλι-

Treb. Val. 4,3. Zos. I 36.

Valerianorum uit. 4,3. cepit regis thesauros, cepit etiam, quas thesauris cariores habent reges Par-

Sync. 715, 16—716, 16.	Zon. XII 23 p. 140, 21.	Treb. Val. 4,3. Zos. I 36.
τῷ λαβὼν εἰς Σεβαστὴν καὶ Κώρυκον μετέστη σὺν τῷ στόλῳ, ἔνθα τρισχιλίους Περσῶν ἀνεῖλε. τούτοις Σαπώρης περιαλγήσας μετὰ σπουδῆς ἀναστρέφει καὶ φόβου· καὶ Οὐαλεριανὸς μένει παρὰ Πέρσαις ἕως τέλους ζωῆς. Ὠδέναθος δὲ Παλμυρηνὸς ἀνὴρ στρατηγικὸς συμμαχῶν Ῥωμαίοις πολλοὺς διέφθειρε Περσῶν ἀναστρέφοντας κατὰ τὴν Εὐφρατησίαν ἐπιθέμενος χώραν, ὃς καὶ στρατηγὸς τῆς ἑῴας ὑπὸ Γαλιηνοῦ διὰ τοῦτο τετίμηται . . .	στόν τινα· ὃς σκεδαννυμένους τοὺς Πέρσας ὁρῶν καὶ ἀπερισκέπτως ἐπιόντας ταῖς χώραις τῷ μή τινα οἴεσθαι αὐτοῖς ἀντιτάξασθαι, ἐπιτίθεται ἀθρόον αὐτοῖς, καὶ φόνον τῶν βαρβάρων πλεῖστον εἰργάσατο, καὶ παλλακὰς εἷλε Σαπώρου σὺν πλούτῳ πολλῷ. οἷς ἐκεῖνος περιαλγήσας οἴκαδε σπουδαίως ἀνέστρεψε καὶ τὸν Οὐαλεριανὸν ἐπαγόμενος· ὃς καὶ ἐν Περσίδι κατέστρεψε τὴν ζωήν, ὡς αἰχμάλωτος ὀνειδιζόμενός τε καὶ ἐμπαιζόμενος. Οὐ μόνος δ' ὁ Κάλλιστος ἠρίστευσε τότε κατὰ Περσῶν, ἀλλὰ καί τις Παλμυρηνὸς ἀνὴρ κεκλημένος Ὠδέναθος συμμαχῶν Ῥωμαίοις πολλοὺς διέφθειρε τῶν Περσῶν, ἀναστρέφουσιν αὐτοῖς κατὰ τὴν Εὐφρατησίαν ἐπιθέμενος χώραν· ὃν Γαλιῆνος τοῦ στρατηγήματος ἀμειβόμενος τῆς ἑῴας προεχειρίσατο στρατηγόν.	thici concubinas, quare magis reformidans Romanos duces Sapor timore Ballistae (Callisti cf. Tillemont III 956) atque Odenati in regnum suum ocius se recepit. **Zosimus I 36** καὶ ἐν αἰχμαλώτου τάξει καταστὰς παρὰ Πέρσαις τοῦ βίου ἀπέλιπε μεγίστην αἰσχύνην τῷ Ῥωμαίων ὀνόματι καταλελοιπώς.

Sed redeamus ad narrationem irruptionum Scythicarum et Gothicarum.

Comparatione cum locis simillimis Zonarae et Zosimi facta antea uidimus redire ad Dexippum a Syncello 715, 8—15 et a Trebellio in uitis Gallienorum duorum 5, 6 et 6, 2 narrata. Videamus nunc, quo modo res se habeat in narratione nouarum illarum irruptionum Gothorum et Scytharum in imperium Romanum Claudio Gothico regnante: Treb. Claud. 6. 9, 3. — Egerunt de hac expeditione Zosimus I 42. 43 et Zonaras XII 26. ed Dind. III 150, 19.

Treb. Claud. 6, 1 sq. 9, 3	**Zosimus I 42. 43.**	**Zonaras XII 26. III 150, 19**
Gothi, qui euaserant eo tempore, quo illos Marcianus est persecutus, quosque Claudius emitti non siuerat . . . omnes gentes suorum ad Romanas excitauerunt praedas. Denique Scytharum diuersi populi, Peuci, Grutungi, Austrogothi, Virtingui, Sigypedes, Celtae etiam et Eruli, praedae cupiditate in Romanum solum inruperunt atque illic pleraque uastarunt . . . armatarum denique gentium trecenta uiginti milia tunc fuere . . . hos igitur Claudius ingenita illa uirtute superauit, hos breui tempore adtriuit,	*Κατὰ τοῦτον δὴ τὸν χρόνον Σκυθῶν οἱ περιλειφθέντες, ἐκ τῶν προλαβουσῶν ἐπαρθέντες ἐφόδων, Ἑρούλους καὶ Πεύκας καὶ Γότθους παραλαβόντες καὶ περὶ τὸν Τύραν ποταμὸν ἀθροισθέντες . . . ναυπηγησάμενοι πλοῖα ὡς δισχίλια*[1]) *καὶ τούτοις ἐμβιβάσαντες δύο καὶ τριάκοντα μυριάδας, ἄραντες διὰ τοῦ Πόντου . . . προελθόντες δὲ καὶ ἐπὶ Μαρκιανούπολιν, ἣ Μυσίας ἐστίν, ἀναβάντες καὶ ταύτης διαμαρτόντες ἔπλεον ἐπὶ τὸ πρόσω, κατὰ πρύμναν τὸν ἄνεμον ἔχοντες. ἐπεὶ δὲ τὰ στενὰ τῆς Προποντίδος κατ-*	*οἱ βάρβαροι δὲ πολλὰς μὲν κατέδραμον χώρας, τὴν δέ γε Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκουν· ἣ πάλαι μὲν Ἠμαθία καλεῖσθαι λέγεται, Θεσσαλονίκη δὲ μετονομασθῆναι ἐκ τῆς Φιλίππου μὲν θυγατρός, Κασάνδρου δὲ γυναικὸς Θεσσαλονίκης . . . Κλαύδιος δὲ κατὰ τούτων ὁρμήσας ἐν πολλαῖς σκεδασθέντων χώραις, ποτὲ μὲν ναυμαχίαις, ποτὲ δὲ κατὰ γῆν συνισταμέναις μάχαις ἐνίκησε. καὶ χειμῶνες δὲ αὐτοὺς ἐκάκωσαν καὶ λιμὸς ἐπίεσε καὶ διέφθειρεν.*

1) cd. *ἑξακισχίλια*: scr. cum Casaubono ἐς uel ὡς *δισχίλια*. A Casauboni partibus stat Reitemeierus in annotationibus.

Treb. Claud. 6, 1 sq. 9, 3.	Zosimus I 42. 43.	Zonaras XII 26. III 150, 19.
de his uix aliquos ad patrium solum redire permisit. 9, 3. pugnatum est enim apud Moesos, et multa proelia fuere apud Marcianopolim, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, captae diuersarum gentium nobiles feminae, impletae barbaris seruis scythicisque cultoribus Romanae prouinciae, factus limitis barbari colonus e Gotho... pugnatum est praeterea apud Byzantios, ipsis, qui superfuerant Byzantinis fortiter facientibus, pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari. cf. 8, 1 habuerunt duo milia nauium.	ἔλαβον, τότε δὴ τῶν νεῶν τὸ πλῆθος ἐνεγκεῖν τὴν τοῦ ῥοῦ ταχυτῆτα μὴ δυνάμενον ἀλλήλοις τὰ πλοῖα προσήραττε καὶ ἐφέρετο τὰ σκάφη σὺν οὐδενὶ κόσμῳ τῶν κυβερνητῶν μεθιέντων τοὺς οἴακας, ὥστε τὰς μὲν καταδῦναι αὐτάνδρους, τινὰς δὲ καὶ ἀνδρῶν ἐρήμους ὀκεῖλαι, πλήθους πολλοῦ καὶ ἀνθρώπων καὶ πλοίων ἀπολομένου. 43. διά τοι τοῦτο τοῦ μὲν στενοῦ τῆς Προποντίδος ὑπανεχώρουν οἱ βάρβαροι, τὴν δὲ ἐπὶ Κύζικον ἔπλεον ... κἀκεῖσε τῶν πλοίων ἐπιμέλειαν ποιησάμενοι Κασάνδρειαν καὶ Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκουν.	

Ex his locis modo prolatis hoc mea sententia concludi potest, quamuis Trebellius non ad uerbum consentiat cum scriptoribus graecis, tamen et illos et hunc uno eodemque usos esse fonte. Atque his quidem nitor argumentis. Primum enim et Trebellius et Zosimus eodem ordine omnes exposuerunt res gestas. Quod Trebellius nonnulla addidit, plerosque captos esse reges, captas diuersarum gentium nobiles feminas, prorsus nihil refert: nam totus ille locus figuris rhetoricis, anaphoris impletus, plane abhorret a Trebellii genere scribendi, quod ceteris adhibet locis: ornata oratione Claudii uictoriam uult ornare atque efferre. Si igitur nonnulla addidit, ut maiores fierent Claudii laudes, ea illum inuenisse

in fonte suo haud est uerisimile. — Deinde uterque nobis exhibuit eundem (si Casauboni ueram sequimur coniecturam) et barbarorum et nauium numerum. Zonaras quidem et Syncellus eis, quae inuenerant, cum omnia contextui inserere nollent, in angustum coactis, nihil tradunt, quod pugnet cum eis, quae apud Trebellium et Zosimum legimus. Itaque huius quoque irruptionis narrationem ab omnibus ex uno fonte, e Dexippo, haustam esse contendere non dubito, cum non solum in rebus enarrandis consentiant, sed eadem quoque uerba interdum et enuntiata apud singulos reperiamus:

Trebellius.	Zosimus. Syncellus.
Claud. 9, 4. factus limitis barbari colonus e Gotho.	Zos. I 46 s. f. ἣ γῆν λαβόντες εἰς γεωργίαν ταύτῃ προσεκαρτέρησαν.
Claud. 8, 1. Graecia omnisque Thessalia.	Zos. I 43. μοῖρα δὲ τῶν Σκυθῶν Θεσσαλίαν καὶ τὴν Ἑλλάδα.
Claud. 12, 4. barbari, qui superfuerant.	Zos. I 42. Σκυθῶν οἱ περιλειφθέντες.
Gall. 6, 2. Scythae autem, hoc est pars Gothorum.	Sync. 705, 10. Σκύθαι, οἱ λεγόμενοι Γότθοι. Cf. p. 18.

Quin Syncelli quoque narratio de Herulorum irruptione Claudio regnante facta 720, 15—19 ex eodem manauerit fonte, dubitari non potest, cum et Trebellius et Zosimus et Syncellus conspirent in afferendis causis, quibus coacti barbari recesserunt.

Syncellus 720, 15—19.	Zosimus I 46.	Trebellius Claud. 12, 1.
Πράττουσι δὲ καὶ ἐπὶ τούτου δυστυχῶς Αἴρουλοι πάλιν ἐσβαλόντες ναυτικὸν πλῆθος κατὰ διαφόρους τόπους τῆς Ῥωμαίων χώρας, καὶ ποτὲ μὲν ναυμαχίαις, ποτὲ δὲ καὶ χειμῶσι, ποτὲ δὲ καὶ λιμῷ[1]) πιεσθέντες,	πρόσω δὲ τῶν Σκυθῶν ἐλασάντων καὶ Ῥωμαίων αὐτοῖς ἐπακολουθούντων, οἱ Κρήτην καὶ Ῥόδον περιπλεύσαντες βάρβαροι πράξαντες οὐδὲν ἀφηγήσεως ἄξιον ἀνεχώρησαν. λοιμοῦ δὲ κατασχόν-	fuerunt per eadem tempora et apud Cretam Scythae et Cyprum uastare temptarunt, sed ubique morbo atque fame[2]) exercitu laborante superati sunt. Finito sane bello Gothico grauissi-

1) Scribendum propono: λοιμῷ: cf. locum Zosimi.
2) 'Fame' ex Salmasii coniectura, in codicibus deest hoc uocabulum.

Syncellus 720, 15—19.	Zosimus I 46.	Trebellius Claud. 12, 1.
ὑφ' οὗ καὶ κατασχεθεὶς ὁ αὐτὸς Κλαύδιος τελευτᾷ τὸν βίον.	τος ἅπαντας αὐτούς, οἱ μὲν κατὰ Θρᾴκην, οἱ δὲ κατὰ Μακεδονίαν ἐφθάρησαν.	mus morbus increbruit, tunc cum etiam Claudius adfectus morbo...

Unus restat locus, qui certe, cum ceteros de eadem re locos ad Dexippum redire uiderimus, nulli alii est ascribendus, Syncelli dico locum 717, 9—24 de Herulorum illa expeditione, in qua a Dexippo ipso uicti sunt. De Herulorum autem gente Dexippum in libro chronicorum XII egisse scimus e Stephano Byzantio: Ἔλουροι, Σκυθικὸν ἔθνος, περὶ ὧν Δέξιππος ἐν Χρονικῶν ιβ'. E duodecimo igitur libro et hoc et cetera de quibus modo egimus fragmenta fluxisse mihi uidentur.

Hactenus de his barbarorum irruptionibus, in quibus enarrandis et Syncellum et Trebellium et ceteros Dexippum ante oculos habuisse demonstrasse mihi uideor. Atque ad hanc meam confirmandam sententiam accedunt argumenta haec:

1) Enuntiata haec: 'per eadem tempora' (Claud. 12, 1) et *τότε — τότε καί — τότε πάλιν* particulae (Sync. 715, 12 — 716, 3 — 716, 16 — 717, 9 — 717, 20) ex annalibus has res depromptas esse probabile faciunt. Cf. praeterea quae praemisi de *τότε* et *τότε καί* p. 14.

2) Apud Trebellium his in barbarorum irruptionibus describendis consulum nonnunquam adduntur nomina, quod Dexippum semper fecisse in chronicis constat. Ut omnia complectar: e Dexippo hausti sunt mea sententia omnes loci, quibus de barbarorum irruptionibus agitur: Syncelli 705, 10 — 706, 1 (ubi Dexippus ipse fons adfertur); 715, 8 — 717, 24; 720, 15—19; Trebellii loci hi: Val. 4, 3; Gall. 4, 7; 5, 6; 6, 2; 11, 1; 12, 6; 13, 6; Claud. 6, 1—5; 7, 6; 8, 1; 9, 3—9; 11, 3; 12, 1—3; huc praeterea pertinet Cap. Max. et Balb. cp. 16.

II.

FRAGMENTA QVAE INSVNT IN VITIS IVLII CAPITOLINI.

Priusquam in uitas sub Capitolini nomine nobis traditas inquirere liceat, alia respicienda est quaestio. Tribuuntur enim uulgo hae imperatorum uitae Iulio Capitolino: uitae Antonini Pii, Antonini

Philosophi, Veri, Pertinacis, Clodii Albini, Opilii Macrini, uitae duorum Maximinorum, Gordianorum trium, Maximi et Balbini. Quaesitum est, et id summo iure, utrum hae uitae omnes recte attribuerentur Capitolino, an nonnullae ab eo essent abiudicandae. Atque ab altera parte animaduersum est in uita Alexandri Seueri, quae a libris manu exaratis uno consensu assignatur Aelio Lampridio, multa inueniri indicia, praesertim si ratio respiceretur scribendi, quibus fieret uerisimile huius quoque imperatoris uitam a Capitolino litteris esse mandatam, quod alii, ut Teuffelius negarunt. Omnia, quae in utramque partem disputata sunt, hoc loco afferre et longum nec necessarium, cum alium nobis proposuerimus finem: sufficiat meam de hac re attulisse sententiam.

Puto equidem hanc quaestionem ita, ut nulla dubitatio restet ad finem perduci non posse. Si Aemilius Brocks inquisitione accuratissima facta in narrandi genus dictionemque quattuor priorum historiae Augustae scriptorum, demonstrare studuit uitas Antonini Pii, Antonini Philosophi, Veri, Pertinacis abrogandas esse Capitolino, attribuendas ei uitas Clodii Albini, Opilii Macrini, Alexandri Seueri, Maximinorum duorum, Gordianorum trium, Maximi et Balbini, grammatico satisfecit, non satisfecit historico.

Quin Capitolinus uitas Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini conscripserit, de hac re nemo est, qui dubitet[1]) (nec minus, ut hoc statim addam, in propatulo est, Trebellio recte attribui uitas imperatorum a Valeriano usque ad Claudium), quod autem attinet ad uitas Clodii, Opilii, Alexandri Seueri ipse Brocksius, ut concedat cogitur, eas non plane eodem tumido stilo conscriptas esse, ut Maximinorum uitas ceterasque. — Et tota quaestio eo tam fit difficilis, quod non omnes libri scriptorum inserti sunt corpori scriptorum historiae Augustae, ita ut ex locis, ubi scriptor librorum iam exaratorum mentionem fecit, aut se de hac uel illa re acturum in alius imperatoris uita, promittit, paene nihil possit concludi: scimus Spartianum de imperatoribus inde a Caesare egisse (Hel. 7, 5); Vulcacius Gallicanus omnium purpuratorum uoluit scribere

1) B. Schulzius (Berlin. Zeitschrift für Gymnasialwesen XIX, 1865, p. 932—937) quia nonnulla inessent in Gordianorum uitis, quae discreparent cum narratis in Maximinorum uitis, quodque illorum uitae missae essent ad Diocletianum, Maximinorum autem ad Constantinum, horum uitas a Capitolino, Gordianorum autem a Spartiano compositas esse contendit. Non satis recte: nam Gordianorum quoque uitae ad Constantinum missae sunt, cf. cp. 34, 6. De discrepantiis postea singulos locos tractantes uerba faciemus.

historiam, sed solam habemus Auidii Cassii uitam (3, 3). Exempli gratia Heliogabali uitae scriptor dicit 34, 6 'cum duos Gordianos narrare coepero', Gordianorum autem uitas a Capitolino conscriptas esse constat, qui Heliogabali uitae auctor esse non potest: nam Capitolinus tres suo libro conexuit Gordianos, uitae Heliogabali scriptor duos solum nouisse uidetur (Gord. 2, 1 Gordiani non, ut quidam inperiti scriptores locuntur duo sed tres fuerunt . . .). Deinde uit. Alb. 1, 4 'sortem illam, qua Seuerum laudatum in Pescennii uita diximus' exstat, ibidemque 12, 14 respicitur ad Seueri uitam: neque tamen minus Clodii Albini uita uulgo attribuitur Capitolino, Pescennii et Seueri uitae Spartiano: ego quidem existimo uitas quoque Clodii Albini et Opilii Macrini abiudicandas esse a Capitolino, et omnes, usque ad Maximinorum uitas (praeter Auidii Cassii uitam, quae certe redit ad Vulcatium Gallicanum) distribuendas esse inter Aelium Lampridium et Aelium Spartianum: ad hanc proferendam sententiam his praecipue commotus sum argumentis:

Ac primum quidem, ut iam recte intellexit Teuffelius[1]), quod attinet ad fontes, ualde inter sese differunt priores historiae Augustae uitae posterioresque. Cum enim ad uitas usque ad Heliogabali componendas omnem uel maximam copiam suggesserit Marius Maximus, qui usque ad huius imperatoris mortem res gestas uberrime pertractauerat, inde ab Alexandri Seueri uita complures adhibiti uidentur fontes. Vita autem Alexandri ipsa in cardine quasi posita est: scriptor, cum Marii Maximi historiae non iam acciri possent, ut alios circumspiceret fontes coactus, ex compluribus scriptoribus hausit res de Alexandro memoriae tradendas. Scriptorem autem uitae Alexandri Seueri eundem esse atque Heliogabali non tam concluserim ex eo, quod Hel. 35, 2 is, qui uitam Heliogabali confecit, se de Alexandro quoque scripturum promisit, quam ex eo, quod uerba 35, 2 'semestres alii et uix annui et bimi, Aurelianus praecipuus . . .' repetuntur uit. Al. Seu. 64, 1. 2 'Hactenus imperium p. R. eum principem habuit, qui diutius imperaret, post eum certatim irruentibus et aliis semestribus, aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus, usque ad eos principes . . . Aurelianum dico et deinceps.' — Marii Maximi Capitolinus nunquam mentionem fecit; Alexandri Seueri uitae auctor, quamuis eius libris non iam uti posset, tamen ad eum respicit: 21, 4; 30, 6; 48, 6.

Deinde, ut antea uidimus, in uitis certe Capitolinianis Hero-

1) Römische Literaturgeschichte 3. Aufl. p. 939.

dianus ipse non inspectus est: perlustrans autem eos locos uitarum priorum, ubi testis citatus est Herodianus, causam uidere non possum, cur negemus, scriptores Herodianum ipsum habuisse sub manibus:

uit. Albini 1, 2.	Herod. II 15, 3.
et Clodium quidem Herodianus dicit Seueri Caesarem fuisse.	*Καίσαρα δὲ αὐτὸν ἀποδεικνύει.*

Inspicias praeterea locos hos cum Herodiano prorsus conspirantes.

uit. Albini 7, 2. 8, 1—4.	Herod. III 5, 2. 4. 8.
Sed uicto Pescennio, cum et filiis suis imperium seruare cuperet (Seuerus) et ingentem senatus amorem circa Clodium Albinum uideret, quod esset uir antiquae familiae litteras ad eum per quosdam summi amoris ac summae adfectionis misit, quibus hortabatur, ut, quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter rem publicam regeret (sequitur epistola e Cordo desumpta).	*ᾑροῦντο γὰρ οἱ εὐπατρίδαι ἐκεῖνον μᾶλλον ἄρχοντα, ἅτε ἐκ προγόνων εὖ γεγονότα καὶ χρηστὸν τὸ ἦθος εἶναι λεγόμενον. . . .*
Et has quidem litteras missis stipatoribus fidelissimis dedit, quibus praecepit, ut epistolam publice darent, postea uero dicerent, se uelle pleraque occulte suggerere quae ad res bellicas pertinerent et ad secreta castrorum atque aulicam fidem. ubi uero in secretum uenissent, quasi mandata dicturi, quinque ualidissimi eum interimerent gladiolis infra uestem latentibus. nec illorum quidem fides defuit.	§ 4 *μεταπεμψάμενος οὖν τοὺς πιστοτάτους τῶν εἰωθότων τὰ βασιλικὰ γράμματα διακομίζειν, δίδωσιν αὐτοῖς ἐντολὰς ἀπορρήτων, εἰ γένοιντο παρ' αὐτῷ τὰ μὲν γράμματα δημοσίᾳ ἀποδοῦναι, ἀξιῶσαι δὲ αὐτὸν ἰδιαίτερον ἀποστάντα ἐπακοῦσαι ἀποῤῥήτων ἐντολῶν, πεισθέντι δὲ δορυφόρων ἐρήμῳ ἐπιπεσεῖν αἰφνιδίως καὶ φονεῦσαι.*
nam cum ad Albinum uenissent et epistolam dedissent qua lecta, cum dicerent quaedam secretius	§ 8 *ὡς δ' οὖν ἀφίκοντο οἱ τοῦ Σευήρου ἀγγελιαφόροι, τά τε γράμματα δημοσίᾳ ἀποδόντες ἠξίουν*

suggerenda et locum semotum ab omnibus arbitris postularent, et cum omnino neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie, ne mandata proderentur, Albinus intellexit insidias. denique indulgens suspicionibus eos tormentis dedit. qui diu primo pernegauerunt, sed postea uicti necessitate confessi sunt ea, quae Seuerus isdem praeceperat. tunc iam proditis rebus et apertis insidiis ea, quae suspicabatur Albinus clara esse intellegens exercitu ingenti collecto contra Seuerum atque eius duces uenit.[1])

αὐτὸν ἀποστάντα ἐπακοῦσαι τινῶν ἀποῤῥήτων . . . . *ὑποπτεύσας ὁ Ἀλβῖνος συλληφθῆναι κελεύει αὐτούς, ἰδίᾳ δὲ βασανίσας πᾶσαν μανθάνει τὴν ἐπιβουλήν. καὶ τοὺς μὲν κολάζει, αὐτὸς δὲ ἤδη ὡς πρὸς ὁμολογούμενον ἐχθρὸν παρεσκευάζετο.*

Huic Albini capiti Herodianum non ipsum sed per medium Cordum subesse uult Dreinhoefer, de fontibus et auctoribus uitarum quae feruntur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridii. diss. Halis Saxonum a. 1875 edita p. 12. 15. 16. Non ex ipso Herodiano, sed ex Mario Maximo haec sumpta esse suspicatus est I. I. Müller: der Geschichtsschreiber L. Marius Maximus. Büdinger, Unt. zur röm. Kaisergeschichte III 90.[2]) Mihi nec Dreinhöfer nec Müller persuasit.

Praeter haec in uita Albini nihil latet, quod ex Herodiano possit esse translatum (e Dexippo si stamus a Mommseni parte cf. p. 10 et 33). Redeunt quae restant ad Marium Maximum[3]) (cf. 3, 4; 9, 2; 9, 5; 12, 14) et ad Helium Cordum (cf. 5, 10; 7, 3; 11, 2). Adhibita simul sunt, quae Seuerus ipse de uita

1) Cf. uit. Albin. 13, 13: Hinc apparet quanta seueritate in factionem uel Pescennianam uel Clodianam consuluerit. Quae quidem omnia in uita eius posita sunt: quae qui diligentius scire uelit, legat Marium Maximum de latinis scriptoribus, de graecis scriptoribus Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt.

2) 'Wenn nun erwiesen ist, dass unserm Vf. eine von Herodian nicht nur abweichende, sondern auch genauere Quelle zu Grunde liegt, so fragt es sich, ob M. M. diese Quelle sein könne. Für diese Annahme mag sprechen, dass gleich im folgenden Cp. M. M. zweimal citirt wird.'

3) Aut ad scriptorem, qui eo erat usus. cf. Plew, Marius Maximus als direkte und indirekte Quelle der Scriptores historiae Augustae. Strassburg 1878. p. 42.

sua memoriae tradiderat (cf. 7, 1; 10, 1). Insertae postremo sunt Albini uitae nonnullae epistolae et contiones. — Et si nunc singulis scriptoribus singulos attribuere uolumus locos, tribuenda erunt, quae de uita priuata, de imperii ominibus commemorantur Cordo (cf. quae de eo dicuntur 11, 2). Cordi igitur sunt fortasse 4, 1—6; certe cp. 5 et 7, 3—6, maxima pars cp. 11, fortasse cp. 13, 1—2.

Mario Maximo ascribam, quae narrantur de rebus ab Albino gestis: 3, 4—6 fortasse cp. 6, certe cp. 9. — Ad Seuerum praeter locos supra allatos nullus alius uidetur redire.

Vitae quoque Opilii scriptorem prorsus pendere ex Herodiano demonstretur, cum longum sit omnia exscribere, locis his:

uit. Opil. 9, 1. 2. 3. 10, 1.	Herod. V 3, 2. 3. 4, 1.
fuit[1] aliqua mulier Maesa siue Varia ex Emisena urbe soror Iuliae uxoris Seueri Pertinacis Afri.	*Μαῖσα ἦν τις ὄνομα, τὸ γένος Φοίνισσα, ἀπὸ Ἐμέσου καλουμένης οὕτω πόλεως ἐν Φοινίκῃ· ἀδελφὴ δὲ ἐγεγόνει Ἰουλίας τῆς Σευήρου μὲν γυναικὸς Ἀντωνίνου δὲ μητρός.*
huic erant duae filiae Symiamira et Mammaea, quarum maiori filius erat Heliogabalus (et Bassiani et Antonini nomen accepit).	*ἦσαν δὲ αὐτῇ θυγατέρες δύο· Σοαιμὶς μὲν ἡ πρεσβυτέρα ἐκαλεῖτο, ἡ δὲ ἑτέρα Μαμμαία. παῖδες δὲ ἦσαν τῇ μὲν πρεσβυτέρᾳ Βασσιανὸς ὄνομα. . . .*
Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura et sacerdotio conspicuus erat ac notus omnibus hominibus, qui ad templum ueniebant, militibus praecipue.	*ἱερουργοῦντα δὴ τοῦτον, περί τε τοῖς βωμοῖς χορεύοντα νόμῳ βαρβάρων ὑπό τε αὐλοῖς καὶ σύριγξι παντοδαπῶν τε ὀργάνων ἤχῳ, περιεργότερον ἐπέβλεπον οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι καὶ μάλιστα οἱ στρατιῶται.*
haec ubi sunt Macrino apud Antiochiam posito nuntiata.	*ὡς δὲ ταῦτα ἀπηγγέλη τῷ Μακρίνῳ ἐν Ἀντιοχείᾳ διατρίβοντι.*

In Opilii uita adumbranda se compluribus fontibus usum esse auctor ipse testatur 1, 1. Sed cum praeter Iunium[1]) Cordum 1, 3 nullus alius nominatim afferatur historicus, hic cui singuli loci attribuendi sint dubitari potest. Ob eam rem, quia nihil nisi opina-

1) Quamquam modo citatur Helius modo Iunius Cordus, eundem tamen significari Dirksenus docuit: Die script. hist. Aug. p. 28.

tiones proferri possunt, optimum duxi de hac quaestione minoris momenti uerba non facere. — Inspicere iuuat Muellerum l. l. p. 100. Conferas deinde uitae Anton. Diad. 2, 5 = Herod. V 4, 12 ac praecipue locum illum uitae Alex. Seu. 52, 2 ubi ipse auctor graecum ex Herodiano sumptum uerbum in contextu posuit: ἀναίματον imperium eius ... idcirco uocatum est, quod senatorem nullum occiderit, ut Herodianus, Graecus scriptor refert = VI 1, 7. 9, 8 ibid. 57, 3 = VI 6, 3.

Si autem conferimus inter sese Maxim. 13, 4 et Herod. VII 2, uidemus, ut iam dictum, Capitolinum, quamuis citet Herodianum, differe ab illo.

Et tertium statim addam argumentum: cum in uitis Capitolinianis saepius proferatur Dexippum inspectum esse, in uitis prioribus Dexippus non citatur, nisi uit. Alex. Seu. 49, 3 et 49, 5, quae fragmenta non alia causa inserta sunt, quam quod Dexippus in his rebus a ceteris dissensit fontibus, nisi potius, quod ego suspicor, haec e Dexippo sumpta a grammatico ascripta ad quendam uitae locum (ad cp. 48?) in hunc locum irrepserunt, ubi his enuntiatis Dexippi insertis totus sententiarum ordo perturbatus est.

His causis persuasum mihi habeo nec Clodii nec Opilii uitam a codicibus, nec Alexandri Seueri uita a Brocksio recte attribui Capitolino: non ab eo exaratas esse uitas Antoninorum, Veri, Pertinacis et Teuffelius et Brocksius concedunt.

Quaeritur nunc, si hanc quoque rem leuiter tangere licet, quae uitae ascribendae uideantur Aelio Spartiano, quaeque Aelio Lampridio: Spartiani sine dubio est Helii Veri uita, missa ad Diocletianum, nec minus certe eiusdem sunt uita Hadriani (Helii 5, 4 = Had. 21, 4) Verique uita (cf. 2, 9), quae dedicata est Diocletiano (11, 4). Et nunc quidem ea quoque ad auxilium uocare possumus, quae inuenit Brocksius: obseruauit enim (l. s. s. p. 23) uitam Marci Philosophi, Pescennii Nigri, Opilii Macrini, quod attinet ad genus dicendi scribendique prorsus consentire cum uita Helii certe Spartiana. Nec minus Pii et Seueri uitae hac in re conspirant cum uitis Hadriani et Marci: omnes igitur hae uitae ut Brocksio ita mihi ad Spartianum redire uidentur. In uita deinde Clodii Albini et uitae Seueri et Pescennii Nigri fit mentio, ita ut haec quoque uita fortasse Spartiani sit: huius igitur esse uidimus uitas Hadriani, Helii, Antonini Pii, Antonini Philosophi, Veri, Seueri, Pescennii Nigri, Macrini, Albini: atque has uitas ad unum omnes redire eo quoque probatur, quod maxima earum pars sine dubio missa est ad Diocletianum (Hel. 1, 1; Philos. 19, 12;

Ver. 11, 4; Seu. 20, 4; Pesc. 9, 1; Macr. 15, 4. ad uitas Hadriani et Antonini Pii conferas subscriptiones cod. P^3 et ed. Med.) praeter uitam Clodii Albini, quae dedicata est Constantino (4, 2).

Lampridio in codicibus attribuuntur uitae Commodi, Heliogabali, Diadumeni, Alexandri Seueri: huius et Heliogabali uitas ab eodem conscriptas esse antea iam uidimus, atque ad eundem in codicibus refertur Diadumeni uita (cf. 9, 6). Eodem atque hi libri stilo, secundum Brocksium uitae quoque Getae et Pertinacis scriptae sunt (p. 32—39) ualdeque est uerisimile harum quoque uitarum auctorem fuisse Aelium Lampridium: sique uita Getae a Lampridio scripta est, non alii est assignanda uita Caracallae: Car. 11, 1 = Get. 3, 3. Uitae Getae, Heliogabali, Alexandri Seueri auctore scriptae sunt Constantino (Get. 1, 1; Heliog. 2, 4. 34, 1; Alex. Seu. 65, 1). Restat Didii Iuliani uita, quam a Spartiano exaratam esse ualde probabiliter contendit Brocksius, nec codices dissentiunt, quibus eam quoque ad Diocletianum missum esse exhibetur (P^3 et ed. Med.). Suspicio mihi mouetur, Commodi uitam non ad Lampridium, quod uulgo creditur redire, sed ad Spartianum: nam eam quoque dedicatam fuisse Diocletiano testatur ed. Med.; cum paene putem Clodii uitae ad Constantinum missae auctorem fuisse Lampridium: qua probata sententia omnes uitae Diocletiano dedicatae sunt Spartiani, omnes ad Constantinum missae sunt Lampridii (uide p. 32):

Qua cum sententia prolata in uniuersum consentiunt Plew, de diuersitate auctorum hist. Aug. diss. Regim. a. 1869 et Dreinhöfer l. l. qui Plewii sententiam compluribus allatis argumentis fulcire studuit p. 39—47. Arbitrantur hi uiri docti omnes uitas usque ad Getae uitam scriptas esse ab uno eodemque historico, ab Aelio Spartiano, uitas Macrini, Diadumeni, Heliogabali, Alexandri Lampridio attribuunt. Dreinhöfer maxime pressit eos locos, quibus ad locos priorum uitarum ab auctoribus respicitur aut legentis animus uocatur ad uitam sequentem, non autem respexit, id quod supra attuli, non omnes illorum scriptorum uitas ab eo qui composuit corpus scriptorum hist. Aug., insertas esse, ita ut perfacile fieri possit, ut respiciatur ad uitam, quae non exstet in corpore scriptorum, quod habemus, neque obseruauit, cui rei ego quidem haud contemnendam uim attribuendam esse puto, hanc uitarum partem missam esse ad Diocletianum, illam ad Constantinum: ascripsit exempli gratia Seueri uitam, Diocletiano dedicatam, Spartiano, et eiusdem esse arbitratur Getae uitam, quamuis missa sit ad Constan-

Vitae sec. ordinem codd. B et P.	Auctores secundum codices.	Vitae secundum temporis ord.	Auctores mea sententia.	Missae sunt vitae ad hos:	Testes.
Hadrianus	Aelius Spartianus	Hadrianus	Aelius Spartianus	Diocletianum	P^3. M
Helius	Aelius Spartianus	Helius	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 1, 1
Anton. Pius	Iulius Capitolinus	Anton. Pius	Aelius Spartianus	Diocletianum	P^3. M
Anton. Philosophus	Iulius Capitolinus	Anton. Philosophus	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 19, 12
Verus	Iulius Capitolinus	Verus	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 11, 4
Didius Iulianus	Aelius Spartianus	Avidius Cassius	Vulcac. Gallicanus	Diocletianum	P^3
Commodus	Aelius Lampridius	Commodus	Aelius Spartianus	Diocletianum	M
Pertinax	Iulius Capitolinus	Pertinax	Aelius Spartianus aut Aelius Lampridius		
Avid. Cassius	Vulcacius Gallicanus	Didius Iulianus	Aelius Spartianus	Diocletianum	P^3. M
Seuerus	Aelius Spartianus	Seuerus	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 20, 4
Niger	Aelius Spartianus	Niger	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 9, 1
Caracalla	Aelius Spartianus	Albinus	Aelius Spartianus aut Aelius Lampridius	Constantinum	uit. 4, 2
Geta	Aelius Spartianus	Caracalla	Aelius Lampridius	Constantinum?	uit. 11, 1 = Get. 3, 3
Heliogabalus	Aelius Lampridius	Geta	Aelius Lampridius	Constantinum	uit. 1, 1
Diadumenus	Aelius Lampridius	Opilius Macrinus	Aelius Spartianus	Diocletianum	uit. 15, 4
Opilius Macrinus	Iulius Capitolinus	Diadumenus	Aelius Lampridius		
Albinus	Iulius Capitolinus	Heliogabalus	Aelius Lampridius	Constantinum	uit. 2, 4. 34, 1
Alexander Seuerus	Aelius Lampridius	Alexander Seuerus	Aelius Lampridius	Constantinum	uit. 65, 1

tinum: sed ut antea iam concessi, de his rebus dubitari potest: meam protulisse sententiam satis habeo.

Nunc redeamus ad rem. Demonstrasse mihi uideor in uitis Clodii Albini, Opilii Macrini, Diadumeni, Alexandri Seueri, Herodianum ita adhibitum esse fontem, ut non ipse exscriberetur sed eius excerptor Dexippus, quod fecisse Capitolinum certe scimus, at Aelium Spartianum et Aelium Lampridium Herodiani libros ipsos sub manibus habuisse; huc pertinet, quod supra dixi (p. 10), me paululum recedere a Mommseni sententia: ita enim mihi eius uidetur restringendum iudicium, ut dicatur: non omnes, sed inter scriptores historiae Augustae Capitolinum et Trebellium ita usos esse fonte Herodiano, ut non ipsum exscriberent, sed eius excerptorem Dexippum. — Neque tamen minus omnes illarum uitarum locos, qui ex Herodiano fluxerunt, apposui, ne quis, qui aliter de hac iudicet re, hanc desideret dissertationis partem. Propter eandem causam ceteras quoque uitas, quae in codicibus Capitolino ascribuntur, perlustrabo.

Et prima uita, quae Iulio Capitolino ascribitur est Antonini Pii. Sed hac in uita ne unus quidem locus inuenitur, quo demonstrari possit, adhibitum esse fontem Dexippum. Nec mirum: nam Antoninus Pius, qui 'solus omnium prope principum prorsus sine ciuili sanguine et hostili, quantum ad eum ipsum pertinet, uixit, et qui rite comparetur Numae, cuius felicitatem pietatemque et securitatem cerimoniasque semper obtinuit' Romano nimirum scriptori, eius uita priuata, eius institutis et publicis et priuatis satis imbuto permulta scribenda praebebat, graecus autem historicus, praesertim si omnia breuiter persequebatur, perpauca habuit, quae de eo memoriae traderet. Fons solus in uita Antonini citatur Marius Maximus 11, 3, cumque sciamus scriptores historiae Augustae in priorum praecipue imperatorum uitis prae ceteris exscripsisse hunc Suetonii continuatorem, contendere non dubito ad hunc uitae Antonini Pii maximam referendam esse partem.

Sequitur Antonini Philosophi uita, de cuius fontibus idem iudicandum censeo ac de uita Antonini Pii. Marius Maximus bis citatur: 1, 6 et 25, 10.

Ex eodem scriptore mea sententia fluxit pars eorum, quae narrantur de Veri uita, insertis fortasse nonnullis rebus ex Quadrato, belli Parthici scriptore[1]), huius et Antonini Philosophi

1) Cf. Pauly: Real-Encyklopädie. edit. alt. I p. 1868 sq. 28. adde Dreinhöfer, l. l. p. 21 et 22.

uitis. Quadratum se inspexisse ipse testatur Iulius Capitolinus: uit. Veri 8, 4.

Transimus nunc ad Pertinacis uitam: huius quoque uitae plurima originem duxisse uidentur a Mario Maximo, cuius uita Pertinacis bis commemoratur 2, 8 et 15, 8.

Quibus peractis nunc transitum facere possumus ad eas uitas, quas a Capitolino conscriptas esse nemo negat, et examinemus primum Maximinorum duorum uitas. Dexippum hic adhibitum esse ipse nos docet Capitolinus 32, 3. 4. 33, 2.

Et statim in initio harum uitarum uestigia illius pressa esse clarum fit comparatione cum Herodiani locis facta.

Maxim. 1, 4—7.	Herod. VI 8, 1.
Maximinus senior sub Alexandro imperatore enituit . . . . hic de uico Threiciae uicino barbaris, barbaro etiam patre et matre genitus . . . et in prima quidem pueritia fuit pastor nonnumquam etiam procerte, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus uindicaret. Prima stipendia equestria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conspicuus.	ἦν δέ τις ἐν τῷ στρατῷ Μαξιμῖνος ὄνομα, τὸ μὲν γένος τῶν ἐνδοτάτω Θρᾳκῶν καὶ μιξοβαρβάρων, ἀπό τινος κώμης, ὡς ἐλέγετο, πρότερον μὲν ἐν παιδὶ ποιμαίνων . . . . ἐν ἀκμῇ δὲ τῆς ἡλικίας γενόμενος διὰ μέγεθος καὶ ἰσχὺν σώματος ἐς τοὺς ἱππεύοντας στρατιώτας καταταγείς, εἶτα . . . cf. quoque Zonar. XII 15 D. III 122. καί τινα Μαξιμῖνον Θρᾷκα τὸ γένος, ἐκ παίδων δὲ ποιμαίνειν λαχόντα, καὶ μετὰ ταῦτα στρατιώτην γενόμενον. . .

Capitolini uerba prope accedunt ad Herodiani, non tamen ita, ut constituere liceat, uertisse Capitolinum ab Herodiano narrata. Habet nonnulla Capitolinus, quae non exstant apud Herodianum, qui tamen et ipse quoque nonnullis ditior est annotationibus. — Neque originem Dexippeam celare possunt, quae exstant Maxim. 5, 5—7 ubi Capitolinus Alexandrum Seuerum alloquentem inducit Maximimum 'ueteres milites tibi, Maximine . . . idcirco non credidi, quod ueritus sum, ne uitia eorum sub aliis inolescentia emendare non posses, habes tirones: ad tuos mores, ad tuam uirtutem, ad tuum laborem eos fac militiam condiscere. . . .' Haec sapiunt pro certo ea, quae legimus apud Herodianum VI 8, 2 τὸν δὴ Μαξιμῖνον τοῦτον διὰ τὴν προειρημένην στρατιωτικὴν ἐμπειρίαν ὁ

Ἀλέξανδρος ἐπέστησε πάσῃ τῇ τοῦ στρατοῦ νεολαίᾳ, ὡς ἀσκοίη τε αὐτοὺς τὰ στρατιωτικὰ καὶ ἐς τὰ πολεμεῖν ἐπιτηδείους παρασκευάζοι. Utrum Capitolinus, an iam Dexippus, quod quidem ualde quadrat ad rhetorem, haec Herodiani uerba in orationem transformauerit, diiudicare non audeo. — De morte deinde Alexandri et Herod. VI 9, 1 sq. et Zonar. XII, 15 D. III 122/123 uberrime egerunt, acquieuit Capitolinus annotasse: '... subito inmissis militibus, ut quidam dicunt, ab ipso, ut alii, tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est, Maximino iam imperatore appellato': neque tamen minus in hac quoque tam in angustum coacta narratione uerba Herodianea comprehendimus: VI 9, 6 sq.

Capitibus 8—10 unum auctorem secutus est Capitolinus, uerisimiliter Iunium Cordum[1]); haec sola e Dexippo uidetur intexuisse:

Maxim. 8, 2.	Herod. VI 8, 3.
Maximinus autem ea fuit semper astutia, ut milites non uirtute regeret, sed etiam praemiis et lucris amantissimos redderet.	*ἔτι τε καὶ δώροις αὐτοὺς καὶ παντοδαπαῖς τιμαῖς ᾠκειώσατο.*
8, 9.	VII 1, 2.
simul et uerebatur, ne propter humilitatem generis barbarici a nobilitate contemneretur.	*δεδιὼς μή τι τῇ συγκλήτῳ καὶ τοῖς ὑπηκόοις εὐκαταφρόνητος γένηται.*
9, 6—8.	VII 1, 3. 4.
nobilem circa se neminem passus est ... praeterea omnes Alexan-	*εὐθέως οὖν τούς τε φίλους πάντας οἳ συνῆσαν τῷ Ἀλεξάνδρῳ σύν-*

1) Cf. Carolus Daendliker: Die drei letzten Bücher Herodians. Büdinger: Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte III p. 309. Daendliker diligentissime inquisiuit in uitas Alexandri Seueri, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini et ostendere studens Herodiano multis locis (nimis multis mea sententia) fidem non habendam, de fontibus Capitolini nonnulla sagaciter protulit, quibus subscribere non dubito. At in uniuersum ab illius partibus stare non possum: arbitratur enim a Capitolino Herodianum ipsum inspectum esse, et Dexippum accitum ad examinanda ea, quae apud Herodianum legerat: cf. p. 315: me hoc probare non posse antea uberrime exposui. Utque hoc addam, satis multum mihi Capitolino tribuisse uidetur cum putet eum excerpsisse et Cordum et alios scriptores latinos et Herodianum et Dexippum, praesertimque cum ei uindicet collationem accuratam et Herodiani et Dexippi narrationum. Eorum quae Daendliker protulit, quae non probo, refellere, meum non est: quae memoratu digna ex illius dissertatione mihi uidebantur, haec suis annotaui locis.

9, 6—8.	VII 1, 3. 4.
dri ministros uariis modis interemit. dispositionibus eius inuidit et dum suspectos habet amicos ac ministros eius crudelior factus est.	εδροί[τε] ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἐπιλεχθέντες ἀπεσκευάσατο. καὶ οὓς μὲν εἰς τὴν Ῥώμην ἀπέπεμψε, τινὰς δὲ ἐπὶ προφάσει διοικήσεως ἀπεσείσατο, μόνος εἶναι βουλόμενος ἐν τῷ στρατῷ καὶ μηδένα αὐτῷ παρεῖναι ἐκ συνειδήσεως εὐγενοῦς κρείττονα, ἀλλ' ἵν' ὥσπερ ἐξ ἀκροπόλεως, μηδενὸς αὐτῷ παρόντος, ᾧ νέμειν αἰδῶ ἀνάγκην ἔχοι ... τοὺς δὲ πλείστους (θεραπεύοντας sc.) αὐτῶν καὶ ἀπέκτεινεν ἐπιβουλὰς ὑποπτεύων.

Habemus hic exemplum perlucidum, quo modo in angustum contraxerit Herodiani contextum Dexippus-Capitolinus. Herodianus quo modo Maximinus senatores hominesque suspectos a se amouisset addiderat, Dexippo i. e. Capitolino suffecit exhibuisse uariis modis eum interfecisse Alexandri ministros.

Nec minus Dexippi sunt, quae de Magni narrantur apud Capitolinum seditione:

Maxim.	10, 1—2	=	Herod.	VII 1, 4. 5
„	10, 3. 4	=	„	VII 1, 6
„	10, 2	=	„	VII 1, 7.

Maxim. 11, 1—6 de Osdroenorum sagittariorum seditione iam actum (p. 11).

Paragraphum nonam eiusdem capitis redire ad Iunium Cordum Ruebelus contendit (p. 3), sed non uidit Herodiani esse locum VII 2, 2.

11, 9.	VII 2, 2.
mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidisse.	τὰ δὲ πλήθη ταῦτα τοῦ στρατοῦ καὶ πρότερον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἤθροιστο, ηὐξήθη δ' ὑπὸ τοῦ Μαξιμίνου.

Sequentia quoque 12, 1—7. 10—11 ab Herodiano-Dexippo abiudicat Ruebelus, iniuria, nam paene idem apud Herodianum legitur VII 2, 1—9. Argumento usus est has narrationes attribuendas esse Cordo 'quod res narratae nimis exaggeratae essent'. Respexit locos hos: § 1 'per triginta uel quadraginta milia barbarici soli uicos incendit', et infra § 6 'per quadraginta [uel quin-

quaginta][1]) milia Germanorum uicos incendimus'. Non uideo, in quo haeserit Ruebelus: adhibita nostra mensura, ut clara res fiat, uertendum est: 'im Umkreis von 6—8 Meilen verbrannte er die Dörfer der Barbaren': res perspicua et prorsus non in maius elata, cum et Herodianus narret § 4 *ὁ δὲ Μαξιμῖνος ἐπὶ πολὺ μὲν προὐχώρησε.* In hac igitur re Ruebelo fides non tribuenda, hi quoque loci sapiunt Dexippum, ex alio autem fonte, ex Cordo desumpta esse insequentia, epistolam Maximini ad senatum, concedere Ruebelo non dubito (usque ad § 9); cf. Dändliker: l. l. 241. Initium autem cp. 13 redit ad Herodianum-Dexippum

Maxim. 13, 1.	Herod. VII 2, 8.
fuerunt et alia sub eo bella plurima ac proelia, ex quibus semper primus uictor reuertit, et cum ingentibus spoliis atque captiuis.	*γεγόνασι δὲ καὶ ἕτεραι συμβολαὶ ἐν αἷς ὡς αὐτουργός τε καὶ αὐτόχειρ τῆς μάχης ἀριστεύων τε πανταχοῦ ἐπῃνεῖτο. πολλοὺς δὲ χειρωσάμενος αὐτῶν αἰχμαλώτους καὶ λείαν ἀπελάσας. . .*

Paragraphi insequentes, ut recte Peterus quoque annotauit in editionis margine, profectae sunt ab Herodiani loco VII 2, 9 de quo supra diximus: p. 12, et uestigia uberioris narrationis Herodiani de crudelitate Maximini in uerbis Capitolini quoque cognosci possunt: Herod. VII 3. Cf. Dändliker: l. l. 306, ubi locos annotat, qui illius sententia ex Herodiano fluxerunt. (De Gordianorum seditionis narratione agamus ubi de Gordianorum uitis ipsis uerba faciemus). Nec minus deinde latent frustula Dexippea in his Capitolini locis:

Maxim.	15, 1	=	Herod.	VII 7, 3—4
„	15, 2. 3	=	„	VII 7, 4—5
„	15, 3. 4	=	„	VII 7, 6
„	15, 5	=	„	VII 7, 6 s. f.

In eis, quae narrantur cp. 17, Capitolinus discedit ab Herodiano: dicit ille Maximinum certiorem factum, se a senatu inimicum p. R. esse appellatum exarsisse non ut hominem sed ut beluam. Herodianus autem dicit VII 8, 1 *τῆς μὲν οὖν πρώτης καὶ δευτέρας ἡμέρας ἔνδον ἔμεινεν ἡσυχάζων κτλ.* fides nimirum tribuenda Herodiano; Capitolinus, quae protulit, hausit ex libris scriptoris cuiusdam Romani, qui in libris suis ea secutus erat, quae in hominum oribus de hac re uersabantur.

De oratione Maximini cp. 18 ante milites habita conferas

1) Desunt haec in ed. Med.

Gord. 14, ubi demonstrabimus, hanc orationem nobis ad Dexippum redire uideri. Etiam de sequentibus 19, 1—2 postea agamus.

Nec in capitibus, quae haec excipiunt, suum fontem Dexippum deseruit Capitolinus:

Maxim.	19, 4	=	Herod.	VII	9, 10
„	20, 1	=	„	VII	10, 2
„	20, 6	=	„	VII	12, 2.

(De Maecenate et Gallicano Herodianus VII 11, 3 multo egit uberius.)

Maxim.	21, 1	=	Herod.	VIII	1, 4
„	21, 5	=	„	VIII	1, 5
„	21, 3	=	„	VIII	1, 5
„	21, 6	=	„	VIII	2, 5
„	22, 1—3	=	„	VIII	3.

Hic locus, Herodiani dico VIII 3, duo praebet argumenta Capitolinum Herodianum ipsum non inspexisse, cum primum quidem apud Herodianum ad ciues adhortandos uerba faciat Crispinus, Capitolinus autem dicat (22, 1) Menofilium cum collega restitisse dicentem, — deinde, quod minoris est momenti, cum Aquileiensium deus apud hunc Belenus appelletur, ab illo *Βέλις* nominetur.

Nec minus quam antea insequentia quoque ualde contracta apud Capitolinum legimus: Herodianus VIII 4, 1—5 uberrime exposuit diu Maximinum detentum esse flumine Aquileiam praeterfluente; huius rei Capitolinus mentione non facta haec solum narrat: ponte itaque cupis facto Maximinus fluuium transiuit et de proximo Aquileiam opsidere coepit.

Maxim.	22, 5	=	Herod.	VIII	4, 9
„	22, 6	=	„	VIII	4, 8
„	23, 1—5	=	„	VIII	5, 3—6
„	23, 6	=	„	VIII	5, 8
„	24, 1	=	„	VIII	5, 9 s. f.
„	24, 2—3	=	„	VIII	6, 1—3
„	24, 4—8	=	„	VIII	6, 5—8.

In uita iunioris Maximini fragmenta Dexippea sunt ea, ubi ipsius Dexippi citatur nomen 32, 3; 32, 4; 33, 2. Cetera redeunt ad Cordum cf. 31, 4. Vidimus igitur in Maximinorum conscribendis uitis uestigia Dexippi ita pressisse Capitolinum, ut maxima narratorum pars ad eum redeat. Et Cordi, aut alius fontis[1]) sunt haec:

1) Certe non ad Cordum redit caput 16, nam in uitis Gordianorum de eadem re e Cordo repetitur consultum ab hoc abhorrens: cf. Gord. 11, et 12, 1 'dicit Iunius Cordus'. Cf. tamen Dreinhöfer l. l. 14/15.

2, 2; 5, 5; 6; 8 (praeter 8, 2 et 9); 9 (exceptis paragraphis 6—8) 12, 5—9; 13, 2; 15, 6—9; 16; 17; 18; 25; 26. in uita Maximini iunioris 27—32, 2. 33, II. 2 init. 3. 4.

His pertractatis restat, ut inquiramus quo modo cohaereant inter sese Zosimus et Zonaras et Dexippus.

Et Zonaras quidem non solum nihil exhibet, quod recedat ab Herodianea narratione, uerum etiam cum ea consentit nonnullis in uerbis. Praeter exemplum supra iam allatum conferre licet locos hos:

Herod. VI 9, 6. *τῇ τε μητρὶ περιπλακείς, καὶ ὥς φασιν, ἀποδυρόμενός τε καὶ αἰτιώμενος ὅτι δι' ἐκείνην ταῦτα πάσχει, ἀνέμενε τὸν φονεύσοντα. ὁ δὲ Μαξιμῖνος . . . πέμπει χιλίαρχην ἑκατοντάρχας τέ τινας τοὺς φονεύσοντας τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὴν μητέρα.*	Zonar. XII 15 D. III 123, 3. *ἐπανῆλθεν εἰς τὴν σκηνήν, καὶ τῇ μητρὶ περιπλακεὶς ὠλοφύρετο. καὶ ὁ Μαξιμῖνος ἑκατόνταρχον στείλας καὶ αὐτὸν ἀνεῖλε καὶ τὴν μητέρα.*
Herod. VIII 5, 9 *καὶ αὐτὸν σὺν τῷ παιδὶ προελθόντα τῆς σκηνῆς, ὡς δὴ ἄρα διαλέξαιτο αὐτοῖς, οὐκ ἀνασχόμενοι ἀναιροῦσιν.*	Zon. XII 16. III 126, 14. *προῆλθε τῆς σκηνῆς μετὰ τοῦ οἰκείου παιδός, ὡς σφίσι διαλεξόμενος, οἱ δὲ αὐτίκα ἐπελθόντες ἀμφοῖν ἀνεῖλον αὐτούς.*

Quod Zonaras alterum imperatorum ex senatus consulto factorum pro Balbino appellat Albinum nihil refert. Dio igitur continuatus in rebus a Maximino gestis narrandis prorsus pendet ex Dexippi auctoritate, et certe, cum apud Zonaram omnia multo breuiora exstent quam apud Capitolinum, Dionis continuator a Dexippo exhibita excerpsit, non transcripsit.

Paulo aliter res se habet in Zosimi narratione: nam in Alexandri morte narranda discedit ab Herodiano et Zonara et Capitolino: I 13. Sed inde a uerbis *γένους γὰρ ὢν ἀφανοῦς* (*Μαξιμῖνος*) Zosimus quoque Dexippum amplexus est, quod pro certo demonstrare possumus: legimus apud Capitolinum 32, 3: 'addidit Dexippus tantum odium fuisse Maximini, ut interfectis Gordianis uiginti uiros senatus creauerit, quos opponeret Maximino. In quibus fuerunt Balbinus et Maximus, quos contra eum principes fecerunt. idem addidit in conspectu Maximini iam deserti a militibus et praefectum praetorio ipsius et filium eius occisum'. Quibus cum narrationibus prorsus consentiunt a Zosimo exhibita I 14, 3: *προχειρίζονται τῆς βουλῆς ἄνδρας εἴκοσι, στρατηγίας ἐμπείρους, ἐκ τούτων αὐτοκράτορας ἑλόμενοι δύο, Βαλβῖνον καὶ Μάξιμον.* 15, 2 *εἰς ἔσχατον ἐληλακὼς κινδύνου, προσάγει τὸν παῖδα*

τοῖς στρατιώταις ἱκέτην, ὡς ἀρκέσοντα διὰ τὴν ἡλικίαν εἰς οἶκτον ἐκ τῆς ὀργῆς αὐτοὺς μεταστῆσαι. τῶν δὲ θυμῷ μείζονι τόν τε νέον οἰκτρῶς ἀνελόντων καὶ αὐτὸν παραχρῆμα κατασφαξάντων. — Herodianus hanc non nouit narrationem, nec Zonaras eius commemorationem fecit. Neque tamen minus de Maximino quoque et Zonaram et Zosimum ex eodem fonte hausisse uidimus; quaeritur, quo modo haec discrepantia expediri possit. Ad id nobis refugiendum, quod supra iam annotauimus: Dexippus utramque narrationem (quod idem ex Capitolini uerbis 'addidit Dexippus' elucet. Capitolinus omnino omnes discrepantias, ne quis legentium quidquam desideret, adamat annotare, cf. 33, 3) suo inseruerat contextui, et hanc ex eo sumpserunt Capitolinus 23, 6 et Zonaras, alteram secutus est Zosimus. Ut omnia complectar: maxima pars de Maximino a Zonara, Zosimo, Capitolino exhibitorum fluxit e Dexippo: Zonaras apud eum narrata in breue contraxit, Zosimus cum esset melioris notae historicus, apud Dexippum exstantia suis ipsius uerbis legentibus narrauit, Capitolinus in uniuersum Dexippi uertit uerba.

His uitis ita examinatis progredi possumus ad ea, quae de tribus Gordianis narrata exstant. Atque in horum quoque uitis conscribendis adhibitam esse Dexippi chronographiam praeter alios fontes a Capitolino locis ostenditur, ubi nominatim Dexippus citatur, quo modo autem ex illo graeco historico pendeat in his uitis Capitolinus optime apparet, si primum collustramus ea, quae de Gordiano tertio memoriae tradita sunt. Inquisiuit in uniuersum in hanc rem iam Martinus l. l. 6 et 7 et totius quaestionis quasi fundamenta iecit, ponens uitam Gordiani tertii a Capitolino conglutinatam esse e frustulis e Dexippo et Iunio Cordo petitis.

Zosimum autem non minus quam Capitolinum his in rebus narrandis uestigia pressisse Dexippi elucet ex eo, quod legimus I 16, 1: *Γορδιανῷ θατέρου τούτων ὄντι παιδὶ τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν ἡ γερουσία ἀπέδωκεν.* Exhibet igitur Zosimus Gordianum tertium filium fuisse Gordiani secundi, quod uitiose quidem[1]) Dexippum quoque posuisse scimus Capitolino teste: 23, 1 Dexippus quidem asseuerat ex filio Gordiani Gordianum esse natum, et item 19, 9[2]) contra Dexippus putat eius filium esse Gordianum tertium,

1) Gordianum III non filium fuisse Gordiani II, sed nepotem Gordiani I ex filia scimus ex Herodiano VII 10, 7 *ἦν τι παιδίον νήπιον τῆς Γορδιανοῦ θυγατρὸς τέκνον τῷ πάππῳ ὁμώνυμον.* Cf. Inscr. Orell. No. 5529.

2) Deleuit hunc locum fortasse a glossemate profectum Beckerus: obseru. in script. hist. Aug. p. 20.

qui . . . In propatulo igitur est Zosimum hanc historiae suae partem conscribentem ante oculos habuisse Dexippi chronographiam. Capitolinus autem ex eodem historico se nonnulla transtulisse ipse non negat, consequitur igitur Zosimum et Capitolinum, si consentiunt, ad unum redire fontem primarium: ad Dexippum.

Sed his praemissis iam res ipsas examinare possumus, et primum quidem inter sese conferamus, quae de expeditione contra Persas facta narrantur. Et posui hunc locum in initio, quod eo demonstratur, ne Syncellum quidem alium secutum esse fontem quam Capitolinum, quodque si de hac expeditione Zonaram quoque inspexerimus, uidebimus illum praeter Dexippum alio fonte usum esse. Zonaras enim non solum narrat Gordianum III cum Persis conseruisse arma XII 18, III 129, 21, uerum etiam Gordianum *τὸν νέον* (quin autem Gordianus *ὁ νέος* apud Zonaram sit Gordianus II dubitari nequit: cf. XII 17, III 128, 8 *οἱ δὲ τῷ υἱῷ ἐκείνου τῷ νέῳ Γορδιανῷ* . . et deinde XII 18, III 129, 19 *Μετὰ δὲ τὸν νέον Γορδιανὸν ἕτερος αὖθις Γορδιανὸς τῆς ἀρχῆς ἐπελάβετο, κατὰ γένος, ὡς λόγος, προσήκων τοῖς ἀπελθοῦσι Γορδιανοῖς*) cum Persis facit pugnantem, de qua re nullus alius scriptor memoriae quidquam tradidit. Sine dubio Zonaras (cf. p. 128, 1; 128, 8) duos adhibuit scriptores, quorum alter, qui duos solum nouit Gordianos: Gordianum auum et nepotem (cf. Cap. Gord. 2, 1) narrauerat, cum Dexippo non prorsus consentiens Gordianum nepotem = *τὸν νέον* pugnantem contra Persas *ὀλισθήσαντος τοῦ ἵππου καὶ συμπεσόντος αὐτῷ τὸν μηρὸν κατεαγῆναι, καὶ οὕτως ἀνακομισθῆναι εἰς Ῥώμην, καὶ ἐκ τοῦ κατάγματος τελευτῆσαι ἐπὶ ἓξ ἐνιαυτοὺς αὐταρχήσαντα.* Alter fons, Dexippus, recte exhibuerat *τὸν νέον Γορδιανόν* Philippi insidiis interfectum esse: has duas narrationes cum inter sese conciliare non posset, in errorem incidit et filium Gordiani I depugnasse contra Persas, et in eum transtulit ea, quae in fonte altero non satis recte de Gordiano III narrata inuenerat. Utrum nimirum putemus in hunc errorem inductum esse Dionis continuatorem an Zonaram, nihil refert. Sed his expositis redeamus ad rem.

Capit. Gord. 26, 3.	Zonar. XII 18. III 129, 19.	Sync. p. 681, 6—11.	Hieronym. ed. Schoene p. 181.
Sedato terrae motu Praetextato et Attico cons. Gordianus aperto Iano ... profectus est contra Persas cum exercitu ingenti .. fecit iter in Moesiam atque in ipso procinctu quidquid hostium in Thraciis fuit deleuit, fugauit expulit atque summouit, inde per Syriam Antiochiam uenit, quae a Persis iam tenebatur. illic frequentibus proeliis pugnauit et uicit Sapore Persarum rege summoto. Et post Artaxansen et Antiochiam recepit et Carras et Nisibin, quae omnia sub Persarum imperio erant.	*Μετὰ δὲ τὸν νέον Γορδιανὸν ἕτερος αὖθις Γορδιανὸς τῆς ἀρχῆς ἐπελάβετο, κατὰ γένος, ὡς λόγος, προσήκων τοῖς ἀπελθοῦσι Γορδιανοῖς. ὃς ἐκστρατεύσας εἰς Πέρσας καὶ πολεμήσας αὐτοῖς, Σαπώρου τοῦ υἱοῦ Ἀρταξέρξου τοῦ ἔθνους ἡγεμονεύοντος ἥττησέ τε τοὺς ἐναντίους καὶ Νίσιβιν καὶ Κάρας Ῥωμαίοις αὖθις ἐπανεσώσατο ὑπὸ Περσῶν ἐπὶ Μαξιμίνου ὑφαρπασθείσας, εἶτα πρὸς Κτησιφῶντα γενόμενος ἐξ ἐπιβουλῆς Φιλίππου τοῦ ἐπάρχου τοῦ δορυφορικοῦ ἀνῃρέθη.*	*Οὗτος ἐξ Ἰταλίας εἰς Πάρθους ἐλθὼν καὶ Σαπώρην τὸν Ἀρταξέρξου υἱὸν Περσῶν βασιλέα πολεμήσας ἐτρέψατο καὶ Νίσιβιν καὶ Κάρας ἀρθείσας ὑπὸ Περσῶν ἐπὶ Μαξιμίνου τοῦ Μυσοῦ Ῥωμαίοις ὑπέταξεν. ἀλλὰ πρὸς Κτησιφῶντα γενόμενος ἀναιρεῖται ὑπὸ τῶν οἰκείων στρατιωτῶν ὑπάρχου Φιλίππου γνώμῃ, τοῦ μετ' αὐτὸν βασιλεύσαντος ἔτη έ, κατὰ δὲ τοὺς πολλοὺς ἔτη ζ́.*	Gordianus admodum adolescens Parthorum natione superata, cum uictor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi praefecti praetorio, haut longe a Romano solo interfectus est.

Tantus locorum consensus nos docet omnia haec ex uno manasse fonte, et cum supra uiderimus duos solum fontes adhibitos esse a Capitolino in hac exaranda uita, a Dexippo profecta sunt, quae de bellis aliisque rebus gestis narrantur, a Cordo, ut in ceteris quoque uitis, ea, quae spectant ad uitam priuatam, ad mores resque cum his cohaerentes. De expeditione igitur Persica, quae exhibentur sine dubio redeunt ad Dexippum (cf. quae habet Capitolinus: Praetextato et Attico cons. et apud Syncellum *κατὰ δὲ τοὺς πολλούς*. hoc fragmentum Syncelli Schoenius Eusebio ascripsit: uersio Armenia habet: Gordianus in Parthia occisus est. Hieronymus Eutropium exscripsit).

Sed reliqua quoque examinemus, et cum in uitam Gordiani tertii ingressi simus, de huius imperatoris uita quaestionem ad finem perducamus, priusquam Gordiani primi et secundi uitas inspiciamus. Et conspirant ea, quae egimus cp. 22, 1 sq. cum eis, quae ab Herodiano exhibentur VII 10, 1 sq. ita tamen, ut appareat Herodianum ipsum fontem non esse, sed scriptorem omnia multo breuius narrantem:

Gord. 22, 1. 2.	Herod. VII 10, 1 sq.
Post mortem duorum Gordianorum senatus trepidus et Maximinum uehementius timens.	*ὡς δὲ ἐς τὴν Ῥώμην ἐδηλώθη ἡ τοῦ πρεσβύτου τελευτή, ἐν πολλῇ ταραχῇ καὶ ἀφασίᾳ ὅ τε δῆμος ἦν, ἥ τε σύγκλητος μάλιστα . . . ᾔδεσαν γὰρ* †† 1) *αὐτὸν οὔτε φεισόμενόν τινος.*
tunc populus et milites Gordianum paruulum annos agentem . . . . petiuerunt, ut Caesar appellaretur; raptusque ad senatum atque inde in contione positus indumento imperatorio tectus Caesar est nuncupatus.	Cf. VII 10, 5—7. pergit, posteaquam uerba fecit de Maximi et Balbini electione § 8 his uerbis: *πέμψαντες τοίνυν τῶν σὺν αὐτοῖς τινὰς κελεύουσι τὸ παιδίον κομισθῆναι. οἱ δὲ εὑρόντες αὐτὸ ἀθῦρον οἴκοι, ἀράμενοι ἐπὶ τῶν ὤμων, διὰ μέσου τοῦ πλήθους . . . . ἀνάγουσιν ἐς τὸ Καπετώλιον*

1) Lacuna est in contextu Herodiani, quam I. Bekkerus in editione supplere non potuit. In lacuna haec fortasse (de ipsis uerbis despero) scripta fuisse comparatio docet: *ᾔδεσαν γὰρ* ⟨*Μαξιμῖνον οὔτε εὖ ποιήσειν*⟩ *αὐτὸν οὔτε φεισόμενόν τινος*, ita ut *οὔτε εὖ ποιήσειν αὐτὸν* uerba spectent ad *δῆμον*; *οὔτε φεισόμενόν τινος* autem ad uerba *ἥ τε σύγκλητος μάλιστα*. . . .

Herod. VII 10, 1 sq.

εὐφημούμενον ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ φυλλοβολούμενον. τῆς τε συγκλήτου Καίσαρα αὐτὸ ἀποδειξάσης, ἐπειδὴ διὰ τὴν ἡλικίαν οὐχ οἷός τε ἦν προΐστασθαι τῶν πραγμάτων. . . .

Res igitur multo uberius apud Herodianum exponuntur, sed tantum abest, ut haec res nostram refellat sententiam, ut fulciat eam, cum uerisimillimum sit, Dexippum, qui omnia breuiter persecutus est, quae inuenit in fonte, in angustum contraxisse, et Capitolinum paene ad uerbum exscripsisse Dexippum Martinus l. l. rectissime demonstrauerit.

Eadem ratio intercedit inter ea, quae a Capitolino et ab Herodiano narrantur de caede militum ueteranorum Maximini:

Gord. 22, 7—9 = Herod. VII 11.

Capitibus sequentibus, ubi nobis Herodianus deest, adest Zosimus, cuius auxilio nonnullis locis uti possumus.

Gord. 23, 3—7.	Zosim. I 16. 17.
Post haec tamen uoluptatibus et deliciis populus Romanus uacauit, ut ea, quae fuerant aspere gesta, mitigaret. Venusto et Sabino consulibus inita est factio in Africa contra Gordianum tertium duce Sabiniano, quem Gordianus per praesidem Mauretaniae obsessum a coniuratis ita oppressit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes uenirent et crimina confitentes et ueniam sceleribus postulantes. 6. quando et adulescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, et duxit uxorem filiam Misithei[1]) doctis-	. . . ἀφ' οὗ τῆς προλαβούσης κατηφείας ὁ Ῥωμαίων ἀνίετο δῆμος, τοῦ βασιλέως σκηνικοῖς τε καὶ γυμνικοῖς ἀγῶσι τοὺς πολίτας ἀπαγαγόντος (quae sequuntur usque ad cp. finem = Gord. 22, 5) 17. μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Καρχηδόνιοι τῆς τοῦ βασιλέως εὐνοίας ἀλλοτριωθέντες Σαβινιανὸν εἰς βασιλείαν παράγουσι· Γορδιανοῦ δὲ κινήσαντος τὰς ἐν Λιβύῃ δυνάμεις, ἐπανελθόντες πρὸς αὐτὸν τῇ γνώμῃ τὸν μὲν ἐπιθέμενον τῇ τυραννίδι παραδιδόασι, συγγνώμης δὲ τυχόντες, τῶν περισχόντων αὐτοὺς κινδύνων ἠλευθερώθησαν. ἐν τούτῳ

1) Timesitheo nomen ei fuit. cf. Ekhelius. d. n. VII, p. 219. C. I. Gr. ed. Boeckh. 165. O. Hirschfeld: Untersuchungen auf dem Gebiete der Römischen Verwaltungsgeschichte I p. 236 sq.

Gord. 23, 3. 4—9.	Zosim. I 16. 17.
simi uiri, quem causa eloquentiae dignum parentela sua putauit et praefectum statim fecit. Post quod non puerile iam et contemptabile uidebatur imperium. . . .	δὴ πρὸς γάμον ἄγεται Γορδιανὸς Τιμησικλέους θυγατέρα, τῶν ἐπὶ παιδεύσει διαβοήτων ἀνδρός, ὃν ὕπαρχον τῆς αὐλῆς ἀναδείξας ἔδοξε τὸ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας τῇ κηδεμονίᾳ τῶν πραγμάτων ἐλλεῖπον ἀναπληροῦν. cf. Zon. XII 18. III 129, 28.

De sequentium capitum parte, quae spectant ad bellum Persicum iam actum, de eis, de quibus adhuc uerba non fecimus, quia ad alium redeunt fontem paulo post agetur. Quae autem de Philippo Arabe a Capitolino et Zosimo proferuntur non minus consentiunt, quam loci modo comparati:

Gord. 29, 2.	Zosim. I 18.
uerum artibus Philippi primum naues frumentariae sunt auersae, deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annonari non posset.	ἔτι τοῦ βασιλέως περὶ Κάρρας καὶ Νίσιβιν σὺν τῷ στρατῷ διατρίβοντος αὐτὸς ἐνδοτέρω τὰς ναῦς, αἳ τὴν στρατιωτικὴν τροφὴν εἶχον, εἰσιέναι διέταττε, ὡς ἂν ἡ στρατιὰ . . (Zon. XII 18. III 130, 1—12).

Omnino caput 29, 1—4 speciem prae se fert originis Dexippeae: statim in initio ex eius more consulum adduntur nomina (quod accedit ad confirmandam meam sententiam de ceteris locis prolatam: cf. 23, 4; 23, 5; 26, 3) sed capita 29, 4 sq. et 30 uersa esse ex annalibus Dexippi Martino non concesserim. Nam Dexippi narratio nimirum in singulis non commorata rebus, celeriter progrediebatur, et mea sententia hoc loco non Capitolinus uerum Zosimus et Zonaras et Syncellus (cf. supra p. 41) de morte Gordiani Dexippi uerba ipsa nobis reseruarunt. Quae apud Capitolinum addita legimus cum Gordiano pariter imperasse per temporis spatium Philippum, eum autem suscepto imperio superbissime se gessisse contra Gordianum, ita ut ille, cum frustra milites orasset, ut imperium abrogaretur Philippo, peteret 'ut loco Caesaris haberetur' apud alium non exstant historicum et certe Romano debentur fonti. Verbis 30, 8 'cum et nepos ac filius imperatorum esset', non tantam imputandam puto uim, ut ab eis profecti totum caput attribuamus Dexippo.

Praeterea silentio cum Scythis bellum 31, 1 transierunt Zosimus

et Zonaras, quam ob rem hoc quoque ut omnia sequentia e Cordo aut alio latino fonte fluxisse contendo.

Sunt igitur ex uita Gordiani tertii hi loci attribuendi Dexippo: cp. 22; 23 (exc. § 2); 26, 3—6; 29, 1—4. Reliqua si Cordo ascribimus, ei iniuriam non inferamus. Zosimus, quae protulit, omnia debet Dexippo, Zonaras eum fontem adhibuit XII 18. III 129, 19—130, 12. Ex alio, ut uidimus, fonte fluxerunt XII 17. III 128, 8—17 narrata.

Cum hoc modo demonstrasse mihi uidear in Gordiani tertii uita conscribenda praesertim ante oculos habuisse Capitolinum Dexippi libros, iam per se prorsus est uerisimile non alium fontem ab eo esse inspectum in uitis duorum aliorum imperatorum eiusdem nominis, et comparatione instituta ne de hac quidem re dubitare poterimus.

Ac statim in initio uitae Gordiani I Arrianus (?) et Dexippus citantur, ita ut dubitari nequeat, quin Dexippum inspexerit Capitolinus. Prima uerum narrata de moribus quibusque magistratibus functus sit Gordianus ad Cordum redeunt, cuius simul memoria fit 4, 6 uel ad alium historicum latinum de qua re a meis quoque stat partibus Carolus Daendliker l. l. p. 248. Dexippum autem adiisse uidetur Capitolinus inde a capitis noni paragrapho tertia, quo in capite Dexippus ipse citatur fons. Quae enim antecedunt de rebus cum electione Gordiani cohaerentibus e Dexippo prorsus non fluxisse possunt; Capitolinus enim Mauritium decurionem interfecto rationali quodam acrius contra Afros saeuiente, oratione habita Afrorum animos conuertisse in Gordianum, Herodianus illum rationalem a duobus iuuenibus, quibus iniurias intulisset, interemptum esse memoriae prodidit. Deinde cum uenissent ad proconsulis Gordiani domum, alterum horum iuuenum facit adhortantem Gordianum: *δύο κινδύνων προκειμένων . . . ἑλέσθαι σε δεῖ σήμερον σώζεσθαι μεθ' ἡμῶν . . . ἢ τεθνάναι ἤδη πρὸς ἡμῶν.*

De his apud Capitolinum omnino nihil exstat, eum autem 9, 2 deseruisse fontem, quem antea secutus erat, et amplexum esse Dexippum iam fit clarum uerbis his ipsis: 9, 3 ʻAppellato igitur Gordiano imperatore i u u e n e s, q u i a u c t o r e s h u i u s f a c i n o r i s e r a n t'; nam sine dubio, nisi Dexippum adhibuisset Capitolinus, de ʻiuuenibus, qui auctores huius facinoris erant' dicere non potuisset, cum secundum narrationem a Capitolino ex alio fonte antea insertam, Mauritius, ut uidimus, fuisset, qui, ut Gordianus eligeretur, impulerat Afros. Atque etiam eo fulcitur mea sententia, quia, cum antea nihil reperiri possit in Capitolini contextu, quo ponere cogamur, Capito-

linum haec transtulisse e Dexippo — quod inueniuntur nonnullae, tenues quidem, similitudines cum uerbis Herodiani: ut Gord. 5, 1—2. 4 = Herod. VII 5, 2 casu accidisse potest, aut si hoc cui magis arridet, Capitolinus fortasse iam lectitauerat a Dexippo exhibita, nonnullasque res, quarum memoria animum subierat, inseruit ex alio fonte petitis — inde a cap. 9, 6 aperte uidemus inspectos esse Dexippi annales.

Gord. 9, 6.	Herod. VII 6, 1.
Post hoc (sc. Thysdri fuerat antea) Carthaginem uentum cum pompa regali et fascibus laureatis, filiusque legatus patris, exemplo Scipionum, ut Dexippus, Graecae historiae scriptor auctor est, pari potestate succinctus est.	ἀπάρας τε τῆς Θύστρου εἰς τὴν Καρχηδόνα ἠπείχθη . . . . § 2 εἵπετο δὲ αὐτῷ πᾶσα ἡ βασιλικὴ πομπή . . . . αἵ τε ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον ἐς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν.

Hoc allato loco nemo dubitet, quin a Capitolino non solum de filio annotata, uerum omnia e Dexippo hausta sint.

Nec aliter res se habet in locis quos subieci his:

Gord. 9, 7—8.	Zonar. XII 16; III 125, 22.	Herod. VII 6, 3.	Zosimus I 14.
missa deinceps legatio Romam est, cum litteris Gordianorum, haec, quae gesta fuerant in Africa indicans, quae per Valerianum principem senatus, qui postea imperauit, gratanter accepta est. missae sunt et ad amicos nobiles litterae, ut homines poten-	ἐπιστέλλει οὖν τῇ βουλῇ, καὶ τοὺς ἀγγελοῦντας τὴν ἀνάρρησιν αὐτοῦ τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀπέστειλε.	ὅ τε Γορδιανὸς γράμματά τε πάμπλειστα ἐκπέμπει πρὸς ἕκαστον τῶν κατὰ τὴν Ῥώμην πρωτεύειν δοκούντων, τοῖς δὲ τῆς συγκλήτου δοκιμωτάτοις ἐπιστέλλει, ὧν ἦσαν αὐτῷ πλεῖστοι φίλοι τε καὶ συγγενεῖς. ἐποίησε δὲ καὶ δημόσια γράμματα πρός	ἔστειλαν ἐν Ῥώμῃ πρέσβεις, ἄλλους τε καὶ Οὐαλεριανόν[1], ὃς τοῦ ὑπατικοῦ τάγματος ὢν ἐβασίλευσεν ὕστερον.

1) De hac cum Capitolino discrepantia bene egit Martinus l. l. p. 3 s.f.

Gord. 9, 7—8,	Zonar. XII 16; III 125, 22.	Herod. VII 6, 3.	Zosimus I 14.
tes et rem probarent et amiciores fierent ex amicis.		τε τὸν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν σύγκλητον.	

Huius igitur loci Capitoliniani origo in propatulo, praesertim cum paulo antea Dexippus citetur fons: 9, 6. Cetera quoque de Gordiano I narrata ex eodem fonte sumpta esse iam diuinare possemus, etiam si neque Zosimus et Zonaras in uniuersum consentirent, neque Herodianus concineret. In uniuersum solum dixi concinere Zosimum et Zonaram hac commotus re: Capitolinus enim Maxim. 20; Max. et Balb. 1 conspirans cum Dexippo et Herodiano (Arriano), ut ipse dicit, tradit post Gordianorum duorum necem electos esse Maximum et Balbinum. cf. Max. 32, 3. In Gordianorum autem uita 10, 1 haec leguntur: 'sed tanta gratulatione factos contra Maximinum imperatores senatus accepit, ut non solum gesta haec probarent, sed etiam uiginti uiros eligerent, inter quos erat Maximus siue Puppienus et Clodius Balbinus. qui ambo imperatores sunt creati, posteaquam Gordiani duo in Africa interempti sunt'. De hac uiginti uirorum electione nihil scit Herodianus, Zosimus autem cum Capitolino conspirat: cf. I 14 s. f. ubi ille, postquam narrauit summo cum gaudio accepisse senatum nuntium Gordianos a militibus imperatores esse factos, his pergit uerbis: *προχειρίζονται τῆς βουλῆς ἄνδρας εἴκοσι, στρατηγίας ἐμπείρους, ἐκ τούτων αὐτοκράτορας ἑλόμενοι δύο Βαλβῖνον καὶ Μάξιμον.* Hanc narrationem Zonaras quoque nouit: XII 16; III 125, 31: *τινὲς δὲ Καίσαρας αὐτοὺς πρὸς τῆς βουλῆς ἱστόρησαν ἀναγορευθῆναι, μήπω μαθούσης τὴν ἀνάρρησιν τοῦ Γορδιανοῦ*: hoc igitur pro certo affirmare possumus Gord. 10 narrata, abhorrentia a Dexippo redire ad eum fontem, ex quo hauserunt Zosimus et Zonaras l. c. (aut ad similem fontem). Daendlikerus, falso, mea sententia, hoc quoque deberi Dexippo arbitratur, l. l. pg. 252. Ac quamuis maior in uniuersum auctoritas apud Herodianum soleat esse, tamen huius Zosimi ceterorumque narrationis iacturam non fecerim; res ita mea sententia se habet: Postquam senatus audiuit Gordianos imperatores factos esse eam ratam esse electionem iussit. Cum autem Gordiani procul abessent ab urbe, cui Maximinus perniciem minitabatur, senatus saluti urbis consuluit electis illis uiginti senatoribus artis bellicae peritis (*στρατηγίας ἐμπείρους*) quorum

principes fuerunt Maximus et Balbinus. Imperatores hi a senatu tum non erant facti, sed ut ex uerbis Zonarae et Capitolini elucet, ducum solum fungebantur muneribus (Zosimus non satis accurate *αὐτοκράτορας* eos appellat). Postea nuntiata Gordianorum morte iis senatus summam mandauit rerum.

Et scire me puto cur Herodianus electionis illorum uiginti uirorum, quibus praeerant duces Maximus et Balbinus, mentionem non fecerit: perpaucos enim solum dies hoc munere functi sunt: Gordiani epistola, qua senatui nuntiauit, se a militibus imperatorem esse factum in senatu recitata est die VI Cal. Iul. (Maxim. 16). Imperatores autem facti sunt Maximus et Balbinus die VII id. Iul. (Max. et Balb. 1, 1): curationem igitur rei publicae uiginti illi senatores per tredecim dies habebant.

Quae hunc locum modo tractatum excipiunt iterum exstant apud Herodianum VII 6, 4 sq. His autem narratis Capitolinus Dexippum deseruit, ut e Cordo, ut uidetur (12, 1), senatus consultum eorumque insereret epistolam et legentibus explicaret, quid esset 'tacitum senatus consultum'. Redit ad graecum suum fontem cp. 13 s. f. ut ex hoc uno loco elucet:

Gord. 13, 9.	Herod. VII 7, 4.
tunc et praefectus urbi Sabinus, consularis uir, fuste iam percussus occisus et in publico derelictus est.	*. . . ὡς καὶ τὸν τῆς πόλεως ἐπάρχοντα μετὰ πράξεις πολλὰς ὑπατικὰς (Σαβῖνος δὲ ἦν ὄνομα) βουλόμενον κωλῦσαι τὰ γιγνόμενα ξύλῳ παισθέντα κατὰ τοῦ κρανίου τελευτῆσαι.*

Nec ex alio fluxisse fonte contio Maximini cp. 14 uidetur. Nam quamuis apud Herodianum multo exstet longior uberiorque oratio, tamen in Capitolini oratione eadem quasi lineamenta possunt dignosci et in hac oratione et in illa, quam Capitolinus Maximinum de eadem re habentem facit Maxim. 18, 1.

Gord. 14, 1.	Herod. VII 8, 4.
. . . dum nos a Germania Romanam defendimus maiestatem, dum nos Illyricum a barbaris uindicauimus, Afri fidem Punicam praestiterunt (Maxim. 18, 1. . . . Afri fidem fregerunt).	*ὅπλα ἐφ' ὑμᾶς καὶ τὴν ὑμετέραν ἀνδρείαν οὐ Γερμανοὶ αἴρονται, οὓς πολλάκις ἐνικήσαμεν, οὐ Σαυρομάται . . . ἀλλὰ γὰρ Καρχηδόνιοι μεμήνασι καὶ πρεσβύτην ἄθλιον κτλ.*

Nec mirum, quod duas de eadem re apud eundem scriptorem legimus orationes easque diuersas, nam Capitolinus, qui non tam

erat historicus quam rhetor, arripuit nimirum occasionem suam proferendi artem. Hoc modo simul illud declaratur, quod orationes se non arte applicent ad eam orationem, quam apud Herodianum legimus. Ad Dexippum mihi propius accedere uidetur oratio, quae exstat in Maximinorum uitis, nam in illa oratione, de qua agimus mentio fit uiginti illorum uirorum a senatu electorum, quam rem Herodianum-Dexippum ignorasse uidimus. Cf. Tillemont III 488 not. VI et Daendliker l. l. p. 256. Quae autem in uita Gordianorum subsequuntur ita cum Herodiani contextu concinunt, ut Capitolinus non solum sententias uerum etiam uerba a Dexippo mutuatus esse uideatur. Conferas exempli gratia locos hos:

Gord. 15, 3.	**Herod. VII 9, 5.**
. . . et Gordianus iunior non tam exercitatus, quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur, pugna commissa uincitur et in eodem bello interficitur.	. . ὄχλῳ πλείους ἦσαν, ἄτακτοι δὲ καὶ πολεμικῶν ἔργων ἀπαίδευτοι, ἅτε ἐν εἰρήνῃ βαθείᾳ τεθραμμένοι ἑορταῖς τε καὶ τρυφαῖς σχολάζοντες ἀεὶ . . .
Gord. 16, 1.	**Herod. VII 9, 7.**
Fertur autem tanta multitudo Gordiani partium in bello cecidisse, ut cum diu quaesitum sit corpus Gordiani iunioris non potuerit inueniri.	ἔνθα καὶ ὁ τοῦ Γορδιανοῦ υἱὸς ἀπώλετο οἵ τε περὶ αὐτὸν πάντες, ὡς διὰ πλῆθος πτωμάτων μήτε νεκρῶν ἀναίρεσιν πρὸς ταφὴν γενέσθαι δυνηθῆναι, μήτε τὸ τοῦ νέου Γορδιανοῦ σῶμα εὑρεθῆναι.
Gord. 16, 2.	**Herod. VII 9, 9.**
haec ubi comperit senior Gordianus, cum et in Africa nihil praesidii et a Maximino multum timoris et fides Punica perurgueret, et acerrime Capelianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo uitam finiuit.	ἕτεροι δέ φασιν, ὡς δὴ ταῦτα οἴκοι μεμενηκότι διὰ γῆρας τῷ πρεσβύτῃ Γορδιανῷ ἀπηγγέλη ὅ τε Καπελλιανὸς εἰσελαύνων εἰς τὴν Καρχηδόνα ἐδηλώθη, ἐν ἀπογνώσει δὲ πάντων γενόμενος, εἰσελθὼν μόνος εἰς τὸν οἰκίσκον, ὡς δὴ καθευδήσων ἐξαρτήσας . . . τοῦ βίου ἀνεπαύσατο.

De senioris Gordiani morte scriptores diuersas tradiderunt narrationes: cum ea, quam legimus apud Capitolinum consentiunt Herodianus VII 9, 9 et Zonaras XII 17, III 128, 1—7: laqueo uitam finiuisse post infelicem contra Capelianum pugnam. Praeter hanc aliam quoque profert narrationem Herodianus non ualde ab hac discedentem VII 9, 4. Prorsus alium secuti sunt fontem Zosi-

mus, qui dicit ἐν τῷ πλεῖν illos, Gordianum seniorem et filium interiisse, et Zonaras l. l. 127, 24 qui talia exhibet: τὸν δὲ Γορδιανὸν τῆς Ῥώμης ἐπιβεβηκότα νοσῆσαι, τὸ μὲν ὅτι ὑπεργήρως ἦν . . . τὸ δ' ὅτι χρονοτριβήσας ἐν τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸν πλοῦν πάνυ τεταλαιπώρητο, καὶ ἐκ τῆς νόσου ταύτης ἐκλελοιπέναι. Vtque initium faciamus cum Zonara, nihil scit hoc loco Gordianum II una cum patre periisse: uidetur haec Zonarae narratio fluxisse ex eodem fonte, quem supra de Gordiani III expeditione Persica uerba facientes, commemorauimus (p. 40—42). Zosimus deinde Gordianum et patrem et filium nauigantes interiisse dicit: ἐν τῷ πλεῖν. Haec autem lectio non satis certa. In codice Parisino enim non legitur πλεῖν, sed solum πειν, ut Boiuinus annotauit. Hac uaria lectione in subsidium uocata et pro solito librariorum compendio accepta coniecit πολεμεῖν Spanhemius, quam coniecturam probauit Martinus l. l. p. 8. Sed neque Spanhemius neque Martinus Reitemeieri argumentum, quo refellere studet hanc coniecturam, reppulit. Exhibet enim Reitemeierus haec (ed. Bonn. Zos. p. 334): ['Spanhemius] emendat πολεμεῖν, adeo ut Gordianus tempestate pugnae (nam ea esset βία χειμῶνος dictione poetica) oppressus dicatur' — addidit Heynius: τῶν δὲ βίᾳ χειμῶνος ἀπολομένων de pugna haec accipi possunt nullo modo: poetica illa et a nostri scriptoris consuetudine prorsus aliena'. Ad haec, quae hi uiri docti contradixerunt, refellenda, acciri possunt Capitolini uerba Gord. 16, 2: 'fuit praeterea ingens, quae raro in Africa est, tempestas, quae Gordiani exercitum ante bellum ita dissipauit, ut minus idonei milites proelio fierent, atque ita facilis esset Capeliani uictoria'. Sed dubitauerim an non recte coniecerit Spanhemius: uidimus iam antea praeter Dexippum alium quoque fontem secutum esse Zosimum, in quo fortasse legebatur, nauigantes diem supremum obiisse Gordianos. Aliter de hac re iudicauit Carolus Daendliker l. l. p. 259, nota 2: Gord. 16, 2 reducit ad Dexippum, et ex hac annotatione Zosimi narrationem fluxisse censet, qui tamen, qua fuisset leuitate, rem corrupisset, cum non ut Dexippus, narrasset pugnantibus Gordiani militibus tempestatem ualde nocuisse, sed nauigantes Gordianos βίᾳ χειμῶνος interisse. Ego quoque antea hoc suspicatus amplexus eram Spanhemii emendationem, qua probata et Zosimus et Capitolinus paene prorsus consentiunt. Sed disquisitione iterum instituta multo probabilior mihi uisa est illa sententia, quam paulo antea professus sum. Dexippi nimirum sunt, quae legimus apud Zonaram XII 17 III 129, 1—7 (= Herodian. VII 9, 9) et Capitolinum Gord. 16, 2.

Redeunt igitur ex Gordiani primi uita ad Dexippum 9, 3—8; 13, 9. 14. 15. 16. Quae restant, praeter caput primum, quod de suo addidit, latinis debentur historicis, maxima pars, ut uidetur, Iunio Cordo, cui et Vulcatio Terentiano ascribenda ea quoque sunt, quae legimus de Gordiani iunioris uita cp. 17—21.

Hoc loco, ut promisi, de capite 14 uitae Maximinorum pauca addam: utque in hoc capite nihil inest, quod pugnet contra Herodiani uerba (paragraphi primae contextus perturbatus est) quamuis apud Capitolinum omnia ualde coartata sint, ita et eo, quod omnia breuiter neque tamen minus accurate narrata sint, ualde commendatur origo Dexippea, et reperiuntur eadem uerba § 4, quibus commoti antea eundem in Gordianorum uita locum assignauimus Dexippo:

Maxim. 14, 4 = Gord. 9, 6 = Herod. VII 6, 1.

Cum uiderimus de Gordiano III res narratas apud Syncellum quoque 681, 6—11 manasse e Dexippi annalibus, neque alium redolere fontem, quae de Gothorum Scytharumque narrantur irruptionibus, non nimis audacter nos acturos esse puto, si ea quoque, quae in medio inter hos duos locos apud Syncellum leguntur, eidem attribuamus 683, 1—4.

Sync. 683, 1—4.	Zos. I 19.	Zon. XII 19 III 130, 25.
Φίλιππος οὖν κρατήσας Ῥωμαίων ἔτη ζ' μετὰ τὴν εἰς Σαπώρην τὸν Περσῶν βασιλέα σπονδὴν ἀναζεύγνυσιν ἐν Ῥώμῃ. καὶ πολεμεῖ πρὸς Δέκιον αὐτοκράτορα παρὰ τῶν στρατευμάτων ἀναῤῥηθέντα, ἡνίκα καὶ ἀναιρεῖται.	ὁ πρὸς μὲν Σαπώρην ἔθετο φιλίαν ἐνώμοτον, λύσας δὲ τὸν πόλεμον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐξορμᾷ (deinde multo est uberior)	σπονδὰς δὲ πρὸς Σαπώρην θέμενος, τὸν τῶν Περσῶν βασιλεύοντα τὸν πρὸς Πέρσας κατέλυσε πόλεμον.

Vnum reliquum est fragmentum Syncelli 715, 1—7, quod ex alio scriptore non fluxisse iam eo fit uerisimile, quod sequentia quoque omnia e Dexippo exscripta esse antea uidimus. Accedit, quod in hoc fragmento ex more Dexippeo fontium annotantur discrepantiae *κατὰ μὲν τοὺς πλείστους* et *κατὰ δέ τινας*.

De his hactenus. Restat nunc, ut extremas quoque uitas a Iulio Capitolino conscriptas, Maximi et Balbini, qui in re publica

Gordianis imperantibus partes egerunt, perlustremus. Syncellus de his uiris nihil exhibuit.

De nomine Maximi apud ueteres magna fuit perturbatio, ut Capitolinus ipse testatur: graeci fontes Herodianus, Dexippus, Arrianus (?) (cf. 1, 2; 15, 5). Maximo ei nomen fuisse tradiderant, cum plerique scriptorum latinorum eum Puppienum appellassent. Et quam ualde confusi fuerint de his imperatoribus fontes, optime cernitur ex Zonarae narratione. Postquam enim cum ceteris consentiens scriptoribus Dexippum secutus res gestas Maximi et Albini eorumque caedem narrauit, pergit nonnullos memoriae tradidisse post Maximum et Albinum Pompeianum quendam et post eum Balbinum summum habuisse Romae imperium: res in propatulo: in illo scriptore quem Zonarae fons praeter Dexippum inspexit, exstabant non nomina Maximus et Albinus sed Puppienus et Balbinus: hac nominum diuersitate Dionis continuator (aut Zonaras?) in errorem inductus est Puppienum (quod nomen, nisi iam corruptum legebat in fonte corrupit, in 'Pompeianum') et Balbinum imperium tenuisse post Maximum et Albinum. Hausit haec fortasse Dionis continuator (aut Zonaras) ex eodem fonte cui debentur falsae illae annotationes de Gordiani senioris morte et de Gordiani alterius expeditione Persica, de quibus supra uerba fecimus.

Vtque hoc statim praesumam, Zosimus, cum in morte horum imperatorum enarranda abhorreat ab eis, quae Herodianus-Dexippus tradiderunt, uitas Maximi et Balbini pertractans alium (fortasse eundem quem supra adhibitum esse obseruauimus p. 48) secutus est fontem. Sed reuertamur ad Capitolinum.

Et citatur statim una cum Arriano (?) in initio Dexippus a Capitolino de Maximi iusto nomine agente; uerba porro subsequentia de utriusque Maximi et Balbini moribus, cum eis collata, quae ab Herodiano exhibentur, nihil dubii relinquunt, quin haec quoque e Dexippi libris manauerint. Locum dico hunc:

Max. et Balb. 1, 2.	Herod. VII 10, 4.
quorum alter bonitate, uirtute alter ac seueritate clari habentur.	τούτων δ' ἦν ὁ μὲν Μάξιμος ἔν τε πολλαῖς στρατοπέδων ἀρχαῖς γενόμενος, τῆς τε Ῥωμαίων πόλεως ἔπαρχος καταστὰς ἀνεπιστρόφως τε ἄρξας, καὶ ἐν ὑπολήψει παρὰ τοῖς ὄχλοις φρενῶν τε καὶ ἀγχινοίας καὶ βίου σώφρονος, ὁ δὲ Βαλβῖνος γενόμενος

Max. et Balb. 1, 2.	Herod. VII 10, 4.
	μὲν εὐπατρίδης, εἰς δευτέραν δὲ ὑπατείαν ἐληλακὼς ἐθνῶν τε ἡγησάμενος ἀμέμπτως, τὸ δὲ ἦθος ἁπλούστερος; cf. ibid. § 6. <ἦρξέ τε. γὰρ> στερρότερον τῆς πόλεως sc. Μάξιμος.

Quae deinde proferuntur fortasse sumpta sunt e libris historicis Curii Fortunatiani, qui omnem hanc historiam perscripsit, et Iunii Cordi, cf. Daendliker l. l. 313, usque ad caput octauum exceptis capitis tertii §§ 1—5. Ibi enim et inde a capitis octaui § 1 uestigia pressa sunt Dexippi:

Max. et Balb.	3, 1—5 =	Herod. VII 10, 5—9.
„ „ „	8, 1—4 =	
„ „ „	9, 1—3 =	Herod. VII 11—12.
„ „ „	10, 4—8 =	
„ „ „	9, 3—5 =	Herod. VII 10, 8.
„ „ „	10, 1—4 =	Herod. VIII 5, 5.

Non quidem negandum Capitolinum hanc totam rem ita in angustum coegisse, ut certum iudicium ferri non possit. Sed concluserim haec quoque ad Dexippum redire ex nonnullis similibus enuntiatis, quae in altera cp. 10 praecipue parte leguntur.

Max. et Balb. 10, 6—8.	Herod. VII 12, 3—7.
nec umquam ad amicitiam essent redacti nisi fistulas aquarias populus incidisset. in urbe autem, priusquam dictum esset, milites pacatos uenire, et tegulae de tectis iactae sunt, et omnia, quae in domibus erant uasa, proiecta. — atque ideo maior pars ciuitatis perit et multorum diuitiae. nam latrones se militibus miscuerunt ad uastanda ea, quae norant, ubi repperirent. Cum haec Romae geruntur. . . .	ἔδοξε τοῖς στρατηγοῖς ἐκκόψαι πάντας τοὺς εἰσρέοντας ἐς τὸ στρατόπεδον ἀγωγοὺς ὕδατος, σπάνει τε ποτοῦ καὶ ἐνδείᾳ ῥείθρων αὐτοὺς περιστήσαντες . . . . ἀναπηδῶντες ἐς τὰ δωμάτια τῷ τε κεράμῳ βάλλοντες αὐτοὺς καὶ λίθων βολαῖς τῶν τε ἄλλων ὀστράκων ἐλυμαίνοντο . . . πλῆθός τε ἀνθρώπων συγκατεφλέχθη . . . οὐσίαι τε ὅλαι πλουσίων ἀνδρῶν διηρπάγησαν, ἐγκαταμιξάντων ἑαυτοὺς τοῖς στρατιώταις πρὸς τὸ ἁρπάζειν κακούργων καὶ εὐτελῶν δημοτῶν . . . καὶ τὰ μὲν κατὰ τὴν Ῥώμην τοιαῦτα ἦν.

Nec mirum in ceteris rebus tam discedere ab Herodiano Capitolinum: nam hoc loco duas seditiones inter sese confudit Capitolinus, aut quod ego quidem crediderim, eius auctor Dexippus. Cf. de hac re, quae Casaubonum secutus affert Aemilius Brocks l. l. p. 66.

Cp. 11, 1—5 narrata autem certe redire ad Dexippum demonstratur eo, quod huius capitis paragraphus tertia prorsus conspirat cum quinta paragrapho capitis decimi sexti, ubi Dexippum fontem fuisse annotatur. Vtque de his paragraphis certum ferre potuimus iudicium, ita pro certo confirmare possumus ex fonte latino hausta esse capite duodecimo narrata, cum pars ibi exhibitorum — (excepto uno loco, qui prope accedit ad contextum Herodianeum

Max. et Balb. 12, 7.	**Herod. VIII 8, 2.**
maerentibus militibus, quod eum imperatorem, quem ipsi delegerant, perdiderant, et eos habebant, quos senatus legerat) —	ἠγανάκτουν ὅτε ἄρα ἔχοιεν ἐκ συγκλήτου βασιλέας.

non solum non consentiat cum Herodiani uerbis, uerum ualde recedat. Exempli gratia Capitolinus memoriae tradidit cum Maximini exercitu magna pompa ad urbem uenisse Maximum, cum apud Herodianum legamus VIII 7, 7: *καὶ τὸ μὲν ἄλλο στρατιωτικὸν ἀπέπεμψεν ἔς τε τὰ ἔθνη καὶ τὰ οἰκεῖα στρατόπεδα, αὐτὸς δὲ ἐπανῆλθεν ἐς τὴν Ῥώμην σύν τε τοῖς δορυφόροις, οἳ τὴν βασίλειον φρουροῦσιν αὐλήν, σύν τε τοῖς ὑπὸ Βαλβίνῳ στρατευομένοις.* Fortasse haec Capitolinus debet Cordo (12, 4).

Auctorem autem suum graecum amplexus est Capitolinus

Max. et Balb. 13, 4	=	Herod. VIII 8, 1
„ „ „ 13, 5	=	„ VIII 8, 2
„ „ „ 14, 1	=	„ VIII 8, 4
„ „ „ 14, 2	=	„ VIII 8, 3
„ „ „ 14, 3	=	„ VIII 8, 5.

Vtque demonstremus, quam arte hoc loco amplexus sit suum auctorem Herodianum Capitolinus i. e. Dexippus, postrema inter sese comparemus:

Max. et Balb. 14, 5sq.	**Herod. VIII 8, 6—8.**
in hac tamen seditione illis contendentibus milites superuenerunt atque ambos eos nudatos uestibus regalibus de Palatio cum	ἐν ᾧ δὲ περὶ τούτων διαφέρονται, εἰσδραμόντες οἱ στρατιῶται ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες, ἐκστάντων αὐτοῖς τῶν περὶ τὰς αὐλείους εἰσ-

Max. et Balb. 14, 5sq.

iniuriis produxerunt et per mediam ciuitatem ad castra raptare uoluerunt magna ex parte laniatos. sed ubi compererunt Germanos ad defensionem illorum superuenire, ambos occiderunt et in itinere medio reliquerunt. inter haec Gordianus Caesar sublatus a militibus imperator est appellatus, quia non erat alius in praesenti, insultantibus militibus senatui et populo, qui se statim in castra receperunt. Germani sane, ne sine causa pugnarent occisis iam imperatoribus suis, extra urbem, ubi suos habebant, se contulerunt.

Herod. VIII 8, 6—8.

όδους φυλαττόντων, ἁρπάζουσι τοὺς πρεσβύτας, περιῤῥήξαντες δὲ ἃς εἶχον περὶ τοῖς σώμασιν ἐσθῆτας λιτὰς ἅτ' οἴκοι διατρίβοντες, γυμνοὺς τῆς βασιλείου αὐλῆς ἐξέλκουσι μετὰ πάσης αἰσχύνης καὶ ὕβρεως . . . διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἀπῆγον . . . ἐπεὶ δὲ ταῦτα πυθόμενοι οἱ Γερμανοί, λαβόντες ὅπλα, ἠπείγοντο ὡς ἀμυνοῦντες αὐτοῖς, μαθόντες οἱ πραιτωριανοὶ ἀφικνουμένους φονεύουσιν ἤδη πᾶν τὸ σῶμα λελωβημένους τοὺς βασιλέας. καὶ καταλιπόντες τὰ σώματα ἐῤῥιμμένα ἐπὶ τῆς λεωφόρου, ἀράμενοι δὲ τὸν Γορδιανὸν Καίσαρα ὄντα, αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες, ἐπειδὴ πρὸς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὗρον . . . ἔχοντες αὐτὸν ἀπελθόντες ἐς τὸ στρατόπεδον, συγκλείσαντες τὰς πύλας ἡσύχαζον. οἱ δὲ Γερμανοὶ μαθόντες ἀνῃρημένους τε καὶ ἐῤῥιμμένους ὧν χάριν ἠπείγοντο, οὐχ ἑλόμενοι πόλεμον μάταιον ὑπὲρ ἀνδρῶν τεθνηκότων, ἐπανῆλθον ἐς τὸ ἑαυτῶν καταγώγιον.

Cum ad uerbum paene consentiant, nihil habeo, quod addam, sed hoc quoque lucramur locis inter sese collatis: in contextu Capitolini s. f. 'ubi suos habebant' intellegi non potest, nam prorsus est in obscuro, quo referendum sit 'suos', nisi forte quis animo supplendum esse censet 'commilitones'. Sed Herodianus non tradidit partem Germanorum remansisse in castris. Respiciens uerba Herodiani statuendum censeo errorem librarii: scribere propono: ubi S⟨TATI⟩VA ⟨SVA⟩ habebant.

In sequentibus diiudicatio perfacilis est, nam nomen Dexippi ad locos ex eo haustos additur: 15, 5; 16, 4; 16, 6.

De Capitolini uitis hactenus: uidimus illum permulta in scriptis suis mutuatum esse e Dexippi libris historicis, praeterea autem

adhibuisse fontes nonnullos alios. Iuuat fortasse hos Capitolini fontes breuiter enumerare.

Et usus est his:

1) litteris: Clod. Alb. 2, 2; 3, 2; 4, 6; 10, 6; 10, 9; 12, 5; 14, 4. — Opil. Macr. 6, 2. — Maxim. 12, 6; 15, 6; 16, 2; 26, 3. — Gord. 5, 3; 11, 8; 13, 2; 14, 7; 24, 2; 25, 1. — Max. et Balb. 17, 2.

Harum epistolarum partem fortasse ex archiuis, ubi reseruari solebant, sumpsit, nonnullae ex Cordo translatae uidentur (cf. Gord. 14, 7).

2) Contiones — orationes — senatus consulta inseruit:

Clod. Albin. 3, 3; 13, 5.

Maxim. 13, 2; 18, 1. — Gord. 8; 14; 27, 4. — Max. et Balb. 1, 3; 2, 2.

Maxim. 16, 3; 26. — Gord. 11, 1.

3) Romanos historicos inspexit hos:

[a) Marium Maximum: Ant. Pius 11, 4. — Ant. Phil. 1, 6; 25, 10. — Pert. 2, 5; 15, 8. — Alb. 3, 4; 9, 2; 9, 5; 12, 14] (cf. Dreinhöfer: l. l. p. 10).

b) Iunium Cordum, qui uitas descripsit imperatorum obscuriorum inde a Clodio Albino usque ad Maximum et Balbinum. Sed non multum profecit (Op. Macr. 1, 3) cum adamaret res minimi momenti memoratuque indigna exponere: quotiens processerit imperator, quando cibos uariauerit, quanto uestem mutauerit. Eum continuasse uidetur Palphurius Sura, de quo suo agam loco. Citatur Cordus his locis: Alb. 5, 10; 7, 3; 11, 2. — Opil. Macr. 1, 3.—Maxim. 4, 1; 6, 8; 12, 7; 27, 7; 28, 10; 29, 10; 31, 4. — Gord. 4, 6; 5, 6; 12, 1; 14, 7; 17, 3; 19, 9; 21, 3; 22, 2; 26, 2; 31, 6; 33, 5. — Max. et Balb. 4, 2; 12, 4.

c) Adhibita sunt, quae imperator Seuerus de uita sua priuata publicaque memoriae tradiderat: Clod. Alb. 7, 1; 10, 1; 11, 4.

d) citantur hi historici, de quibus paene nihil scimus:

α) Quadratus: belli Parthici scriptor. Ver. 8, 4.

β) Ael. Sabinus: Maxim. 32, 1.

γ) Volcacius Terentianus: Gord. 21, 5.

δ) Curius Fortunatianus, qui historiam perscripsit Maximi et Balbini temporum. Max. et Balb. 4, 5.

4) Historicorum graecorum inueniuntur nomina haec:

a) Dexippi: Maxim. 32, 3. 4; 33, 2. — Gord. 2, 1; 9, 6; 19, 9; 23, 1. — Max. et Balb. 1, 2; 15, 5; 16, 3; 16, 4; 16, 6.

b) Herodiani: Alb. 1, 2; 12, 14. — Maxim. 13, 4. — Max. et Balb. 15, 3; 15, 5; 16, 6.

c) Arriani (?): Maxim. 33, 2. — Gord. 2, 1. — Max. et Balb. 1, 2.

Saepius autem nomina scriptorum non adduntur, uerum solum annotatur 'plerosque dicere' 'de hac uel illa re inter sese consentire scriptores' .... cf. exempli gratia: Op. Macr. 1, 1; 4, 5. — Max. 7, 4; 17, 2; 21, 5; 31, 3; 33, 2. — Gord. 2, 1; 4, 7 17, 2; 25, 6; 28, 1. — Max. et Balb. 3, 4; 15, 4; 15, 6; 16, 6; 18, 2.

III.

FRAGMENTA, QVAE INSVNT IN VITIS TREBELLII POLLIONIS.

Quaestione de fragmentis Dexippeis, quae inueniuntur in Capitolini uitis hoc modo ad finem perducta inquirendum nobis est in eas uitas, quas sub nomine Trebellii Pollionis traditas habemus. De auctoris ipsius uita, scriptis genereque scribendi alio loco copiosius disputabo.

Incipiunt Trebellii Pollionis scripta a uitis Valerianorum duorum, quarum tamen minima pars, perpauca solum capita et ea ualde perturbata ad nos peruenerunt. Et haud faustum scriptoris fidei omen, epistolae, quae insunt in tribus primis capitibus a nonnullis barbarorum regibus ad Saporem missae, quibus admonetur, ut Valerianum captum suis reddat, sine dubio commenticiae sunt. Vt multa alia omittam argumenta, regibus barbarorum, qui Sapori auxilia miserant non tam curae fuisset, ut imperator Romanus redderetur suis, ut Artabasdi cp. 3 s. f. Praeterea accedit, quod Artabasdes, quem epistolam scripsisse Trebellius uult, eo tempore iam mortuus erat. Scimus enim Saporem anno 259 ante Valerianum captum Chosroem, Armeniae regem, per Anacum necasse et Tiridatem Chosrois filium, ab Artabasde, satrapa Armeniae, Romam seruatum esse. Propter hanc rem Saporis iussu omnes ex Artabasdis familia, una excepta sorore, quam, qua erat pulchritudine, unus ex nobilibus Persis amabat, interfecti sunt. Armenia deinde per septem et uiginti annos in Persarum fuit dicione: quibus euincitur Artabasdem 'regem Armeniae' Sapori epistolam

post annum 260 mittere non potuisse.[1]) Insequentia autem de expeditione Odaenathi contra Persas facta eiusque euentu ad Dexippum redire, quod Trebellius cum Zosimo et Zonara consentit, statim in initio uidimus.[2]) Et ex eodem fonte fortasse manarunt, quae initio capitis quinti exhibentur 'ex totius orbis una sententia' imperatorem creatum esse Valerianum, si licet hanc sententiam solo Zosimi uerborum consensu fulcire, apud quem legimus I 29 *Παρελθὼν δὲ Οὐαλεριανὸς κοινῇ γνώμῃ πρὸς τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν σπουδὴν ἐποιεῖτο τὰ πράγματα εὖ διαθεῖναι.* Similiter dicit Zonaras XII 22. III 139, 1 *καὶ προσίασιν Οὐαλεριανῷ καὶ ἀμάχως αὐτῷ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἐγχειρίζουσιν.* Quod si hoc frustulum attribuimus Dexippo et ea inter sese conferimus, quae antecedunt apud Zosimum et Zonaram, fortasse non nimis audacter factum uidebitur, si contendimus, cum in eis, quae aetatem tulerunt Trebellii contextus, conspirent omnes tres historici, ualde uerisimile esse, Zosimo et Zonara et in antecedentibus quoque idem eisdem fere uerbis exhibentibus, Trebellium quoque in iis partibus uitae Valeriani, quae non iam exstant, Dexippi pressisse uestigia. Sed cum Trebellii contextus nobis desit, haec res se a nostro remouet iudicio. Hoc autem pro certo confirmare possumus respicientes id, quod supra de his historicis attulimus, Zosimum et Zonaram pendere hoc loco e Dexippi auctoritate, quod eo fit probabilius, quod apud utrumque quae de irruptione sequuntur ad eundem redire supra uidimus. Locus autem est hic:

Zon. XII 22. III 138, 16.	Zos. I 29.
ὃς τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἄρχων δυνάμεων, τὰ κατὰ τὸν Αἰμιλιανὸν μαθών, καὶ αὐτὸς τυραννεῖ . . . οἱ γοῦν τῷ Αἰμιλιανῷ συστρατευόμενοι, οὐκ ἀξιομάχους ἑαυτοὺς ἐγνωκότες πρὸς τὴν τοῦ Οὐαλεριανοῦ στρατιὰν . . . καὶ ἄλλως δὲ τὸν μὲν Αἰμιλιανὸν ἀνάξιον λογιζόμενοι βασιλείας, ὡς ἄδοξόν τε καὶ χαμερπῆ, τὸν Οὐαλεριανὸν δὲ	*Οὐλεριανοῦ δὲ μετὰ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις δυνάμεων ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ἐλαύνοντος καὶ σὺν πολλῷ πλήθει τὸν Αἰμιλιανὸν καταπολεμῆσαι προθυμουμένου, θεωροῦντες οἱ σὺν αὐτῷ στρατιωτικῶς μᾶλλον αὐτὸν ἢ ἀρχικῶς προσιόντα τοῖς πράγμασι, ὡς πρὸς βασιλείαν ἀναρμόδιον ἀναιροῦσιν.*

1) Zonar. XII 21, III 137. — Moses Choren. hist. Arm. II 69—75 (cf. de eo A. v. Gutschmid: Ueber die Glaubwürdigkeit der armenischen Geschichte des Moses von Khoren. Ber. über die Verh. der sächs. Ges. der W. phil.-hist. Klasse 1876. p. 10). — Bernhardt: 'Geschichte Roms' I 36.
2) p. 18.

Zon. XII 22. III 138, 16.	Zos. I 29.
οἰκειότερον ἡγούμενοι τῇ ἀρχῇ, οἷα δῆτα καὶ τῶν πραγμάτων ἐπιληψόμενον ἀρχικώτερον, κτείνουσι τὸν Αἰμιλιανόν. . . .	

Sequuntur senatus consultum de Valeriano factum, quo censor crearetur, et deinde oratio Decii, qua Valerianum, ut suscipiat censuram admonet, responsumque Valeriani, de quibus, utrum uera sint necne iure licet dubitare.

De Valeriano iuniore nihil apud alios inuenitur scriptores: hausit Trebellius res, quas de eo memoriae tradidit, ut uidetur, e Caelestino, de quo nihil constat. Graeci nimirum scriptores de Valeriano iuniore cognitum sibi nihil habebant 'cum nihil haberet praedicabile in uita, nisi quod erat nobiliter natus educatus optime et miserabiliter interemptus'.

Eorum igitur, quae supersunt uitarum Valerianorum e Dexippo fluxerunt 4, 2—4. 5, 1—2. Sequantur

Gallieni duo. Tyranni triginta.

Cum tyrannorum triginta historia artissime cohaereat cum Gallienorum duorum, quod plerique illorum Gallieno imperante seditiones fecerunt, de his scriptoris libellis, quoad eius facere possum, hoc loco, ne de eadem re bis agere cogar, una agam. Qua quaestione finita, de eis, qui restant, tyrannis disseram.

Et incipit uita Gallieni senioris cum narratione seditionis a Macriano Gallieno et Volusiano coss. = 261 in Asia factae. De hac seditione nobis respicienda sunt: Gall. 1—3 uitae Macriani eiusque filiorum, Valentis, Pisonis (tyr. trig. 12; 13; 14; 19; 21) Zonaras XII 24. III 144, 31. Apud Zosimum de hoc Macriano nihil legitur.

Iam in nominibus Macriani eiusque filiorum — et hanc quaestionem strictim attingam, quamuis non arte cohaereat cum quaestione de fontibus proposita — exhibendis non prorsus consentiunt ueteres scriptores. Zonaras enim patri nomen addidit Macrino, filios appellat Macrianum et Quintum. Quinti nomen certissime falsum est, legimus enim in nummis Romanis QVIETVS in Alexandrinis KOYHTOC in Nicaeensibus KYHTOC. *Κύϊντος* praeter Zonaram a continuatore Dionis appellatur. Res mea sententia ita se habet: legit ille continuator, quem Zonaram exscripsisse supra uidimus, in fonte rectum nomen, sed cum Quieti

nomen perrarum non satis cognitum haberet, pro eo nomen usitatius Quintum posuit. Quod attinet ad patris nomen Trebellius ei nomen dedisse uidetur Macriano. Nam, quamuis in Gallienorum duorum uita de hoc nomine tanta sit perturbatio, ut in eadem eiusdem codicis pagina utrumque exhibeatur nomen, in uita ipsa ab omnibus codicibus nominatur Macrianus. Ego quidem steterim a Zonarae partibus, quamquam hanc meam sententiam pro certo affirmare non possum. Nixus sum hoc argumento: Zonaras et Anonymus post Dionem in rebus de Macrini seditione narrandis consentiunt:

Zon. XII, 24. III, 144, 32.	Dio cont. Muellerus frg. hist. Gr: IV, 193.
καὶ ἄλλος δὲ τῷ Γαλιήνῳ κεκίνητο πόλεμος παρὰ Μακρίνου, ὃς δύο ἔχων υἱοὺς Μακριανὸν καὶ Κύιντον τυραννίδι ἐπικεχείρηκε. καὶ αὐτὸς μέν, ὅτι θάτερον πεπήρωτο τῶν σκελῶν, οὐκ ἐνέδυ τὴν στολὴν τὴν βασίλειον . . .	*Μακρῖνος κόμης τῶν θησαυρῶν καὶ ἐφεστὼς τῇ ἀγορᾷ τοῦ σίτου ἐπειδὴ καὶ τὸν ἕνα πόδα ἐπεπήρωτο.*

Vsi igitur sunt uno eodemque fonte, i. e. Anonymus post Dionem fontem quendam[1]) nobis ignotum, Zonaras Anonymum exscripsit, cumque nullam causam uidere possim, cur putemus illos errasse in exscribendo nomine — in Quieti nomine insolito rem prorsus aliter sese habere demonstraui — cumque quid scripserit Trebellius non satis constet, quia codicibus tam perturbatis, ut scriptorum historiae Augustae, prorsus nulla est attribuenda auctoritas, seditioso illi nomen fuisse Macrino persuasum mihi habeo. Nummi ad diiudicationem acciri non possunt, cum numismatici clarissimi, ut Eckhelius alii, negent exstare Macri(a)ni senioris nummos, sed omnes ad iuniorem respicere contendant.

Sed si hac ad finem perducta quaestione quaerimus, quos fontes Trebellius de Macrini seditione scribens inspexerit, ad rem peruenimus ualde contortam et difficilem, quia scriptor de eadem re diuersos exscribens scriptores nonnullis locis ipse secum pugnat. Ac statim in initio 2, 6 narrat Trebellius Macrinum secum habuisse triginta milia militum; tyr. trig. 12, 13 (cf. 13, 3) autem Macrinum quadraginta quinque milia militum secum duxisse exhibet. Haec discrepantia fortasse referenda est ad diuersos fontes, quos adhibuit,

1) Cf. p. 62.

fortasse manauit ex ipsius Trebellii neglegentia, qui numeros commutaret: nam tyr. trig. 12, 13 ipse certiores nos facit Macrinum secum duxisse XLV milia militum, in potestatem autem Domitiani uenisse XXX milia: his duobus fortasse inter sese commutatis numeris Gall. 2, 6 omnino secum habuisse Macrinum XXX milia militum memoriae tradidit. Sed res, utut se habet, minoris est momenti, cum, etiamsi putamus diuersos numeros ad diuersos referendos esse fontes, tamen cui scriptori debeantur singuli numeri scire non possimus. Sed aliquid lucramur mea sententia, si diuersas annotationes de morte Quieti Ballistaeque quae leguntur apud Trebellium conferimus cum eis, quae memoriae tradita sunt ab Anonymo post Dionem et a Zonara. De Ballistae quidem morte hae apud Trebellium exstant narrationes:

1) Quieto per Odaenathum occiso Ballistae ueniam datam, tamen eum imperasse = tyr. trig. 18, 1.

2) priuatum eum in agro suo esse interemptum = tyr. trig. 18, 2.

3) sumpsisse purpuram et occisum esse a militibus ab Aureolo ad comprehendendum Quietum missis = tyr. trig. 18, 3.

4) interemptum eum esse a quodam gregario milite in Odaenathi et Gallieni gratiam in tentorio suo cubantem tyr. trig. 18, 12.

De morte autem Quieti hae traduntur narrationes a Trebellio:

1) Ballista auctore eum esse interemptum: Gall. 3, 2.

2) Odaenathum eum cum Ballista interfecisse. tyr. trig. 14, 1. Apud Zonaram leguntur XII 24, III 146, 11 *ἔνθα γενόμενος ὁ Ὠδέναθος καὶ συμβαλὼν αὐτοῖς νικᾷ καὶ τὸν μὲν Βαλλίσταν αὐτὸς ἀναιρεῖ, τὸν δὲ Κυΐντον οἱ τῆς πόλεως.* Cfr. Anonym. post Dionem (Müller fr. hist. Gr. IV p. 195).

Si has omnes narrationes obimus oculis et nobiscum reputamus Zonaram abhorrere a Trebellio, Zosimum autem de hac seditione uerba non fecisse, ualde fit uerisimile Dexippum quoque hanc seditionem silentio transiisse. Hoc quidem pro certo affirmare possumus Zonaram Dexippum non esse secutum: legimus enim apud eum Odaenathum a Gallieno orientis ducem esse factum Quinto et Ballista interfectis XII 24, III 146, 15. Hanc autem rem iam commemorauit Zonaras XII 23, III 142, 14, quem locum ad Dexippum redire demonstrauimus et probauimus p. 20.

Demonstrasse igitur mihi uideor, ea, quae narrantur Gall. 1—3, 5 de seditione Macrini originem non duxisse a chronicis Dexippi.

Examinemus nunc uitas ceteras supra iam denotatas. Ac

primum quidem uitas **Macrini** et **Macriani** perlustremus. Quae initio uitae Macrini leguntur, debentur, ut Trebellius quoque adserit, certe Maeonio Astyanacti. Utrum autem ille ipse historias conscripserit, ex quibus hauserit Pollio, an, cum miles illi contioni interfuisset, orationes solum cum Trebellio communicauerit, nescio. Verba ipsa Trebellii probabile faciunt, Maeonium scripsisse historias (cf. 15, 8). — Oratio Valeriani in fine uitae posita commenticia est; inducitur enim Valerianus dicens: 'Macrino totam r. p. credidi quidem a parte militari'. De hac Macrini electione nihil scimus; in uita ipsa Trebellius eius non facit mentionem. Et per se tota epistola prae se fert fictionis speciem: nescimus, cum in occidente Gallienus filium reliquisset, ipse in oriente cum exercitu uersaretur, cur Valerianus Macrino totam rem publicam crediderit. Ita haec epistola est commenticia, ut epistolae initio uitae Valeriani et epistola Valeriani ad Ragonium Clarum 'praefectum Illyrici et Galliarum' trig. tyr. 18, 5. Nam siquid uideo, numquam in imperio Romano exstitit Illyrici et Galliarum praefectus. Cfr. O. Hirschfeld: 'Unters. auf d. Gebiete der römischen Verwaltungsgeschichte p. 238.

In **Macriani** iunioris uita respicitur ad narrata in uita patris, nouum solum additur eum natum esse e matre nobili.

Deinde uitam **Quieti**, cuius partem (§ 1) Trebellium a fonte nobis ignoto mutuatum esse iam demonstrauimus, perlustremus. Et hoc loco disquisitio est perfacilis. Nam, quae restant, omnes e Macrianorum familia imaginem Alexandri Magni in omnibus ornamentis et uestibus exsculptam habuisse, oculis ipse conspecta inseruit.

Reliquae nunc sunt uitae Ballistae, Valentis, Pisonis.

Et in uita **Ballistae** a Trebellio multos adhibitos esse fontes et ipse confitetur Trebellius et supra uidimus.

Quod attinet deinde ad uitas **Valentis** et **Pisonis**, dicendum est uitam Valentis ex eodem fonte manasse uideri, ex quo hausta sunt Gall. 2, 2 narrata.

Gall. 2, 2.	Tyr. trig. 19, 2.
Pisonem, unum ex nobilibus et principibus senatus . . .	misso Pisone, nobilissimae tunc et consularis familiae uiro . . .

Latino debentur scriptori et idem iudicandum de Pisonis uita, cuius in uita hoc praesertim est mirum, quod, quamquam tyrannus exstiterat, Romae, ut exhibetur, diuinis ornatus est honoribus,

tyr. trig. 21, 3. Fontes quoque, quos Trebellius secutus est in Valentis superioris uita (tyr. trig. 20) in obscuro latent.

Post hanc digressionem reuertamur ad Gallieni uitae contextum. Et sequuntur cp. 3, 6—9, ubi narratur, quo modo Gallienus Macrino cum filiis uicto et interempto se gesserit. Haec ut omnes similes annotationes fluxerunt fortasse ex ephemeridibus a Palphurio Sura conscriptis, cf. 18, 6. Atque, ut hoc praesumam, ad eundem historicum, si hoc dignus est nomine, uel ad alium latinum scriptorem — nam nihil interest — in Gallieni uita mihi redire uidentur: 6, 4—8; 7, 4; 8; 9; 11, 3; 12, 1—5; 16; 18.

Sed his omissis sequitur cp. 4, 1—2 narratio seditionis in Aegypto ab Aemiliano factae. Cf. tyr. trig. 22 uitam ipsam usurpatoris. Hanc seditionem omnes scriptores silentio transierunt, solum in 'apocalypsi Esrae' putat Alfredus de Gutschmid se inuenisse huius seditionis significationem.[1]) Si coniecturam proferre licet, ego puto Trebellium hanc seditionem narrantem exscribere perrexisse eum fontem, quo iam de Macrini seditione uerba faciens antea erat usus.

Nec meliore, quod attinet ad fontes, fruimur condicione, inquirentes in ea, quae de seditionibus in Gallia exortis a Trebellio narrantur. Nam ne de rebus ipsis quidem satis sumus eruditi, uerum a Trebellio narrata tam ualde sunt perturbata, ut permulta crassis occultata et circumfusa tenebris lateant. Atque in uita Gallieni de bello contra Postumum narrata examinantes in eo haesimus, quod de eadem re bis uerba fiunt 4, 3—6 et 7, 1 quorum locorum alter tam inepte in contextu est positus ut hac narratione res artissime cohaerentes — quae narrantur de seditione Byzantii facta — seiungantur. Et quamuis a Trebellio talis non abhorreat neglegentia, tamen hoc loco non ei culpam attribuendam esse puto, cum persuasum mihi habeam, loco suo esse motam paragraphum primam capitis septimi, quod praesertim in codicibus tam perturbatis non est mirum. Sed fuerunt, qui his duobus nixi locis putarent, bis Gallienum bellum iniisse cum Postumo, quam sententiam falsam esse nos docere possunt et Trebellius ipse et Zonaras. Ille enim tyr. trig. 3, 5 haec dicit: gestum est tamen a Gallieno contra hunc bellum, tunc cum sagitta Gallienus est uulneratus et Gall. 21, 5 imperatoris res gestas enumerans hoc profert: pugnatum

1) Alfred von Gutschmid: 'Die Apokalypse der Esra in ihren späteren Bearbeitungen'. Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, herausgegeben von Hilgenfeld III, 1860, p. 9.

contra Postumum. Nimirum certe ex his elucet uerbis semel a Gallieno contra Postumum esse pugnatum. Nec dissentit Zonaras XII 24, III 144, 19 *ταῦτα γνοὺς ὁ Γαλιῆνος πρὸς τὸν Ποστοῦμον ἀπῄει, καὶ συμμίξας αὐτῷ πρότερον μὲν ἡττήθη, εἶτα καὶ ἐπεκράτησεν, ὡς καὶ τὸν Ποστοῦμον φεύγειν* (v. 26 *καὶ πάλιν ὁ Γαλιῆνος ἤλαυνεν ἐπ' αὐτὸν* ad idem referendum bellum, cum addatur *ἐν δὲ τῇ πολιορκίᾳ πλήττεται βέλει ὁ βασιλεὺς τὰ μετάφρενα, καὶ νοσήσας*... cf. tyr. trig. 3, 5). In his igitur perseuerandum, de duobus bellis Gallieni contra Postumum non esse cogitandum.

De usurpatore ipso uerba faciens, se hac de re plures exscripsisse testatur Trebellius tyr. trig. 3, 2 et 3, 3. Cum autem nullius afferat nomen, ad certam peruenire non possumus diiudicationem. Sed unum Dexippi uestigium me animaduertisse puto: Nam Dexippus una cum multis exhibuisse uidetur Postumum Gallieno fidem fregisse occidisseque Saloninum (tyr. trig. 3, 2), quia cum hac narratione ea concinunt, quae Zosimus I 38 et Zonaras XII 24, III 144, 14 proferunt, qui aperte dicit: *εἰς ἀποστασίαν αὐτοὺς παρακινῆσαι μηχανώμενος.* Ceteroqui quae exstant apud Zonaram et Zosimum, cum eis, quae exhibet Trebellius, conferri nequeunt. Trebellius enim narrat Postumum a Gallis, 'quibus insitum sit leues ac degenerantes a uirtute Romana et luxuriosos principes ferre non posse' ad imperium esse uocatum, necato Gallieno ab eis iuniore, quem pater Galliae praefecerat: nempe haec narratio, qua nulla in Postumum conferebatur culpa, ualde arrisit Trebellio, cuius interesset ostendere multo meliores fuisse tyrannos quam Gallienum: fortasse haec rerum expositio debetur Iulio Atheriano, qui de his rebus scripsisse uidetur (tyr. trig. 6, 5). Eis nimirum fides tribuenda, quae et Zosimus et Zonaras memoriae tradiderunt: Postumum ipsum rerum nouandarum fuisse cupidum, occasioneque data (Zon. XII 24, III 144, 14) milites ad suam perduxisse uoluntatem. Agrippinam profectum milites Gallieni iunioris obsidionis necessitate compulisse, ut et ipsum Gallienum filium et eius ipsius custodiae praefectum a patre Siluanum (Albanum Zon.) traderent. Sine dubio ex uno fonte Zosimus et Zonaras hauserunt: reddunt Dexippi narrationem.

Praeter locum modo tractatum conferre iuuat inter sese

Gall. 4, 6 = Zon. XII 24, III 144, 19.

De Postumo iuniore omnes alii tacent scriptores, et Trebellius ipse de eo paene nihil habet, quod narret. — Prorsus igitur a Bernhardti sto partibus, qui putat Trebellium finxisse eum Caesarem

et Augustum esse appellatum, ut haberet tyrannum ad triginta tyrannorum explendum numerum.[1])

Recenseantur nunc ceteri Galliae tyranni: Lollianus, Victorinus (Victorinus iunior), Marius, Tetricus senior et iunior, Victorina (tyr. trig. 5; 6; 7; 8; 24; 25; 31). In horum quoque tyrannorum uitis conscribendis complures fontes adhibuit Trebellius (tyr. trig. 6, 8. 8, 3) et latinos quidem, ut Iulium Atherianum et Dagellium (?) Fuscum (tyr. trig. 25, 2). Dexippum omnino horum uirorum mentionem non fecisse iam eo fit uerisimile, quod et Zosimus et Zonaras eos omnes silentio transeunt.[2])

Sed reuertamur ad Gallieni uitam.

cp. 5. Calamitates, quibus affecta est res publica certe descriptas a latino scriptore in suum librum transtulit Trebellius, Zosimus pestis solum in ciuitate exortae facit commemorationem I 37, quod totum caput e Dexippo fluxit: agitur enim eo capite de Scytharum in Illyricum et Italiam ipsam irruptione: cumque antea demonstrauerimus de his irruptionibus narrationes mutuatum esse Zosimum a Dexippo, hunc quoque locum ad eum referre non dubito, ita ut Gall. 5, 6—6, 3.

Sequitur militum Byzantii rebellio: Et Trebellius rei actae certe modum excessit scribens, suo tempore nullam ueterem Byzantii fuisse familiam, cum paene omnes ciues ab iratis militibus in illa seditione essent interfecti. Omnino has ueritatis superlationes

1) Viris doctis multa facessiuit negotia locus Gall. 4, 5: 'nam per annos septem Postumus imperauit . . .' 'Nam' coniunctio quid sibi uelit prorsus intellegi non potest. Bernhardtus igitur (Geschichte Roms I) totum enuntiatum eo loco nobis non esse traditum censet, in quo a Trebellio erat positum. Fortasse recte. Hudemannus 'nam' emendandum esse putauit in 'iam' (Philol. 1854 IX 191 p.) ad quam coniecturam hac quoque re est adductus, quod ea probata error tollitur Trebellii: imperium enim tenuisse Postumum non septem sed decem annos et nummi demonstrant (Cohen: déscript. hist. des monnaies frapées sous l'empire romain V 32. 39) et Eutropius et Orosius annotant (IX 9 (7): VII 22). Sed si Hudemannum sequimur Trebellium ipsum secum pugnantem facimus: cf. tyr. trig. 3, 4 et 5, 4. — Ac quamuis hoc uitium nonnunquam admiserit, tamen non licere puto coniectura inferre scriptori secum ipso discrepantiam. Mea sententia res ita se habet: totum enuntiatum Gall. 4, 5 delendum puto, nihil aliud est, nisi annotatio librarii ex illis 'triginta tyrannorum' locis petita.

2) De Lolliani nomine inter homines doctos concertatio est. Codices hist. Aug. nomen praebent Lollianum, Orosius VII 21 eum appellat Aemilianum, ab aliis nominatur L. Aelianus aut L. ELIANVS ut inuenitur in codicibus Aurelii Victoris 33, 7. In nummis scriptum reperimus: C LAELIANVS: Nomen igitur fuit huic viro C. Laeliano.

adamare uidetur, nam et id, quod de ciuitatibus Pannonicis memoriae tradidit, plerasque a uirili sexu uacuas a Gallieno relictas esse, adhorret a ueritate (tyr. trig. 9, 3). Zosimus et Zonaras de hac militum seditione nihil scripserunt, nescimus igitur, cui Trebellius hanc debuerit narrationem.

Transit deinde Trebellius ad res ab Odaenatho gestas (cf. Gall. 10. 12. 13. tyr. trig. 15. 16. 17. 27. 28. 30) postquam praemisit anno 264 Odaenathum a Gallieno totius orientis obtinuisse imperium. De hoc laudabili Gallieni facto (Gall. 12, 1) agit quoque Zonaras XII, 23, III, 142, 12 cf. supra pg. 62, quem locum Zonarae fluxisse e Dexippo demonstrauimus pg. 20. Ex eodem manasse a Trebellio exhibita uerborum docet consensus:

Gall. 10, 1.	**Zonar. l. l.**
Odenatus, rex Palmyrenorum, optinuit totius orientis imperium, idcirco praecipue, quod se fortibus factis dignum tantae maiestatis infulis declarauit.	*ὃν Γαλιῆνος τοῦ στρατηγήματος ἀμειβόμενος τῆς ἑῴας προεχειρίσατο στρατηγόν.*

De huius loci origine mea sententia dubitari non potest, ex alio autem desumpta sunt, quae proferuntur de rebus ab Odaenatho gestis.

Secundum illam enim opinionem, quam habeo de Dexippo eiusque libris omnia ab eo de his rebus prolata exstant Val. 4, 3, qui locus prorsus spirans illius tam breue quam accuratum genus scribendi consentit cum Zonarae et Syncelli narrationibus. Confirmatur autem mihi sententia Gall. 10. 12. 13. tyr. trig. 15 narrata non ad Dexippum redire, his argumentis: primum quidem inepta illa annotatio Gall. 10, 2 in uindictam Valeriani indixisse Persis bellum Odaenathum non redolet Dexippi ingenium, dein, ut uidimus, ea quae in uita ipsa Odaenathi de bello Persico eius exhibita excipiunt, ad alium redeunt fontem. Hoc mihi igitur constat alio usum esse Trebellium fonte: non tanti hoc esset momenti, nisi Zosimus quoque cum Trebellio consentiret, itaque fieret perspicuum, quod iam uidimus Gordianos pertractantes, eum praeter Dexippum alium inspexisse fontem. Mirum autem, quod tam arte cum Zosimi uerbis cohaerent Trebellii: rem non aliter declarare possumus, quam contendentes, si non eundem, similem tamen, fortasse latinum scriptorem, qui sua hauserat ex illo fonte Zosimi nobis ignoto, in manibus habuisse Trebellium Pollionem.

Gall. 12, 1 (cf. 10)	Tyr. trig. 15, 3.	Zosim. I, 39.
ubi comperit ab Odenato Persas uastatos, redactam Nisibin et Carras in potestatem Romanam, omnem Mesopotamiam nostram, denique Ctesifontem esse peryentum, fugisse regem, captos satrapas, plurimos Persarum occisos, Odenatum . . Augustum uocauit.	Nisibin primum et orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit, deinde ipsum regem uictum fugere coegit. Postremo Ctesifonta usque Saporem et eius liberos persecutus captis concubinis. capta etiam magna praeda ad orientem uertit . . .	ἐπεξῄει τῷ Σαπώρῃ . . . . καὶ τάς τε πόλεις ἀνεκτήσατο τὰς ἤδη παρὰ Περσῶν ἐχομένας καὶ Νίσιβιν εἰλημμένην μὲν ὑπὸ Σαπώρου τὰ Περσῶν δὲ φρονοῦσαν ἑλὼν ἐξ ἐφόδου κατέσκαψεν. ἐπεξελθὼν δὲ μέχρι Κτησιφῶντος αὐτῆς οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ δεύτερον Πέρσας μὲν τοὺς οἰκείοις ἐναπέκλεισεν, ἀγαπῶντας εἰ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ ἑαυτοὺς περισώσαιεν.

Fortasse is scriptor, quem inspexit Trebellius erat Cornelius Capitolinus, quem Zenobiam speciosissimam omnium orientalium feminarum nominasse Trebellius annotat tyr. trig. 15, 8, ad quem omnino de Zenobia tradita redire uidentur. — Illam autem per triumphum ductam esse Trebellius consentiens cum Flauio Vopisco (uit. Aurel. 34. 35) narrat, neque Eutropius IX, 13 aliter memoriae tradidit. Zosimus autem et Zonaras hoc factum negant (I, 59 et XII, 27, III, 152, 25). Dexippus nimirum de hac re non egit, cum finem scribendi faceret in Claudii secundi temporibus. Fidem autem tribuendam esse hoc loco Trebellio Vopiscoque demonstrauit Alfredus de Sallet l. l. pg. 48/49.

De Herode, Herenniano, Timolao Trebellius ipse nihil certi accepit. Hausisse uidetur ex eisdem scriptoribus, ex quibus exscripsit uitam Zenobiae. Restat uita Maeonii, illius, qui Odaenathum ex insidiis interfecit: hoc solum constat, qua tamen causa ad hoc facinus commotus sit, in obscuro est. Zosimus enim annotat ex insidiis eum esse necatum, idem profert Trebellius Gall. 13, 1 = Tyr. trig. 15, 5, ita ut hac quoque re nostra sententia ad similes redire, si non ad eosdem, fontes Trebellium et Zosimum fulciatur. Zonaras Maeonium iratum fuisse exposuit, cum ualde uiolatus esset ab Odaenatho (XII, 24, III, 146, 19). Sed alia quoque

causa commotum eum esse putauerim: fidem habendam esse censeo Trebellio, qui in uita Maeonii tyr. trig. 17, 2 addidit Zenobiam sceleri fuisse affinem, cum ferre non potuisset Herodem, alius matris filium maiore florere auctoritate, quam Timolaum, Herennianum, Vaballathum.

Sed transeamus ad necem Gallieni: cp. 14. Id, quod apud Trebellium de interfectione Gallieni legimus, consentit cum eo, quod apud Zosimum inuenimus, nobilium coniuratione facta Gallienum, aduentu Aureoli falso nuntiato a (Cecropio) Dalmatarum duce interfectum esse; nomen eius, qui interfecit Gallienum, Zosimus non addidit, alae Dalmatorum praefectum eum fuisse exhibet. Hac una in re discrepant Trebellius et Zosimus: hic Claudium participem fuisse coniurationis aperte narrat, ille negat. Sed res ita se habet: cum Trebellius, id quod postea uidebimus, Claudium summis ubique efferat laudibus, ne hoc quidem loco eum coniurationis socium fecit, ut ab hac quoque culpa liber esset. Zonaras diuersas de Gallieni morte profert narrationes (XII, 25, III, 147, 27): eam autem, quam in uniuersum quidem et Trebellius et Zosimus praebent, in initio posuit, ut huic maximam fidem tribuisse uideatur. Respiciunt igitur Trebellius, Zosimus, Zonaras ad unum eundemque fontem, ad Dexippum.

Singularum deinde rerum, quae sequentibus commemorantur capitibus, quanta pars in ueritate posita sit, quanta sit profecta a fabulis ineptiisque hominum aulicorum, pro certo diiudicare non possumus. Hausit has res Trebellius ex eo scriptore, cuius iam mentionem feci, ex Palphurio Sura.

De Salonino Gallieno in graecis nimirum scriptoribus nihil scriptum inueniebatur; Trebellius ipse de eo nihil scit, nisi quod nobililoco natus erat, educatus regie, occisus autem non sua sed patris culpa. Quae igitur in historia Augusta de eo legimus, debentur historicis Romanis.

Tyrannorum triginta qui supersunt. Cyriades (tyr. trig. 2).

Quin hic Cyriades idem sit ac Mareades Ammiani Marcellini (XXXIII, 5, 3), Mariades Malalae (XII, pg. 295), Mariadnus Anonymi post Dionem, cum de omnibus hic eadem narrentur, dubium esse non potest. Ea, quae Trebellius de Cyriade memoriae tradidit prorsus sunt imperfecta incohataque. Inepte falsoque uerbis illudens post captam Caesaream Caesarem esse electum Cyriadem narrat. Caesarea autem urbs capta est post secundam Antiochiae expugnationem, et tum Caesaris accepisse dignitatem Cyriadem putat. Si autem

optimos sequimur fontes, ut Ammianum, Cyriades in altera Antiochiae obsessione interiit. — Zosimus et Zonaras de Cyriade nihil tradiderunt. Verisimile igitur est Trebellium ex Romanis hausisse fontibus.

Hoc loco coniecturam proferre mihi liceat. Nomen usurpatoris in uita ipsa non nominatur, sed statim in initio patris nomen „Cyriades" legitur. Omnes alii fontes aliud usurpatoris exhibent nomen: nonne uerisimile in titulo filii nomen commutatum esse cum nomine patris? Propono scribere cum Malala et Ammiano pro CYRIADES = MARIADES.

Ac quod attinet ad fontes, idem erit iudicandum de uitis Ingenui, Regaliani, Aureoli. Nulla adest ansa, qua usi demonstrare possimus ante oculos habuisse Trebellium scriptorem Graecum, e Gallo Antipatro nonnulla fortasse sumpta sunt (Claud, 5, 4). Hoc solum habeo, quod addam: de fine Aureoli uerba faciens Trebellius duos inspexit fontes. Tyr. trig. 11 enim exhibet Aureolum a Claudio apud pontem Aureoli fugatum et interemptum esse, Claud. 5 autem Aureolum apud Mediolanum a militibus suis interfectum esse annotat. Necatum eum esse a militibus epigrammate quoque ostenditur, Tyr. trig. 11, 5. Cum et Zonaras et Zosimus diuersas proferant narrationes, quid Dexippus exhibuerit difficile est dictu.

Atque ut in his uitis ita uitas Saturnini (cp. 23) Trebelliani (26) Celsi (29) perlustrantes certum fontem eruere non possumus. E Trebellio ipso autem scimus Dexippum esse adhibitum in uita Titi (32, 1), ubi omnia Dexippo uidentur assignanda praeter ea, quae de femina Titi exstant.

In iis, quae de Censorino legimus, nobis est acquiescendum, cum Censorini apud alium scriptorem mentio non fiat. — De tyrannis triginta hactenus.

Quorum in uitis tam multis usus est fontibus Trebellius — quod mirum uideri non potest, nam hic scriptor de Gallia, ille de rebus in oriente gestis nimirum scripserat, multa autem in hominum versabantur oribus — ut de his dici possit, quod Carolus Czwalina[1]) in uniuersum de Pollione et Vopisco dicit: in nonnullis uitis, uelut iis, quos Pollio et Vopiscus scripserunt, adeo diuersorum auctorum narrationes contaminatae ac confusae sunt, ut neque manifeste discernere possis, quae unicuique tribuenda sint,

1) De epistolarum actorumque, quae a scriptoribus hist. Aug. proferuntur fide atque auctoritate. Diss. Bonnae 1870. pg. 12.

neque ex frustulis fragmentisque ab eodem auctore petitis colligere, quae eius fuerit ratio ac uoluntas.

Diuus Claudius.

Totus hic libellus scriptus est a Trebellio non tam ut Claudii res gestas memoriae traderet, sed ut Constantium Chlorum adulatus demonstraret, eum esse consanguineum Claudio imperatori. Quam ob rem etiam initio libelli Claudium summis extulit laudibus, utque immoderatum se ostendit in uituperando Gallieno, ita immoderatus est in Claudio laudando.

Plurima de hoc libello dicenda iam praelibata sunt, cum narrationes irruptionum gothicarum et scythicarum ex Dexippo haustas esse iam supra uiderimus; ad eundemque redeunt, quae de his rebus tradidit Zosimus, quaeque non exstant apud Trebellium.

Cp. 7. Trebellius Pollio Claudio praenomen attribuit „Flauius“, sed nummis demonstratur eius nomina fuisse Marcum Aurelium Claudium. Ex Bernhardti sententia Trebellius ea addidit nomina, Flauium Valeriumque dico, ut adularetur Constantium, qui et ipse haec haberet nomina (l. l. 121). Fortasse recte, fortasse tamen nomina ex errore scriptoris posita sunt. Ea deinde, quae cp. 11 de Zenobiae in Aegypto bello traduntur, haud abhorrent ab eis, quae apud Zosimum I, 44 legimus. Fortasse haec a Dexippo profecta sunt. Ea nimirum, quae capite sequente commemorata reperimus ex eo uel tota uel pleraque desumpta sunt (§ 6).

Quamdiu Quintillus summum habuerit imperium pro certo definiri non potest, sed res est nullius momenti, cum constet perpaucos dies eum imperasse atque in hoc omnes consentiant scriptores. De morte Quintilli diuersae exstant narrationes. Trebellius annotat eum a militibus esse interfectum propter nimiam seueritatem, sed addit 12, 6: Dexippus quidem Quintillum non dicit occisum, sed tantum mortuum, nec tamen addidit morbo, ut dubium sentire uideatur. Zosimus habet haec I, 47: *Αὐρηλιανὸς εἰς τὸν βασίλειον ἀναβιβάζεται θρόνον, Κυντίλλου κατά τινας τῶν λογοποιῶν ὑπὸ τῶν ἐπιτηδείων συμβουλευθέντος, ἅμα τῷ γνῶναι τὴν βασιλείαν Αὐρηλιανῷ παραδιδομένην, ἑαυτὸν ὑπεξαγαγεῖν καὶ ἑκόντα τῆς ἀρχῆς ἀποστῆναι τῷ πολλῷ κρείττονι* (cf. Zon. XII, 26, III, 151, 15). Cum his consentiunt, quae inuenimus apud Vopisc. Aurel. 37, 6: „ubi Aurelianum comperit imperare, a toto exercitu eum derelictum, cumque contra eum contionaretur nec a militibus audiretur, incisis sibimet uenis die

uicesimo imperii sui perisse". Bernhardtus putat Dexippum usum esse uerbo ἀπέθανεν, ne enuntiato ἑαυτὸν ἀπέκτεινε laederet uiuentes e Quintilli familia. Fortasse ita scripsit, sed causa non intellegitur, cur Dexippus Atheniensis homines Romae uiuentes ueritus sit. — Habemus duas illas narrationes ac diiudicari mea sententia non potest, utra sit uera; fortasse ueteres ipsi de morte Quintilli nihil certi sciebant. Carolus Martinus narrationem de eius morte, quae inuenitur apud Zosimum, a Dexippo abhorrere ita explicare studet: cum Dexippus annales ad Claudii Gothici mortem deduxerit, atque inde Eunapius historiam suam incohauerit, consentaneum est utrumque de morte Quintilli uerba fecisse. Quodsi Zosimus a Dexippo abhorret, iam Eunapium secutus est.

Sequuntur nonnulla de familia Claudii et epistolae nonnullorum imperatorum, quibus Claudii extolluntur uirtutes. Ultimo capite senatus additur de eo consultum. In his nimirum nihil latet e Dexippo petitum.

Fontes Trebellii.

Vsus est his:

1) litteris: quindecim in Trebellii libellis inueniuntur. Quarum epistolarum in numero sunt epistolae aliorum regum ad imperatorem Romanum; Val. 1. 2. 3. — imperatorum Romanorum ad prouinciarum praefectos missae: tyr. trig. 9, 5; 10, 10; 18, 5; Claud. 8, 4; 14, 2; 15, 1; 16, 1; 17, 1 — imperatoris epistola ad totam gentem: tyr. trig. 3, 9 — epistolae imperatorum ad senatum: tyr. trig. 12, 15; 30, 4; Claud. 7, 2. Harum epistolarum partem commenticiam esse occasione data demonstraui.
2) senatus consultis: Val. 5, 3; tyr. trig. 21, 3; Claud. 7, 1; 18, 1.
3) fastos quoque consulares inspexit Gall. 14, 10.
4) Nonnullos scriptores Romanos adhibuit:
   a) Caelestinum: Val. 8, 1.
   b) Annium Corniculam: Gall. 17, 2.
   c) Palphurium Suram, qui ephemeridas composuit Gallieni uitae: Gall. 18, 6.
   d) Iulium Atherianum: tyr. trig. 6, 5. Apud Macrobium III, 8, 2 Caluus Atherianus commemoratur. Est sine dubio idem ac qui in scholiis Vergilianis citatur (cf. Ribbeckii: Prol. ad. Verg. pg. 177 sq.).
   e) Maeonium Astyanactem: tyr. trig. 12, 3.

f) Cornelium Capitolinum: tyr. trig. 15, 8.
g) Dagellium Fuscum, tyr. trig. 25, 2.
h) Gallum Antipatrum: Claud. 5, 4.

5) Duo commemorantur historici graeci:
a) Dexippus: tyr. trig. 32, 1; Claud. 12, 6.
b) Herodianus: tyr. trig. 32, 1.

Satis igitur multis fontibus usus est Trebellius Pollio et graecis et latinis: tyr. trig. 1, 2. Sed plurimis locis scriptoris non addidit nomen, uerum legimus solum nonnullos scriptores adserere uel dicere: tyr. trig. 3, 2; 15, 4; 8, 3; 15, 7; 24, 1; 27, 2; 31, 4; 32, 3; Gall. 14, 9; aliquid negari ab aliis historicis: tyr. trig. 2, 3; esse certamen de aliqua re inter scriptores tyr. tr. 18, 1 uerius plerosque aliquid dicere tyr. tr. 3, 3; a multis multa esse dicta: tyr. trig. 6, 4 — et alia: Gall. 19, 2, 5; tyr. trig. 15, 8; 18, 13; 20, 2; 32, 6; Claud. 13, 4. Ex eis, quae de fontibus Trebellii in uniuersum attuli, elucet, eum usum esse et optimis fontibus et scriptoribus, qui in meliorum historicorum numero sunt, ut Dexippo. Sed qua erat neglegentia Trebellius, quamuis his frueretur fontibus, libellos nobis dereliquit, qui erroribus pleni haud legerentur, si fontes illius ipsos, aut meliores de illorum temporum rebus gestis haberemus historias.

IV.

ALIA FRAGMENTA HISTORIAE ROMANAE E SYNCELLO COLLECTA.

Cum satis demonstrasse mihi uidear ut Capitolinum, Trebellium, Zosimum, Zonaram ita Syncellum quoque in ea parte historiae Romanae, quam perlustrauimus, pendere ex Dexippo, suspicio uon abest, Syncellum in reliquis quoque ex historia Romana allatis huius secutum esse auctoritatem.

Vtrum recte suspicatus sim, necne, nunc inquirentes in nonnullos locos uidebimus.

Et de rebus Romanis agere coepit Syncellus 322, 13. Sed quae hic usque ad 323, 19 leguntur apud Eusebium quoque inueniuntur, attamen Syncellum haec non ex ipso Eusebio sumpsisse, sed ex Africano monuit Alfredus de Gutschmid.[1] Sed ut res se habet, hoc constat, e Dexippo hoc non fluxisse, nec ego attribuo illi seriem regum latinorum; nam quamuis ualde dissentiat ab ea, quam legimus apud Eusebium, tamen nulla adest causa, quae uerisimile faciat, manasse eam ex illo historico, et scimus Dexippum praetermisisse in historia res nimis fabulosas. Nescimus

1) Cf. Euseb. Schoen. I, 284, 19.

deinde ex quo fonte fluxerit apud Syncellum regum Romanorum laterculum pg. 367. 398. 449. Sed fortasse nonnulla de regibus addita a Dexippo duxisse originem quispiam putare posset: uerum quominus hoc concedamus prohibemur eo, quod apud Syncellum exhibita consentiunt cum eis, quae exstant apud Hieronymum, quem transferentem chronica Eusebii ex latinis scriptoribus nonnulla inseruisse constat.[1]) Et inter fontes latinos fuisse Suetonium Tranquillum docet locus e Suida accitus de Numa.[2]) A Iulio autem Africano Suetonium adhibitum esse in chronico scribendo uiri docti suspicati sunt. Cumque apud Syncellum idem de Numa exhibeatur quod de eo dixisse Suetonium Suidas testis est, ualde fit uerisimile a Syncello de regibus Romanis narratas res redire ad Iulium Africanum.

Africanum fontem deseruisse mihi uidetur et adhibuisse Dexippum Syncellus 481, 16, quamuis concedendum sit, ne hoc quoque loco nos uersari in luce clara.

Sync. 481, 16.

Τότε καὶ Κάμιλλος παρὰ Ῥωμαίοις ὑπάτευσεν ἄριστος στρατηγὸς ἀλόγως διωχθεὶς ἐκ συκοφαντίας, ὃς οὐ καρτερήσας ὁρᾶν πολιορκουμένην ὑπὸ Γάλλων τὴν Ῥώμην δύναμιν συλλέξας ἠλευθέρωσε τῆς πολιορκίας τὴν πόλιν ἐπελθὼν ἔξωθεν καὶ διαφθείρας τοὺς πολεμίους.

Vt Dexippo deberi hunc locum contendam his adducor rationibus: ac primum quidem statim in initio contextus Syncelli legimus *τότε καί*, quod amasse Dexippum iam uidimus. Deinde tum Camillum consulem fuisse ex Dexippi more dilucide indicatur.

Non sunt, quod quispiam coniectare possit, Dexippi, quae legimus 491, 3 *Σκιπίων Ἀφρικανός, Ῥωμαῖος δικτάτωρ, πορθήσας Καρχηδόνα Ἀφρικὴν τὴν χώραν μετωνόμασε* (hoc factum esse Syncellus exhibet tempore necis Socratis, de qua fragmento sequente agitur): nam tantum errorem et chronologicum et historicum admisisse Dexippum numquam putauerim.[3]) Assignauerim autem illi, quae narrantur 514, 20—515, 10 de bello Pyrrhi contra Romanos, quo loco uel eo adiuuamur, quod Pyrrhum etiam Macedoniae tenuisse imperium Syncellus ipse annotat (*ὁ καὶ Μακεδόνων βασιλεύσας*) quodque, ut uidebimus, de

1) Cf. Theodor Mommsen: „Ueber die Quellen der Chronik des Hieronymus". Ber. der sächs. Ges. d. W. II, 669 flg.

2) Suetonius ed. Reifferscheid pg. 321 No. 179; ed. Roth pg. 279.

3) Gelzer l. l. 182/83.

Macedonum regibus exhibita certe redeunt ad Dexippum. Huic meae sententiae contradicere uidetur, quod statim in initio positam legimus formulam κατὰ τούτους τοὺς χρόνους, qua formula Africanum introducere solere suas annotationes animaduersum est a Gelzero, sed non puto in una formula tantam uim esse positam, ut ab ea profecti de toto loco possimus ferre iudicium, quamuis tantùm absit, ut negem nobis praebere ansas has introductiones in iudicando, ut iam ipse has similesque particulas acciuerim argumenta, leuioris nimirum momenti. — Et sequens statim locus ex historia Romana eodem incipit modo, dico locum 523, 19—524, 11; quem certe e Dexippo manasse his argumentis nixus contendo. Omisso enim eo, quod in medio legimus τότε καὶ; 524, 1 et consulum Romanorum citantur nomina et Olympiadis quoque additur numerus 524, 8 κατὰ τὴν ρκη′ ὀλυμπιάδα ..., neque alii historico ascribenda esse 536, 1—6 et 11—16 narrata propter eam causam in propatulo est, quod omnino rerum Macedonicarum apud Syncellum fontem fuisse Dexippum uidebimus. Neque minus, mea opinione, in promptu est, ad eum referenda esse de altero bello Punico narrata, nam nonnulla huic meae fauent sententiae:

1) 541, 11 πρῶτοι οὖν αὐτῷ Κορνήλιος Σκιπίων καὶ Σεμπρώνιος Γράκχος ὕπατοι ἐπολέμουν.

2) 542, 5 Σκιπίων Ἀφρικανὸς τρέψας τὴν Ἀννίβα δύναμιν ἐν Ἰσπανίᾳ κατὰ τὴν ρμε′ ὀλυμπιάδα, ὑπατεύσας τε ....

3) 541, 18 τότε καὶ Ἀρχιμήδης ...

4) 542, 13 τότε καὶ Καρχηδόνα ...

Eisdem nixus argumentis 556, 17—557, 18 assignare Dexippo non dubito.

1) 557, 1 καθ' ἑτέρους δέ ...

2) 557, 2 τότε δύο στρατηγοί ...

3) 557, 12 διὰ Μαρίου πρῶτον ὑπάτου ...

4) 557, 18 ἥ τις ἦν ὀλυμπιάδι ρξε′.

Et exstat grauius quoque argumentum: nam ex Syncelli ipsius uerbis elucet, hunc locum non ex alio sumptum esse fonte, quam res antea de Macedonibus narratas, i. e. ut uidebimus, ex Dexippo. Legimus enim 557, 7: τῆς Μακεδόνων δυναστείας ὑποφόρου Ῥωμαίοις ταχθείσης, ὡς πρὸ βραχέος δεδήλωται.

Quae subsequuntur Syncellus hausit e Iosephi antiquitatibus et ex libro primo belli Iudaici, quod Dindorfius quoque in editione in uniuersum annotauit, narrationem autem de Iulii Caesaris in Galliam et Britanniam expeditionibus, et quae hanc excipiunt 570,

7—17 et de caede Pompeii narrata 571, 3—11 iterum Dexippi esse constituam, quamuis concedendum sit (neque aliter iudico de loco 572, 21—573, 10) praeter probabilitatis speciem nihil adferri posse, quo uti possimus ad firmandam nostram sententiam. Atque illud de Caesare 'monarcha' fragmentum excipitur fragmento 574, 11 —576, 8 de caede Iulii Caesaris et rebus eam sequentibus, ita, ut prorsus sit in propatulo utrumque fragmentum artissime cohaerere cum altero, et ad unum redire fontem. Et idem fortasse dicendum est de narratione 588, 1: hic enim locus aptissime continuatur fragmento antea tractato: 576, 5 *ἰσχυρῶς οὖν ἡττηθέντων Περσῶν ὑπὸ τῆς Ἀντωνίου καὶ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς στρατηγῶν Ἡρώδης ἔτι πρὸς δεύτερον ἑτοιμάζεται πόλεμον, ταῦτα πράττοντος καὶ Ἀντωνίου* 588, 1 *τῆς οὖν ρπε' ὀλυμπιάδος περιελθούσης Ἀντώνιος ἐκστρατεύει μὲν ἐπὶ Πέρσας*.. Ad Africanum haec redire non possunt, nam hunc Syncellus ipse paulo antea de eisdem excerpserat rebus p. 581 sq. Fortasse haec quoque (— 589, 8) ex annalibus Dexippi originem duxerunt. Addendum autem habeo duos Syncellum de Pandionis legatione inspexisse fontes, nam locus 589, 11—12 apud Hieronymum legitur, annotatio autem 589, 1 cum *τότε καὶ* incipiens ad Dexippum redire uidetur. — Quae deinde de Tiberio et de Caligula proferuntur omnia uel pleraque deprompta sunt ex Eusebio. Cum in plerisque his locis pertractandis nobis acquiescendum esset, si probabilitas quidem non aberat eos e Dexippo esse desumptos, nunc ad locum uenimus, de quo certius ferre possumus iudicium. Agitur enim p. 631, 14—632, 9 de rebus a Claudio gestis, quae narratio ad Eusebium redire non potest, cum omnia, quae apud eum leguntur, iam antea a Syncello contextui inserta sint. Pro certo autem affirmare possumus hunc locum a Dexippo non esse abiudicandum, cum totius loci in medio Syncellus ipse testetur de Phoenice aue annotationem fluxisse e Dexippo. Cumque deinde enumeratio uirorum doctorum Claudii temporibus graeca doctrina florentium, suspicari nos sinat, fuisse scriptorem hominem haud illitteratum, quod quoque testatur ea res, quod citatur testis Philostratus (locum Eusebii cf. Sync. 652, 18) cumque uerisimile sit annotationem de tribus Asiae urbibus motu terrae concussis (Eusebiana de hac re annotatio exstat 636, 13) e Dexippo manasse — accedit quod *τότε καὶ* in initio totius posita enuntiati nostram confirmat sententiam, — ego, ut iam dixi, totum locum Dexippo ascribo, et ad eundem refero, quae exhibentur 643, 5 *τότε καὶ τὸν Ἰσθμὸν ἠβουλήθη διορύξαι* (sc. *Νέρων*) *πρὸς τὸ γενέσθαι νῆσον τὴν Πελοπόννησον*, et sequentem miram

narrationem 643, 7 Neronem e Graecia reuersum Argos fugisse ibique a seruo necatum esse. Sed fortasse uel certe hic error, fugisse Argos Neronem Dexippo non est crimini dandus sed referendus ad librarii neglegentiam: scribo pro ΑΡΓΟΣ ΑΓΡΟΝ = εἰς ἀγρόν. Qua recepta coniectura Syncelli quoque contextus conspirat cum aliorum de Neronis fine uitae narrationibus. Sequuntur narrationes de Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano imperatoribus 645, 14—646, 16 et 648, 14—649, 16, quae embolia inter sese cohaerere iam eo demonstratur, quod in utroque fragmento uerba fiunt de Apollonio Tyaneo. Quominus autem putemus integros locos, ut nunc legimus, ita a Dexippo scriptos translatos esse a Syncello, eo cohibemur, quod Christi fit commemoratio 646, 9, quod ad Dexippum paganum non quadrat, et quod legimus 646, 8 ὡς Ἕλληνες μυθεύουσιν et 648, 16 ὡς δὲ Ἕλληνες ἱστοροῦσιν. Rem ita sese habere puto: locus est exscriptus e Panodoro, qui ea, quae apud Dexippum inuenerat, retractauerat et nonnulla eis addiderat. Vt autem hos locos Dexippi esse putem eo quoque adducor, quod fontium discrepantiae e Dexippi more annotantur et quod testis citatur Philostratus (cf. supra): quod si respicimus ualde quoque est uerisimile annotationem de morte Apollonii Tyanei 655, 1 ἐπὶ τούτου φησὶν ὁ Φιλόστρατος Ἀπολλώνιον τελευτῆσαι τὸν Τυανέα.. non ad alium redire fontem.

De Antonini morte Eusebius solum tradidit: Antoninus febri laborans decessit in Pannonia, Syncellus alium uidetur secutus fontem, nam duas affert narrationes 667, 8—10. Fortasse est locus Dexippeus, nec certius facere possumus iudicium de eo, quod de morte Commodi memoriae traditur 668, 10—13. In meliore autem sumus condicione in pertractando loco 669, 7—15: nam ibi Eusebii falsa corrigitur sententia sex menses imperium tenuisse Pertinacem (fuit imperator inde a C. Ian. 193 usque ad d. IV. C. Apr.), Panodorum autem falsas annotationes Eusebii corrigere consueuisse iam dixi: locus est igitur Panodori, Dexippi asseclae.

Cum uero uiderimus permulta de Romanis rebus narratorum redire ad Dexippum, non ex alio desumpta uidentur, quae restant quaeque non inueniuntur apud Eusebium: locos dico 670, 5—12; 671, 5—7; 672, 7—21[1]); 673, 12—674, 8; quamuis sciamus Dexippum narrasse patruum fuisse Antoninum Heliogabalum Alexandri Seueri (Al. Seu. 49), Syncellus autem hoc loco exhibeat recte:

1) Error tamen 672, 14 Μακρῖνος δὲ τούτου (sc. Καρακάλλου) παῖς certe non Dexippi, sed serioris cuiusdam epitomatoris est.

μεθ' ὃν βασιλεύει Ἀλέξανδρος ὁ Μαμμαίας υἱὸς ἀδελφιδοῦς αὐτοῦ: diuersas de hac re protulerat Dexippus narrationes. 680, 5—6 Dexippo attribuere uult, recte fortasse, Daendliker l. l. p. 257.

O.

NONNVLLA ALIA FRAGMENTA DEXIPPI.

I.

FRAGMENTA AD GRAECAM HISTORIAM PERTINENTIA.

In omnes inquirere annotationes Syncelli ad res Graecas spectantes nihil aliud esset, quam sine iusta causa plurimum huius dissertationis implere spatium. Ad nostram disquisitionem nimirum nullo sunt numero eae annotationes, quae ex Eusebio fluxerunt, aut quae certe a Syncello ipso Africano tribuuntur. Cuiusdam earum, quae restant, si memoriam non fecero, ex ipso silentio concludi uelim mea sententia hanc annotationem ad Africanum aut ad alium redire fontem. In disquisitione autem ipsa saepius nobis erit acquiescendum, si demonstrauerimus hunc uel illum locum fortasse aut cum probabilitatis specie referri ad Dexippi chronographiam, cum desint nobis fontes alii, quibus ad comparationem accitis, qua bona fruiti sumus condicione fragmenta ad res Romanas spectantia inuestigantes, certius iudicium ferre possimus.

Ac statim prima in annotatione, quam de graecis rebus apud Syncellum legimus 196, 14—18 nobis ad id, quod modo dixi, refugiendum est. Hoc solum pro certo affirmare possumus Eusebium fontem non fuisse, quod Schoenius uult, quia cum loco Eusebiano conspirat locus Syncelli 236, 19. Dubitari quoque potest de fragmento, quo tempus Troiae captae definitur, cum fragmentum tale sit, ut et ad Africanum et ad Dexippum redire possit. Valde autem est uerisimile ex Dexippo fluxisse annotationem 326, 8 Ἡσίοδός τε ἐγνωρίζετο, ὃν Ἔφορος ἀνεψιὸν καὶ σύγχρονον Ὁμήρου φησί, cum Ephori, qui hic citatur, de Homeri aetate sententia non profertur in magno de hac re embolio, quod ex Eusebio sumptum legimus Sync. 339, 21—340, 10 ≌ Eus. p. 58—59 fortasse loci, de quo agimus auctor est Dexippus, cui quoque ascribere uelim locum 327, 20—328, 3, quem Syncellum ex Panodoro, Dexippi assecla, hausisse Georgius Unger[1]) demonstrauit. Pro certo autem origi-

1) 'Manetho' p. 48.

nem Dexippeam locorum 334, 9—14 et 339, 19—20 demonstrare possumus.

Syncellus 334, 9.

Ἡρακλειδῶν κάθοδος Ὕλλου τοῦ πρεσβυτέρου παιδὸς Ἡρακλέους ἡγουμένου τῆς κατὰ Πελοποννησίων μάχης, ἥτις ἐπεκράτησεν ἱκανοῖς ἔτεσι μεταξὺ Πελοποννησίων καὶ τῶν Ἡρακλειδῶν. τότε Ῥόδος ἡ νῆσος οἰκίζεται παρὰ Λακεδαιμονίων, ὡς Δέξιππος ἱστορεῖ, μετοικησάντων ἐκ Πελοποννήσου διὰ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν ἐπίθεσιν.

ἐκλογὴ ἱστοριῶν ed. Cramer Anecd. Paris. II 228, 10

κρατεῖ δὲ πόλεμος ὁ μεταξὺ τῶν Ἡρακλειδῶν καὶ Πελοποννησίων· τέλος τῶν Πελοπιδῶν ἡττηθέντων, γίνεται ἡ τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδος ἐν Πελοποννήσῳ, τὸ ὀγδοηκοστὸν ἔτος τῆς Ἰλίου ἁλώσεως. τότε καὶ Ῥόδος ἡ νῆσος παρὰ Πελοποννησίων οἰκίζεται, μετοικισάντων ἐκ Πελοποννήσου διὰ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν ἐπίθεσιν.

Videmus igitur in posteriore parte annotationis utrumque scriptorem consentire ad uerbum, eamque partem ad Dexippum redire Syncellus ipse testatur. Cumque antecedentia quoque apud utrumque conspirent — chronographus autem ille Syncellum non exscripsit cf. Crameri Anecd. p. 166 — contendere possumus nostro iure ea ex eodem fonte, ex Dexippo, fluxisse. Quod si concedimus sequentia quoque ad eum referenda sunt.

τότε καὶ ἡ τῶν Μυκηνῶν ἀρχὴ κατελύθη διαρκέσασα χρόνους σ' κατά τινας, κατὰ δὲ ἄλλους ἥττονας

καὶ λήγει ἡ τῶν Μυκηναίων βασιλεία [τῷ ιγ' ἔτει τῆς Σαοὺλ βασιλείας]

Nec aliter iudicandum est de locis insequentibus: Sync. 339, 19 = Anecd. II 228, 32. Transeamus ad catalogum regum Corinthi: legimus Sync. 336, 20—338, 4 Diodori de his regibus locum, quem locum excipit laterculum regum, quam seriem non Eusebianam sed ex Diodoro repetitam esse monuit Alfredus de Gutschmid (Euseb. ed. Schoene 222). Quod in hoc laterculo in primo loco positus est Bacchis error est librarii. In primo loco ponendus est Aletes. Hac mutatione probata hic catalogus prorsus consentit cum dissologia subsequente.[1]) In eis autem, quae in fine dissologiae

1) Nam quod in hac Agelao 35 pro 37 ascribuntur anni, in hac re non offendendum, quia demonstrare possumus errorem librarii subesse: Ixion imperium tenere desiit anno mundi 4461, Agelas autem 4499: a quo numero si 4461 numerum subtrahimus uerus restat annorum, per quos Agelas rex fuit, numerus.

leguntur, summa annorum, per quos singuli reges tenuerunt imperium, annotatur *τν'* = 350. Haec autem est, Eusebio teste, Africani numerus, itaque hic locus ad Dexippum redire non potest. Imputauerim autem ei *Ἐκλογ. ἱστ.*[1]) l. l. II 228, 17 sq. exstantia: *καὶ βασιλεύουσι Λακεδαιμόνιοι μετὰ τὸ ὀγδοηκοστὸν ἔτος τῆς Ἰλίου ἁλώσεως· ὧν πρῶτος ἄρχει Ἐρεχθεὺς ἐπὶ ἔτη μβ', καὶ παραπέμπει τὴν βασιλείαν μέχρις Ἀλκαμένους τοῦ ἐσχάτου, ἐφ' οὗ ἡ πρώτη ὀλυμπιὰς ἤχθη, καὶ βασιλεῖς μὲν γεγόνασι τὸν ἀριθμὸν ἐννέα, ἔτη δὲ αὐτῶν τκζ'. συνακμάζει δὲ καὶ ἡ τῶν Κορινθίων βασιλεία Λακεδαίμοσι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἐπιφυεῖσα· ὧν πρῶτος ἐβασίλευσεν Ἀλήτης ἔτη λη', καὶ ἀποπέμπει τὴν βασιλείαν μέχρις Αὐτομένους, καὶ γίγνονται βασιλεῖς τὸν ἀριθμὸν δώδεκα· ἔτη δὲ αὐτῶν τκζ'* = 327. Si quid uideo apud nullum alium christianum chronographum haec annotatur summa, si autem singulos annos, per quos secundum Diodorum singuli imperium tenuerunt reges inter sese addimus, idem sese ostendit annorum numerus. Nec mirum, nam Dexippum Diodorum esse secutum paulo post res Macedonicas perscrutantes clarius uidebimus, fortasse simul de catalogis Syncelli alteruter aliquo modo cum Dexippo cohaeret. Sed hanc quaestionem in medio relinquam, cum prorsus nihil intersit, utrum series regum ex Diodoro repetita sit, an e Dexippo transcripta, qui ipse quoque exscripserat Diodorum.

Vidimus paulo antea Sync. 334, 15 *τότε καὶ ἡ τῶν Μυκηνῶν ἀρχὴ κατελύθη διαρκέσασα κτλ.* Dexippo attribuendum esse, et haec quidem annotatio originem nonnullarum similium annotationum in lucem profert: annotationes dico has de regibus Ponticis, Cappadocum, Bithyniae, Pergami, Epirotarumque: Sync. 523, 5—7; 523, 8—9; 525, 9—10; 578, 1—3; 578, 19—20.[2]) Fortasse quoque e Dexippo excerpta sunt de Sibyllae Samiae et Cumaeae temporibus annotata 402, 1—2. Eusebius priorem solum annotationis partem exhibet, Africanus Sibyllam prorsus alio tempore, sub Amesia rege uiuentem facit: hi igitur auctores esse non possunt. Nostram autem de origine Dexippea opinionem commendat forma ionica et non trita *Σιβύλλη*, quod rhetoricum redolet fontem.[3]) De Thalete quoque fragmentum 402, 16—17 fortasse attribuendum erit De-

1) Cf. Ungerum: Diodors Quellen im XI. Buch. Philol. XXXX, 1881 p. 98 qui putat hoc chronicon proxime accedere ad Eratosthenem.

2) Memoratu dignum, quod his in annotationibus testes citantur: Apollodorus (523, 6) Dionysius (523, 6; 525, 9) Diodorus (523, 9).

3) Gelzerus: Jul. Africanus und die byz. Chronogr. p. 185.

xippo (quamuis in priore parte Eusebius et Syncellus quam maxime conspirent), cum in tempore, quo Thales uixerit, circumscribendo ualde discedat a Syncello Eusebius.[1]) Nec minus Dexippo uindico de Terpandro poeta annotationem 403, 3—5, praesertim cum locus Eusebianus iam procedat.[2]) Deinde non inueniuntur apud Eusebium quae narrantur 453, 12—13 *Τοῖς ἀγωνιζομένοις παρ' Ἕλλησι τράγος ἐδίδοτο ἀφ' οὗ καὶ τραγικοὶ ἐκλήθησαν*, et quae annotatio in eandem paene cadit rationem 490, 16 *Σαλπιγκτῶν καὶ κηρύκων ἀγὼν προσετέθη ἐν Ὀλυμπίᾳ*. Fortasse hi loci debentur Dexippo, qui in chronographia sua de ludis Olympiacis egerat; scimus quidem eius in chronicis enumeratos fuisse stadionicas usque ad CCLXII Olympiadem: cf. anecd. Paris. II 153, 20. Hoc cum constet ad eundem reducere licet: Sync. 454, 10—11 = Anecd. Paris. II 144[3]); Sync. 485, 3—6;[4]) 521, 10—11. Deinde in narrationem certe non Dexippeam locus ex illius historia insertus uidetur, locum dico 468, 1—10. Legimus enim ibi statim in initio: *οὗτος τὰς μυθευομένας κατὰ τῆς Ἑλλάδος* ... qui locus redolet auctorem, ut Theopompum, quem demonstrasse primum scimus, quam multa in historia graeca a Graecis ipsis maioris causa gloriae exaggerata essent in maius.[5]) Facile possumus suspicari hunc locum profectum esse a Dexippo, cum eum usum esse Theopompo eluceat ex loco 499, 9, de qua re cf. p. 86. — Opinari nobis licet, quamuis pro certo affirmare non possimus, Syncellum fontem Dexippum non deseruisse in annotationibus 477, 17—18[6]) et 477, 21—478, 5. Maiore autem licentia uti possumus in locis sequentibus 482, 1—15. Nam primum quidem hi loci certe ad Eusebium non redeunt, cum paene omnes ex Eusebio hausti repetantur a Syncello p. 489. Et si proficiscimur ab eo loco, quo de initio belli Peloponnesiaci agitur, exstat Africani locus 489, 3—5, Eusebius hoc solum de hac re memoriae tradidit: Peloponnesiacum bellum initium habuit perdurans annos XXI: nihil restat, quam ut

1) Nisi forte concedendum in falso loco apud Syncellum hoc positum fragmentum. Cf. de hoc fragmento et de simili 453, 20; 454, 3 quod et ipsum Dexippi est Gelzerum l. l. p. 187.

2) 402, 11. Cf. 402, 1 *Ἔτι Σιβύλλη* = hoc loco *ἔτι Τέρπανδρος*.

3) Accedit quod Syncellus narrat Pythagoram Samium uicisse Ol. LI, Africanus et Eusebius eum uictorem prodiisse dicunt Ol. XLVIII. Sed fortasse post *ἐνίκα* uerbum apud Syncellum punctum ponendum, ita ut *κατὰ τὴν να' ὀλυμπιάδα* ad sequentia pertineant.

4) Nimirum pro *ὡπλισμένος* scribendum *ὡπλισμένοις*.

5) Cf. frg. hist. Graec. ed. Muellerus I 306.

6) Apud Eusebium 106/7 alia exhibetur lectio.

censeamus nos 482, 2—5 habere excerptum e Dexippi annalibus.[1]) Reliqua autem, quae supersunt 482, 1—15 ad eundem referenda esse fontem, iam ex eo elucet, quod ubique legimus idem initium: *τότε καί.* Et aliud quoque argumentum, leuioris quidem momenti accedit. Adhibetur enim forma ionica *ἰητρός*[2]), quidque ex his formis concludi posset, paulo antea *Σιβύλλην* formam pertractans, demonstraui. Et si hunc locum Dexippo uindicamus, facere non possumus, quin eidem ascribamus locum 472, 1 *Ἱπποκράτης Κῷος ἰητρῶν ἄριστος ἐγνωρίζετο Ἀσκληπιάδης τὸ γένος.* Ad Africanum aut ad Dexippum spectat locus 481, 13—15. De proximi loci origine 482, 10—15 nemo dubitare poterit: ad Eusebium hic locus redire non potest, nam legitur locus Eusebianus Sync. 484, 2—3, neque Africano locum ascribere licet, cum illius de his uiris annotatio exstet Sync. 489, 12—13; nullus alius restat auctor quam Dexippus. — De Cyri minoris expeditione contra fratrem Artaxerxem suscepta tres apud Syncellum ad nos peruenerunt narrationes: 485, 14—486, 7; 490, 4; 490, 12—14; quarum 490, 4 ex Eusebio ducta est. Restant duae, sed utra Dexippo utra Africano assignanda sit nescio. Prope fortasse accedamus ad ueritatem, si copiosiorem 485, 14 sq. ascribamus Dexippo, cum uerisimile sit ei Atheniensi notissimam fuisse historiam praecipue reditus Graecorum Xenophonte duce.[3]) Certe autem Dexippi mihi uidetur esse, quod traditur de morte Socratis 491, 21—22. *Τότε φασί, καὶ Σωκράτης ἐξ ἀνοίας τῶν Ἀθηναίων τὸ κώνειον πιὼν ἐτέλεσε τὸν βίον.* (Eusebii locus exstat 491, 5—6.)

II.

FRAGMENTA DEXIPPI AD HISTORIAM REGVM MACEDONICORVM PERTINENTIA.

De fonte, ex quo Syncellus ea, quae de Macedonum regibus exhibet (p. 498 sq.) exscripserit, Carolus Mueller monuit et Eusebium et Syncellum ex eodem hausisse scriptore, ex Porphyrio Tyrio (cuius auctoritatem secutum se esse Eusebius ipse non negat), cum rationes chronologicae eaedem in re summa apud utrumque essent, et in eo capite, quod est de Alexandri in Macedonia successoribus,

1) Quam opinionem eo quoque probabiliorem facere possumus, quod supra uidimus de Camillo antecedentia sumpta esse e Dexippo.

2) Sync. 482, 12.

3) Eandem sententiam amplexus esse uidetur Gelzerus, qui locum 490, 12—14 Africano uindicauit l. l. 182.

ambo in singulis uerbis saepe consentirent.[1]) Sed ipse concedere cogitur, utriusque scriptoris contextum esse mutilum, nec in annotandis numeris, per quos singuli reges imperium tenuissent, consentire Eusebii et Syncelli libros. Ac uero maxima sese ostendit numerorum diuersitas in Syncelli et Eusebii regum Macedonicorum indicibus[2]), ut, quo saepius ad hanc rem adii, eo firmius mihi stet sententia: ex similibus, non autem ex eodem fonte de regibus Macedonum narrata sumpsisse Eusebium et Syncellum, quod nunc uberius demonstrabitur contextu utriusque scriptoris inter sese comparato, cum omnino dicendum putem, si demonstrandum est diuersos scriptores diuersis usos esse fontibus, numerorum diuersitati aliquam quidem, uerum non nimiam attribuendam esse uim, cum sciamus, quam saepe errauerint in his potissimum rebus librarii: Omissis igitur ipsis laterculis contextui permittamus diiudicationem:

Sync. 498, 9—499, 5.	Euseb. p. 227.
Κάρανος ὁ Ἀργεῖος ἀδελφὸς ὢν Φείδωνος ἑνὸς τῶν ἀφ' Ἡρακλέους καταγόντων τὸ γένος καὶ τῆς Ἀργείας βασιλεύοντος σπουδάζων ἑαυτῷ χώραν κατακτήσασθαι δύναμιν ἤθροισε παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐκ τῆς ὅλης Πελοποννήσου, μεθ' οἷς τοῖς ὑπὲρ Μακεδονίαν τόποις ἐπιστρατεύσας, συμμαχήσας ἅμα καί τινι τῶν Ὀρεστῶν λεγομένων δυνάστῃ περὶ τὴν χώραν κατὰ τῶν πλησιοχώρων βαρβάρων, τὴν ἡμίσειαν ἔλαβε χώραν καὶ πόλιν ἤγειρε κατὰ χρησμὸν καὶ βασιλείαν ἐν αὐτῇ συνεστήσατο, ἣν οἱ κατὰ γένος ἐξ αὐτοῦ καὶ μετ' αὐτὸν διεδέχοντο.	Caranus ante primam olympiadem rerum cupiditate motus, copias collegit ab Argiuis et ab altera regione Peloponnesiaca et cum exercitu expeditionem in partes Macedoniorum suscepit. Eodem tempore Orestarum regi bellum erat cum uicinis suis qui uocantur Eordaei, rogauit Caranum, ut ipsi auxilio esset: suaeque regionis mediam partem ei se daturum pollicitus est. Orestarum rebus compositis et rege fidem exsoluente Caranus regionem obtinuit, regnauitque in ea annis XXX tempore senectutis e uita excessus.

His locis inter sese collatis, quamuis similem originem celare non possint, constat ex uno fonte non esse mutuatos Eusebium et Syncellum, quod rebus nonnullis, leuioribus quidem, quas hic uberius exposuit, ille solum attigit aut omisit (ut urbis aedificatio-

1) Frag. hist. Graec. III 690.
2) Alfredus de Gutschmid: de indice regum Macedonicorum. Symb. Philol. Bonn. 101.

nem) non satis concinunt. — In rebus sequentibus multo uberior est Syncellus: exempli gratia apud Eusebium de Alexandro Magno nihil aliud legimus, nisi: Alexandrus cum Persis plus duodecim annis certauit (p. 227). Et deinde ad comparationem accitis locis Sync. 504, 11—19 et Euseb. p. 232, apud illum exhibitum legimus Thessalonicam regis Philippi fuisse mulierem, Eusebius i. e. Porphyrius autem narrat Cassandrum Thessalonicam Philippi regis filiam in matrimonium duxisse. Nec minus Syncellus Cassandrum utrumque filium Alexandri facit interficientem, apud Porphyrium alter, auctore quidem Cassandro, interimitur a Polysperchonte. His allatis discrepantiis de eodem fonte mea sententia cogitari nequit. Usque ad p. 505, 8 conspirant scriptores; quae autem deinde proferuntur de Demetrio, apud solum Syncellum leguntur, et in sequentibus quoque nonnulla desunt apud Porphyrium: conferas Syncell. 505, 17—506, 8 cum Euseb. p. 234, 4 sq. Vberius de Seleuco quoque Nicatore Syncellus egit, et narratio de Galatis tum in Macedoniam irrumpentibus plane deest apud Eusebium (inde a uerbo *κατακοπεὶς* usque ad *αὐτῆς*: Syn. 507, 9—13). Ex contrario autem Meleagri, Antipatri, Sosthenis rės Syncellus paucis absoluit, cum Eusebius multo sit copiosior, et idem obseruare possumus, si inter sese conferimus Sync. 508, 1—7 et Euseb. p. 238, 19: uidemus Syncellum hic summatim res, reges, imperii annos annotare, Eusebius autem, i. e. Porphyrius singulares affert annotationes de tutore Philippi aliasque res. Atque inspexisse diuersos fontes Eusebium et Syncellum multo etiam clarius elucet ex eis, quae sequuntur de Perseo rege. Hoc enim loco Eusebius rem breuiter restringit, fons autem Syncelli res copiosissime exposuerat, et omnium rerum accuratissima descriptio probabile facit, fontem hunc fuisse scriptorem in rebus Graeciae et in Graecia ipsa bene uersatum. Hos locos contulisse sufficiat ad fulciendam nostram sententiam ad similes non autem ad eundem fontem redire Eusebium et Syncellum. Eusebium autem hausisse ex Porphyrio eo ipse scimus teste. Quaeritur nunc ad quem loci referendi sint Georgii Syncelli. Et ualde adiuuamur in hac quaestione eo, quod inuenit Georgius Unger[1]): respiciens enim ad locum Syncelli 373, 13 *Κάρανος Μακεδόνων α' ἐβασίλευσεν ἔτη λ', τοῦ δὲ κόσμου ἦν ἔτος ,δψα'. πρὸ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος ἔτεσιν ιη'* demonstrauit Syncelli chronographiam consentire cum Panodori, et putat illos locos de regibus Macedonum redire ad illum historicum: recte, sed

1) Manetho p. 42.

latent sub contextu Panodori uerba Dexippi: haec igitur mihi inter fontes intercedere uidetur ratio:

Dexippus
|
Porphyrius
|
Eusebius   Dexippus
\   /
Panodorus
|
Syncellus

Loci igitur, de quibus modo egi, mea sententia ad Dexippum redeunt, quae opinio eo quoque confirmatur, quod Dexippus ipse citatur p. 502, 1. Totum autem embolium ex uno eodemque manasse fonte dilucide demonstratur locis his: *ὡς ἤδη λέλεκται* — *ὡς ἀνωτέρω προείρηται* — *ὡς προείρηται* (503, 14; 505, 9; 500, 15). Hunc unum fontem autem fuisse libros Dexippi historicos non solum opinari, uerum etiam cum quadam probabilitatis specie demonstrare possumus his nixi argumentis: habemus primum in scholiis ad Lucianum locum Dexippeum, qui cum Syncelli contextu conferri potest. Redit autem illud scholion non ad chronographiam Dexippi sed, ut Carolus Mueller recte statuit, ad eos libros, qui inscribebantur *Τὰ μετ' Ἀλέξανδρον*. Locus Syncelli fluxit ex annalibus, itaque facile elucet, cur non ad uerbum Syncellus et Dexippus concinant.

Syncellus 503, 18.	**Schol. Luc. ed. Jacobitz p. 19.**
Πτολεμαῖος ὁ Λάγου κληρωσάμενος τὴν Αἰγύπτου βασιλείαν, Σέλευκος ὁ Νικάτωρ Συρίας καὶ Κιλικίας μέχρι Βαβυλῶνος, Περδίκκας ὁ λαβὼν . . .	*καὶ ὁ μὲν Περδίκκας συνδιῴκει Ἀριδαίῳ τῷ βασιλεύοντι μετ' Ἀλέξανδρον, ἀσθενεῖ ὄντι, τὴν βασιλείαν, ὁ δὲ Πτολεμαῖος ἦρχεν Αἰγύπτου, καὶ Σέλευκος τῶν περὶ Βαβυλῶνα τόπων, ὡς ἱστορεῖ Δέξιππος.*

Rhetoricum deinde genus scribendi sapit rhetorem Dexippum: cf. praesertim 503, 17—504, 5 ubi eiusdem uerbi repetitio strenue uitatur (*κληρωσάμενος* — *τάττεται* — *ἡγεμονίαν λαμβάνει* — *ἄρχει* — *κληροῦται* — *διοικεῖ* — *κρατεῖ*). — Conferendi quoque sunt loci ut 508, 18 *καίτοι μεγάλων μεγάλους κινδύνους* — 509, 3 *ἀμνησικάκως καὶ μεγαλοψύχως* — 502, 12 *βασιλεύει δὲ βασιλείαν*. Postremo prorsus ex rhetorum more

Aemilii Pauli triumphus uberrime narratur. Praetermisso autem hoc colore rhetorico res in uniuersum breuiter expositas legimus, quod optime quadrat ad Dexippum. Conferas exempli gratia illum locum, ubi nulla grauiore re omissa, res ab Alexandro contra Persas gestae enumerantur 502 sq. — Ad haec argumenta accedunt nonnulla minoris momenti:

1) auctor rebus Graecis et Atheniensibus ualde imbutus erat: 500, 2 *οὗτος κατὰ τὴν Ξέρξου διάβασιν Πέρσαις ἔδωκε ὕδωρ καὶ γῆν.* — 500, 8 *πρὸς ὃν καὶ Εὐριπίδης τραγῳδοποιὸς παραγενηθεὶς πάντα τὸν χρόνον διῆξε τιμώμενος παρ' αὐτῷ.* — 501, 6 *ἐπ' αὐτοῦ Πλάτων μὲν τελευτᾷ καταγηράσας, Ἀριστοτέλης δ' ὁ Σταγειρίτης Νικομάχου ἤνθει.*[1]) — 501, 12 *συμμαχούντων δὲ Βυζαντίοις Ἀθηναίων διὰ Χάρητος.* — 501, 13 *τότε καὶ Ἀθηναίοις σπένδεται* — 509, 15 ubi accuratam legimus de Macedoniae regionibus expositionem.

2) in rebus dubiis diuersorum scriptorum afferuntur sententiae: 499, 12; 504, 9; 508, 7.

3) respiciendus mihi uidetur Sync. locus 501, 20 *καὶ αὐτῆς ἀρχομένης ἔτη υμ', ἀπὸ δὲ τῆς ζ' ὀλυμπιάδος* (Euseb. I 283) *καθ' ἣν Ῥωμύλος Ῥώμην κτίζει ἔτη* ΥΙΕ ($75^1/_0$ — 415 = 336/5) *ἀπὸ δὲ τῆς Τροίας ἁλώσεως ἔτη ωμζ'.*[2]) Computat enim auctor res Romanas et olympiadas respiciens, quod Dexippum fecisse scimus. — His allatis argumentis Dexippo, quod iam Scaliger opinatus erat locum Syncelli 498—511 ascribere non dubito.[3]) Quod si probamus nouum aliquid lucramur de Dexippo: elucet enim ex his locis fontibus usum esse Dexippum Diodoro et Theopompo: 499, 9; 507, 17; 508, 5. — Sed exstant apud Syncellum nonnullae aliae quoque de regibus Macedonum annotationes; locos dico hos: 373, 2—12 ∼ 498—499. — 469, 10—11 ≃ 500, 2. 15. Haec mihi consideranti suspicio non abest, Syncellum laterculum regum Macedonicorum inserentem suae chronographiae, de nonnullorum

1) Cum constet locum 502, 2 esse Dexippi, cumque uerisimile facere studuerim non alii ascribendum esse 501, 6 ipsa comparatio docet annotationem quoque 494, 9 redire ad Dexippum.

2) Ita est locus Syncelli corruptus emendandus.

3) Legimus 503, 5 *σὺν Ἀλεξάνδρῳ ἐκ Ῥωξάνης τῆς Δαρείου παιδὸς τοῦ μεγάλου Ἀλεξάνδρου κτλ.* et ibid. 17 *Ἀλεξάνδρου ἐκ Ῥωξάνης τῆς Ὀξυάρτου* prorsus consentiens cum Arr. Anab. VII 19, 5. Prior locus corrigendus uidetur, scribere propono: *ἐκ Ῥωξάνης τῆς Ὀξυάρτου τοῦ Δαρείου ἀδελφοῦ παιδός*· cf. Arr. Anab. VII 4, 5. Phot. p. 224 ex Memnonis *'τὰ περὶ Ἡράκλειαν' ἠγάγετο μὲν γὰρ Ἄμαστριν· αὕτη δὲ ἦν Ὀξάθρου θυγάτηρ· ἀδελφὸς δὲ ἦν οὗτος Δαρείου.*

regum rebus gestis, ex Dexippi chronicis nonnulla cum iam addidisset, atque peruenisset ad Philippum et Alexandrum intellexissetque ab his uiris magnam commutationem rerum et Graecarum et Asiaticarum esse adductam eosque in limine quasi stare nouae aetatis, summatim et uno tenore omnia et de superioribus regibus et de diadochis addere chronographiae consilium cepisse, et quamuis nonnulla iam inseruisset, tamen scribendi labore non grauatum, harum rerum partem iterum exarauisse, partem omisisse, ut ea, quae exstant 401, 16 *οὗτος ὁ Ἀργαῖος ἐν Μακεδονίᾳ τείχη ἤγειρε.*[1]) Huc pertinent loci hi: 495, 19—24. — 513, 19—514, 12.[2]) 514, 20—515, 10. — 536, 1—7. 11—16.[3])

III.

FRAGMENTA AD RES ASIATICAS ET SYRIACAS PERTINENTIA.

Comparemus primum inter sese Eusebii et Syncelli narrationes. Et in iis, quae proferuntur de primo post Alexandrum Asiae rege de Antigono et de eius successore Demetrio Poliorceta Syncellum et Eusebium non consentire unus quisque uidet, et quae sequuntur de Demetrio idem nobis obseruare sinunt, quod antea de rebus Macedonicis agentes iam uidimus: Syncellus et Eusebius diuersos exscripserunt historicos, qui tamen unius auctoris presserant uestigia. Cf. Sync. 519, 13—18 = Euseb. 247. 249. Sync. 521, 3—6 = Eus. 250. Dexippum fontem fuisse Syncelli contendo nixus fragmento sequente 539, 14—540, 3: citatur enim hic testis Arrianus et scimus ex Photio in libris *Τὰ μετ' Ἀλέξανδρον* inscriptis huius historici amplexum esse auctoritatem Dexippum. Et locum, de quo agimus, deberi Dexippo eo quoque fit probabilius, quod sequentia ex Panodoro, excerptore Dexippi, manasse scimus, cum detegatur error Eusebii in definiendo anno eo, quo ad regnum peruenerit Antiochus Magnus. De parte rerum sequentium iam actum, pars quoque earum, ut de Antiochi illustris et Eupatoris rebus gestis narrata ex Africano hausta uidentur (542, 21—544, 8). Locum Syncelli 550, 19—551, 11 Schoenius cum Eusebii contextu comparauit, sed ipse confitetur ‘non uerbotenus et adhibito alio

1) Quod tamen enuntiatum sine ulla difficultate p. 499, 19 post uerba *ἔτη λε'* contextui immittere possumus.

2) Nonnulla in hoc fragmento corrigenda: 514, 2 pro *πέντε ἡμέρας* scribendum *τεσσαράκοντα καὶ πέντε* (514, 13. 507, 15 cf.). 514, 8 *Κεφίλας* emendandum in *καὶ (Κε)Φίλας*.

3) Duas postremas annotationes Dexippi esse iam suspicati sumus de fragmentis ad Romanam historiam pertinentibus uerba facientes.

fonte referri Eusebii uerba' et idem tulit iudicium, uerbis Sync. 554, 4—13 cum Eusebii collatis. Ex eis, quae supra uidimus, elucet, haec non ex Eusebio adhibito alio fonte, sed ex Dexippo a Syncello esse translata. — De Antiocho Cyziceno postremum et de rebus sequentibus multo copiosior est Eusebius, nam Syncellus acquieuit in numero annorum, per quos regnauit, annotato.

Verisimile mihi fecisse uideor, ea, quae de his regibus traduntur apud Syncellum non redire ad Eusebium, sed ex Dexippo i. e. Panodoro manasse, quod eo quoque verisimile est, quod his ipsis locis nonnulla ex Romanorum historia inserta sunt, quae redolere Dexippum iam uidimus (p. 542. 557).

Suspicatus antea eram non ex alio fonte habere Syncellum ea, quae tradit de Aegypti et Alexandriae regibus: haec autem redire ad Africanum mihi persuasit Gelzerus.[1])

1) l. l. p. 275.

Corrigendum.

p. 39 s. f. legendum pro: a Zosimo exhibita: I, 14 — a Zosimo exhibita. (praeter locum I, 14 *προχειρίζονται τῆς βουτῆς ἄνδρας εἴκοσι στρατηγίας ἐμπείρους, ἐκ τούτων αὐτοκράτορας ἑλόμενοι δὺο, Βαλβῖνον καὶ Μάξιμον*. cf. p. 48.)

Index.

DE
RHODIORVM PRIMORDIIS

SCRIPSIT

AVGVSTVS BECKER

REMDENSIS.

DE RHODIORVM PRIMORDIIS.

Caput I.

DE RERVM RHODIACARVM SCRIPTORIBVS.

Temporibus uetustioribus logographorum et horographorum, qui nullis ducti et adstricti certis rationibus aut subtili doctrina optimas et antiquissimas singularum regionum et urbium fabulas ut accipiebant simpliciter et sincere prodebant, rerum Rhodiacarum scriptoris uestigium indagatur nullum. Alexandrinorum demum aetate ubi cum alia studia florebant tum quam plurimarum ciuitatium res et fabulae peruestigari et pertractari incipiebantur, ubi *Ἀτθίδες*, *Δηλιακά*, *Κῳακά*, *Κολοφωνιακά* conscribebantur, etiam Rhodus insula suos inuenit scriptores nec tamen integre accepta et relata referentes, sed causis rerum accurate perscrutandis operam dantes et Euhemeri potissimum disciplinae et rationi fauentes. Quorum scriptorum omnium longe maximi momenti nobis est Zeno Rhodius, aequalis Polybii, propterea quod, quaecunque de Rhodiorum primordiis fabulisque narrantur apud Diodorum l. V, 55—59, omnium, quae de his rebus memoriae mandata sunt, fragmenta longe amplissima et grauissima, ad illum referenda ipse testatur Diodorus V, 56: *περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχαιολογουμένων παρὰ Ῥοδίοις οὕτω τινὲς μυθολογοῦσιν· ἐν οἷς ἐστι καὶ Ζήνων ὁ τὰ περὶ ταύτης συνταξάμενος.* E quibus fragmentis Zenonem Euhemeri rationes et doctrinam secutum esse facile intellegitur.

Quae ceteroquin de uita eius, scribendi genere, fide et auctoritate comperta habemus apud unum leguntur Polybium XVI, 14 sq. Operis autem, quod confecit Zeno, titulum seruauit Laert. Diog. VII, 35: *Ῥόδιος τὴν ἐντόπιον γεγραφὼς ἱστορίαν ἐνιαίαν*, ubi cum *ἐνιαίαν* plane corruptum sit, Menagii potissimum coniecturam speciosam amplecteris, qui emendat *ἐν ΙΑ*; ita simul quot libris auctor opus conscripserit edoceris. At cf. Muellerum F. H. G. III, p. 174 sq.

Altero iam loco enumeramus Antisthenem, quem eiusdem aetatis ac Zenonem fuisse et librum huius scriptis similem confecisse cernitur ex Polybio XVI, 14, 2, qui de utroque scriptore haec facit uerba: *Ζήνων καὶ Ἀντισθένης οἱ Ῥόδιοι. Καὶ γὰρ κατὰ τοὺς καιροὺς γεγόνασι καὶ περι- [ττῶς ἐν σφετέρᾳ πατρίδι] πεπολίτευνται.* Neque Laert. Diog. VII, 9 de Antisthene non meminit, sed ita ut minus notum eum fuisse suspicari possis quam Heracliteum et Ephesium: *Γεγόνασι καὶ ἄλλοι Ἀντισθένεις τρεῖς, Ἡρακλείτειος εἷς, ἕτερος Ἐφέσιος, καὶ Ῥόδιός τις ἱστορικός.*

Porro duo commemorandi sunt ex quorum operibus fragmenta ad antiquiorem aetatem pertinentia quamuis parua aetatem tulerunt: Ergias et Polyzelus Rhodii, quorum quae extant scripta uides apud Athenaeum VIII, p. 360 E: *Ἐργείας οὖν ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς περὶ τῆς πατρίδος* — et deinde: *τὰ δ' αὐτὰ ἱστορήσας καὶ Πολύζηλος ἐν τοῖς Ῥοδιακοῖς κτλ.* Ac Polyzelus quidem ab Hygino quoque producitur Poet. Astron. II, 14.

Alterius autem Ergiae nomen suspicionem mouit nonnullis uiris doctis Erxiam potius scribendum esse arbitratis, quippe quod nomen non modo in Etym. M. occurreret (*Ἐρξίας, ὄνομα κύριον· παρὰ τὸ ῥέξω ῥεξίας, ὑπερβιβασμῷ ἐρξίας ὁ πρακτικός· ὁμοίως τῷ ῥέκτης, ἕρκτης*), sed etiam apud Athen. XIII, p. 561 F rerum Colophoniacarum scriptoris proprium. Longius progressus est Westermannus qui apud Pauly, Realencycl. s. u. Ergias III, p. 331 eundem esse hunc Erxiam atque Erxiam Rhodium censet. Fortasse recte; sed abstineamus coniectura de re quam scire nefas est.

Age uero dignissimus quem afferamus est Aristoteles, cuius quod inscriptum erat *Πολιτεῖαι πόλεων ρνη'* opus, quo certe de Rhodi quoque rebus egregie et ingeniose actum erat, perisse maximopere dolendum est. Excerpta sunt ex his quae Heraclidis nomine seruata sunt: *ἐκ τῶν Ἡρακλείδους πολιτειῶν* inscripta, ubi de Rhodo insula dicuntur haec: *Ῥόδον τὴν νῆσον τὸ παλαιὸν κεκρύφθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς θαλάσσης, ἀναφανῆναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν. Ἐκαλεῖτο δὲ Ὀφιοῦσσα διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐνόντων ὄφεων.* Cf. Muellerum F. H. G. II, p. 161 et 222. Scholio ad Pindar. Ol. VII inscr. *Διαγόρᾳ Ῥοδίῳ πύκτῃ*] quamuis ad Aristotelem prouocetur: *περὶ δὲ τούτου τοῦ Διαγόρου εἶπε μὲν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Ἀπόλλας*, pauca inesse Aristotelis, pleraque Apollae siue Apellae Pontici docet Val. Rose, Aristot. pseudep. p. 514—517.

De ceteris, quae iam sequuntur, scriptoribus nil fere comperis nisi ipsum nomen operumque quae scripserunt titulos.

Horum agmen ducat Dionysius Thrax, quem de Rhodo scripsisse affirmat Steph. Byz. s. u. *Ταρσός· ἐν τῷ περὶ Ῥόδου.*[1]) Memorandus etiam Iason, quem a patre Nysaensem, a matre Rhodium Posidonii philosophi successorem fuisse Suidas tradit: *Ἰάσων Μενεκράτους Νυσαεὺς ἐκ πατρός, ἀπὸ δὲ μητρὸς Ῥόδιος, φιλόσοφος, μαθητὴς καὶ θυγατριδοῦς καὶ διάδοχος τῆς ἐν Ῥόδῳ διατριβῆς Ποσειδωνίου τᾶ φιλοσόφου. . . . οὗτος ἔγραψε καὶ περὶ Ῥόδου.* Tum Eucratis *Ῥοδιακῶν* mentionem facit Hesychius s. u. *ἔλατρον· Εὐκράτης ἐν Ῥοδιακοῖς* et Athen. III p. 111 B *ὥς φησιν Εὐκράτης.* Quibus adde Antipatrum a Stephano Byz. citatum s. u. *Ἀρμενία· Ἀντίπατρος ἐν τρίτῳ περὶ Ῥόδου.*

Iam sequatur Epimenides, quem ab Epimenide Cretensi secernendum esse rerum Rhodiacarum scriptorem monuit Laert. Diog. I 115 *Γεγόνασι δὲ καὶ Ἐπιμενίδαι ἄλλοι δύο· ὅ τε γενεαλόγος καὶ τρίτος ὁ Δωριστὶ γεγραφὼς περὶ Ῥόδου.*[2])

Porro Apollonium Rhodium cum complurium urbium *κτίσεις*, quae uocantur, tum Rhodi *κτίσιν* carmine cecinisse testis est Steph. Byz. s. u. *Δώτιον· Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν Ῥόδου κτίσει·*

Ὅσσα τε γαίης
Ἔργα τε Δωτιάδος πρότεροι κάμον Ἀσμονιῆες.

De sacris Rhodiacis egerunt Theognis, cf. Ath. VIII p. 360 B: *Θεόγνις ἐν β' περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν* et Gorgo ab eodem Athenaeo memoratus XV p. 696, F: *Καὶ ὁ εἰς Πτολεμαῖον δὲ τὸν πρῶτον Αἰγύπτου βασιλεύσαντα παιάν ἐστιν, ὃν ᾄδουσι Ῥόδιοι· ἔχει γὰρ τὸ Ἰὴ παιὰν ἐπίφθεγμα, ὥς φησι Γόργων ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν.* Cf. etiam Hes. s. u. *καταῤῥαπτίτης· Γόργων ἐν τῷ περὶ θυσιῶν· ἐπιπολιαῖος Ἑρμῆς ἐν Ῥόδῳ ὡς Γόργων ἱστορεῖ.* Pind. Ol. VII 1 schol.: *ταύτην τὴν ᾠδὴν ἀνακεῖσθαί φησι Γόργων ἐν τῷ τῆς Λινδίας Ἀθηνᾶς ἱερῷ χρυσοῖς γράμμασιν.* Deinde Philomnestum de festis Sminthiis

1) De hoc artis grammaticae scriptore uid. Maur. Schmidtium Philol. VII p. 360 sq., VIII p. 231 sq., 510 sq.

2) Ad Cretensem uaria ueteres referebant opera seriore aeuo scripta et poetica et soluta oratione confecta. Cf. Fabric. B. G. I p. 32—35. C. Schultess: de Epimenide Cretensi. Bonn. 1877 p. 58 sq. Nec factum non est, ut eadem scripta Epimenidi modo uindicarentur, modo abiudicarentur: ueluti historiae Telchiniacae auctorem a nonnullis haberi Epimenidem ab aliis Teleclidem prodit Athen. VII 282 F. Quam historiam eandem esse atque opus Laertio memoratum: *Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσις καὶ Θεογονία* nullis probauit argumentis Fabricius l. c. Ceterum, ut illud addam, Enomides Etymologi Gud. *Ἐνομίδης ὁ τὰ θεῖα γράψας* ab Epimenide Cret. haud scio an discernendus non sit.

scripsisse tradit Athen III p. 74 F: *Φιλόμνηστος δ' ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθίων φησίν*. Cuius loco idem Ath. X p. 445 A *Φιλόδημον* citat; sed Philomnestum uerius esse nomen suspicatur etiam Muellerus l. c. IV p. 478.

Neque Istrum in libro suo, qui erat de certaminibus in Solis honorem institutis Rhodi rationem posthabuisse patet. Cf. Schol. Pind. VII 146: *Ῥόδιοι τιθέασι Ἡλίῳ στεφανίτην ἀγῶνα, ὡς Ἴστρος φησὶν ἐν τῇ περὶ τῶν Ἡλίου ἀγώνων.*[1]) Itemque Rhodum attigisse uidetur Aristocles, qui affertur Schol. Pind. Ol. VII 66: *Ἀριστοκλῆς δὲ ὑφίσταται τὴν γέννησιν Ἀθηνᾶς ἐν Κρήτῃ. νεφέλῃ γάρ φησι κεκρύφθαι τὴν θεόν, τὸν δὲ Δία πλήξαντα τὸ νέφος προφῆναι αὐτήν*. Hic num idem sit atque Rhodius, quem memorat Strabo XIV p. 655: *Ἀριστοκλῆς ὁ καθ' ἡμᾶς*, ualde dubitandum.

Haec scripta satis multa cum omnia fere interierint, tibi Rhodi rerum primordia cognituro confugiendum erit in primis ad ea, quae e Zenone hausit Diodorus V 55—59; tum uero ad Pindarum, qui carmine Ol. VII Diagoram Rhodium celebrans adumbrat fabulas antiquissimas grauissimasque, ut ipse testatur u. 54: *φαντὶ δ' ἀνθρώπων παλαιαὶ ῥήσιες*; ad hoc ea quae adnotauerunt scholiastae. Inspiciendus est etiam Strabo XIV p. 652—655, qui praeter res geographicas haud pauca exhibet, quae historicorum studiis succurrant. Deinde adhibeas Cononis narrationes cum alias tum narr. 47 ap. Phot. p. 141. Nec spernenda Dieuchidae fabula ab Athenaeo memoriae prodita VI p. 262 E.

Grauissimi denique momenti fabula est ab Ergia et Polyzelo prolata ap. Ath. VIII p. 360 E. Alia, quae sparsim inueniuntur, ueterum scriptorum testimonia quibus utamur digna, hic enumerare longum atque superfluum est. Collegit ea diligentissime Meursius in libro, qui inscribitur 'Creta, Rhodus, Cyprus'.

Aetate recentiore res Rhodiacas temporum remotiorum adumbrauit

1. Heffter, Götterdienste auf Rhodus, Zerbst 1827.

Commemorandus est etiam

2. Mouersius, die 'Phönizier' II 2, ubi egit de Phoenicum coloniis.

Nonnulla optime monuerunt:

3. O. Mueller, Die Dorer, Bresl. 44.

1) De operis, quod inscriptum erat „*Ἀττικά*" ceterisque fragmentis Istri uid. Mueller. l. c. I p. 419—427.

4. Stark, Gaza u. d. philist. Küste, Jena 1852.
5. Guérin, Ile de Rhodes, Paris 1880.
6. Schneiderwirthii liber, qui inscribitur: 'Geschichte der Insel Rhodus nach den Quellen bearbeitet', Heiligenstadt 1868, magis posteriora tempora spectat quam antiquiora.

Alios uiros doctos qui Rhodiorum res antiquas hic illic attigerunt uel aliquo modo ad eas cognoscendas aliquid contulerunt suo quemque loco commemorabimus.

Sunt uero multa, quae accurata etiam indigeant inquisitione, in qua id primum agendum erit, ut singulae fabulae, quae a mythographis in unum contractae et coniunctae sunt, discernantur et cui quaeque insulae oppido addicendae sint exploretur.

Itaque hanc commentationem ita instituamus, ut capite sequenti totum fabularum a Diodoro exhibitarum corpus tanquam dissecemus ac suae quamque patriae attribuamus, capite tertio de singulis accuratius disputemus.

Caput II.

FABVLAE DIODORI SELEGVNTVR ATQVE DISPONVNTVR.

Si quis fabulas a Diodoro memoriae mandatas attente perlegerit, primum eam, quae est in capite 55 inde a § 1 usque ad § 3, qua de Telchinibus diligentius agatur, per se absolutam atque perfectam e ceterarumque fabularum nexu eximendam esse statim perspiciet. Ac fabula quidem haec est: 'Primos insulam incoluisse Telchines. His mari natis et Caphirae Oceani filiae Neptunum a Rhea mandatum esse educandum. Inuenisse autem illos cum alias artes et res ad usum communem pertinentes tum primos deorum simulacra confecisse, quorum exempla etiamtum extarent, ut apud Lindios Apollinem Telchinium, apud Ialysios Iunonem nymphasque Telchinias, apud Camirenses Iunonem Telchiniam. Eosdem fuisse praestigiatores, ut sua uoluntate et arbitrio tempestatem regere possent iuxta atque Chaldaeos; ad hoc facultatem in eis fuisse, ut quamlibet induerent formam: artibus uero suis et mendaciis qui studerent, eorum fuisse inuidos'. Quam fabulam quamuis uni certoque insulae oppido uindicare non possis, tamen ipsorum Rhodiorum esse propriam neque extrinsecus in insulam inuectam argumentis post confirmabimus.

Ab hac fabula secernenda est ea, quae sequitur § 4: 'Neptunum cum adoleuisset Haliae Telchinum sororis amore captum sex

filios genuisse et filiam unam Rhodum, a qua insulam nomen accepisse'.

Pergit Diodorus § 5ª: 'Cum Neptuni filii nascerentur, tum in eis insulae regionibus, quae ad orientem uergerent, gigantes, qui uocarentur, esse genitos'.

Cum hac fabula forsitan Lindo addicenda particula ὅτε δὴ καὶ coniunxit et conglutinauit eam, que sequitur § 5ᵇ, quam esse Camirensem certo comprobari potest: 'Eodem tempore, ait Diodorus, Iouem Titanibus superatis ex Himalia nympha tres filios procreauisse Spartaeum, Cronium, Cytum'.

Porro una solidaque est fabula eaque Ialysia quam legis de Venere et Halia inde a § 6 usque ad § 7: 'Venerem Cyprum migraturam Rhodique appellere cupientem a Neptuni filiis iam adultis id facere uetitam insaniam eis iniecisse ita ut matrem stuprarent: quapropter a patre sub terra eos occultos esse et nuncupatos: προσηῴους δαίμονας. Matrem, ut ignominiam effugeret in mare se coniecisse reliquoque tempore Leucotheae nomine instar deae cultam esse'.

Iam uero capitis 56 § 1ª, 1ᵇ duo membra sequuntur minora prorsus discernenda; primum 'Telchines inundatione quae futura esset praesagita insulaque relicta esse dispersos'; deinde 'Lycum in Lyciam peruenisse et ad Xanthum flumen Apollini Lycio templum extruxisse'.

Hic fabularum nexu tanquam inciso prioris partis narratiuncularum finis ac terminus erit constituendus.

Altera pars fabularum uere antiquarum initium capit a paragrapho demum quinta, qua de Sole eiusque filiis agi incipitur: ea autem, quae interiecta sunt de inundatione § 2 post inuenta insertaque et quae disceptantur § 3 et § 4 maximam partem talia sunt, ut ab ipso Zenone excogitata et inuenta esse uideantur. Narrantur enim haec: 'Magna inundatione exorta paucis exceptis, inter quos Iouis filiis, omnes perisse. Tum Solem Rhodum adamasse, insulae ex illa nomen indidisse, aquas reppulisse perhiberi fabulis: re uera, ubi conformaretur insula et existeret, deum terram etiam lutulentam humore liberasse, animalibus implesse septem filios genuisse eaque de causa ab incolis ut auctorem eorum atque genitorem unum omnium maxime celebrari'.

Deinde § 5ª usque ad uerba Ῥοδίοις ἡρωικῶν continuatur quae est de Sole et Heliadis fabula § 3 instituta, quae quin Ialyso profecta sit dubium esse non potest: 'Nomina septem Heliadarum fuisse Ochimum, Cercaphum, Macarem, Actinem, Tenagem, Triopam,

Candalum. Praeter hos filiam Electryonen ex eo natam, cui etiam uirgini uita defunctae honores obtigisse immortales'.

Iam narrationi interpositam et cum Heliadis arcte conexam uides fabulam illam, quae est de certamine Rhodiis et Atheniensibus de Minerua concilianda facto certe ad Lindum referendam: 'Heliadis enim adultis itemque Atheniensibus a Sole esse editum, qui primi sacra fecissent Mineruae, apud eos deam domicilium suum habituram. Ac Rhodios quidem priores Mineruae sacrificasse sed ignis oblitos, cum Cecrops Atheniensium rex post sacra obtulisset non sine flammis. Unde factum, ut Rhodii ab ipso cultus initio deae operarentur igni abstinentes'.

Tum Ialysius de Heliadis mythus ad finem perducitur inde a capitis 57, § 1—8, nisi doctis cogitationibus et conclusionibus § 3—5 institutis non interruptus. Fabula haec est: 'Heliadas cum aliarum artium tum astrologiae peritissimos et de re nauali et de horis constituendis optime meritos esse; inter quos cum Tenages excellentissimus extitisset, a ceteris eum esse occisum. Quae res cum innotuisset, illos fugam cepisse et Macarem quidem Lesbum, Candalum Coum fugisse. Actinem uero in Aegyptum peruenisse, Heliopolin urbem condidisse a Sole patre nominatam: a quo Aegyptios astrologia instructos esse, ut cum in Graecia magna eluuione litterae interissent, illi astrologiae inuentionem sibi uindicarent et Graeci a Cadmo demum Phoenice litteris imbuti dicerentur.

A Triopa Cariae promontorium esse occupatum ex eoque Triopium appellatum.

Reliquos autem Ochimum et Cercaphum insontes in regione Ialysia remansisse, Achaiam urbem aedificasse Ochimumque natu maiorem regem fuisse Hegetoria nympha in matrimonium ducta; ex qua Cydippen natam esse post mutato nomine Cyrbiam nuncupatam; hanc Cercapho nupsisse, quem fratre defuncto regnum occupasse. Cuius filios Lindum, Ialysum, Camirum patri mortuo in regno successisse Cyrbeque oppido inundatione deuastato sibi quemque urbem condidisse ex ipsis eas nominantes'.

Capite sequenti 58, § 1 de Danao adiungitur fabula Lindia: 'Danaum enim cum filiabus Lindum uenisse et ab incolis hospitio receptum Mineruae templum constituisse; tribus autem filiabus Rhodi mortuis ipsum cum ceteris Argos migrauisse'.

Huic applicata est § 2 narratio de Cadmo Ialysia: 'Cadmum Europam inuestigantem tempestateque late circumiactatum Neptuno sacrum promisisse uotumque Rhodi soluisse. Eos uero, quos ad procuranda sacra Rhodi reliquisset Cadmus, breui cum Ialysiis se

coniunxisse eademque republica et legibus usos esse et posteris deinceps ex se natis sacerdotium tradidisse'.

Cum idem Cadmus § 3 Mineruam quoque Lindiam aenea cortina antiquo more fabricata et litteris Phoeniciis inscripta aliisque donis coluisse dicatur, hanc fabulam Lindo addicendam esse nemo infitiabitur.

His additur § 4—5 fabula rursus Ialyso ascribenda, qua de Phorbante heroe proferuntur haec: 'Dici enim Rhodum olim ingentibus anguibus fuisse repletam, qui plurimos incolas necauissent. Quod malum ut remouerent et propulsarent, Rhodios Delum misisse oraculum consulturos responsumque tulisse ut Phorbantem Lapithae filium in Thessalia uersantem et domicilium sibi suisque quaerentem apud se reciperent: quem insulam a bestiis liberaturum. Id, quod factum est. Phorbanti uero qui optimum se praestitisset uirum, mortuo heroicos honores obtigisse.

Cum hoc mytho conexa est a Diodoro fabula de Althaemene heroe quae est Camirensis c. 59, § 1—4: 'Althaemenem Catrei Cretum regis filium, cum patrem fore ut sua manu occideret, ab Apolline comperisset, ut hoc scelus euitaret, Rhodum se contulisse Camirumque sibi domicilio elegisse. Ubi ab incolis magno honore affectum in monte Atabyrio eum Iouis Atabyrii sacrum constituisse. Catreum autem patrem filio orbatum desiderioque captum Rhodum profectum postquam nocte cum nonnullis appulisset pugna aduersus incolas inita ab Althaemene suis auxiliante necatum esse. Qua re cognita Althaemenem luctus magnitudine pressum in solitudines recessisse maestitiaque et dolore absumptum post ab incolis heroicis honoribus esse cultum'.

Denique accedit Tlepolemus heros fortasse Ialysius, de quo § 5—6 disseruntur haec: 'Paulo ante bellum Troianum cum Licymnium inuitus interfecisset, Argis eum fugisse et oraculi iussu cum nonnullis Rhodum nauigasse ibique ab incolis receptum domicilio collocato regno occupato insula omni in aequas partes diuisa principem se praebuisse optimum. Denique imperio Butae fugae sodali mandato duce Agamemnone Troiam profectum bello eum interisse'.

Iam uero ut expressam fabularum nexu solutarum imaginem habeant lectores, quid enucleauerimus tabula describere mihi liceat:

c. 55, 1—3	Telchines	fabula Rhodia
c. 55, 4. 6. 7.	Neptunus eiusque filii	„ Ialysia
c. 55, 5ª	gigantes	„ Lindia
c. 55, 5ᵇ	Iouis filii	„ Camirensis
c. 56, 1ª	inundatio	

c. 56, 1b	Lyci in Lyciam fuga	
c. 56, 2. 3	cogitationes doctae	
c. 56, 3—5	Heliadae	fabula Ialysia
c. 56, 5—7	Minerua Lindia	„ Lindia
c. 57, 1—2. 6—8	Tenages interficitur, fratres fugiunt	„ Ialysia
c. 57, 3—5	cogitationes doctae	
c. 58, 1	Danaus	„ Lindia
c. 58, 2	Cadmus	„ Ialysia
c. 58, 3	Cadmus	„ Lindia
c. 58, 4—5	Phorbas	„ Ialysia
c. 59, 1—4	Althaemenes	„ Camirensis
c. 59, 5—6	Tepolemus	„ Ialysia

Caput III.

SINGVLAE RHODIORVM FABVLAE ACCVRATIVS EXPONVNTVR ATQVE ILLVSTRANTVR.

Iamiam ad singulas fabulas diligentius tractandas transeamus. In quibus perquirendis id potissimum nobis proposuimus, ut ubi et quoad fieri possit, qua ratione et uia quaeque exorta sit fabula, utrum ipsius Rhodi insulae propria an extrinsecus sit aduecta, quid ab ipso populo antiquitus conceptum, quid ad doctam inuentionem reuocandum sit, inuestigemus et perscrutemur.

A.

Itaque primum agendum de Telchinibus.[1])

Atque natura Telchinum cum in illa Diodori fabula tum loco, qui est Eusth. p. 772 ita illustratur, ut fraudulentos et inuidos eos fuisse accipias. Cf. Eusth. l. c. *ἡ παροιμία τοὺς καὶ ψογεροὺς Τελχῖνας καλεῖ*; cf. etiam Ouidium Metam. VII 365:

'Phoebeamque Rhodon et Ialysios Telchinas
Quorum oculos ipso uitiantes omnia uisu
Iuppiter exosus fraternis subdidit undis'.

Nec praetereundus Nonnus, qui Telchines, cum Rhodo cederent ab Heliadis expulsi, terram aqua Stygia aspersisse sterilemque

1) De Telchinibus egerunt Lobeck., Aglaoph. II p. 1181—1202 et A. Kuhn., Ztschr. f. vgl. S. I 187. 195 sq.

reddidisse narrat.[1]) Idemque proditur Etym. M. s. u. *θέλγειν. καὶ Τελχῖνες θελγῖνες τινές εἰσι· τὰ γὰρ θάλλοντά φασι βασκαίνοντες τοῖς ὕδασι τῆς φύσεως ἀνὰ ἐποίουν ἕως φυτῶν βασκαίνοντες* et Strabo XIV p. 654: *Τελχίνων, οὓς οἱ μὲν βασκάνους φασὶ καὶ γόητας . . . θείῳ καταῤῥέοντας τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ ζώων τε καὶ φυτῶν ὀλέθρου χάριν, — οἱ δὲ τέχναις διαφέροντας τοὐναντίον ὑπὸ τῶν ἀντιτέχνων βασκανθῆναι καὶ τῆς δυσφημίας τυχεῖν ταύτης, ἐλθεῖν δ' ἐκ Κρήτης εἰς Κύπρον πρῶτον, εἶτ' εἰς Ῥόδον, πρώτους δ' ἐργάσασθαι σιδηρόν τε καὶ χαλκὸν καὶ δὴ καὶ τὴν ἅρπην τῷ Κρόνῳ δημιουργῆσαι.*

Atque artibus praeter ceteros excellentes extitisse Telchines Eustathius quoque àd Dionys. Perieg. 504 testatur, qui et ipse Crono iaculum hamatum ab eis fabricatum esse tradit et Callimachus h. in Del. 31, a quo Neptuno tridentem fecisse produntur. Nec uero non de rebus humanis interdum bene esse meritos artibus suis adhibitis Telchines existimari, exemplum docet Mylantis, quippe qui Hesychio[2]) et Stephano Byz.[3]) auctoribus molas inuenisse dicatur.

Haec testimonia si tecum reputaueris omnia, Telchines mari natos putari, sorore uti Halia, futura Neptuni uxore, Neptunum educare, artium esse peritos naturam humanam longe superantium, fieri non poterit, quin tibi persuadeas uetustissimorum eos temporum daemones fuisse naturae maximam partem malignae a populo ipso inuentos et cum Neptuno maris domino arcte cohaerentes.

Quod enim Neptuni tanquam famuli et comites, quod simulacrorum diuinorum existunt fabricatores, mirandum non est, quoniam alios quoque, ut Curetes et Corybantes Ioui et Rheae inseruientes illorumque simillimos cogitatos fuisse notum est.

Attamen fuerunt[4]), qui gentem aliquam Peloponnesi potissimum

1) Duobus, quae comperta habemus, Telchinum nominibus Mylae et Lyci Nonnus addidit Scelmin et Damnameneum; cf. XIV 39: '*Ἦλθε Λύκος καὶ Σκέλμις ἐφέσπετο Δαμναμενῇι*'. Sed cum a pluribus, quibus Strabo usus est, auctoribus Dactylis Idaeis ascribantur cf. Strab. X 473: '*ἄλλοι δ' ἄλλως μυθεύουσι — διαφόροις δὲ καὶ ὀνόμασι καὶ τοῖς ἀριθμοῖς χρῶνται, ὧν Κέλμιν ὀνομάζουσί τινα καὶ Δαμναμενέα* etc.': quamuis ex hoc ipso loco scriptores antiquos inter se dissensisse appareat, tamen Nonno ut testi recentioris aetatis cauebis nimium tribuas: forsitan Telchines cum Dactylis Idaeis a Nonno sint confusi.

2) Cf. s. u. *Μύλας· εἷς τῶν Τελχίνων, ὃς τὰ ἐν Καμείρῳ ἱερὰ Μυλαντείων ἱδρύσατο.*

3) S. u. *Μυλαντία· ἄκρα ἐν Καμίρῳ τῆς Ῥόδου. Μυλάντειοι θεοί· ἀπὸ Μύλαντος ἀμφότερα τοῦ καὶ πρώτου εὑρόντος ἐν τῷ βίῳ τὴν τοῦ μύλου χρῆσιν.*

4) Velut Lobeck l. c.

ortam putandos eos esse arbitrarentur nescio an et Eusebii loco nixi, qui ad annum 230 Abr. (1787 a. Ch.) adnotat:

'Thelcisiis et Cariatiis[1]) aduersum Foroneum et Parrasios institit bellum' et ad annum 280 Abr. (1737 a. Chr.): 'Telchines uicti Rhodum condiderunt, quae prius Ofiussa uocabatur' et auctoritate Pausaniae II 5, 6, qui reges Sicyoniorum nominat: *Αἰγιαλεύς*, *Εὔρωψ*, *Τελχίς*.

Ac nuper Schneiderwirthius l. c. p. 205—208 denuo ad Dunckeri[2]) sententiam se applicauit, Telchines Phoenicia esse origine contendens, quippe quod, ubicunque existerent Telchines, ut Rhodi, Cypri, in Creta, in Peloponneso, in Boetia, eodem Phoenices antiquitus appulisse et domicilia collocasse constaret eademque illi essent indole et natura, qua Phoenices describerentur.

A qua opinione prorsus esse recedendum uidetur. Nos quidem daemones illos cum Neptuno et Halia fabula coniunctos antiquissima Carum aetate floruisse putamus eosque ipsorum Rhodiorum proprios ideo, quod praecipua sedes eorum et tanquam prouincia fuisse traditur Rhodus.[3])

Atqui cum Cretensium quoque fabulis daemones exhiberentur Telchinum naturae propinqui, Curetes et Corybantes, quid mirum, quod post hi cum illis confundebantur et commiscebantur, id quod Strabo propalam effatur sic X 466: *τοσαύτη δ' ἐστὶν ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία, τῶν μὲν τοὺς αὐτοὺς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας καὶ Καβείρους καὶ Ἰδαίους δακτύλους καὶ Τελχῖνας ἀναφαινόντων, τῶν δὲ συγγενεῖς ἀλλήλων καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλομένων κτλ.*?

Quid? Quod nonnullos ex nouem Telchinibus una cum Rhea Rhodo in Cretam se contulisse, Iouem educasse Curetesque nuncupatos esse fabulabantur[4]), ut postea Creta nomen Telchiniae acciperet et Cretes appellarentur Telchines?

Haec uero ut comminiscerentur, eo facilius fieri potuit, quod perspicue inde ab antiquissimis temporibus arctissimum Rhodiis cum Cretensibus erat commercium: quod quam recte contendamus excepto

1) Cf. Sync. p. 238, 12. *Τελχῖνες καὶ Καροιάται.*

2) In libro, qui inscribitur: Geschichte des Alterth. I[1] p. 305. V[5] p. 232.

3) Antiquum Rhodi nomen fuisse *Τελχινίς* tradit Strabo XIV p. 653.

4) Cf. Strab. X 472: *Οἱ δὲ Τελχίνων ἐν Ῥόδῳ ἐννέα ὄντων τοὺς Ῥέᾳ συνακολουθήσαντας εἰς Κρήτην καὶ τὸν Δία κουροτροφήσαντας Κουρῆτας ὀνομασθῆναι, Κύρβαντα δὲ τούτων ἑταῖρον Ἱεραπύτνης ὄντα κτίστην παρὰ τοῖς Ῥοδίοις παρασχεῖν πρόφασιν τοῖς Πρασίοις ὥστε λέγειν, ὡς εἶεν Κορύβαντες δαίμονές τινες Ἀθηνᾶς καὶ Ἡλίου παῖδες.*

Strabone X 472 etiam Stephani Byz. testimonio demonstratur, a quo Hierapytnae prisca nomina Camiri et Cyrbes fuisse dicuntur.[1])

Quod cum post Creta horum daemonum tanquam campus atque patria esse putaretur, uel eo processerunt, ut Telchines ibidem ortos primum Cyprum deinde Rhodum demigrasse excogitarent. Cf. Strab. XIV 654 et Nicol. Dam. ap. Muellerum F. H. G. III p. 459: unde Cypri quoque eiusdem naturae deos fuisse cogitur.

Suas autem opiniones cogitationes religionesque antiquitus Rhodios uel Caras in Graeciam importasse sacrum Mineruae Telchiniae docet Teumessi constitutum: ex quo sacro Pausanias partem aliquam Telchinum, qui Cyprum occupauissent, in Boeotiam profectam esse concludit. Cf. Paus. IX 19, 1: *Καὶ Ἀθηνᾶς ἐν Τευμησῷ Τελχινίας ἐστὶν ἱερὸν .. ἐς δὲ τὴν ἐπίκλησιν αὐτῆς ἔστιν εἰκάζειν ὡς τῶν ἐν Κύπρῳ ποτὲ οἰκησάντων Τελχίνων ἀφικομένων μοῖρα ἐς Βοιωτοὺς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς Τελχινίας.*

Iam uero quod attinet ad exitum Telchinum et ad Apollinis templum a Lyco in Lycia extructum, Lobeck. l. c. p. 1186—1187 hanc quidem fabulam non prius nasci potuisse censuit, quam Rhodii in Lycia pedem posuissent; ansamque datam esse ad eam fingendam nomine Thelxinoae Praxidicarum unius, uxoris Tremili, Lyciae gentis auctoris. Cuius nominis similitudine Zenonem uel quicunque inuenisset fabulam ad Telchines Rhodios esse traductum, quorum in numero ferretur Lycus.

Attamen antiquioris notae fabulam esse nec tam e subtili docti cuiusdam hominis ratione et conclusione quam ex ipsis ueterum Carum ingeniis profectum haud aliter ac totum de Telchinibus mythum inde potissimum eruitur, quod Lycum una cum Termero feroces Lelegas primosque piratas cogitatos fuisse scripsit Philippus Theangeleus, quem fabulas exhibere antiquas et bonas eo probabilius est, quod ipse e Carum gente natus fuit. Cf. Schol. in Eurip. Thes. 505 ed. Cobet, et Athen. VI p. 271, B; ac Mueller. F. H. G. IV p. 475.

Denique quod Apollinis sacrum super Xanthi ripas condidisse dicitur Lycus, confinxerunt aperte Apollinis *Λυκίου* nomine ducti eademque usi ratione qua similis de Mylete molarum inuentore fabula exorta est. (Cf. infra.)

1) St. Byz. s. u. *Ἱεράπυτνα ἡ πρότερον Κύρβα . . . εἶτα Κάμιρος.*

B.

Cum Telchinum fabula arctius coniunctus est mythus, qui est de Neptuno eiusque filiis et Venere ab illis depulsa.[1])

Ac primum quidem quin Ialysiae hae sint fabulae dubium esse non poterit, si quis illam de Cadmo narratiunculam respexerit, qua sacerdotes Phoenicii Neptuni sacro praepositi cum Ialysiis se coniunxisse perhibentur; unde re uera Ialysi gentem aliquam Neptuni sacerdotio praeditam a Phoenicibus originem duxisse certo sequitur.[2])

Attamen fac ne longius progrediens Neptunum omnino a Phoenicibus Ialysum esse inuectum conficias. Contra cultum illum a Phoenicibus primitus alienum esse ac post demum nomine *Διὸς θαλασσίου* receptum ab eis luculenter docuit Stark l. c. p. 299 sq. Immo cui in Philistaeae, Aegypti inferioris, Libyae oris occurrimus, quem inde in Graeciam inductum esse Herodotus statuit II 50, eundem Neptunum in Cariae quoque oris ac Rhodi deprehendimus.

Cuius dei religio et cultus omniumque, qui cum eo coniuncti sunt, daemonum certe uetustissimis, quibus Cares illas regiones obtinebant, floruit temporibus, iuuatque obseruasse fabulam illam Corinthiam, Leucotheam[3]) dico in mare sese proicientem etiam Rhodi offendi hac tantummodo facta mutatione, quod, cum a Corinthiis Venus Phoenicia amice reciperetur, fabula Rhodia a filiis Neptuni depulsa esse fertur: ex qua ipsa re Neptunum deum Phoenicium esse non posse elucet.[4])

1) De Neptuno bene egerunt Gerhardius in act. acad. Berol. 1850 et Stark. l. c. p. 288. 292. 293. 299.

2) Fabula illa Lindiorum, qui Cadmum Mineruae suae cortinam dedicasse credebant, quomodo enata sit, intelleges si litteras ut a Phoenicibus inuentas nuncupari consideraueris *Καδμήϊα γράμματα*. Ex ipsa igitur cortina, quae certe fuit in sacro Mineruae Lindiae, fabula orta uidetur esse.

3) De qua cf. Starkium l. c. p. 292.

4) Idem apparet ex ueteribus inter Neptunum atque Herculem deum Phoenicium (cf. p. 112) inimicitiis cum fabulis multis tum imaginibus perspicue significatis et illustratis; de quibus cf. Stark. l. c. p. 292—294. Ceterum quanta impigritate et pertinacia externas religiones a se alienas Rhodii defenderint ac reppulerint, ea quoque re cernitur atque exprimitur, quod Herculi sacra facere solebant cum imprecatione, quem sacrificandi ritum ita explicuerunt, ut illum ab aratore Rhodio cibum postulantem latamque repulsam indignatum alterum eius boum mactauisse et imprecante aratore et ipsum cenauisse et puero praebuisse fabularentur. Verum Herculem exsecrationes ridentem nunquam se suauius epulatum affirmauisse quam quae cum exsecrationibus illis condidisset. Cf. Cononem narr. XI et locos a Meursio p. 21 allatos. — Hoc loco

Igitur cum tamen gentem Phoeniciam Ialysi sacerdotium Neptuni exsecutam esse comperias, id tantummodo sumas, antiquitus permagnam eo Phoenicum confluxisse multitudinem multumque ibi ualuisse.[1])

Vt unum addam, ne posteriore quidem tempore dei cultum Rhodi euanuisse cum sponte intellegatur, tum egregie planeque docetur nautarum Rhodiorum locutione ab Aristide seruata or. Rhod. I p. 802 Dind.: *ἐνθυμηθέντας ὑμῶν τὸν τοῦ πολίτου κυβερνήτου λόγον, ὃς ἔφη χειμαζομένης αὐτῷ τῆς νεὼς καὶ καταδύσεσθαι προσδοκῶν τοῦτο δὴ τὸ θρυλούμενον· ἀλλ' ὦ Ποτειδὰν, ἴσθι ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω'.*

His rebus propositis de Diodori fabulis ipsis disceptare licebit.

Ac primum eo mytho, quo Rhodus filia dicatur Neptuni Haliaeque, nihil aliud significari, nisi insulam tanquam e mari natam esse Heffterus recte monuit.[2])

Age uero quomodo tandem factum sit, ut Neptuni filii a patre terra occulti nominarenter '*προσηῷοι δαίμονες*' inquirenti ac perscrutanti gigantes illi in mentem tibi uenient, qui a Diodoro paulo ante § 5ᵃ eodem tempore quo Neptuni filii *ἐν τοῖς πρὸς ἕω μέρεσι τῆς νήσου* nati dicuntur. Quos si prorsus eosdem putaueris atque illos *δαίμονας προσηῴους*, qui uocantur, nemo andaciae tibi uertat. Nec tamen illud negabis, Neptuni filios fabulae Ialysiae proprios a gigantibus istis omnino esse seiungendos. Quid? Quod hos gigantes non Ialysi sed Lindi oppido ad orientem maxime spectanti addicendos uerba docere uidentur: *ἐν τοῖς πρὸς ἕω μέρεσι*? Ad has difficultates expediendas mea quidem sententia una uia et ratio restat haec, ut gigantes illos quidem Lindios in ore ac sermone Rhodiorum. a situ patriae appellatos fuisse statuamus *δαί-*

Cauniorum quoque exemplum afferri poterit, qui quemadmodum peregrinorum deorum cultum propulsauerint narrat Herodot. I c. 172.

1) Omnino Phoenices Neptuni sacerdotium sibi uindicare adamasse uidentur. Neque enim non Phaleri eiusmodi aliquid factum esse ex oratione Dinarchi spectatur, quae erat inscripta: *διαδικασία Φαληρέων πρὸς Φοίνικας ὑπὲρ τῆς ἱερωσύνης τοῦ Ποσειδῶνος*; cf. Dion. Halic. de Din. p. 653 Reiske.

2) Eodem sensu Epimenides genitam eam prodit Oceano, Apollodorus Neptuno et Amphitrite, schol. ad Hom. Asopo. E Venere natam praedicat Rhodum Pindarus, aperte insulae amoenitate adductus, ut recte adnotat scholiasta. Vtrumque et maris ortum et amoenitatem uenustatemque insulae iungit Herophilus, cum Neptuni et Veneris filiam eam esse edat. Quod autem nonnulli Solę et Venere eam procreatam hariolantur certe nugae sunt fortasse e loco Pindari profectae non satis intellecto Ol. VII 14: *παῖδ' Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν*.

μονας προσηῴους; mythographum autem, siue Zenonem siue auctorem eius, hos daemones alios esse arbitrantem atque gigantes Lindios, utrosque temere disiunxisse et quinam essent *δαίμονες προσηῷοι* quaerentem et circumspicientem in Neptuni filios Ialysios fabula satis celebratos delatum esse cum eisque illos ita confudisse, ut terra occultos Neptuni filios *δαίμονας προσηῴους* transnominatos esse strenue contenderet. Vt igitur fabulam illam de Halia eiusque filiis Ialysiam bonam et antiquam esse constat, ita metonomasia illa haud scio an reuocanda sit ad mythographum.

Denique in una uoce haereo: *τοὺς κληθέντας* dico *γίγαντας*. Quid uult illud *τοὺς κληθέντας*? Num gigantes adeo fuerunt incogniti, ut uerba adderentur oporteret 'qui uocantur'? Atqui Gnetas uel Ignetas a Stephano et Hesychio exhibitos apud Diodorum iure desideres.[1]) Horum igitur auctorum testimoniis confisus rescribo *τοὺς κληθέντας ἴγνητας*. *Ἴγνητας* autem quam facile in *γίγαντας* abire potuerit, in propatulo est.

Ignetes igitur, ut breuiter complectamur quae disputata sunt, daemones sunt Lindii, appellari solebant *δαίμονες προσηῷοι*, secernendi sunt a filiis Neptuni Ialysiis.

C.

De Iouis filiorumque Spartaei, Cronii, Cyti fabula, quam uim habeat egregie Heffterus l. c. III p. 26—28 agit Himaliamque deam farinam largientem quae serendi, maturescendi opes condendi deos cum Ioue procreet, statuit.[2]) A qua urbe profectus sit mythus, non difficile est dictu, cum Camirenses in honorem deorum, qui uocarentur *μυλάντειοι* uel *ἐπιμύλιοι* dies festos egisse — *Μυλάντεια* — ab Hesychio s. u. *Μύλας* (cf. p. 102, n. 2) docearis. Sed illud monuerim, Mylantem molarum inuentorem occurrere etiam apud Pausaniam[3]) eumque primum Laconicae regem: qui cum filius audiat Lelegis, Camirensem quoque illam fabulam colligas esse Lelegum.[4])

1) Cf. Steph. Byz. s. u. *Γνής· ἔθνος οἰκῆσαν τὴν Ῥόδον. ἔνθεν καὶ ἴγνητες οἱ ἰθαγενεῖς. λέγεται γὰρ καὶ μετὰ τοῦ ι ἴγνητες.* Hes. s. u. *Ἴγνητες· οὕτως ὠνομάζοντο οἱ μετὰ τοὺς Τελχῖνας ἐποικήσαντες την Ῥόδον.*

2) Ceterum inter eos, qui ex inundatione salui euasissent, Iouis filios referentes Rhodii plane significauerunt, aquarum eluuionibus terrae ubertatem fertilitatemque minime esse deminutam.

3) III 1, 2. 20, 2. *Ἀλεσίαι χωρίον, Μύλητα τὸν Λέλεγος πρῶτον ἀνθρώπων μύλην τε εὑρεῖν λέγοντες καὶ ἐν ταῖς Ἀλεσίαις ταύταις ἀλέσαι.* Qua ratione commenti sint fabulam, perspicuum est.

4) De his cf. Deimling, 'Die Leleger'. Leipz. 62.

D.

Iamiam, ut ad celeberrimam fabulam, quae est de Sole, omnium qui Rhodi colebantur, deorum longe nobilissimo ac principe, Heliadisque eius filiis transgrediamur, Pindari carminis praeclarissimi Ol. VII rationem habeamus oportet, ubi haec prodita iuuenies:

'Nondum insulam e mari emersisse, cum dei terrarum orbem inter se partirentur. Cuius sortitionis cum expers fuisset Sol, Iouem denuo sortiendum esse statuentem, quominus id faceret, impeditum ab illo nouam dicente terram pratis gregibusque uberrimam et amoenissimam e mari emergentem sese uidere: qua lubenter se acquieturum, dummodo Lachesis et Iuppiter fide interposita ac iure iurando eam sibi addicerent. Itaque suam Solem Rhoden sortitum septem filios sapientissimos ex illa procreasse: ex quibus uno genitos esse Ialysum natu maximum, Lindum, Camirum, qui terram post inter se diuisissent'.

Hac fabula cum Diodori narratione comparata, id primum inter eas differre inuenies, quod, cum Pindarus insulam ab ipso ortu sibi uindicauisse Solem tradat, Diodorus, priusquam Sol sibi elegisset eam iam pridem fuisse meritumque dei hoc esse prodit, quod insulam inundatione deuastatam aquis exsiccatis denuo uegetam reddidisset.

De qua diuersitate quid iudicandum sit, dubium esse non potest. Neque enim inundationem illam integrum, ut ita dicam, fabularum uere antiquarum fuisse membrum etiam posthabita Pindari ratione ex ipsa specie fabulae efficitur; neque difficile est intellectu, quemadmodum inuaserit narratiuncula. Cum enim praeter eam, quae ferebatur de Sole et Heliadis fabulam, aliae de primis insulae incolis, de Rhode et Neptuno extarent fabulae, has omnes ita coniungendas et conglutinandas duxerunt homines docti, ut temporum ordini sufficerent: id quod factum est inuenta inundatione.

Caue tamen credas ab ipso Zenone mythos hoc modo conexos esse et commixtos. Diodorum enim ea, quae fabula proderentur ab eis, quae uera essent putanda, accurate distinguentem uerbis: *κατὰ μὲν τὸν μῦθον* — *ὁ δὲ ἀληθὴς λόγος* ne primum disiunxisse sed paene ad uerbum e Zenone hausisse existimemus, oratione indirecta, uerbis '*ὁ δ' ἀληθὴς λόγος*' interrupta post statim recepta adducimur.

Ipsius sententiam si proferret Diodorus post *ἀληθὴς λόγος* oratione directa uti perrexisset, ubi Zenonis exciperet uerba ad indirectam reuersurus. Vt dicat *ὁ δ' ἀληθὴς λόγος* non *τὸν δ'*

ἀληθῆ λόγον, causa est, quod ipse Zenoni assentitur: Vnde iam Zenonem apud alios hanc fabulae formam qualem edat, inuenisse non ipsum excogitasse certo effici cogique potest.

Porro alia quoque tibi occurrent fabulam Diodoream examinanti, quae satis superque docti ingenii inuentionem redoleant.

Veluti, cum Tenage interfecto Heliadas alium alio fugisse, Actinem uero Aegyptum petiuisse et Heliopolin condidisse Aegyptiosque astrologia imbuisse; post autem Aegyptios disciplinam illam sibi uindicasse et quamuis ab Actine Rhodio instructos inuenisse sese iactasse scriptum uideas, haec doctarum conclusionum uestigia sunt satis expressa. Itaque quaecunque narrantur inde a § 3—5 ad mythographum ipsum erunt reuocanda.

Ad fabulam Triopae diligentius illustrandam ea, quae post leguntur capite 61 conferre mihi liceat; quae quamuis e Zenone non fluxerint, tamen quomodo mythographi fabulas prorsus diuersas sola nominum similitudine ducti inter se conexerint, uel efficacissime ostendunt: ubi Triopam ex Solis Rhodique filiis unum comperimus cum in Caria a Melisseo rege purgatus ut Deucalionis filiis opem ferret in Thessaliam peruenisset, Pelasgos expulisset, Dotium campum quod diceretur diuisisset, luco Cereris sacro caeso incolarumque odio in se contracto rursus in Cnidiam migrasse Triopiumque condidisse. Ad haec addit scriptor de genere Triopae multos inter se dissentire partim Neptuno et Canace Aeoli filia partim Lapitha Stilbeque Peneo genita natum illum tradentes.

Haec quicunque cum eis, quae leguntur capite 57 comparauerit, Triopam non unum cogitandum sed duos commixtos esse et confusos — eorumque alterum Rhodium Solis filium — ex quo nuncupatum esse ferebatur Triopiam —, alterum Thessalum fuisse facile concedet. Alterum enim esse Thessalum ex ea re uel planissimum fit, quod et Lapithae Stilbesque Peneo natae et Neptuni Canacesque Aeolo procreatae filius esse dicitur.[1])

Has fabulas mythographi ita coniunxerunt, ut Triopam primo

1) Lapithas enim rex Lapitharum Thessalorum notissimus est; itemque ad originem Thessalicam spectat mater Triopae Stilbe Penei filia et Canace Aeolo procreata. Triopam autem, i. e. 'qui tres habet oculos' antiquum esse Iouem cum *Τριόφθαλμος* ille oraculi Doriensibus in Peloponnesum migraturis editi (cf. Apollod. II 8, 3. 4), qui idem uidetur esse atque *Ζεὺς Ἡγήτωρ* (cf. Theopomp. fr. 171) docere potest, tum probatur a Pausania, qui Larisae simulacrum Iouis tribus oculis utens constitutum fuisse commemorat cf. II 24, 3: *ἐνταῦθα ἀναθήματα κεῖται καὶ ἄλλα καὶ Ζεὺς ξόανον, δύο μὲν ᾗ πεφύκαμεν ἔχον ὀφθαλμούς, τρίτον δὲ ἐπὶ τοῦ μετώπου.*

in Cariam et inde in Thessaliam profectum postea Cnidum redeuntem sacraque Triopii instituentem facerent.

Iam uero eis, quae ad mythographorum inuentionem redire uidentur a fabula separatis, animum aduertas ad extremam Heliadarum narrationem. Vbi illud certe miraberis, quod V 57, 8 subito Cyrbes urbis nomen inuenitur nusquam ante commemoratum: *ἐπικλυσθεῖσα ἡ Κύρβη ἔρημος ἐγένετο.* Quae fuit ista Cyrbe? Cur ne uerbo quidem attigit Diodorus hoc oppidum? Num forte eadem est quae ante uocatur *Ἀχαΐα*? Quod si accipias, cum aliquo certe modo id indicari oporteret, fortasse enuntiatum illud, quo Cydippe mutato nomine Cyrbia nuncupatum esse perhibeatur: *τὴν μετὰ ταῦτα Κυρβίαν μετονομασθεῖσαν*, quod nomen cum Cyrbe urbe cohaerere haud negandum est, ab illo uerborum nexu solutum post ipsa uerba *κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν* subiungas legasque: *Ἀχαΐαν τὴν μετὰ ταῦτα Κυρβίαν* uel *Κύρβην μετονομασθεῖσαν.*

At ualde dubitandum est, an omnino non eadem fuerit Cyrbe atque Achaia, quod oppidum munitissimum fuisse prodidit Ergias apud Ath. VIII p. 360E; Guerini enim sententiae lubenter subscripserim, quam protulit in libro, qui inscribitur: Ile de Rhodes Paris 1880 p. 334:

'Quant à identifier Achaia avec Cyrbé, comme le propose mais avec un point d'interrogation toutefois, Mr. Ross, cela me semble inadmissible. Et post: Si la ville de Cyrbé fut désertée par ses habitants à la suite d'une inondation des eaux de la mer elle devait être par conséquent sur la côte au niveau même du rivage tandis que nous savons par Ergéas dans Athénée qu'Achaïa était une ville très-forte, ce qui nous porte naturellement à induire qu' elle était située sur une hauteur de difficile accès, hauteur, qui, nous le répétons, est certainement le mont Philérémos d'aujourd'hui. Cyrbé devait être égalément dans l'Jalysie, ou, pour mieux dire, dans le district qui reçut plus tard ce nom, après la fondation d'Jalysos; mais comme cette ville à cause du débordement rapporté par Diodore fut abandonnée des les temps les plus reculées, il n'est pas étonnant qu'elle n'ait laissé aucune trace d'elle-même et qu'il soit à peu près impossible de déterminer d'une manière positive l'emplacement qu'elle occupait'.

Quae cum ita sint, equidem ante *μετὰ ταῦτα* neglegentia omissum esse aliquid statuerim, quo causa contineretur, propter quam Cydippe nomen mutaret, praesertim cum sic demum uerba *μετὰ ταῦτα* habeant, quo apte referantur. Scribo igitur: *Κυδίππην τὴν Κύρβην κτίσασαν καὶ μετὰ ταῦτα Κυρβίαν μετονομα-*

σϑεῖσαν. Sic cum Ochimus — i. e. qui *ἔχει* scil. arcem regionesque circumsitas — et Cercaphus Achaiae oppidi in monte munitissimo siti conditores cogitarentur, Cydippen uel Cyrbiam filiam Ochimi Cyrben urbem haud procul ab Achaia uel sub ipsius montis radicibus, in quo condita erat Achaia, aedificasse fingeretur.

Quanquam hanc de Cydippa fabulae partem non antiquam uel ex ipsius populi ingenio procreatam esse etiam inde efficitur, quod fabulae ita plerumque comparatae esse solent, ut conditor urbis nomen huic tribuat ab ipso, non ab illa accipiat. Quae res Diltheyium quoque commouisse uidetur, ut aliquem istorum *κτίσεων* scriptorum, a quonam Cyrbe urbs condita sit, explorantem metonomasiam illam ementitum esse existimaret.[1]) Quae quamuis acute disputauerit uir doctissimus, tamen scriptorem aliquem non tam, a qua posset celebri persona urbis nomen probabiliter repeti, circumspexisse et in Cydippen procliui ratione incidisse, quam Cyrbiam antiquam heroinam, quae Cyrben constituisse perhiberetur, cum Cydippa commiscuisse putauerim.[2])

Iam uero, ubi potissimum Solis patria sit quaerenda utrum Graecus sit deus an extrinsecus in Graeciam inductus, si diligentius perquisiueris, originis orientalis tot indicia uestigiaque indagabis, ut ex oriente quin illatus sit cultus dubitatio sit nulla.

Ac primum praecipuas Solis sedes fuisse respicias Rhodum et Corinthum, quo exterarum gentium religiones cultusque diuersos confluxisse inter omnes constat.[3]) Fabula autem Rhodia permulta habet, quibus orientis reminiscaris et religionum orientalium. Quod enim Heliadae astrologiae periti fuisse horasque constituisse a Dio-

1) Cf. Dilth. de Callim. Cyd. Lips. 1863; p. 112: 'Quare non nisi ita probabiliter expediri poterit haec metonomasia. Habebatur Cyrbe urbis uetustum nomen Cretensis. hoc a qua posset celebri persona probabiliter repeti cum circumspiceret istorum unus *κτίσεων* scriptorum, in Cydippam Ochimi Heliadae filiam procliui ratione incidit. Quam esse Cyrbiam transnominatam, ut inuenti augeret speciem, strenue iactauit. Eodem enim uili artificio saepenumero uanissimos istos homines constat usos esse quo res personasque ad arbitratum suum conecterent'.

2) Praeter Cyrbem Rhodiam inuenitur Pamphyliae quoque urbs eiusdem nominis ab Hecataeo memorata ap. Steph. B. s. u. *Κύρβη· πόλις Παμφυλίας. Ἑκαταῖος ἐν Ἀσίᾳ*, et Cretensis cf. p. 104 n. 1. De originatione cf. Curtium, gr. Et. II p. 105; Dilth. l. c. p. 112.

3) Corinthi Solem floruisse non solum nummi Corinthii testantur haud pauci sed etiam nomen Heliopolis. Quid? Quod in Isthmo quoque dei istius sacrum fuisse comperimus. Ad haec omnia cf. Welckerum, Griech. Götterl. I p. 409—411.

doro plane dicuntur[1]), quis est, qui disciplinam illam in oriente inuentam et a Chaldaeis praecipue excultam esse ignoret? Deinde sacri illius numeri septenarii, qui in Heliadarum fabula offenditur, quanta apud gentes orientis fuerit auctoritas atque uerecundia ex septem planetis potissimum colligitur, a quibus hominum fata tanquam duci et regi Chaldaei perulgabant, inter quas Sol haud infimum locum obtinebat.[2]) Accedit quod Macarem certe et Candalum ex oriente profectos peculiaribus euincitur argumentis.[3]) Ac Macar quidem idem atque מעקר Hercules Libycus, Aegyptius, Numidicus, Phoenicius, quem Pausanias X 17, 2 nominat *Μάκηριν*; quem deum, quocunque fere Phoenices appulisse et habitasse constat, reperire poteris. Monere licet Heracleae Minoae Siciliae urbis, cuius uetus nomen Macara fuisse dicunt, (Heracl. Pont. XXIX F. H. G. II p. 220: *Μινώαν τὴν ἐν Σικελίᾳ Μακάραν ἐκάλουν πρότερον*,) Macariae Cypriae, Arcadicae. Atque inter Aegaei maris insulas inprimis Lesbum Phoenicii illius Herculis sedem ac domicilium fuisse cum ab Homero[4]) tum ab ipso Diodoro discis, qui Hesiodo auctore Macareum Crinacis filium nepotem Iouis Olenum urbem Achaiae incoluisse et inde Lesbum migrasse memoriae mandat.[5]) Quibus

1) Cf. Diodorum l. c.: *οἱ δ' Ἡλιάδαι διάφοροι γενηθέντες τῶν ἄλλων μάλιστα ἐν ἀστρολογίᾳ. Εἰσηγήσαντο δὲ καὶ περὶ τῆς ναυτιλίας πολλὰ καὶ τὰ περὶ τῆς ὥρας διέταξαν.*

2) Ab oriente numerus septimus in Apollinis quoque cultum translatus est. Cf. Brandisium, die sieben Thore Thebens, Hermes II 259 ff.

3) In nominibus Heliadarum enumerandis scholiastae Pindari Ol. VII 131—135 et a Diodoro et inter se dissentiunt. Atque omnes Phaethontis nomen intrudunt auctore ut uidetur Hellanico, qui eum Tenagis loco a fratribus occisi substituit; cf. schol. Pind. VII 135: *Ἁλίου καὶ Ῥόδου (οὕτω γὰρ αὐτὴν καλεῖ Ἑλλάνικος) ἑπτὰ παῖδες γίνονται Ὄχιμος, Κέρκαφος, Ἀκτίς, Μακαρεύς, Κάνδαλος, Τριόπης, Φαέθων ὁ νεώτατος, ὃν οἱ ἐν τῇ νήσῳ ὀνομάζουσι Τενάγην.* Cf. Mouersium l. c. II 2 p. 293. Ceteri scholiastae Hellanicum ita sequuntur ut qua causa motus pro Tenage ille Phaethontem attulerit non intellegentes praeter Phaethontem memorent etiam Tenagem. Animaduertas uero ab omnibus fere scholiastis Pindari Phaethontem dici natu minorem: cf. fabulam Iosephi in libris diuinis exhibitam. Monendum etiam schol. ad. Il. *O* 544 Tenagem tradi a solo Macare fratre esse occisum. Sororis Heliadarum, Electryones nomen spectat ad *Ἠλέκτωρ*, quod uerbum fulgendi uim habet.

4) Il. *O* 544: '*Ὅσσον Λέσβος ἄνω Μάκαρος ἕδος ἐντὸς ἐέργει*'.

5) Diod. V 81: *Ἦν δ' ὁ Μακαρεὺς υἱὸς μὲν Κρινάκου τοῦ Διὸς ὥς φησιν Ἡσίοδος καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν ποιητῶν, κατοικῶν δ' ἐν Ὠλένῳ τῆς τότε μὲν Ἰάδος, νῦν δ' Ἀχαΐας καλουμένης . . . Καὶ τὸ μὲν πρῶτον τὴν Λέσβον κατῴκησε, μετὰ δὲ ταῦτα ἀεὶ μᾶλλον αὐξόμενος διά τε τὴν ἀρετὴν τῆς νήσου καὶ τὴν ἰδίαν ἐπιείκειάν τε καὶ δικαιοσύνην τὰς σύνεγγυς νή-*

testimoniis adde, quae de 'Beatorum insulis' produntur a scriptoribus: E. g. Herodotus III 26 Oasin urbem Aegypti *Μακάρων νῆσον* audiuisse nuntiat. Cf. etiam Steph. Byz. s. u. *Αὔασις· Μακάρων νῆσος ἡ Αὔασις Ἡρόδοτος καὶ Δοῦρις.* Ac Suida[1]) et Hesychio[2]) auctoribus Thebarum Boeotiae capitis arx *Μακάρων νῆσος* appellabatur: quo nimirum nomine nil aliud exprimitur atque significatur nisi Macaris dei Phoenicii cultum illic fuisse celebratum.[3]) Tum uero Candalus, quem Coum fugisse edoceris a Cedalione uel Candaule Hercule uel Mercurio Lydio neutiquam differt.[4])

Quibus rebus omnibus reputatis atque examinatis sententiam ab Heffftero l. c. III p. 5—6 et not. 17 editam defensamque, qui ab Althaemene cultum Solis in insulam inductum esse suspicabatur satis refutatam esse concedes. Postea nimirum a Rhodiis Solem cum fabulis religionibusque uere Graecis arcte coniunctum esse uideas ex Pindaro, quippe qui illum sortitionis deorum fabulis Graecis expertem etsi non reddat participem, attamen quid praemii tulerit a deis neglectus enarret: ex qua ipsa fabulae ratione Solem non indigenam sed aduenam, ut ita dicam, atque peregrinum esse luce fit clarius.

Sed non solum unde profectus sit uerum etiam ubi et primo et praecipue floruerit Solis cultus ubique peruulgatae de deo fabulae exortae sint, facile inuestigabis. Solius enim Pindari qui inspexerit uerba Ol. VII 74: *ὧν* (scil. *Ἁλιαδᾶν*) *εἷς μὲν Κάμειρον πρεσβύτατόν τε ἔτεκεν Ἰάλυσον Λίνδον τε*, Ialysi hunc mythum esse non conicere non poterit, quandoquidem Ialysum maximum natu esse plane et aperte pronunciat poeta. Ad rem confirmandam accedunt, quae Diodorus de Achaia oppido in Ialysia (scil. regione) constituto tradit: *οἱ δὲ λοιποὶ τοῦ Ἡλίου παῖδες διὰ τὸ μὴ μετασχεῖν τοῦ φόνου κατέμειναν ἐν Ῥόδῳ καὶ κατῴκησαν ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν.*

Fortasse igitur iam Achaiae in antiquissimo Rhodi oppido Solis

σους κατεκτᾶτο, καὶ διεμέριζε τὴν χώραν ἔρημον οὖσαν. Vides igitur Oleni quoque cultum Phoenicium antiquitus in flore fuisse. Inde autem, quod Lesbi quoque Macaris nomen occurrebat, mythographi Rhodii suum Macarem Solis filium Rhodo Lesbum fugisse concluserunt.

1) Suid. s. u. *Μακάρων νῆσος· ἡ ἀκρόπολις τῶν ἐν Βοιωτίᾳ Θηβῶν ὡς Ἀρμενίδας.*

2) Hesych. s. u. ead. *ἡ ἀκρόπολις τῶν ἐν Βοιωτίᾳ Θηβῶν.*

3) Ad haec cf. Olshausen in Mus. Rhen. VIII p. 328 sq.

4) Cf. Mouersium l. c. I 417 sq. Quomodo Cedalion cum Orione conexus sit fabula uid. J. A. Hartungium die Religion und Mythol. d. Gr. II p. 88.

cultus florebat; ad quod oppidum etiam Pindari uerba *πρεσβύτατόν τε Ἰάλυσον* referenda erunt: quapropter illam fabulae partem, qua Ochimus Achaiam condidisse eiusque regnum obtinuisse feratur longe fuisse antiquissimam suspicamur.

Nec uero non qua uia Sol in insulam peruenerit forsitan cogatur e scholio, quod extat ad Pindarum Ol. VII 18—19: *Ἀσίας εὐρυχόρου τρίπολιν νᾶσον πέλας ἐμβόλῳ ναίοντας Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ.* Ad haec schol. 33: *Καὶ γὰρ Ῥόδος ἀντικρὺ μὲν κεῖται τῆς Λυκίας καὶ πλησίον· ἐν Λυκίᾳ δέ ἐστι πόλις Ἀρύκανδα καλουμένη, ἧς πλησίον ἱερόν τι χωρίον, ὃ πρότερον μὲν Ἔμβολος ἐκαλεῖτο διὰ τὴν θέσιν τοῦ χωρίου. — ἐπεὶ οὖν μάλιστα ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ θρησκευτήριόν ἐστιν Ἡλίου, Ῥόδιοι δὲ ἐξ Ἡλίου· διὰ τοῦτο ὡς οἰκειοτέρου καὶ προσφορωτέρου μέμνηται τοῦ τόπου.* E quibus uerbis cum Solis templum celeberrimum in ora Cariae contra Ialysum sita fuisse uideas, cultum dei per Asiam Lydiamque Ialysum uel Achaiam traductum esse nescio an efficere liceat. Atque etiamsi illud sacrum posterioris demum esse aetatis, unde nihil argumenti adminiculiue possit accersi, contendat quispiam, tamen in opinione perseueramus, eo quod, cum Phoenices in illis regionibus sedem ac domicilium collocasse Solymosque e. g., quorum urbs erat Arycanda a scholiasta memorata, lingua Phoenicia usos esse constet, ab his ut Solis cultoribus sacrum illud constitutum esse ualde sit probandum.[1])

E.

De Minerua Lindia.

Cum Heliadarum fabula arctissime coniuncta sunt a Zenone quae narrantur de Mineruae sacris Lindi institutis.

Ac praeter Diodorum inspicias Pindarum: Quo tempore, ait, Minerua Iouis capite a Vulcano perfosso esset oritura, Heliadis a patre imperatum, ut primi deae sacrificantes et illius et Iouis animum oblectarent. Et quamuis igni in operando non adhibito tamen, quod deam pro religione non essent aspernati, pluuia aurea donatos esse eos a Ioue, a Minerua accepisse hoc munus, ut manu et sollertia uel maxime excellerent.

Hac utraque fabula et Pindarica et Zenonis cum, quid causae

1) Cf. Iosephum c. Apionem 22: *Σόλυμοι γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.* Ceterum cfr. Brandisium l. c. p. 273 n. 4.

sit, explicetur, cur sine igni Mineruae Lindiae fiat[1]), tamen altera ab altera ita discrepat, ut a Zenone quidem primordia cultus deae Lindiae cum Atheniensium religione Mineruae conferantur, inter utramque gentem tanquam certamine ficto, quo utra deam sibi uindicet, decernatur, nimirum ad illud expediendum, qua de causa dea maxime sit Atheniensium. At Pindarus Atheniensibus omnino praetermissis Rhodios non ad deam sibi conciliandam Atheniensibus eripiendam sacra ei offerentes inducit, sed ut Mineruae et Iouis animos gaudio et oblectatione afficiant: quamobrem a deis praemia illos tulisse.

Qua fabularum discrepantia diligentius perpensa atque examinata, Pindari auctoritate, quanto superet Diodorum, considerata, quoniam illum quidem fabulas exhibere constat multo antiquiore forma indutas quam hunc, certamen illud Rhodiorum et Atheniensium de Mineruae sacris institutum a pristina fabulae specie prorsus alienum ac post cum ea coniunctum esse nemo non perspiciet.

Nec tamen Pindaricae fabulae non inest, quod primitus ab ea uideatur fuisse separatum: auream illam dico pluuiam. Quam pluuiam ex Homeri uersu, qui inuenitur Il. B 670, quo Tlepolemum a Ioue diuitiis cumulatum esse legis[2]), ita collectam esse putamus, ut primo non certis temporibus certaeue cuidam fabulae adiungeretur. Posthac quo tempore et qua de causa diuinitus missa esset, facile excogitarunt: Rhodii an ipse Pindarus, incertum.

Praeter has Diodori et Pindari fabulas e sacrificandi ritu profectas noli illius obliuisci, quae extat Diod. c. 58, quippe qua quis cultum Mineruae Lindi instituisse perhibeatur, comperias. Paulo aliter quam a Diodoro proditur res marmore Pario: quo non Danaus sed quatuor Danai filiae: [*Ἀμυμ*]*ώνη καὶ* [*Εὐρωπὼ*?] *καὶ Ἑλίκη καὶ Ἀρχεδίκη* sorte electae Mineruae templum aedificasse sacraque fecisse narrantur; cf. Heffterum l. c. II p. 83—84. Atque cum non tam ad ipsum Danaum quam ad Danaidas sacrum deae ab aliis

1) Aliter sacrificandi ritum explicauit Apollonius: Cf. Schol. Pind. Ol. VII 86: *Καὶ Ἀπολλώνιος ὁ ποιητής φησιν ἄπυρα τοὺς Ῥοδίους ἱερὰ θύειν διὰ τὴν πρὸς Ἥφαιστον ἕνεκα τῶν γάμων ἔχθραν, ὅτι ἐπεδίωξε τὴν Ἀθηνᾶν βουλόμενος συμμιγῆναι.* Has nugas non ad populum ipsum Rhodiorum sed ad poetam redire apparet.

2) *Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων·* Pluuiam illam Homeri iam temporibus cognitam ac peruulgatam fuisse, e uerbo *κατέχευε* minime sequi sed potius conclusam inde perspexit etiam Schol. Pind. VII 62: *τοῦτο ἐκ τῶν Ὁμήρου ὁρμηθεὶς λέγει, ὅτι Ζεὺς χρυσὸν ἔβρεξε τοῖς Ῥοδίοις διὰ τὸ τὸν ποιητὴν εἰρηκέναι· Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων, οὐκ εἰρηκότος Ὁμήρου ὅτι ὁ Ζεὺς ἔβρεξε χρυσόν, ἀλλὰ*

quoque scriptoribus[1]) referatur, antiqua integraque fabula templum constituentes cogitari Danaidas earumque loco a Zenone minus accurate Danaum substitui nostro iure contendemus. Ceterum quod marmore Pario e Danai filiis quatuor electae deaeque operatae esse dicuntur, hanc fabulam ex aliquo Lindiorum ritu caerimoniaque natam ad illa tempora translato Heffterus l. c. recte animaduertit. Qui autem fuerit ille ritus, a nullo certior fis.

Sed permirum quod Zenone auctore tres Danaides Lindi uita decessisse feruntur. Quarum quamuis nulla usquam fiat mentio, tamen fortasse a uero non aberrabimus, si illas, e quibus Lindum, Ialysum, Camirum nomina duxisse Strabone teste nonnulli fabulati sunt, easdem esse duxerimus atque Zenonis cf. Strabonem XIV p. 654: *ἔνιοι δὲ τὸν Τληπόλεμον κτίσαι φασὶ* (scil. *Λίνδον Ἰήλυσόν τε καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον*), *θέσθαι δὲ τὰ ὀνόματα ὁμωνύμως τῶν Δαναοῦ θυγατέρων τισίν* (*τρισίν*?).

Iam uero quid omnino fabulae tribuendum sit uideamus. Atque Heffterus quidem l. c. non esse cur fidem historicam ei denegares iudicauit hac fere argumentatione usus: Mineruam Lindiam in uniuersum eiusdem naturae atque indolis esse atque Mineruam Graecorum ceterorum. Cum autem Danaus Aegyptius templum deae condidisse diceretur, satis probabiliter utrumque ita esse consociandum, ut Danaum uel potius filias eius ex hostium tempestatumque periculo liberatas cum incolis conuenisse acciperes, ut Mineruae, cuius potissimum auxilio atque fauore pro ipsarum condicione niterentur atque confiderent, templum extruerent. Quae ratiocinatio dubito num stare possit. Primum enim hominem peregrinum in insulam deuertentem ibique nonnihil temporis uersantem incolis persuadere, ut non ipsius dei cuiusdam sed illorum sacrum aedificent, ueri est dissimillimum. Contra quem ipse iam diu coluerit deo aedem extruere eum expectas. Deinde uero nonnulla habet narratio, quae certe originem sapiant Argiuam. Licet enim Danaus ipse non item ut alii heroes prorsus sit ficticius neque omnia, quae de eo feruntur, fide careant historica, tamen de Danaidibus quae traditur fabula ab omni ueritate abhorret ab ipsis Argiuis

περιεποίησε χύδην αὐτοῖς τὸν πλοῦτον. Et Strabo XIV 654: *Οἱ δ' εἰς μῦθον ἀνήγαγον τὸ ἔπος καὶ χρυσὸν ὑσθῆναί φασιν ἐν τῇ νήσῳ κατὰ τὴν Ἀθηνᾶς γένεσιν ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός, ὡς εἴρηκε Πίνδαρος.*

1) Cf. Herodot. II 182: *ὅτι δὲ τὸ ἐν Λίνδῳ τὸ τῆς Ἀθηναίης λέγεται τὰς τοῦ Δαναοῦ θυγατέρας ἱδρύσασθαι προσσχούσας*; et Strabonem XIV p. 655: *ἱερὸν δέ ἐστιν Ἀθηνᾶς Λινδίας αὐτόθι ἐπιφανὲς τῶν Δαναΐδων ἵδρυμα.*

terrae natura ductis inuenta. Quod cum Danaides ne Rhodiorum quidem fabulae desint, Dorienses Argiuos narrationem de Danao in insula repertam receptamque suae fabulae accommodasse in eamque qua extat formam redegisse sumere debebis.

Attamen ego quidem aliam coniecturam proponere audeo, etsi quam lubricum sit, in his rebus, in quibus uel argutissimi uiri uersati sint multaque coniecerint, omnino aliquid certi proferre. Forsitan enim tota de Danao fabula Rhodia a Doriensibus demum Argiuis in insulam sit illata et cum Mineruae Lindiae sacro coniuncta.

Illud quidem certe fieri potuit, ut Argiui Rhodum profecti Mineruae deae cultum, quem in nouo domicilio inuenissent, ad Danaum antiquum suum regem, natu Aegyptium referrent. Noli enim rem ita a me intellegi putare, ut eum cultum a Doriensibus in insulam inductum esse arbitrer: sic, qua de causa Danaum templum extruxisse existimarent, mente non perciperetur. Immo sacrum illud deae cultumque fuisse antiquissimum ac multo ante quam Dorienses Rhodum demigrarent, in insula floruisse cum Rhodii ipsi persuasum haberent fabulam cum Heliadarum mytho coniungentes, tum illud optime testatur atque confirmat, quod sine igni deae fiebat; de quo usu cf. Creuzerum, Symb. I p. 172 n. 293 et Heffterum l. c. II p. 36 n. 140.

F.

De Phorbante heroe.

Sequitur ut de Phorbante serpentium domitore agamus. Atque cum fabula Diodori duae aliae conferendae sunt, quarum altera inuenitur Hygin. Poet. Astron. II 14, qui auctore utitur Polyzelo Rhodio, altera, quae e Dieuchida Megarensi fluxit, Ath. VI p. 262, E. Atque Hyginus quidem sic: 'Ophiuchus. Polyzelus autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuisse demonstratur. Nam cum eorum insulam serpentum multitudine occupatam ciues Ophiusam appellarent, et in ea multitudine ferarum draco fuisset ingenti magnitudine, qui plurimos eorum interfecisset, et patria denique deserta carere coegisset, dicitur Phorbas, Triopae filius ex Hiscylla Myrmidonis filia natus, eo tempestate delatus omnes feras et eum draconem interfecisse, qui cum maxime Apollini dilectus esset locatus inter sidera dicitur, ut interficiens draconem laudis et memoriae causa uideretur. Itaque Rhodii quotiescunque a litore longius producunt classes, prius sacrificant

Phorbantis aduentui, talis ut illis euentus inopinatae uirtutis accidat, qualis inscium Phorbanta futurae laudis ad sidera gloriae pertulit casus.'

Dieuchidas haec fere tradit: Inter eos, qui Triopam in Cariam secuti essent discidio exorto alios in campum Dotium rediisse, alios cum Phorbante Ialysum uenisse, Periergum autem cum suis regionem Camirensem occupauisse. Tum Periergum Phorbantem exsecratum, unde insulae, quae uocarentur *Ἀραιαὶ* nomen accepissent. Ac Phorbantem et sororem Partheniam naufragio facto cum nando Rhodum nacti essent, a Thamneo, in quem uenantem incidissent, tam amice receptos esse, ut seruo praemisso qui omnia parari iuberet, cum nil hospitibus esset coctum, ipse cibum faceret apparatisque epulis peregrinos inuitaret. Vnde factum, ut ab ingenuis sibi sacra fierent neue seruo ad ea adire liceret.

Has fabulas si accuratius examinaueris, Dieuchidae narrationi cum Polyzeli id esse commune animaduertes, quod utraque Phorbas cum Triopa coniunctus et tempestate delatus Rhodum peruenire narratur, ea re differe, quod, cum Polyzelus, ut etiam Diodorus, Phorbantem serpentes interficientem faciat, a Dieuchida nil nisi, quam bene exceptus sit Phorbas Ialysi, exponitur. Vnde fortasse non solum fabulam Dieuchidae Ialyso esse profectam, sed etiam omnino antiquitus Phorbantem heroem Ialysi proprium fuisse conficitur.

Sed priusquam ad singulas fabulas diligentius explicandas aggrediamur, quis demum habendus sit Phorbas disserere optimum duco, de cuius natura ac ui quamuis negante Hefftero cf. III p. 77—80 certi aliquid explorari posse contendimus. Ac primum quidem heroem aliquo modo cum Apolline deo arctius esse connexum uel inde apparet, quod a Polyzelo 'maxime Apollini dilectus' fuisse et Diodoro auctore Apollinis iussu Rhodum arcessitus esse perhibetur.[1]) Quid uero, quod serpentes necauisse Rhodumque a bestiis illis liberasse putatur? Quis est, quin Apollinis hac feras interimendi arte praediti *Ἀγρέως* uel *Ἀγρευτοῦ* saepeque cum Diana *Ἀγροτέρα* quae dicitur coniuncti meminerit?[2]) Porro ipsum Phorbantis nomen respicienti a uerbo *φέρβειν* i. e. pascere (sc. oues) deriuati nonne Apollo ille in mentem tibi uenit qui uocatur *Καρνεῖος*, *Μαλόεις*, *Νόμιος*, *Ποίμνιος*, *Ἐπιμήλιος*, *Ἀρνοκόμης*, *Ναπαῖος*, *Γαλάξιος*?

1) Idem apparet etiam ex ea re, quod Lapithae filius fuisse traditur a Diodoro, e cuius filia Coronide Apollini Aesculapium genitum ferebant, cf. Prellerum Mythol. d. Gr. I p. 428.

2) Cf. Prellerum l. c. p. 214.

Quin etiam in ipsa Camiro Apollinem *Ἐπιμήλιον* cultum fuisse constat.[1]) Quae omnia reputanti mihi quidem persuasissimum est, Phorbantem ipsum esse Apollinem pecudes pascentem.[2]) Accedit, quod saepissime fit, ut cognomina eis, quibus indita sunt, detrahantur secretamque et solitariam ferant personam.[3])

Quibus propositis in ipsas de Phorbante fabulas facilius erit inquirere. Iamiam intelleges, cur Rhodii, quotiescunque a litore longius producebant classes, Phorbantis aduentui sacrificauerint; intelleges Polyzeli rationem explicandi satis esse ineptam. Faciebant nimirum Apollini Phorbanti, a quo ut omnes feras domari ita hostes in bello magna ui propulsari confidebant.[4]) Age uero Dieuchidae fabulam accuratius exponere liceat. Atque ortam quidem esse narratiunculam e sacrificandi ratione Ialysiorum, qua serui sacris prorsus essent exclusi, manifestum est. Thamnei uero regis Ialysii et Schediae, quo appulisse dicebantur Phorbas et Parthenia, nomina

1) Cf. Macrobium I 17, 43: aedes ut ouium pastoris sunt apud Camirenses *ἐπιμηλίου*, apud Naxios *ποιμνίου*, itemque deus *ἀρνοκόμης* colitur et apud Lesbios *ναπαῖος* et multa sunt cognomina per diuersas ciuitates ad dei pastoris officium pertinentia.

2) Neque alias Phorbantis nomen non occurrit; cf. hymn. Hom. in Ap. 211:

Ὅππως μνωόμενος ἔκιες Ἀζανίδα κούρην
Ἣ ἅμα Φόρβαντι Τριόπου γένει ἢ ἅμ' Ἐρεχθεῖ.

Ab Ouidio Met. XI v. 414 Phorbas Phlegyarum rex Apollinis sacro inimicus memoratur:

'Nam templa profanus
Inuia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas'.

Hac maxime fabula nixus et scholio ad Il. Ψ 660 I. A. Hartung. in libro, qui inscribitur: 'Die Religion und Mythologie d. Griechen' Leipzig 1865 Phorbantem unum ex daemonibus illis fuisse sumpsit, quales erant Phlegyae et Lapithae, quos uocat 'Glutdämonen'. At in has fabulas Phorbantis nomen a posteris intrusum uidetur esse fabularum fabricatoribus: quibus caue quidquam tribuas. A Phoebi nomine Phorbantem nil differre, id quod se demonstraturum pollicetur Hartung. l. c. II p. 238 (Phoebos, mit dessen Namen sein [d. Phorbas] Name zusammenfällt, wie wir gelegentlich zeigen werden) nusquam demonstrauit.

3) Sufficit admonuisse Lacii, qui ipse quoque Apollo est; *Καλλιστοῦς*, quae est Diana; cf. Ot. Muellerum prol. p. 75. Afferri etiam poterit Tisamenus, heros Achaicus, idem atque Orestes (*τισάμενος* sc. *τὸν πατέρα*), Penthilus (*πένθος*), Triopas, e Ionis Triopae nomine profectus.

4) Rhodi etiam Apollinis *Στραταγίου* collegia extabant. E. g. cf. Rossii inscr. ined. 282, ubi mea quidem opinione legendum est *Ἀπόλλωνος Στραταγιαστᾶν*. Apud Homerum Apollinem pugnae non semel interesse nemo nescit.

sunt ficticia ab illis locis formata, quo aduenisse ducebatur heros.[1]) Porro siquidem Phorbantem Apollinem esse Ialysium comprobauimus, Partheniam Dianam esse hoc ipso nomine Ialysi cultam facillime concludes. Quoniam enim Diana casta intactaque uirgo a Graecis cogitari solebat, cur Parthenia nuncupetur mirum non est.[2])

Sed unum restat, quod explanauisse maximopere iuuabit. Quem enim Periergum, heroem certe Camirensem fuisse censes? Qua de causa Phorbantem fratrem ab eo deuotum esse indeque Araeas insulas nomen accepisse putas? Cum Apolline qua ratione et quibus cogitationibus ducti Graeci Herculem coniunxerint, constat.[3]) Neque incognita fabula illa, qua Hercules Iphito interfecto grauissimo morbo affectus a Pythia cum medelam morbi flagitasset repulsam tulisse, per uim in sacrum Apollinis irruisse cum eoque ipso de tripode certamen iniisse perhibetur, dum Iupiter fulmine iacto proelioque diremto Herculem seruitutem subire iuberet.[4])

Quam pugnam, cum saepius et a poetis descriptam[5]) et imaginibus illustratam[6]) esse sciatur, satis fuisse nobilitatam colligi potest. Quae cum ita sint, sub Phorbante et Periergo fratribus Apollinem latere Ialysium atque Herculem Camirensem, imprecationemque illam Periergi ad eandem uel similem rem pertinere suspicor. Ac Periergum quidem Herculem esse Camirensem eo magis crediderim, quod in hac urbe magnam partem Phoenicia huius potissimum dei cultum floruisse etiam carmine illo Pisandri Camirensis probatur, quod inscriptum erat *Ἡράκλεια*, quo carmine hanc fabulam, quam obiter attigit Dieuchidas, fusius adumbratam fuisse ueri non est absimile. Nouum igitur habeas celeberrimi illius Pisandri poematis fragmentum, quod ex ipso hoc Pisandri opere haustum esse tantum non clamat nomen 'Periergi' Herculi inditum, i. e. 'qui multos exsequitur labores' propterea quod carmine Pisandreo labores Herculis accurate copioseque celebratos fuisse non unus est auctor.[7])

1) *Θαμνεὺς* cum *θάμνος*, i. q. dumus, cohaeret, et Schedia *σχεδία* est 'cymba'.

2) Cf. Aesch. Ag. 135: *Ἄρτεμις ἁγνά* et Soph. El. 1239: *Ἄρτεμις ἀδμήτα*.

3) Cf. Prellerum l. c. II p. 162—164.

4) Cf. Apollodorum 2, 6, 2. Paus. 10, 13, 4. Plut. de *Ει* ap. Delph. 6.

5) Cf. Paus. 10, 13, 4: *παραδεξάμενοι δὲ οἱ ποιηταὶ τὸν λόγον μάχην Ἡρακλέους πρὸς Ἀπόλλωνα περὶ τρίποδος ᾄδουσιν.*

6) Cf. compt. rend. 1868, p. 31—51.

7) Cf. Suidam s u. *Πείσανδρος· . . . ποίημα δὲ αὐτοῦ Ἡράκλεια, ἐν βιβλίοις β′, εἰσὶ δὲ τὰ τοῦ Ἡρακλέους ἔργα ἔνθα πρῶτος Ἡρακλεῖ ῥόπαλον περιτέθεικε.* Cf. schol. ad Apoll. Rh. l. I: *Πείσανδρος δέ φησιν,*

Quo tempore scilicet exoriretur haec de Periergo Phorbantem exsecrante fabula, hunc quidem etiam Apollinem fuisse cogitatum ex narratiuncula ipsa cogitur.[1])

Quod apud Polyzelum Phorbas Triopae filius fuisse traditur, recentiori debetur inuentioni.[2])

G.

De Althaemene heroe.

De Althaemene quid censendum sit disceptaturis praeter ceteros inspiciendus et examinandus nobis erit Strabo, quippe qui ad Ephorum auctorem satis antiquum et locupletem ipse diserte prouocet. Apud quem cum haec legantur X 479: *Ἔφορος μὲν ὕστερον ἐπικτισθῆναι τὰς δέκα* (sc. *πόλεις Κρήτης*) *φησὶ μετὰ τὰ Τρωικὰ ὑπὸ τῶν Ἀλθαιμένει τῷ Ἀργείῳ συνακολουθησάντων Δωριέων* ac post ad eundem referenda fontem X 481: *τῶν Σπαρτιατῶν τὸν νομοθέτην Λυκοῦργον πέντε γενεαῖς νεώτερον Ἀλθαιμένους εἶναι τοῦ στείλαντος τὴν εἰς Κρήτην ἀποικίαν. τὸν μὲν γὰρ ἱστορεῖσθαι Κίσσου παῖδα τοῦ τὸ Ἄργος κτίσαντος περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον ἡνίκα Προκλῆς τὴν Σπάρτην συνῴκιζε*: ex his uerbis unum illud aperte consequitur, ab Ephoro Althaemenem Argiuum Cissi filium Proclisque aequalem coloniam in Cretam deduxisse ibique decem oppida constituisse tradi. Iam uero si comparaueris quae dicuntur XIV p. 653 ex eodem Ephoro forsitan repetita: *Οἱ γὰρ Δωριεῖς οἱ τὰ Μέγαρα κτίσαντες μετὰ τὴν Κόδρου τελευτὴν οἱ μὲν ἔμειναν αὐτόθι, οἱ δὲ σὺν Ἀλθαιμένει τῷ Ἀργείῳ τῆς εἰς Κρήτην ἀποικίας ἐκοινώνησαν, οἱ δ' εἰς τὴν Ῥόδον καὶ τὰς λεχθείσας πόλεις ἐμερίσθησαν*: eam coloniam, quae Althaemene Argiuo duce Peloponneso in Cretam demigrasset a colonia Rhodum profecta prorsus seiungi concedes

ὁλόχαλκον εἶναι τὸ ῥόπαλον Ἡρακλέους. Cf. etiam Strab. XX p. 688; et Quintil. inst. or. X 1: Quid? Herculis acta non bene Pisander? — Ceterum num *Περίεργος* uerum sit nomen ualde dubito, eo quod *περίεργος* semper uim uidetur habere anxiae diligentiae. Speciosam mecum communicauit coniecturam Maur. Schmidt, uir illustrissimus, qui emendat: '*Ἐρίεργος*'.

1) Vnde *Ἀραὶ* insulae nominatae sint, explicat Steph. B. s. v. *Ἀραὶ* sic: *Ἰωνίας νῆσοι τρεῖς οὕτω λεγόμεναι διὰ τὰς ἀρὰς ἃς Δωριεῖς ἐποιήσαντο πρὸς τοὺς Πενταπολίτας ὡς Ἀριστείδης*.

2) A Diodoro IV 48 Phorbas Triopam genuisse dicitur: *τὴν δὲ νῆσον ταύτην τότε κατῴκουν Ἕλληνες οἱ ὑπὸ Τρίοπα τοῦ Φόρβαντος κατοικισθέντες*. Rescribas: *οἱ ὑπὸ Φόρβαντος τοῦ Τριόπα κατοικισθέντες*.

tribus Doriensium, qui aliud domicilium peterent, partibus accurate separatis particulis *μὲν — δὲ — δὲ*.

Atqui immane quantum discrepat a Strabone uel Ephoro Zeno, quo auctore Althaemenem Cretensem Catrei filium Camirum abisse, Iouis Atabyrii sacrum condidisse, patris ab ipso necati maerore perisse, ab incolis heroicis honoribus cultum esse uel supra enarrauimus.

Tanquam mediam inter utrumque scriptorem tenet uiam Conon, qui narr. 47 haec fere exhibet: Althaemenem, tertiam a Temeno prolem, seditione facta cum manu Doriensi et nonnullis Pelasgis Peloponneso excedere constituisse quo tempore et Athenienses Neleo[1]) Codridisque ducibus coloniam mitterent et Lacedaemonii colonos deducerent Delphi Polidisque ductu et auspiciis.[2]) Quibus coloniis ut praeesset, quamuis ab utrisque inuitatum Althaemenem tamen oraculo accepto ut et ad Iouem et ad Solem nauigaret in Cretam migrasse ibique parte suorum relicta ipsum Rhodum iuisse. Rhodum autem primum ab indigenis, quorum regnum tenuissent Heliadae, incultam: quos a Phoenicibus esse expulsos atque his eiectis et propulsatis Cares regionem occupauisse aliasque praeterea insulas in Aegaeo mari sitas. Dorienses uero Caribus subactis tres urbes condidisse: Lindum, Ialysum, Camirum; a quibus postera aetate Rhodum urbem opulentissimam aedificatam esse.

His expositis iam uideamus quid de singularum narrationum auctoritate iudicandum sit. Atque Heffterus quidem l. c. III 81 Zenonis et Cononis fabulas ita consociare studuit, ut Althaemenem, de quo diceret Diodorus uel Zeno, eundem esse statueret atque hunc a Conone memoriae mandatum; illum uero ab ipsis incolis esse confictum. Atque Schneiderwirth. l. c. p. 211 n. 7 Cononis narratiunculam omnino ut historicam nec fide indignam uidetur probare, cum unum Althaemenem eumque Argiuum accipiendum esse contendat, qui priusquam Rhodum peruenisset, in Cretam deuertisset: quomodo facile fieri potuisse, ut heros cogitaretur Cretensis. Neque plus honoris fabulae Camirensi tribuit Rohde, qui

1) Idem est atque *Νηλεὺς* qui condidisse fertur Miletum ap. Strab. XIV p. 633, *Νειλεὺς* ap. Paus. VII 2.

2) De his cf. Conon. narr. 36: *Ὡς Φιλόνομος ὁ Σπαρτιάτης προδοὺς Λακεδαίμονα Δωριεῦσι δῶρον ἔχει Ἀμύκλας, καὶ συνοικίζει ταύτην ἐξ Ἴμβρου καὶ Λήμνου. τρίτῃ δὲ γενεᾷ στασιάσαντες πρὸς Δωριέας μετανίστανται Ἀμυκλῶν, συμπαραλαβόντες δὲ καί τινας Σπαρτιατῶν ἡγουμένων αὐτοῖς Πόλιδος καὶ Δελφοῦ ἔπλεον ἐπὶ τῆς Κρήτης κτλ.* Duos igitur habes *οἰκιστάς*, quorum alter auctoritatem oraculi Delphici, alter ipsam ciuitatem uel patriam coloniae tanquam exprimere et repraesentare uidetur.

Althaemenem primo in Cretam deinde Rhodum nauigasse ex eoque heroem Diodoreum conformatum esse existimat. (Cf. Mus. Rhen. XXXVI uol. III p. 431—432.)[1])

His uirorum doctorum iudiciis non ita fauet testimonium illud Strabonis, quo colonos in Cretam profectos a colonia Rhodum petente diligenter et accurate separari ostendimus. Quo cum breui et conciso auctoris locupletissimi testimonio si quis fusam et copiosam narrationem Cononis contulerit quam luculentam ista doctae inuentionis subtiliumque conclusionum speciem prae se ferat sentiet ac perspiciet. Nostra opinione ut uerbo comprehendamus, Althaemenes sunt segregandi atque discernendi duo: alter Argiuus, quo duce coloniam in Cretam deductam esse putabant, alter Cretensis, qui Rhodum cum suis peruenisse dicebatur. Duos hos conglutinans auctor Cononis Althaemenem priusquam Rhodum migraret ad Cretam appulisse partemque colonorum ibi reliquisse excogitauit excogitantique percommode ei obuenit antiquum oraculum, quod cum primitus in uniuersum ad Dorienses spectauisse uideatur ille Althaemenem finxit exsequentem tanquam solus accepisset.[2])

Atque haec sententia optime confirmatur eis, quae Conon de incolis fabulatur deinceps Rhodum obtinentibus: *Τὴν δὲ Ῥόδον — τὰς περὶ τὸ Αἰγαῖον ᾤκησαν.* Haec dubito an nulla alia utantur auctoritate nisi fontis a Diodoro adhibiti uel similis: ex quo omnia uidentur fluxisse. Quod Diodorus Telchines primos incoluisse Rhodum ait, Heliadas Conon, nil refert, eo quod Heliadas semper autochthones, quos uocant, putatos esse constat. Deinde Phoenices uenisse ex ea, quae de Danao et Cadmo aduenis ferebatur fabula collegit scriptor: quos Heliadarum temporibus in insulam migrasse Diodori fons tradebat. Tum ut Cares insulam tenuisse narraret, Phorbantis fabula adductus est, quem quamuis Diodorus ex ipsa Thessalia Rhodum profectum esse prodat, tamen alii e Caria uenisse scripserunt. Denique uero cum post Phorbantem Althaemenem Rhodum appulisse apud Diodorum uel eius fontem legeret, nimirum eundem illum agnouisse sibi uisus atque Althaemenem Argiuum, Dorienses eo duce insulam occupasse temere conclusit.

Qua ratione quomodo Conon uel auctor eius fabulam fabricauerit etsi satis superque demonstratum esse arbitror, tamen alias

1) Grauiter etiam incusat Diodorum, quod omnia turbet O. Mueller. Aeginet. p. 43.

2) *Κατὰ τὸν δοθέντα αὐτῷ χρησμὸν ἐπὶ Δία καὶ Ἥλιον κομίζεσθαι:* Quod oraculum ad omnes omnino Dorienses pertinere censemus partim in Cretam partim Rhodum abire iussos.

quoque causas afferre licet, quibus sententiae a uiris doctis prolatae adstipulari uetamur. Althaemenes enim quandoquidem heros est Camirensis, qui fieri potuit, ut huic potissimum urbi uindicaretur, si heros Doriensis, qui tria oppida condidisse fertur, idem esset atque Cretensis? Quid? Qua tandem re permotos esse censes Rhodios ut cultum Iouis ad Althaemenem reuocarent, si non Cretensem putarent sed Doriensem, qui Cretam tantum attigit nauigando?[1])

Me quidem iudice hac de Althaemene Cretensi fabula coloniam e Creta Rhodum profectam praecipue Camirum frequentasse haud obscure declaratur: id quod bene comprobari uides fabula Apollodori III 2, ubi ab Althaemene is locus Rhodi, quo appulisset, Cretenia nominata esse narratur: *προσίσχει τινὶ τόπῳ τῆς Ῥόδου, κατασχὼν Κρητηνίαν ὠνόμασεν.*[2]) Si igitur liquet fuisse Rhodi Creteniam, cum colonia Cretensi eam cohaerere quis est, qui diffiteatur? Ceterum Apollodorus nisi quod longior est a Diodoro non dissentit.

Sed restat, ut de Ioue Atabyrio disputemus, quem Althaemenes e Creta in insulam induxisse sacrumque in Atabyrio monte ei constituisse existimabatur. Atque cum heros, ut qui Camiri bene exceptus esse feratur, Camiri fuerit proprius, Iouis Atabyrii quoque cultum ab hac urbe profectum esse elucet. Quanquam breui per totam insulam eum esse peruulgatum etiam inde sequitur, quod uel antiquitus a colonia Lindia Gelam et hinc Agrigentum traductus esse dicitur.[3]) Accedit, quod extat lapis Mineruae Lindiae et Iouis Atabyrii sacer[4]): unde tamen noli concludere illum cultum primitus fuisse Lindium.[5])

Iam uero deum non Graecae esse originis non modo ipso Atabyrii montis nomine, sed scholio ad Pind. Ol. VII 159[6]) plane demonstratur, quo scholio in Atabyri monte illo tauros fuisse edoceris,

1) Quod Pindarus Althaemenem ignorat, non obstat nobis: hic enim Diagoram celebrans Ialysium, cur herois moneret Camirensis non habuit: memorasset fortasse, si coloniae Argiuae et totius insulae *κτιστὴς* qui uocatur, Althaemenes esset putatus. Cf. Rohdium l. c. p. 432 n. 1.

2) Cf. etiam St. B. *Κρητηνία τόπος Ῥόδου, ἐν ᾧ ᾤκουν οἱ περὶ Ἀλθημένην· ὃς χρησθεὶς ὅτι τὸν πατέρα ἀποκτενεῖ, ἔφυγε· καὶ νυκτὶ πλοίῳ συναντᾷ ἐν Ῥόδῳ, καὶ ὡς λῃστὰς νομίσας ἀναιρεῖ τὸν πατέρα.* Quae uerba ex Apollodoro hausta esse facile perspicies.

3) Cf. schol. Pind. Ol. VII 159.

4) Cf. C. I. 2108 b.

5) Conclusit Heffter. l. c. III 19.

6) *Εἰσὶ δὲ χαλκαῖ βόες ἐπὶ τῷ ὄρει τῆς Ῥόδου, αἵτινες ὅταν μέλλῃ τι τῇ πόλει γίγνεσθαι κακὸν μυκῶνται.*

qui cum ciuitati res aduersae imminerent, mugiuissent. Atque Isigonus Nicaeensis ap. Cyrillum c. Iul. l. III unum commemorat taurum, qui rationis humanae non fuerit expers.[1])

Hi boues certissima sunt signa cultus Phoenicii illius dei, quem dicunt Graeci *Κρόνον*, cuius simulacrum bouis forma effingi solebat.

Atque fieri quidem potuit, ut hic cultus e Creta Rhodum induceretur, quippe ubi eundem in flore fuisse docetur etiam fabula ab Apollodoro seruata, qua Talos uir aeneus uel taurus ter cotidie insulam circumiisse et custodiuisse perhibebatur. Graeci autem, ubi Rhodum uenerunt, eundem illum deum agnouerunt atque Iouem suum nominaruntque *Δία 'Αταβύριον*. Ceterum bene Starkius l. c. p. 296, cum propinquitatem aliquam esse moneat cultus Iouis Atabyrii — ut *ἀκραίου* uel *ἐπακρίου* — et Philistaeorum religionis et ritus deos in summis montibus celebrantium.

H.

De Tlepolemo heroe.

Transgrediamur iam ad ea, quae de Tlepolemo comperimus. Atque cum Diodori narratione in uniuersum consentit Pindarus, praeterquam quod Tlepolemum ex Astydamea Amyntoridarum gente nata procreatum esse addit[2]) et Licymnium oliua ab heroe interfectum esse dicit irato: *ἔκτανεν* — *χολωθείς*.[3]) His autem auctoribus etiam uetustiorem adhibeas Homeri fabulam: qua Tlepolemum Herculis et Astyochae filium Licymnio occiso fugisse multumque per mare circumiactatum denique Rhodum peruenisse suosque tripartito in insulam distribuisse narratur. Ceterum a Ioue illum dilectum largisque diuitiis esse donatum. Cf. Il. B. 653—670.

1) Scripsit enim *"Απιστα*; cf. Muellerum F. H. G. IV p. 435: *'Ισίγονος ὁ Κιττιεὺς* (rescr. *Νικαιεὺς*) *ἐν 'Ρόδῳ τῇ νήσῳ τὸν τοῦ Διὸς ταῦρόν φησιν οὐκ ἀμοιρῆσαι λόγου τοῦ καθ' ἡμᾶς*. Satis mira sententia Heffteri est, qui Ioui ut agriculturae patrono ac praesidi *Διὶ γεωργῷ* — qualis colebatur ab Atheniensibus —, ab agricolis illos dedicatos esse censet.

2) Hesiodus item ut Pindarus Astydameae filium eum dicit, Pherecydes Astygeneae. Filia haec fuit Phylantis; cf. schol. Pind. Ol. VII 42.

3) Quomodo Licymnius occisus sit et qua de causa etiam scholiastae Pindari dissentiunt. Antiquiorem fabulae formam Pindaricam esse effici uidetur cum ex aetate Pindari, quo omnes, qui alia exhibent, recentiores sunt, tum inde, quod facile ad heroem scelere purgandum res potuit mutari. Atque inuitum Licymnium necatum esse, tradiderunt Dinias et Dercyllus, id quod doceris a scholiasta Pindari: *οἱ δὲ περὶ Δεινίαν καὶ Δέρκυλλόν φασιν τὸν φόνον ἀκούσιον γενέσθαι*. Cf. schol. Ol. VII 49.

Ipsa huius fabulae forma, cum a ceteris ita discedat, ut Tlepolemus non oraculi iussu sed post multos denique labores forte Rhodum appulisse perhibeatur, antiquiorem redolet aetatem.

Ad eundem heroem pertinet narratiuncula a Diodoro l. IV c. 58 memoriae mandata, quam ex ipso Homero a Diodori auctore haustam esse et ex omisso illo, quo Tlepolemus Rhodum ire iubetur, oraculo[1]) et ex insula trifariam diuisa[2]) facillime perspicitur. Vrbes autem Rhodi: Lindum, Ialysum, Camirum a Tlepolemo constitutas esse[3]) quamuis non dicat Homerus, tamen e uersu: *τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν κτλ.* Diodori auctor uidetur collegisse.[4])

Iam quid omnino de Tlepolemi fabula iudicandum sit exploraturus primum ex omnibus ueterum fabulis cognosces Rhodios, quo quidem tempore Dorienses insulam tenerent, ad eum ut auctorem gentem suam reuocare consueuisse. Cf. Pind. l. c. v. 30: *τᾶσδέ ποτε χθονὸς οἰκιστὴρ χολωθείς.* Et antea v. 20 sq. *ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπολέμου ξυνὸν ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον, Ἡρακλέους εὐρυσθενεῖ γέννᾳ.* Ad haec v. 18—19, ubi Rhodiorum gens dicitur Argiua: *Ἀσίας εὐρυχόρου τρίπολιν νᾶσον πέλας ἐμβόλῳ ναίοντας Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ.* Accedit, quod Rhodi certe in Tlepolemi honorem ludi agebantur, ad quos alludit Pindarus v. 77 sq.: *τόδε λύτρον συμφορᾶς οἰκτρᾶς γλυκὺ Τλαπολέμῳ ἵσταται Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ, ὥσπερ θεῷ, μήλων τε κνισάεσσα πομπὰ καὶ κρίσις ἀμφ' ἀέθλοις.*[5]) Tum quia Tlepolemi labores et honores diligenter copioseque praedicantur a Pindaro

1) Cf. uerba Diodori: '*διὰ δὲ τὸν φόνον τοῦτον ἐξ Ἄργους φυγόντα εἰς Ῥόδον μετοικῆσαι*'.

2) Compares locum Diod. '*τὸν δὲ Τληπόλεμον κοινῇ μετὰ τῶν ἐγχωρίων τριμερῆ ποιῆσαι τὴν Ῥόδον*'.

3) Diod. l. c. '*καὶ τρεῖς ἐν αὐτῇ καταστῆσαι πόλεις, Λίνδον Ἰήλυσον Κάμειρον' κτλ.*

4) Per totum librum tertium et quartum Diodorus Dionysium Milesium adhibuit. Cf. C. G. Heyne de font. et auct. hist. Diod. etc. p. 89. Verum tamen non opere quale confectum est a Milesio, Diodorus est usus, sed opere a Dioysio Scythobrachione rétractato: cf. F. Hachtmann. de Dion. Mytil. seu Scythobr. Atque huius manum deprendere nobis uidemur in uerbis uel supra adumbratis, quae non a Dionysio Milesio sed ab Alexandrinorum doctrina erunt repetenda: *τὴν δὲ νῆσον ταύτην τότε — κατοικισθέντες* (cf. p. 121 n. 2) Dionysius Milesius posteriorum hominum doctis studiis nondum imbutus nil fortasse conscripsit, nisi quae ex ipso Homero fluxerunt; cf. Heyne et Hachtmann l. c.

5) Scholiastae Pindari *Τληπολέμεια*, quae uocantur, celebrata esse partim aiunt, alii negant Solis ludos (*Ἡλιεῖα*) ad illum translatos esse arbitrati. Sed hae merae nugae. Certissime in Tlepolemi honorem ludi agebantur: id quod ex ipso Pindaro colligitur.

Diagoram celebrante Ialysium, Ialysi potissimum heroem cultumque eius floruisse haud scio an effici cogique possit. Age uero, ut ad rem omnium grauissimam perueniamus, Tlepolemum, quem Strabo XIV p. 653 a colonia Doriensi diligenter discernit, ab ea minime seiungendum sed potius ipsorum Doriensium heroem ab his in antiquissima tempora relatum esse uel inde egregie conficitur, quia Tlepolemus coloniam suam tripartito distribuisse ferebatur: id quod O. Mueller rectissime demonstrauit.

Qua in sententia quominus permaneamus Homeri fabula, unde Tlepolemum uel poetae illius celeberrimi aetate cultum et celebratum fuisse colligat quispiam, non impedimur, ideo quod hanc libri particulam ex recentissimis nauium catalogi membris esse constat.

Vnum illud permouet Muellerum, quod, cum Dorienses Epidauro Rhodum peruenissent, tamen Argis Tlepolemum in insulam profectum esse auctores consentirent, nulla Epidauri mentione facta, nisi quod heroem ex Astydamea Amyntorida natum esse dicerent. Consequitur inde Dorienses Rhodios pristinae Argorum patriae nunquam esse oblitos.[1])

De Phalanthi et Iphicli fabulis.

Postquam de eis temporibus, quae fabularum integumento inuoluta sunt, satis actum uidetur esse, iam ad eas res progredi licet, quae quamuis a mythorum tenebris et obscuritate nondum liberae tamen multa habent, quae historicae fidei speciem prae se ferant uel ad historicam ueritatem enucleandam adminiculo esse possint.

Atque tres sunt narrationes huc pertinentes, quarum una est Ergiae Rhodii apud Athen. VIII p. 360E, qui haec prodit: Phoenices duce Phalantho Ialysi in oppido munitissimo ab Iphiclo inclusos, cum uictu commeatuque satis abundarent, diutissime hostium obsidionem sustinuisse neque unquam fore confidisse, ut rerum potirentur Graeci oraculo haud minime fretos, quo urbem expugnari posse negaretur nisi albi conspicerentur corui ac pisces in crateribus inuenirentur. At Iphiclum oraculo nescio quem ad modum comperto Larcam Phoenicem aquantem intercepisse, in urnam eius pisces infudisse eique praemiis et pollicitationibus propositis ut cra-

1) Ad Epidaurum reuocant etiam uerba Aristidis p. 872 Dind.: *τὸ μὲν ἀρχαῖόν ἐστε Δωριεῖς ἐκ Πελοποννήσου. Μόνοι δὲ εἰς τοῦτον τὸν χρόνον Ἕλληνες διὰ παντός. Ἡρακλείδαις δὲ καὶ Ἀσκληπιάδαις ἀρχηγέταις καὶ βασιλεῦσι κέχρησθε.*

teribus Phalanthi illos abderet persuasisse fideque et iureiurando eum obstrinxisse. Ipsum, promissa dum solueret Larcas, coruos captos gypsasse gypsatosque dimisisse: quibus conspectis simulque piscibus in cratere animaduersis adeo perterritum esse Phalanthum, ut obtinendi oppidi spe deiecta cum Iphiclo de pace iam agere inciperet. Atqui cum conuenisset inter eos, ut sine ulla iniuria cum suis oppido cederet Phalanthus, hunc ab eo excogitatum esse dolum, ut uictimis caesis in uentres earum permagnam uim auri argentique coniceret coniectamque asportaret. Qua fraude perspecta Iphiclum, ut conatu prohiberet Phoenices, ipsum quoque ad fraudem confugisse nil nisi nauigia praebentem Phalantho demtis quae non promisisset uelis atque gubernaculis. Qua re coactos illos haud paruam opum partem terra occultasse ubique defoderent locos diligenter designasse ut postero tempore ad pecuniam eruendam reuersi facile agnoscerent; alteram partem Iphiclo reliquisse. Itaque eiectis Phoenicibus Graecos regionem occupasse.

Eandem rem Polyzelum Rhodium narrasse Athenaeus l. c. dicit, ita tamen discrepuisse ab Ergia, ut oraculum de piscibus et de coruis Phalantho editum uni notum fuisse Phalae (sic!) eiusque filiae Dorciae, atque hanc Iphicli amore incensam eique desponsam famulo, ut pisces in craterem iniceret, persuasisse coruosque ab ipsa gypso oblitos dimisisse traderet.

Praeter has fabulas etiam alia erit respicienda, quae inuenitur apud Dictyn Cretens. IV 4: 'eos omnes iugis Caucasi montis ad Troiam duxit reliquos neque numero inferiores imposito Phala duce atque rectore mari misit. Qui adpulsi Rhodum, ubi animaduertere insulam Graecis sociam, ueriti, ne re cognita incenderentur naues, ibidem operiebantur: ac mox diuisi in Camirum et Ialysum urbes opulentas. Neque multo post Rhodii Phalam incusare quod paulo ante euersa ab Alexandro Sidona patria sua auxilium ei a quo laesus sit ferre cuperet: quo animos exercitus permouerent, confirmare haud dissimiles barbarorum uideri eos, qui tam indignum facinus defenderent. Multa praeterea, quae accensura uulgum et pro se facturi essent, disserere: quae res haud frustra fuit. Phoenices namque, qui in eo exercitu plurimi aderant, permoti querelis Rhodiorum an cupidine diripiendarum rerum, quas secum aduexerat, Phalam lapidibus insecuti necant distributique per supra dictas urbes aurum ac reliqua praedae inter se dispertiunt'.

Has inter fabulas quantum discrimen intercedat, quis est quin uideat? Cum enim ab Ergia et Polyzelo Phoenices de insulae possessione cum Graecis certantes firmumque Ialysi propugnaculum

obtinentes et ab hostibus defendentes, postremo autem aduersariorum dolo superati regione cedentes fingantur, Dicty Cretensi auctore non ad insulam occupandam sed ad auxilium Troianis ferendum Phala duce a Memnone mittuntur in eoque itinere fortuito Rhodum appellunt. Qua re cognita Graeci cum id maxime agant, ut quominus Troianis succurrant Phoenices impediant, postquam ut Phalam ducem interimerent illis persuaserunt quaeque uoluerunt effecere, tantum abest ut insula eos eiciant, ut secum habitare opibusque suis frui placide patiantur.

Ac primum quidem ut narrationem Ergiae et Polyzeli ex historicis, ut ita dicam, fundamentis profectam et ipsorum Rhodiorum propriam ita Dictyos Cretensis fabulam a doctis mythographis inuentam uel in eam qua extat formam redactam esse tam luculenter apparet, ut id argumentis confirmare longum atque superfluum sit. Neque illud difficile est intellectu, qua tandem ratione fabula Dictyos potuerit oriri. Mythographi enim docti, cum Polydamantem Phoenices Memnonis imperio atque auspiciis Troiam duxisse recentioribus Graecorum fabulis tradi uiderent[1]), Polydamantem illum quidem e fabula non amouerunt, sed Phoenices mari in bellum proficiscentes in eaque expeditione Rhodum naues appellentes fecerunt, quippe quod antiquitus celeberrimum eorum emporium fuisse constaret. Phalam autem ducem fuisse eo facilius commoueri poterant ut proderent, quod in Rhodiorum fabulis eiusdem nominis princeps Phoenicum occurrebat.

Quae cum ita sint, iam perquirere e re erit, utrum ei, qui hanc fabulam fabricauerunt, ab eis tantummodo, quae ab Ergia et Polyzelo de Phalantho a Graecis obsesso memoriae mandata sunt profecti solaque Phalanthi nominis similitudine ducti Phoenices Rhodum appulisse tradiderint et a Rhodiorum fabulis prorsus discedentes suo arbitrio narratiunculam conformauerint, ut Mouersius existimat l. c. II 2 p. 253, an aliis fabulis Rhodiorum nixi relata rettulerint ita a memoria aberrantes, ut fabulam cum rebus belli Troiani coniungerent atque commiscerent. Ac ne Mouersii sententiam sequar, ea potissimum re moueor, quod Dictys praeter Ialysum etiam Camirum irrupisse Phoenices dicit: 'ac mox diuisi in Camirum et Ialysum urbes opulentas' et post 'distributique per supra dictas urbes aurum ac reliqua praedae inter se dispertiunt'. Vnde, cum in Ergiae et Polyzeli fragmentis Ialysi solius ut Phoenicum domicilii mentio fiat, eum, qui Dictyos fabulam finxerit

1) Cf. Tzetz. Τὰ μεθ' Ὅμηρον 336.

largiores, quam aetatem tulerint fontes inspexisse colligimus. Camirum enim urbem non arbitrio ab auctore additam sed ab ipsa Rhodiorum memoria repetitam esse probabile uidetur. Tum uero praeter narrationem ab Ergia et Polyzelo prolatam nonne alias de Phoenicibus eiusque ducibus fabulas in ore ac sermone insulanorum fuisse putas? Qua de causa cum primo loco Camirus apud Dictyn commemoretur, auctori fabulae Dictyos similem quandam fabulam Camiri urbis propriam ante oculos obuersatam fuisse censemus. Qualis fuerit illa fabula quaerenti hoc unum dicere licet, Phoenices opum auaritia ductos ipsum ducem necauisse ea fuisse perhibitos.

Sed iam agendum erit de Ergiae et Polyzeli fabulis, quas ad Ialysum urbem pertinere patet. Vbi res uere historicas cum rebus ficticiis esse commixtas primo aspectu concedes: Oraculum enim illud de coruis et pisciculis Phalantho datum et Iphicli dolo uero euentu comprobatum, deinde fraus Phalanthi ab Iphiclo superata certe ipsorum Rhodiorum sunt commenta. Atque oraculum quidem e prouerbio quodam natum esse existimo, quo prouerbio cum ullo pacto fieri rem posse negare uolebant Graeci usi uidentur esse, dico illud: '*λευκὸν ἰδεῖν κόρακα*' uel '*λευκοὺς κόρακας εὑρεῖν*'. Ac similiter fortasse cum improuiso aliquid accidebat, pisces in crateribus apparere dicebant.[1])

Ceterum obseruasse iuuat, insignia Phoenicum uitia pinguibus coloribus fabula esse descripta: A suo famulo pecunia corrupto Phalanthum hostibus prodi, Phalanthum ipsum uictimarum diuinarum rationem adeo posthabere uides, ut ad pecuniam auferendam illarum uentribus utatur.

Sed caue obliuiscaris, Polyzelum, quomodo factum sit, ut oppidum caperetur, aliter referre quam Ergiam: totam fabulam sic conformatam tanquam poetico imbutam esse colore quis diffiteatur?

Iam uero quid ex fabulis ad ipsam historiam elici possit, si quaesiueris, Phalanthi quidem nomen haud scio an gentis fuerit cuiusdam principum Phoenicum.[2]) Iphiclum autem, quod nomen in Graecorum fabulis non est solitarium, et ipsum in historiam fabularem relegarim: antiquus Doriensium heros uidetur fuisse, cuius ductu atque auspiciis Phoenices Graeci domuisse sese et ex insula

1) Cf. Anthol. Pal. 417: *ὥστε τί πειράζεις λευκὸν ἰδεῖν κόρακα* et 436: *Θᾶττον ἔην λευκοὺς κόρακας πτηνάς τε χελώνας εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην.*

2) Nominis formae inueniuntur: Phalis, Phalas, Phalantes, Phalanthus; cf. etiam Ios. c. Ap. 32, ubi memoratur *Φέλης*, quod certe idem est nomen.

expulisse iactabant. Id quod etiam nomine significatur *Ἴφικλος*, i. e. 'qui uiribus gloriatur'. Grauissimi denique momenti est illud, quod Phoenices re uera a Graecis ualde pressos in Ialysi oppido et arce munitissima ultimam spem posuisse ex Ergiae et Polyzeli fragmentis certo sequitur. Neque uero solam Ialysum sed etiam Camirum praecipuam sedem ac domicilium Phoenicum fuisse docetur fabula Dictyos atque confirmatur praeterea monumentis Salzmanni fossuris[1]) in lucem editis, quae certis Phoeniciae artis signis notata sunt.[2])

De Rhodiorum coloniis.

Cum Rhodios ut insulanos rerum maritimarum haud ignaros mare quoque uersus negotiandi causa esse peruagatos coloniasque cum in orientem tum in occidentem deduxisse inter omnes constet, de his quoque breuem adiungere quaestionem e re esse existimauimus idque eo magis, quod non solum ueteres uerum etiam huius aetatis uiri docti in harum rerum inuestigatione uersati a uero ita discesserunt, ut ea ipsa causa, quia Rhodii mari summopere florebant adducti multas colonias ab illis conditas esse putarent aut omnino eis abiudicandas aut addubitandas. Quae cum ita sint, ratio simul et uia, quae in disputando ineunda sit, nobis designata et praescripta est haec, ut ab eis, quas Rhodias esse certissimis confirmatur testimoniis proficiscentes his tractatis ad ceteras transgrediamur. Atque aperte a Rhodiis constitutae sunt: Gagae, Corydalla, Phaselis, Gela.

Et Gagas quidem a Rhodo conditas esse tradit Etym. M. s. u. *Γάγαι*, has proferens fabellas: *Εἴρηται, ὅτι Ῥόδιοι Λυκίους αἰτοῦντες τόπον ἐν ᾧ κατοικήσουσιν, ἐβόων Γᾶ Γᾶ, τῇ πατρῴᾳ φωνῇ δωρίζοντες· καὶ ἐντεῦθεν τὸ ὄνομα ἐτέθη τῇ πόλει. Ἢ ὅτι Νέμιος στρατηγῶν Ῥοδίων καὶ τοὺς Λυκίων καὶ Κιλίκων λῃστεύοντας κατὰ θάλατταν νικήσας νυκτὸς χειμῶνι περιέπεσε· καὶ κινδυνευούσης τῆς νεὼς τῶν ἐμπλεόντων ἀναβοησάντων τῇ Δωρίδι φωνῇ Γᾶ Γᾶ ἐκ τοῦ ἐπιφθέγματος προσέσχον καὶ ἐσώθησαν. Ἡμέρας δὲ γενομένης κατὰ τὸν τόπον ἔκτισε πόλιν καὶ ὠνόμασεν αὐτὴν ἀπὸ τῆς λεχθείσης φωνῆς Γάγαι.*

1) His fossuris apud Calauardam uicum a Salzmanno institutis non modo ueteris oppidi arx sed etiam necropolis, quae uocatur, inuenta est. Magnopere autem dolendum, rerum in hac necropoli detectarum materiem nondum esse collectam et sub uno aspectu positam. Cf. Stark. ad Salzm. 'la nécropole de Camiros' apud Bursian. ann. I 2 p. 1531 sq.

2) Cf. révue arch. vol. VIII p. 159.

Vtramque hanc fabulam satis inficetam ac paene ridiculam quamuis excogitatam esse eluceat a grammaticis uel etymologis ad explicandum nomen *Γάγαι*, tamen illud ex altera concludere poteris, Rhodios a Nemio urbem constitutam esse credidisse. Cuius nomen fortasse formatum est a uerbo *νέμειν*, quae distribuendi (scil. terram) uim habet.[1]) Deinde Corydallam a Rhodiis exstructam esse testatur Steph. Byz.: *Κορύδαλλα πόλις Ῥοδίων. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ.* Phaselidem uero cum a Doriensibus fuisse incultam pateat ex Herodoto II 178, qui urbem inter earum ciuitatum Doriensium refert numerum, quae templum Hellenium, quod uocatur, aedificauerint, tum a Lindiis esse conditam colligitur ex Heropytho et Philostephano ap. Athen. VII 297 EF.[2]) Quibus fabulis ad illud explicandum fictis, unde Cylabrae cultus piscibus sacrificandis celebratus originem ducat, hoc edoceris, Lacium coloniae deductae ducem putatum esse Lindium. Quid? Quod eadem patria usum esse Lacium praeter Philostephanum Aristaenetus quoque ap. Steph. Byz. s. u. *Γέλα* testatur, qui cum Antiphemo Lindio eum coniungit. In Sicilia Gelam coloniam esse Antiphemi Rhodii Entimique Cretensis testis est imprimis Thucydides l. VI 4: ubi cum eam urbis regionem, quae prima existeret, *Λινδίους* appellatam esse certior fias, Lindios maximam partem fuisse colonos efficitur.[3])

Praeter historicorum testimonia conferas fabulam, quae est Aristaeneti apud Steph. Byz. s. u. *Γέλα*[4]) et illam, quam inuenies

1) An *Νέμιος* idem atque *Νόμιος*, scil. Apollo? cf. p. 118.

2) *Καὶ τάριχοι δὲ παρὰ Φασηλίταις ἀποθύονται. Ἡρόπυθος γοῦν ἐν Ὥροις Κολοφωνίων περὶ τῆς κτίσεως ἱστορῶν τῆς Φασήλιδος φησὶν ὅτι Λάκιος ὁ τὴν ἀποικίαν στείλας μισθὸν ἔδωκε τοῦ τόπου Κυλάβρᾳ ποιμένι νέμοντι πρόβατα ταρίχους, ἐκείνου τοῦτο αἰτήσαντος. προθέντος γὰρ αὐτῷ τοῦ Λακίου λαβεῖν τοῦ χωρίου ἢ ἄλφιτα ἢ ἄλητα ἢ ταρίχους, εἵλετο ὁ Κυλάβρας τοὺς ταρίχους. . . . Φιλοστέφανος δ' ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῶν ἐν Ἀσίᾳ πόλεων οὕτως γράφει· Λάκιον τὸν Ἀργεῖον τῶν σὺν Μόψῳ ἀφικομένων, ὅν τινες μὲν Λίνδιον εἶναι λέγουσιν, ἀδελφὸν δὲ Ἀντιφήμου τοῦ Γέλαν οἰκίσαντος, εἰς τὴν Φασήλιδα ὑπὸ Μόψου μετ' ἀνδρῶν πεμφθέντα κατά τινα λόγον Μαντοῦς τῆς Μόψου μητρός.* Lacius, quod nomen cohaeret cum uerbo *λακεῖν*, de oraculis saepissime dicto, Apollinem significat oracula edentem. Cf. etiam nomen '*Βάκις*'. Hic Lacius postea cum Mopso uate Semitico (מֹפֶּס) et Manto fabulis conexus est. — Ceterum si de nomine Phaselidis aliquid proferre licet, uerbi Hebraici monuerim פסל, quod idem atque 'caedere' (scil. lapides). Nec uicus non extat in Palaestina פְּסִילִים Iud. 3, 19. 26, quod nomen ad lautumias spectare coniciunt Targ.

3) Cf. etiam Herod. VII 153: *Κτιζομένης Γέλης ὑπὸ Λινδίων τε τῶν ἐν Ῥόδῳ καὶ Ἀντιφήμου.*

4) *Ἀρισταίνετος δ' ἐν πρώτῃ τῶν περὶ Φασήλιδα ὅτι Λάκιος καὶ Ἀν-*

Et. M. s. u. *Γέλα.*[1]) Hae fabulae a uiris doctis excoctae ita inter se cohaerere uel potius altera ex altera pendere uidentur, ut Etymologi. M. narratiunculam ex Aristaeneto fluxisse arbitreris Gelae nominis explicandi causa receptam leuiterque mutatam.

Insulae maris Aegaei, quo colonias deduxisse feruntur Rhodii, commemorandae: Telus, Nisyrus, Chalce, Syme, Casus, Carpathus.

Atqui O. Mueller l. c. II p. 113—116 Asiae minoris quoque nonnulla oppida, quae ab heroibus Argiuis originem repeterent, non illa quidem ab Argiuis sed a Rhodiis condita esse conicit; sunt: Mallus, Mopsuestia, Mopsucrene, Phaselis, Aspendus Pamphyliae; Cypri Curium, Ione Syriae.

Quae coniectura omnino refutanda: non Graecae sed orientalis sunt originis. Ac uestigia Argiua, quae Mueller deprendisse sibi uisus est, prorsus sunt nulla.[2]) Quod enim Amphilochus plerumque cum Mopso coniunctus harum urbium condidisse quasdam perhibetur, his nugis, ut quae recentiore aetate a Graecis illorum oppidorum incolis confictae sint atque ementitae ne quis ullam tribuat auctoritatem; neue maiore dignam fide censeat illam fabulam, qua Io et Perseus Tarsum constituisse narrantur. Atque Herculem, qui Tarsi *ἀρχηγὸς* habebatur et colebatur (cf. Athen. V 215B) non Graecum esse sed Phoenicium quam constet uel supra demonstrauimus. Mopsum uero, qui regis instar gentes suas partim in Pamphyliam, partim in Ciliciam deduxisse, cum Amphilocho Mallum extruxisse fertur uatem esse Semiticum quis est qui infitietur? Iam Mopsucrenes et Mopsuestiae oppidorum quamuis ipsa nomina originem Graecam indicent, tamen ualde dubitandum, num haec ita antiquae sint aetatis: Immo equidem priusquam existerent oppida, ueterrima ibi Semitici uatis oracula floruisse oppidaque post condita inde esse nuncupata existimauerim.

τίφημος ἀδελφοὶ ἐλθόντες εἰς Δελφοὺς μαντεύσασθαι, τὴν δὲ Πυθίαν οὐδὲν περὶ ἐκείνων λέγουσαν προστάσσειν τὸν Λάκιον πρὸς ἀνατολὰς ἡλίου πλεῖν. τοῦ δ' Ἀντιφήμου γελάσαντος τὴν Πυθίαν εἰπεῖν πάλιν· ἐφ' ἡλίου δυσμῶν καὶ Γέλαν πόλιν οἰκίσαι.

1) *Ἀντίφημος ἢ Δεινομένης ὁ Ῥόδιος κατὰ χρόνον εἰς Δελφοὺς παραγενόμενος, ἤκουσεν ὡς δέοι αὐτὸν πρὸς δυσμὰς ἀπιόντα πόλιν κτίζειν. ἐπὶ δὲ τῇ ἀπροσδοκήτῳ ἀκοῇ ἐγέλασε καὶ ἀπὸ τοῦ συμβάντος ὠνόμασε τὴν πόλιν.*

2) Cf. ipsius uerba: Wir wagen es eine Ansicht auszusprechen, zu der vielleicht keine vollständigen Beweise, aber doch genug leitende Spuren vorhanden: dass alle diese Städte, Colonien der Rhodier, aber nach einer häufig vorkommenden Form der Colonienführung, im Namen der Metropolis Argos, und unter den Auspicien Argivischer Götter und Heroen geführt seien.

Porro Soli, quam Ciliciae urbem ab Achaeis et Lindiis esse constitutam affirmat Strabo p. 671, ab Argiuis Liuius 37, 36, a Solone[1]) Lindio uita Arati, urbs tamen Phoenicia erit habenda a uerbo סָלַע formata.

Iam uero uel antiquiore aetate in occidentem quoque Rhodios nauigasse oppidaque condidisse discis a Strabone l. XIV 654: *'Ιστοροῦσι δὲ καὶ ταῦτα περὶ τῶν 'Ροδίων, ὅτι οὐ μόνον ἀφ' οὗ χρόνου συνῴκισαν τὴν νῦν πόλιν εὐτύχουν κατὰ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Ὀλυμπικῆς θέσεως συχνοῖς ἔτεσιν ἔπλεον πόρρω τῆς οἰκείας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων. ἀφ' οὗ καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν, κἀκεῖ μὲν τὴν 'Ρόδην ἔκτισαν ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον· ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς τὴν Παρθενόπην, ἐν δὲ Δαυνίοις μετὰ Κῴων Ἐλπίας· τινὲς δὲ μετὰ τὴν ἐκ Τροίας ἄφοδον τὰς Γυμνησίας νήσους ὑπ' αὐτῶν κτισθῆναι λέγουσιν, ὧν τὴν μείζω φησὶ Τίμαιος μεγίστην εἶναι μετὰ τὰς ἑπτὰ κτλ. — τινὲς δὲ τῶν 'Ροδίων καὶ περὶ Σύβαριν ᾤκησαν κατὰ τὴν Χωνίαν.*

Huic testimonio Strabonis caue plenam temere fidem habeas. Primum enim Baleares insulas antiquissimis belli Troiani temporibus a Rhodiis frequentatas eo minus facile sibi quisquam persuadeat, quod causa quoque et ratio, qua ducti fabulam excogitarunt, plane perspicitur. Cum enim, opinor, Baleares praeclari haberentur funditores, quomodo factum esset, ut hac potissimum disciplina excellerent, perquirentes et circumspicientes homines ueteres in Rhodios inciderunt eadem arte nobilitatos ab eisque illos genitos finxerunt et in uulgus extulerunt.[2])

Deinde de Rhode a Rhodiis condita quemadmodum orta sit abula in propatulo est.

Parthenopen autem Rhodiorum coloniam esse etiam Steph. Byz. tradit: *Παρθενόπη, πόλις ἐν Ὀπικοῖς τῆς Ἰταλίας, κτίσμα 'Ροδίων.*

De Salapia Apuliae urbe constituta a tribus auctoribus edoceris: praeter enim Strabonem inspicias Stephanum Byz.: *Ἐλπία, κτίσμα 'Ροδίων* et Vitruuium: 'In Apulia oppidum Salapia uetus, quod Diomedes a Troia rediens constituit: Siue, quemadmodum nonnulli scripserunt, Elpias Rhodius'. Atque haec quidem de oppido condito memoria qua ratione prodita sit, iam percipies, cum quas in Latio

1) Qua ex ratione profectus et natus sit hic Solon, liquet.
2) Cf. Sil. It. III 365:

'Iam cui Tlepolemus sator, cui Lindus origo
funda bella gerens Balearis et alite plumbo.'

Aeneas partes agat, easdem in Apulia suscipi a Diomede consideraueris. Vt enim illic ab Aenea se natos esse gloriabantur, ita in Apulia certae quaedam gentes ortum Diomedeum iactabant et ab illo suam quaeque patriam constitutam esse diuulgabant. Rhodiis autem Coisque coloniam falso ascribi, etsi argumentis confirmari non possit nil dubii relinquentibus, tamen ea maxime de causa suspicamur, quod ne illud quidem Strabonis testimonium, quo Rhodii multo ante Olympiadum rationem chronologicam remotissimas terrae regiones frequentasse dicuntur: *πρὸ τῆς Ὀλυμπικῆς θέσεως συχνοῖς ἔτεσιν*, satis fidum atque exploratum uidetur esse. Cui testimonio quamuis ciuitatium deinceps mari imperium obtinentium tabula Eusebii ad Castorem fortasse referenda qua Rhodii anno 916 a. Chr. mari pollere coepisse traduntur, faueat, tamen prioris illius quidem tabulae rationi subtiliter et artificiose subductae auctoritatem et fidem concedere non possumus. Hoc autem laterculo nonne fieri posse existimas ut nitatur Strabo?

Breuis rerum tractatarum conspectus.

Denique ut quaecunque disputata sunt et enucleata, breui comprehendamus et sub uno conspectu ponamus, postquam de rerum Rhodiacarum scriptoribus egimus (C. I) eas, quae apud Diodorum extant in unum contractae, fabulas proposuimus disiunctas et suae quamque patriae attributas (C. II). Quibus praemissis ad singulas fabulas diligentius exponendas et illustrandas aggredientes (C. III), primum de Telchinum fabula ita disceptauimus, ut daemones illos fuisse Rhodios cum Neptuni cultu Ialysio arcte cohaerentes demonstrare conaremur (A). Deinde Camirensi illa de Himaliae et Iouis filiis fabula Lelegibus ascripta (B), Neptuno deo Philistaeis uel Caribus uindicato (C) ad fabulam, quae est de Sole et Heliadis tractandam progressi sumus. Cuius fabulae antiquiorem formam a Pindaro seruatam esse postquam docuimus, Solis cultum orientalem per Asiam ab ora e regione Rhodi sita Ialysum traductum esse ostendimus. Iam ad Mineruam Lindiam transeuntes, ratione, quae inter uarias intercederet fabulas, exposita, illum de Danao eiusque filiabus mythum a Doriensibus demum Argis Rhodum aduectum et cum Mineruae Lindiae sacro coniunctum esse coniecimus. Tum Phorbantem Apollinem esse Ialysium statuimus pecora pascentem, Partheniam sororem illius ipsam Dianam, Periergum uero uel potius Eriergum cognomen fuisse Herculis Camirensis a Pisandro Camirensi celebrati.

Porro Althaemenes a Conone confusos esse posuimus duos prorsus disiungendos, alterum Doriensem, alterum Rhodium eumque Camirensem qui Iouis Atabyrii cultum in insula constituisse perhibetur. Deinde singulis, quae de Tlepolemo sunt, fabulis breui adumbratis, heroem ipsum a Doriensibus inde ab antiquissimis temporibus insulam a se obtineri arbitratis, confictum esse sumpsimus cum O. Muellero facientes.

Tum ad Ergiae, Polyzeli, Dictyos Cretensis fabulas peruentum est, unde Phoenices et Camiri et Ialysi domicilium suum collocasse, postremo Ialyso Graecis cessisse uidimus.

Denique de Rhodiorum coloniis quaestionem instituentes, cum ea oppida, quae in Asia ab illis constituta esse O. Muellerus suspicatus est, tum eorum pleraque, quae in occidente eos condidisse tradit Strabo, Rhodiis abiudicauimus, ne illud quidem Straboni dantes, multo ante Olympiadum rationem chronologicam rebus maritimis eos ualuisse.

DE CODICIBVS PROPERTIANIS

SCRIPSIT

RICARDVS SOLBISKY

VIMARIENSIS

De codicibus Propertianis quaestiones proponentem quamquam uix deerunt, qui in re certa atque explorata operam et oleum, ut aiunt, perdidisse me existiment, tamen a uero non aberrare mihi uideor, si iis, quae Fridericus Leo (Mus. Rhen. nou. XXXV p. 431—447) et C. Brandtius (Quaest. Prop., Berol. 1880) disseruerunt, rem nondum eo esse perductam contendo, ut ampliore disputatione totam quaestionem amplecti prorsus esset superuacaneum. Sed ut altius repetam, quomodo uiri docti in Propertii carminibus recensendis emendandisque progressi sint, primus summopere laudandus est Lachmannus, quod ex ingenti codicum mole duos elegit, in quibus textus restituendi fundamentum positum esse uoluit, Groninganum et Neapolitanum. Atque ita quidem iis usus est, ut primum locum attribueret Groningano (cf. praef. p. IX): quem secutus est Hertzbergius. Sed iam Keilius (Obseruat. critic. in Prop., Bonnae 1843) interpolatum esse hunc librum haud paucis locis et parem Neapolitano auctoritatem uindicandam demonstrauit, quam rem commenticiis quibusdam uersuum complementis detectis firmauit Hauptius (Indic. lect. hib. a. 1854, aest. 1856 = Opusc. II p. 52 sqq., p. 101 sqq.). Omnem deinde fidem membranis Groninganis detrahere conatus est Heimreichius (Quaest. Prop., Bonnae 1863) ita, ut quotquot uersus uel uersuum particulae abessent a Neapolitano, extarent in Groningano, ea fraude conficta esse contenderet, qua de sententia persuasit Grummio (De codd. Prop. Groning. et Neap., Auric. 1869), qui et ipse unum esse sequendum Neapolitanum statuit. Tum rursus contra nixi Luetjohann (Commentatt. Prop., Kiliae 1869), qui intra libri V (IV) fines se continet, et Heydenreichius (Quaest. Prop. 1875), cum extarent haud paucae Groningani lectiones, quas ab interpolatoribus profectas esse statui non posset, huius libri auctoritatem posthabendam Neapolitano nec tamen prorsus spernendam esse uoluerunt. Huic iudicio subscribit fere Luc. Muellerus praef. p. VI. — Denique Baehrensius, quia satis mediocrem esse librum Neapolitanum nec magis interpolationibus uacuum quam reliquos foedis

4, 16; 8, 22 (querar); 11, 22; 13, 6; 15, 39; 19, 13; 21, 9; II 1, 75. 51; 6, 2; 9, 43; 12, 19; 14, 5; 18, 31; 19, 4. 26; 20, 11; 21, 13; 23, 10; 29, 10[1]); 31, 10; 34, 85; III 2, 2; 3, 11; 11, 44. 48; 14, 14 (assentior Lachmanno, qui commatis includit 'lauatur', cf. Brandt. p. 12); 15, 45; 18, 20[2]); IV 1, 125 ('Asisi' scribendum uidetur); 2, 63 (nihil nouandum est); 7, 9; 8, 84 (e 'Sufficat' efficiendum 'Suffiit ac'); 11, 8 (assentior Lachmanno). — D solus interpolatus est: II 10, 11; 17, 1; 30, 36; 34, 78; III 6, 31; 20, 1 (initium elegiae non deest). 20; V: I 16, 8; II 10, 14; IV 6, 21. — Accedamus nunc ad eos locos, de quibus fusius nobis agendum est.

I 8, 11sqq. Nec tibi Tyrrhena soluatur funis harena,
Neue inimica meas eleuet aura preces;
Atque ego non uideam tales subsidere uentos,
Cum tibi prouectas auferet unda rates
Et me defixum uacua patietur in ora
Crudelem infesta saepe uocare manu.

V. 15 traditum est familia DV 'arena', AFN 'in ora'. Vtra lectio genuina sit, ut euincere possimus, respiciamus necesse est ad u. 11, ubi in omnibus libris scriptum est 'arena'. Atque ita mihi res diiudicanda uidetur, ut u. 11 scripturam 'arena' retineamus, u. 15 autem praeferamus, quod AFN exhibent 'in ora', cum idem uocabulum (harena) bis a poeta positum esse tribus tantummodo uersibus interiectis haud credibile sit. Nam cur u. 11 cum Burmanno 'ab ora' restituamus et u. 15 scribamus 'harena', nullam uideo causam; contra melius habet hoc: Tyrrhena — harena, cum Propertius non spernat ὁμοιοτέλευτον (de quo uid. Hertzb. Quaest. Prop. p. 175)[3]) et praeterea v. 15 illud 'in ora' bene quadret ad defigendi uerbum. Itaque aut errasse librarium librorum DV fontis ita, ut e u. 11 'harena' repeteret aut hanc uocem consilio u. 15 iterum posuisse sumendum est.

I 14, 15sq. Nam quis diuitiis aduerso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!

DV indicatiuum 'sunt' praebent. Sed poeta, postquam aduerso Amore diuitiis gaudere quemquam negauit, hoc dicit: nulla mihi contingant opes, si Venus mihi inimica est.

1) Post hunc l. Leo affert 30, 16, ubi DV praue 'sonet'; sed saepissime litterae t et s confunduntur. — 2) 'Semina' meram corruptelam esse puto. — 3) Cf. ex. gr. I 17, 5: Quin etiam absenti prosunt tibi Cynthia uenti; et 20, 3: Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.

I 17, 25 sq. At uos aequoreae formosa Doride natae
Candida felici soluite uela choro.

His uerbis Propertius sub finem carminis, quo in itinere maritimo summis calamitatibus oppressum se fingit, Nereides implorat, ut auxilio sibi ueniant. In AFN extat 'choro', in DV 'noto'. Vtrumque defendi potest, sed haec una discrepantiae explicandae ratio in mentem mihi uenit; si in archetypo 'noto' fuisse sumis, nullam uides causam, cur in 'choro' mutatum sit; contra hoc forte in 'noto' correctum est, quod illud nescio cui displicebat, cum secundi uenti, sine quo prouehi nauis non posset, mentionem inici oportere existimaret. Possis etiam non inepte suspicari aliquem in uoce 'choro' cogitasse de uento, qui est corus uel caurus, atque metri causa 'noto' reposuisse. Itaque eo adducimur, ut ab ipso Propertio librorum AFN 'choro' profectum esse statuamus.

I 18, 19 sq. Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus et Arcadio pinus amica deo.

AFN habet 'amica', DV 'amata'. Illud, quamquam ad sensum nihil refert, utrum scribas, fortasse praeferendum est propterea, quod alteram uocem 'amata' utpote in talibus lectionibus usitatiorem atque ultro quasi se offerentem ab homine male docto illatam esse pronum est conicere.

I 19, 7 sqq. Illic Phylacides iocundae coniugis heros
Non potuit caecis immemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalis antiquam uenerat umbra domum.

Hic mentio fit Protesilai et Laodamiae, quam summis precibus impetrasse a dis, ut tres horas una esset cum marito ex Orco dimisso satis notum est. Et extat quidem in A(F)N 'uenerat', in DV 'uerberat', sub qua uoce aliud quid latere Baehrensius suspicatur. Quem secutus quamquam de pererrandi, peruolandi, permeandi uerbis cogitaui, tamen, quoniam tempus praesens ferri non potest, formam satis aptam non inueni. Itaque in eam inclino sententiam, ut merum librarii errorem hic in DV subesse existimem. Cf. Keilium p. 19 sqq. (de plusquamperf.). Numerandus tamen locus in iis, de quibus dubitatio uidetur esse. — Incerta res est etiam

II 1, 19 sq. Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositam, ut caeli Pelion esset iter.

Impositam AFN, Impositum DV. Hertzbergius, quem secutus est Baehrensius, pronius fuisse non inepte ait librariis in 'impositam'

aberrare quam in alterum. Sed quam facile merus error ex communi librorum DV fonte repetendus subesse potest! Sequor igitur Lachmannum, qui apte confert Ou. am. II 1, 16:

Cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua deuexum Pelion Ossa tulit.

II 5, 21 Nec tibi periurae scindam de corpore uestes.

Sic legit Baehrensius cum familia DV; FN habet 'periuro'. Sed haud scio an sana concludendi ratione secus statuere cogamur. Nam etsi miram esse hanc adiectiui hypallagen negari uix potest, tamen quasi ultro suspicio nobis se offert 'periuro' temere in alterum mutatum esse. Plerisque igitur editorum accedo. Cf. Hertzbg. Q. P. II p. 143.

II 16, 11 sq. Cynthia non sequitur fasces nec curat honores:
Semper amatorum ponderat una sinus.

Hoc de loco Vahlenus l. l. p. 342 sqq. primus uerum fecit iudicium. Facile enim quispiam lectionem 'una', quae est in FN, propterea ferri non posse contendat, quod orationis uis oppositis uocibus 'fasces' et 'honores' in 'sinus' insit, minime autem poeta dicat neminem nisi Cynthiam pecuniam amatorum in togis conditam ponderare. At Vahlenus nonnullis exemplis allatis poetas nonnunquam uoces 'unus' et 'solus' non ad id uerbum rettulisse, ad quod seueris cogitandi legibus pertinerent, sed ad aliud luculenter demonstrauit. Commemoro duo exempla Propertiana, quae extra dubitationem posita sunt:

II 20, 27 Cum te tam multi peterent tu me una petisti,

ubi 'me unum' intellegendum est, et:

IV 9, 59 Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Auia secreti limitis una fluit,

ubi sensus 'puellis unis' postulat. Haec si consideraueris, spurium esse alterum 'illa' (DV) uix negabis et a nescio quo fortasse iam antiquis temporibus repositum ea ipsa de causa, quod 'una' sensui parum conuenire uidebatur.

II 26^{b}, 53 Crede mihi nobis mitescet Scylla nec unquam eqs.

Ita scriptum est in FN et assensi sunt omnes praeter Baehrensium editores. Is 'mutescet', quod DV habent, praefert. Nec sane ineptum hoc est, quia ad uocem Scyllae alludit, quae nautis praeteruehentibus latratum edere credebatur. Sed cum ante Apuleium

hoc uerbum nusquam obuium sit, Propertio tribuere uix ausim; uulgarem igitur scripturam reuoco.

II 32, 29 Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumpta est, non me crimina parua mouent.

Vox 'lusus', quam hic FN praebent, et ludendi uerbum tam usitata sunt in amore et imprimis Propertio adamata, quod omnes sciunt, qui eius sermonem norunt, ut ab illorum codicum auctoritate non recedendum esse existimem dissentiens a Baehrensio, qui cum DV scribi uult 'luxu'. Piget omnia afferre exempla; cf. I 10, 9:

Non tamen a uestro potui secedere lusu

II 6, 4; 15, 21. Vocabuli autem 'luxus' uis ab hoc loco abhorret; proprie enim significat luxuriosam terrae fecunditatem, unde etiam de hominum salacitate usurpatur (cf. Tac. hist. 4, 14), deinde idem ualet ac luxuria. — Subiungo duos locos, ubi praeter FN etiam alius liber in eodem uersu sequendus est.

III 7, 21 sqq. Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena minantis aquae:
Hic iuuene amisso classem non soluit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Huius loci ueram explicationem me quidem iudice inuenit Aug. Otto (De fabulis Prop., part. I p. 22), cum uerba 'Argynni poena' de ipsa Iphigenia mactata interpretaretur, ut totius loci sensus esset: 'litora Aulidensia Agamemnonis curarum sunt testes, quae litora notat Argynni aqua submersi (latet hoc fortasse in vv. corruptis 'minantis aquae') poena scil. Iphigenia ob moram, quae Argynno amisso Agamemnonem retinuit, uentis aduersis exortis mactata'. Etiam ea in re circumspectum iudicium facere mihi uidetur, quod non Veneri, sicut Schneidewinus (Philol. I p. 376 sqq.) uult, sed dis marinis ob Argynni mortem iratis illam immolatam a Propertio dici propter sententiarum conexum putat.[1]) Ac primum cum F

1) Propertii mos adumbrandi magis quam enarrandi fabulas difficultates hic interpretibus mouit, quorum plerisque ea potissimum res dubitationem iniciebat, quod de poena Argynni aliunde ignota sermo uidetur esse. Illas autem tantas esse Weberus (Quaest. Prop., Hal. 1876) p. 20 sqq. putat, ut uu. 21—24 a Propertio omnino abiudicandos et pro interpolatione satis peruersa et audaci habendos esse contendat. Sed merito hanc sententiam refellit Otto l. supra l. et quaecunque ille de difficultatibus grammaticis, de sententiarum nexu interrupto, de insolita fabulae forma disputet, falsa atque inde nata esse demonstrat, quod totum locum parum intellexisset. Grauissimum est, quod interpolationis argu-

(argiuni) et N (agynni) 'Argynni' legendum uidetur — DV exhibent 'argiuum' — deinde cum V 'Quae' — 'Qua' ceteri —; optime enim sic litora notari dicuntur, quo in uerbo opprobrii significatio inest. Quomodo autem extrema uersus uerba 'minantis aquae' emendanda sint, neque mihi neque aliis constat. Neque enim magis quam hoc ferri potest, quod Lachmannus inuenit, 'minacis aquae', quia hae uoces a substantiuo 'litora', ad quod pertinent, nimis longe remotae sunt. Alias coniecturas, quae eodem illo hyperbati distorti uitio laborent, omitto. Ingeniosius deinde quam uerius Hertzbergius proposuit 'Athamantiadae', cum parum hic referat Argynnum Athamantis pronepotem esse, sed potius adumbratio mortis illius desideretur. Quomodo autem Baehrensius e commento suo:

Qua notat Argynnus poenam inhiantis aquae

idoneum sensum eliciat, ego assequi non possum. — Denique addo v. 23 scribendum esse 'Hic' (Nec O; Hoc NV^2F^2), quod diuinauit Lachmannus, demonstrauit Schneidewinus p. 380.

III 16, 28 sq. Me tegat arborea deuia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis uallatus arenae.

Libri satis uariant: humer(-ri N) ignotae FN, ignotae humor DV e mutatione de industria facta; cumulis ND cumulus FV. Hertzbergius dedit:

Aut humet ignotae cumulus uallatus arenae,

quod repudiandum uidetur, quia 'humet' in nullo extat codice nec placent propter genetiuos uerba 'cumulus uallatus ignotae arenae'. Ideo legendum puto cum Lachmanno aliisque:

Aut humer ignotae cumulis uallatus harenae.

Weberus (p. 38) cum tam foedam imaginem, qua circumdatum se

mentum non inde peti debet, quod a uulgari fabula, qua non Argynnus aqua submersus sed Diana uiolata causa morae fuisse traditur, Propertius hic recessit. Vnde enim interpolator hanc insolitam formam haurire potuit? Nec dubium est, quin Weberus aliter iudicaturus fuerit, si ea, quae Schneidewinus l. l. disputauit, inspexisset. Is enim cum afferri hanc fabulam a Propertio, ut 'non habere undam deos' (u. 18) comprobetur, intellexerit, premendum esse distichon 23 luculenter demonstrat. Hoc igitur a poeta esse dictum: 'in litore Aulidensi Agamemno, cum propter Argynnum diutius commoratus esset, maris rabiem sedare non potuit nisi Iphigenia immolata'. Deinde uocem 'poena' recte interpretans 'die Sühne für' (cf. II 8, 37) hanc esse templum illud, quod Agamemno Veneri propter Argynnum raptum dedicauit, persuasum habet, cf. Athen. XIII p. 603 d. At hanc explicationem stare non posse propterea quod in Cephissi ripa templum esse constitutum auctores consentirent discrepantibus Propertii uerbis 'sunt litora' Otto l. l. uidit.

quasi uallo poeta diceret, ab eo profectam esse negaret, ueram salutem loco attulisse hac coniectura sibi uidetur:

Aut humet ignotae uili me litus arena.

Nimis tamen uiolenter eum rem egisse nemo non uidet.

Iam sequantur nonnulli loci, ubi uestigia tantum ueri seruata sunt in (A)FN altera familia ab integritate magis deflexa.

II 3, 24 (aridus DV fortasse e mutatione de industria facta; leg. candidus); 23, 1 (scrib. 'haec', 'et' FN); 34, 59 (scrib. hesternis); IV 11, 102 (ex 'aquis' cum Heinsio efficiendum puto 'auis' i. e. ad auos;. 'equis' interpolatum est).

II 1, 27 sqq. Nam quotiens Mutinam aut ciuilia busta Philippos
Aut canerem Siculae classica bella fugae
Euersosque focos antiquae gentis Etruscae,
Aut Ptolomaeei litora capta Phari
Et canerem Coptum et Nilum, cum atratus in urbem
Septem captiuis debilis ibat aquis.

Cyptum AN, ciptum F; cyprum DV. Vulgo legebatur 'Aegyptum', quod Palmero quoque nuper placuisse admodum miror. Neque enim nudum nomen eius terrae, quam poeta uerbis 'Ptolomaeei litora capta Phari' et Nilo significauit, medium inter haec interpositum esse potest, qua de causa etiam 'Cyprum', quod Hertzbergius defendit, abiciendum est. Hoc autem, cum nomen tam notum corruptum esse improbabile sit, promanasse uidetur ex illo 'cyptum', quod nihil est. Lachmanni coniectura 'canere inciperem', ingeniosa est, non uera, quia nomen hic latere consentaneum est. Itaque cum ab illa uoce corrupta in emendando proficiscamur oporteat, nihil quod reponam, habeo aliud, quam quod Baehrensius recordatus Statii Theb. I 264 sq. proposuit, Luc. Muellerus probauit, 'Coptum', in quo rariore nomine, ut apud Propertium, nemo offendet. Statii loc. et scholiastae vv. uid. ap. Muell. praef. — Eadem uia ineunda est ad emendandum huius uersus finem, ubi AN exhibent 'attractus', F 'atractatus'; DV 'tractus'. Cum 'attractus' sensui parum aptum sit, 'tractus' per se ferri potest. Sed unde orta sit alterius familiae scriptura, explicandum est; quod fieri mihi uidetur non posse nisi ita, ut ex hac genuina poetae uerba eliciamus spreto illo 'tractus', quippe quod ex altero fluxerit. Ac uerum uidisse censeo et Palmerum et Baehrensium[1]), cum de cultu

1) Vterque hanc emendationem uindicare sibi potest; Palmerus enim in praef. adnotat: 'Hanc emendationem typis expresseram in edit. Prop.

lugentis Nili triumpho ducti per urbem Propertium loqui contenderent ac rescriberent 'atratus'; notum enim est simulacra urbium, terrarum, fluminum captorum per triumphos ferculis esse lata. Admodum fauet huic coniecturae, quod etiam III 5, 34, ubi de Solis equis sermo est, in omnibus praeter N libris 'atratis' in 'attractis' corruptum est. Ad rem Palmerius confert Verg. Aen. 8, 711: magno maerentem corpore Nilum; Pers. 6, 47: ingentesque locat Caesonia Rhenos; Ou. art. am. I 219 sqq.:

Atque aliqua ex illis cum regem nomina quaeret,
Quae loca, qui montes, quaeue ferantur aquae;
Omnia responde; nec tantum siqua negabit,
Et quae nescieris, ut bene nota refer.
Hic est Euphrates, praecinctus arundine frontem,
Cui coma dependet caerula, Tigris erit.

Baehrensius comparat locum iam supra laudatum, Stat. Theb. I 264 sq.: aerisoni lugentia flumina Nili. — Impugnat hanc emendationem C. Brandtius (p. 16), sine iusta causa, ut mihi quidem uidetur. Certe quod ipse proponit 'cum ah tractus in urbem' stare non potest, quia haec particula nusquam apud Propertium 'iram et contumeliae uoluptatem' significat, sed aut imprecantis est aut dolentis; imprimis usurpatur iis locis, ubi poeta, quae ipse cum dolore expertus sit, profert. Inspiciendus illi erat de huius interiectionis usu Kuttnerus, de Prop. elocut. quaestion., ed. Hal. 1878, qui p. 50 sq. omnes locos congessit. — Similiter res se habet II 2, 11, ubi familia FN, si non uerum ipsum seruauit, tamen licentioris mutationis indicio, quod altera prae se fert, uacat. Legitur enim in illa sine metro:

Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio satis fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.

Hoc de loco similibus tenebris ac III 7, 21 sq. offuso uariisque coniecturis temptato egregie disputauit Schneidewinus (Philol. I p. 384).[1] Maxima enim ille cum probabilitate contendit Boebeide

quattuor abhinc annis a me incepta, ad calcem tamen non perducta'. Baehrensius eam publici iuris fecit in Misc. Crit. p. 83. — 1) Turnebus et Scaliger, cum deesse nomen uiderent, u. 12 ingeniosissime scripserunt 'Brimo', quod est Proserpinae irascentis nomen. Hertzbergius autem, cum illud sperneret, quia ea ipsa de causa, quod haec dea irata Mercurium a mala cupiditate absterruisset (ita enim tradunt fabulae antiquae),

duci nos Pheras, ad urbem in meridionali Thessaliae parte sitam, ubi Hecate sub nomine Ἀρτέμιδος Φεραίας adorabatur, quae etiam Argis, Sicyone, Athenis colebatur; cf. Paus. II 10, 6; 23, 5. Hanc autem ipsam deam tristem Pheris cultam, quae modo Hecate modo Proserpina modo Diana appellabatur, hic intellegendam esse iam Lobeckius Aglaoph. p. 1213 uidit; cf. Preller. Gr. Myth. I p. 257; 311. Neque uero eam semper iratam tristemque fuisse cognosci posse iure ille addit ex ἱερῷ λόγῳ, quo Mercurius cum Hecate tres filias, Nymphas, genuisse tradatur; Tzetz. Lycophr. 680. Itaque non dubitandum esse de Brimo, praesertim cum codicum illud 'satis', corrigendum in 'sanctis', aperte ad illum ἱερὸν λόγον spectet. Deinde inserendum esse 'et' post 'Mercurio' — 'Mercurioque DV metri adiuuandi causa — quod propter uersus 9 'et' deesse nequeat, quam rem iam Lachmannus monuit. — Haec omnia cum ueritatis speciem prae se ferre mihi uideantur, contra nituntur Palmerus et Baehrensius, qui prorsus alia ratiocinatione ducti unam duobus his distichis fabulam comprehensam esse censent. Atque ille quidem leniore medela rem peragens cum Burmanno 'Mercurio Ossaeis' scribit et poetae obuersatam esse credit fabulam aliquam deperditam, quae Ischomachen rem habuisse cum Mercurio proderet, hic, cum Cynthiam comparari posse cum furua illa dea neget, uiolentius locum tractans legi uult 'Sera uiro sacris', ut depingatur dulce illud desiderium, quo tandem puella amans post multa pericula cum uiro conueniat. Sed si haec probas, maioribus difficultatibus te irretiri statim uidebis; nam quod primum contra Palmerum proferendum est, prorsus nihil de Mercurii et Ischomaches concubitu notum est et deinde uoculam 'et' omittit, quod fieri uix posse duobus argumentis comprobari mihi uidetur. Nam non solum per se

nomen Brimo accepisset, u. 11 ex deterioribus codicibus restituit pro 'satis' 'Sais', Domitii Calderini inuentum, quod cum Beroaldo de Minerua Saitide interpretatur. At hanc male quadrare ad Thessaliae lacum uere Graecum Schneidewinus recte monet neque a uero aberrat Rossbergius (Lucubrationes Prop. 1877), qui p. 11 haec profert: 'Si re uera Sais, Minerua illa Aegyptiaca, multa cum Proserpina communia habuit, num Propertium eo progressum esse putemus, ut etiam id factum, unde Graeca Hecate siue Proserpina cognomen Brimo inuenit, in deam Aegyptiacam transtulerit?' Praeterea in nomine illo syllaba prima non potest esse producta, unde Luc. Muellerus scripsit 'Mercurioque Sais'. Actum igitur est de Hertzbergii lectione, qua ipse parum confidere uidetur, cum addat: 'si in tantis tenebris hariolari quid nobis quoque liceat, 'Nais' rescribere uelim'; quod ne ipsum quidem stare posse idem Schneidewinus ostendit.

est ueri simile illi 'et' uersus 9 eandem particulam respondere u. 11, sed etiam ea de causa extitisse hic illam cum Rossbergio crediderim, quod u. 13 'et', quod prima pars est inepti uerbi 'etiam', abundat. Haud enim male hic suspicatus est (p. 11) post 'Mercurio' illud 'et' in eo exemplari, unde archetypus fluxisset, omissum fuisse et postea in margine additum a librario non suo loco redditum, sed praue in u. 13 deductum esse, ut uoculis 'et' ac 'iam' efficeretur 'etiam'. Ab hac parte Baehrensii quoque coniectura displicet, quae, cum 'Mercurio' corruptum esse mihi persuadere nequeam, insuper satis est uiolenta. Sed ne sensus quidem, qui efficitur, sanus est, quia uerbo 'sera' cum ui in initio uersus posito infertur sententia a toto loco absona; quasi uero poeta agat de talibus puellis, quae post magna pericula discriminaque tandem cum sponsis matrimonium inierint. — Itaque quomodo hac uia ad uerum perueniri possit, cum non uideam, tutissimum esse censeo in iis acquiescere, quae Schneidewinus disputauit et pro subditiuo familiae DV 'que' inserto 'et' cum Lachmanno scribere:

> Mercurio et sanctis (uel 'sacris') fertur Boebeidos undis
> Virgineum Brimo composuisse latus.

II 9, 17 Tunc igitur castis gaudebat Graecia nuptis
Tunc etiam felix inter et arma pudor.

Castis DV, uiris FN. Baehrensius (Misc. Crit. p. 86) postquam se olim coniecisse dixit 'fidis gaudebat G. n.', ita pergit: 'Nunc ubi nonnullos codices non minus probos 'castis' praebere scio, differentiam illam utique memorabilem ('uiris' et 'castis') ita explicandam censeo, ut in communi archetypo uoculam lectu difficiliorem extitisse dicam. Vsui Propertiano accommodatum est simulque librorum uarietatem explicat hoc: 'certis g. G. n.'. Quae coniectura quamquam sensu sese commendat, quoniam h. l. inconstantia Cynthiae fidei Penelopes et Briseidos opponitur, tamen ratio, qua ille usus ad eam peruenit, peruersa est. Neque enim ex 'uiris' et 'castis' noua quaedam uox tamquam conglutinanda uidetur, sed eiusmodi est discrepantia, ut aut unum aut alterum praeferendum sit et cum 'castis' interpolationis indicium prae se ferat, quod iam Burmanno constabat, uix diu dubii haerebimus, utri scripturae faueamus. Legendum igitur censeo una litterula mutata, quod in plurimis editionibus est 'ueris', quo in adiectiuo (uertendum enim est 'ächt') notio castitatis per se ipsa inest. Quod autem Baehrensius 'castis' in uerborum contextum recepit, summo me stupore

affectum esse fateor. — Contra causam ei fuisse puto iustam, cur 'natis' in 'nuptis' mutaret, quod etiam Vahleno (l. l. p. 336) placuit.

II 29, 41: Sic ego tam sancti cultor secludor amoris:
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Versum, in quo emendando multi uiri docti desudauerunt, adscripsi, ut Baehrensius e coniectura dedit. Libri satis uariant: custodis rector F, custode reludor N, custos recludor DV, quae omnia ferri non posse manifestum est. Ac primum ut, quod uerbum scribendum sit, excutiamus, codicis F illud 'rector', quod corruptum uidetur e 'reiector', abicere non dubitabimus, cum frequentatiuum hic ferri nequeat. Aliter tamen iudicat Hertzbergius. Iam quaeritur, utrum compositum, quod dicitur, uerbi claudere an eludere praestet. Hoc alterum, qua in re Hertzbergio assentior, propter fraudis aliquam significationem (cf. II 21, 13) displicet; nam non ludificatur Propertium Cynthia, sed postquam increpuit, eum reicit (uu. 39 et 40). Aptius igitur, quamquam Lachmannus aliique obloquuntur, excludendi uerbum mihi uidetur, quod etiam Heinsius et Luc. Muellerus probant; Baehrensius praefert 'secludere', quod num hac ui usurpetur, dubium mihi est. — Videamus nunc de reliqua scriptura. 'Custos', quod DV perhibent, Hertzbergius defendit his usus uerbis: 'Custos enim recte speculator amicae (u. 31) dicitur, qui mores eius seruat et praesentia sua, ne peccet illa, prouidet. Talem custodem ipse se poeta aperte significat I 11, 15:

Vt solet amoto labi custode puella.

Vereor tamen, ne Lachmannus rectius iudicet, cum speculatorem, qui spectandi causa tantum ueniat, amoris custodem dici posse neget; atque eo minus meo quidem iudicio Propertius ita appellare se poterat, quod nescio qua de causa suspicione de puellae fide concepta alias fores quaerebat, etsi expectari se ab illa non ignorabat (uu. 13 et 14). Eodem argumento labefactatur et Lachmanni coniectura 'cultu secludor', de cuius ueritate nihil se promittere ipse ait, et Baehrensii, quae est 'cultor secludor'.[1]) Itaque ad alteram stirpem nobis confugiendum est, num inde fortasse salutem petere liceat. N secuti ueterum interpretum nonnulli legebant 'custode excludor' Amorem intellegentes, qui ita Propertium ad Cynthiam reduxisset, ut nullam ex illo noctem felicem haberet; quae sententia quomodo in hoc u. inesse possit, parum patet. Alii

1) Kindscherus (Mus. Rh. XVII p. 222) coniecit 'gustu secludor', quod Vngerus Philol. XIX p. 321 merito reiecit.

autem, imprimis Keilius (custode relegor), Luc. Muellerus (custodi excludor), Palmerus (custode eludor) et ipsi huius familiae lectionum uestigia seruantes uocabulum custos de Cynthia interpretantur, quae nullo alio amatore admisso fidem praestiterit. Apte Palmerus confert II 18, 35: Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus. Et hic sensus bene tolerari posse mihi uidetur, ut ad misericordiam puellae excitandam Propertius dicat sibi excluso a sancti amoris custode h. e. a Cynthia, quam seruare fidem cum gaudio intellexit, miseras semper noctes fuisse. Probarem igitur ipsam Neapolitàni lectionem, nisi nudum ablatiuum poni sermo latinus uetaret; tutius est cum Heinsio datiuum restituere. — Restat ut duas coniecturas refellam, quibus hic l. temptatus est. Nimis enim longe a libris recedit et molestam repetitionem continet, quod Kochius (symb. philol. Bonn. p. 323) ad u. 31 respiciens scribendum proposuit: sancti excludor speculator amoris. Prior, quam modo attuli, causa ualet etiam in coniecturam Friderici Leo (p. 438), qui legi uult: discedo elusor amoris. Et nimiae hercle audaciae est ad illam efficiendam nouum, quod nusquam legitur, uerbum conformare, quale est 'elusor'. Itaque cum ne coniecturis quidem huic uersui uera lux affundi possit, tutissimum puto in illa lectione, quam FN indicant 'custodi excludor' acquiescere, quamquam nondum extra omnem dubitationem illam esse Lachmanno concedo. Denique commemoro me non assentiri Hetzelio (Zur Erklär. d. Prop., Dillenbg. 1876), qui p. 14sq. totum distichon spurium esse contendit. Nam quod uocabulum 'custos' huc illatum esse ait ex insequentis elegiae u. 9, parum habet probabilitatis, quoniam initio huius carminis ingens Amoris uis, cui resisti nequeat, a poeta depingitur. Dubitari potest de

II 32, 61: Quod si tu Graias es tuque imitata Latinas,
Semper uiue meo libera iudicio.

Nec scripturam 'tuque es imitata', quam FN perhibent, nec familiae DV 'siue es im.' stare posse in propatulo est. Hertzbergius igitur codicum nonnullorum deterioris notae indicia secutus cum Iakobo scripsit 'tuque es mirata', quod uerbum cum imitandi uerbo saepius confunditur nec multum differt ad sensum. Sed contra omnes libros ita mutare nimis est uiolentum. Non magis Lachmanno, qui ingeniose, ut semper fere solet, rescribendum proposuit 'aeques imitata Latina' assentior, cum mutationis causam parum perspiciam. Facilior est emendatio Baehrensii, qui uoculis inter se transpositis legit 'es tuque imitata'. Quamquam de hac quoque scriptura

dubitamus. Certe familiae DV lectione ad locum sanandum uti omnino non possumus, quoniam in utroque membro 'siue' ponendum erat.[1])

2. DVN praeferendi sunt libris AF aut corruptis aut interpolatis.

I 1, 1. 22; 2, 23 (acquirere propter metrum ferri non potest). 26; 7, 7; 8, 1. 38; 13, 5. 7; 18, 22 (ualde hic mihi arridet Schraderi coniectura, qui uoces transponit, ut u. 21 legatur 'uestras', u. 22 'teneris'); 20, 13 (adiectiuum frigidus saxis attribuitur etiam IV 7, 66 et rupibus I 18, 27)[2]); II 1, 41; 3, 11; 4, 3 (cf. 15, 51; III 15, 31, non uideo, cur his ll. Baehr. F praeferat); 6, 21; 7, 5. 10; 12, 1. 3; 16, 15. 22; 31, 7 (cf. quae Keilius p. 19sqq. et Brandtius p. 8sq. disputau.); III 16, 2. 11 (non opus est c. Baehrensio conicere 'sanctos'); 18, 28; 19, 4; IV 3, 66 (Baehr.: 'auersis et crepat' conicit sine causa; cf. 1, 7; 4, 3, ubi nihil mutandum); 4, 1; 5, 56 (tenere F); 8, 81; 10, 37.

I 1, 13: Ille etiam Hylaei percussus uulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

Ita (D)VN, in AF est 'percussus arbore rami', quae uerba uitioso metro laborant nec sensum praebent. 'Arbore' esse glossema statim perspicitur. At nonnulli offenderunt in uoce 'uulnere' et cum ita usurpari eam omnino posse negarent, ad coniecturas confugerunt. Passeratius enim eumque secuti Heinsius et Broukhusius scribendum proposuerunt 'perculsus pondere rami'. Facilius conicere possis 'robore', quod in Perusino Palmeri est. Sed nullam esse causam idoneam, cur illud, quod est uulnere, suspectum habeamus, Lachmannus docet, cum haec uox nonnunquam sensu uocabuli 'uerber' usurpata sit, qua de re Gellius nonnulla nobis suppeditat, Noct. Att. IX 12: 'Illud etiam dictum a Vergilio eandem habet formam communicatae ultro et citro significationis: et uulnere tardus Vlixi, cum diceret uulnus, non quod accepisset, sed quod dedisset'. Apud Verg. Aen. V 433 etiam haec obuia sunt: inter se uulnera iactant, et 436: 'duro crepitant sub uulnere malae'. Quibus exemplis, quae augeri aliis possunt, satis defenditur, quod in (D)VN legitur, neque recipiamus, quod Baehrensius dubitanter coniecit 'uerbere', necesse est.

1) Kindscherus (Mus. Rh. XVII p. 227) satis mire coniecit: Quod si tu Graias nequeas imitare Latinas. — 2) Polsterus (Quaest. Prop. spec. Ostrow. 1881) p. 11 coniecit 'torpida'.

II 11, 1: Scribant de te alii, uel sis ignota, licebit,
Laudet, qui sterili semina ponit humo.

Non intellego, cur Baehrensius ex F 'ne' praetulerit, pro quo ceteri libri 'uel' exhibent. His enim uerbis Propertius hoc dicit: desinam in laudibus tuis uersari; praedicent te alii, quos operam perdere iuuat, uel taceant: mea nihil interest.

II 20, 21 sq.: Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent:
Interea nobis non umquam ianua mollis,
Non umquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis eqs.

Quoniam sexcenties uoces 'non unquam' et 'non nunquam' inter se confunduntur, hoc de l. non agerem, nisi Hertzbergius, quod extat in Baehrensii codice F, 'non nunquam' — ceteri sensu repugnante habent 'non unquam' — acriter defenderet. Is enim Keilii sententiam, qui, cum non 'nonnunquam' sed 'semper' h. e. 'nunquam non' Propertio dicendum fuisset, languidum ac paene ineptum esse hoc distichon non sine causa contendit (p. 53), ita reicere conatur, ut λιτότητος figuram hic esse agnoscendam statuat, qua 'nón nunquam' idem ac 'semper' ualeat. At nec Rossbergio nec mihi neque aliis hoc persuasit. Itaque hic (p. 15 sq.) nouam uiam ingressus loco ueram lucem reddi posse putat interpunctione mutata. Optime enim ferri posse 'non unquam', modo ne uersibus 23 et 24 totam sententiam absolutam credamus neue in fine punctum ponamus. Vocabula 'mollis' et 'facta' non praedicata, sed illud ianuae, hoc copiae lecti attributum esse atque post u. 24 commate posito de tribus subiectis 'ianua mollis', 'facta copia lecti', 'nox ulla' praedicari unum illud 'empta est'. — Sed talia non tam poetae quam balbutientis esse facile mihi concedes. Quae cum ita sint, ego nullus dubito, quin in his uerbis negatio insit ideoque recte legi in DVN 'non unquam'. Cum autem sensus contrarium flagitet, nihil restat, quam ut hoc distichon, si non fictum a librario uel grammatico, quod Keilius p. 53 et Weberus p. 41 uolunt, tamen e Propertii carminibus aliunde huc inuectum esse cum Baehrensio censeamus. Sed, ni fallor, non necesse est uu. 21 et 22 simul eici.

II 28, 9: Num sibi collatam doluit Venus? illa peraeque
Prae se formosis inuidiosa dea est.

Paremque F, per aequae N, pareque D, p[illegible]reque V, quae differentia satis leuis est, cum syllabae 'par' et 'per' eodem saepe scribendi

compendio notentur (p). 'Paremque', quod D quoque subindicat, Lachmannus secutus codicem Groninganum nunc damnatum, qui habet 'ipsa paremque', primus acriter defendit et ita quidem, ut altera scriptura 'peraeque' otiosam incommodamque sententiam inferri contenderet. Quid enim hoc significare: aequaliter et pariter in omnes inuidiosa? At ego aliter sentio nec Lachmannus rem tam confidenter affirmasset, nisi in codice suo simul inuenisset pro 'illa': 'ipsa'. Bene enim se habet illa sententia: Venus omnibus formosis puellis aeque inuidiosa est, nec, si hoc a poetae manu profectum esse nobis persuademus, mutare 'illa' in 'ipsa' opus est aut 'prae se' in 'per se', quod idem Lachmannus facit, quoniam, quae modo par Veneri dicta sit, non possit esse formosa prae illa. Etiam magis displicet id, quod Hertzbergius pro 'prae se' excogitauit: semper, propter u. 13 ab iisdem uocabulis incipientem. Praeterea maius est, si Propertius dicit Venerem mortalem formam sibi ne collatam quidem nedum parem pati posse. Cf. Ou. rem. am. 711 sq.:

Vtraque formosae Paridi potuere uideri,
Sed sibi collatam uicit utramque Venus.

Itaque ne hoc quidem l. cum Baehrensio libro F fauemus.[1])

II 29, 21 Atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu:
I nunc, et noctes disce manere domi.

Sic uulgo legitur e Heinsii coniectura adiuuante codice F, qui habet 'dixerunt' (u superscr.); 'duxerunt' cett. Sed facili negotio demonstrari potest hanc lectionem abiciendam esse. Baehrensius enim cum poetam ueste priuatum esse nusquam legi intellexerit, iniectum amictum de nodo, quo uinctum se esse a pueris Propertius u. 10 dicit, recte interpretans ita scribit:

Atque ita mi iniecto soluerunt rursus amictu.

Quod uerum esse ego quoque agnoscerem, nisi nimis a codicum uestigiis recederet; propono igitur 'laxarunt', quod minus differt. Dicendi autem uerbum, quod pedestrem sapit orationem, omitti posse propter additam particulam 'ita', facile mihi concedes.[2])

1) Possis hunc l. etiam iis adnumerare, ubi N nullo alio codice assentiente uerum tradit, cum solus praebeat 'per aequae'; sed quia in uno F clare extat praua lectio 'paremque', huic capiti locum inserere malui. — Etiam Vahlenum l. l. p. 344 Neapol. lectionem similiter defendere nunc uideo. — 2) Praeoccupatam esse coniecturam meam a Frid. Leo p. 439 postea intellexi.

III 2, 21 sq. Aut illis flamma aut imber subducet honores,
Annorum aut ipso pondere uicta ruent.

Hoc l. poeta maxima splendidissimaque aedificia longi temporis incommodis euerti atque obrui posse, famam, quam ingenii monumenta tribuant, sempiternam esse ait. Libri u. 22 ita uariant: ictu FN, ictus D, ictu= V; pondere DVN, pondera F. Inde nonnulli editores scribunt: Annorum aut ictu pondera uicta ruent[1]), ut uoce 'pondera' aedificia illa sumptuosa significentur. Sed displicet nouum hoc subiectum, quo pronomen 'ille' excipitur et diffidendum est libro F alius codicis consensu destituto. Nec magis arridet propter duorum ablatiuorum concursum, quod Burmannus et Palmerus commendant:

Annorum aut ictu, pondere uicta, ruent,

distinctione subuenire frustra studentes. Itaque uerum uidisse puto Fonteinium et Santenium, qui Baehrensio plaudente paulo acriore medicina uersum indigere rati commode sic eum constituerunt:

Annorum aut ipso pondere uicta ruent,

h. e. suo pondere per temporis diuturnitatem uicta ruinas dabunt. Coniecturam autem Withofii 'aut ictu aut pondere' et Eldikii 'aut tacito pondere (cf. Burmann. p. 494) a uero abhorrere uix quisquam negabit.

III 11, 33 sqq.: Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
Et totiens nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos! 35
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam! 36
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi, 39
Vna Philippeo sanguine adusta nota, 40
Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim eqs.

Non debebat Baehrensius prae ceterorum codicum consensu librum F anteferens, qui u. 35 perhibet 'Haec tibi', ita scribere: 'Haec tibi Pompei detr. ar. tr.'. Quod enim parum perspicuum esse dicit (praef. p. XIII), quo iure u. 37 sq. subito ad Pompeium ipsum ('tibi') uerba dirigat, nihil ualet, quoniam orationis uigor hic fert, ut modo huc modo illuc Propertius allocutionem conuertat. Praeterea maior res est, si tres fuisse triumphos ait, et nimis uiolen-

1) Ita 'fortunae ictu' legitur apud Ou. ex Pont. II 7, 41.

tum 'Pompeio', quod omnes libri tuentur, sollicitare. At iure Baehrensius cum Lachmanno uu. 36 et 40 sedes mutare iubet. Quomodo enim Pompeius Ptolemaei dolo interfectus Romae aeterno crimini esse potuit? Confugiunt igitur interpretes ad id, ut Romam ultione tantae perfidiae dimissa sempiternam notam contraxisse contendant, quod, quo iure faciant, ipsi uideant. Et sustulisse Augustum hanc ignominiam Cleopatra uicta Lachmannus recte monet. Contra nonne multo uerius Romae summae ignominiae uerti poterat, quod Cleopatra, improba meretrix

'pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres'?

Iam uides, quam inepta Hertzbergii interpretatio sit: 'hoc uero dedecus nominis Romani sempiternum, quod ciuis Romanus, quod commilito abiectissimorum hominum contagione et fraudibus contaminatus imperatorem suum proditor percussit'. Ac ne hoc quidem Lachmannus neglexit nimiam esse licentiam primum orationem ad Memphim dirigere (u. 34), dein Pompei mentione facta (u. 35) Romam alloqui (u. 36), tum rursus Pompeium affari (u. 37). Recte igitur ille totum locum constituisse mihi uidetur.

IV 7, 25: Nec crepuit fissa me propter arundine custos.

Intellegendum esse custodem, qui intra septem dies, quos corpus mortuum, antequam cremaretur, domi seruatum esse Plinius docet (ap. Seru. ad Verg. Aen. VI 218), fistula cecinerit, Hertzbergius animaduertit. Ac Baehrensius spreta librorum DVN lectione recepit 'fixa', quod in F est. Sed quo iure id fecerit, ego assequi non possum. Fortasse cogitat ea de re, quod complures arundinis fistulae cera inter se coniungebantur[1]; hoc uero nuda uoce 'fixa' notatum esse uix potest. Immo aptius est uocabulum 'fissa' et intellegenda forte tibia duplex, quae duabus fistulis in unum coeuntibus constabat. — Iam affero locum, ubi genuinae scripturae uestigium indicatum esse in F suspicari possis.

III 13, 37: Pinus et incumbens lentas circumdabat umbras.

Caue quidquam tribuas codicis F scripturae 'letas' ('lentas' cett.), qua, ut conicias 'laetas' uel 'latas', adduci possis. Hae lectiones obuiae sunt in libris Italorum commentis foedatis. Emendauit hunc u. Baehrensius (Misc. Crit. p. 105), cum scriberet: lentis. Ipsi enim amantes sub umbra strati dicuntur lenti; sic Verg. Ecl. 1, 4: — tu, Tityre, lentus in umbra.

1) Cf. Verg. Ecl. 3, 25: — aut unquam tibi fistula cera iuncta fuit.

Nonnullis locis aut D aut V ad alteram stirpem AF prauam scripturam exhibentem deflexus est.

I 8^b, 45 ('certos [VN] uerum est; nihil latet); II 4, 27 (ille legendum c. VN); 14, 11 (leg. dum); 20, 10 (leg. uel); 34, 30 (leg. uester); III 4, 22 (leg. 'sacra', V m. 1?); 5, 12 (leg. nectimus); IV 5, 40 (summopere miror Baehrensium praetulisse 'alterius'); quibus omnibus locis VN praeferendi sunt.

II 10, 9 sq.: Nunc uolo subducto grauior procedere uultu
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

Ita scriptum est in DN neque aliter uulgo legunt. Et recte quidem, quoniam anaphora aptissime sensui conuenit. Baehrensius ex 'Nanque', quod in FD est, Italos secutus effecit 'Iamque'.

II 12, 9 sqq.: Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet:
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Non magis hoc quam praecedenti loco probandum est, quod Baehrensius codicum FD scripturae, quae est 'erit' ('abit' VN), patrocinatur. Quia enim hic poeta uulgatam Amoris imaginem nobis depingit, quomodo sagittis necopinantes nos confodere soleat, praesens tempus, quod est 'ferit', non futurum sequi potest, sed etiam u. 12, ut in sententia generali, praesenti opus est. Legendum igitur 'abit'.

III 6, 5 sq.: Omnis enim debet sine uano nuntius esse
Maioremque timens seruus habere fidem.

Assentior Hertzbergio, qui iniuria Lachmannum hoc distichon spurium habere demonstrat; sed hyperbaton, quod uocant, hic esse agnoscendum, quo 'Omnis' non ad 'nuntium', sed ad subiectum utriusque enuntiati commune 'seruus' referri uult, uix ei concesserim. Hoc enim, quamuis Lachmannus renitatur, poeta dicit: omnis nuntius seruare fidem debet, imprimis autem serui, ne eam uiolet, interest, quoniam poena ei imminet. Ceterum in propatulo est codicis V lectionem: sine uanis esse relator (sine uanus esse F) insulsum esse librarii commentum; scribendum est cum DN: sine uano nuntius esse.

IV 5, 33 sq.: Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
Fac simules puros Isidis esse dies.

Docet hic lena, quibus artibus puella munera ab amatoribus extorquere possit. Libri V et N seruauerunt uerbum 'simules'

perhibentes 'similes' (V in ras. m. 1). De uerborum autem ordine uerius quam alii iudicare mihi uidetur Baehrensius, cum 'simules' post 'puros' ponendum censeat, quia in archetypo 'simules Isidis' in 'sideris' conflatum fuerit; est quoque in D lacuna post 'puros'. Ceterum ingeniosam Beroaldi coniecturam, quae est 'Isidis', uix quisquam in dubium uocabit; cf. enim Ou. am. I 8, 73sq.:

Saepe nega noctes, capitis modo finge dolorem,
Et modo quae causas praebeat, Isis erit.

3. F solus paucissimis locis genuinam lectionem perhibet. Sunt hi: III 21, 11; IV 9, 45; 11, 20 (non multum differt 'iudicet' a 'uindicet').

II 10, 11: Surge, anima, ex humili; iam carmina sumite uires;
Pierides, magni nunc erit oris opus.

Ita F, 'carmine' DVN. Hertzbergius N secutus dedit: Surge, anima, ex humili: iam carmine sumite uires Pierides: magni n. e. o. o., ut ablatiuus 'carmine' Graeci accusatiui ratione positus esset. Luc. Muellerus hoc modo distinxit: Surge, anima, ex humili iam carmine, sumite uires, Pierides: magni n. e. o. o. Sed uterque errauit, quamquam Hertzbergio ea in re assentiendum est, quod post 'humili' incidendum esse putat, ut a uocula 'iam' cum ui aliqua posita altera uersus pars incipiat. At concinnior ut euadat oratio, cum F legendum est, ut supra adscripsi. Tres sunt uocatiui: anima, carmina, Pierides, et per se capiendum 'ex humili', quod quia parum intellegebatur, exortum est prauum illud 'carmine'. Iam Burmannus uerum uidit: assensi sunt Lachmannus, Baehrensius, Palmerus. — Quomodo ad uerum perueniri possit, F indicat:

II 15, 23sqq. Dum nos fata sinunt, oculos satiamus amore:
Nox tibi longa uenit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos uincire catena
Velles, ut nunquam solueret ulla dies.

Duas esse res in his uersibus, in quibus critici iure haeserint, contendit Fischerus (De locis quibusd. Prop., Bonn. 1863) p. 17sqq.: primum, quemnam poeta u. 26 alloquatur, parum esse perspicuum, deinde tolerari non posse uocabulum 'dies' bis in fine duorum uersuum positum. Postquam igitur audaciora emendandi conamina, qualia sunt Guyeti illud 'sic nos uincire Cythere' et Lachmanni 'Velles, ut nunquam solueret, Idalie' (h. e. Venus) merito reiecit, quomodo ipse locum esse sanandum censeat, aperit. De industria

enim uocem 'dies' repetitam esse ratus ad tollendam utramque difficultatem hoc proponit:

Atque utinam haerentes sic nox uincire catena
Velles, ut nunquam solueret ulla dies.

Sensum ita explicat: 'Propertius igitur cum u. 24 uocem 'nox' in malam partem acceperit, quasi se ipse corrigens in hac elegia, in cuius initio noctem candidam dicit, u. 25 noctem supplicans adloquitur eique debitum honorem reddit, diei autem, quae inuidet amantibus, potestatem quam minimam esse cupit'. — At poetam hunc in modum uerbis lusisse, quis credat? A Propertii dicendi genere tale quid certe absonum est. Sed ne extat quidem altera illa difficultas, quam positam putat Fischerus in repetito uocabulo 'dies', quod statim concedes, si III 10, 16 et 18 contuleris, ubi de uoce 'caput' item res se habet. Itaque una restat dubitatio, quemnam alloquatur poeta u. 26. Non ad catenam directam esse posse orationem propter uu. 24 et 27 iam Lachmannus et Baehrensius monuerunt. Quid, quod ne ad Cynthiam quidem fieri allocutionem sensus patitur? Quomodo enim animo fingere nobis possumus illam imaginem, qua Cynthia ipsa se cum Propertio catena artissime coniungere dicitur? Quae si uere disputata sunt, dubium uix esse potest, quin illud 'uelles' abiciendum et tertia persona restituenda sit, ut 'catena' subiectum fiat. Itaque Propertii manum reposuisse mihi uidetur Baehrensius, cum codicem F re uera 'uellet' exhibentem secutus facillima mutatione scriberet:

Vellet uti nunquam solueret ulla dies.

Aptissime conferunt ad h. l. Pseudotibull. III 4, 15sq.:

Sed potius ualida teneamur uterque catena
Nulla queat posthac nos soluisse dies.

Ex iis igitur, quae hucusque disputauimus, elucet familiam (A)F multis locis aut ueram scripturam ipsam aut eius uestigia tradere sed ita, ut N ubique assentiatur (cap. 1), aliis locis a pristina integritate deflexam esse (cap. 2), paucissimis per se solam uerum seruasse (cap. 3). Hos autem perpaucos locos si tecum consideraueris, tam pusillam codicum scripturae esse differentiam uidebis, ut nihil fere libro F dandum sit et sine eius subsidio uerum enucleari possit. Quo accedit, quod ne constat quidem, num F lectiones his locis extantes communes habeat cum A, qui desit; fortasse enim nihil aliud quam librarii error et is quidem felix subest. Quaecunque autem Baehrensius e F recepit aut hoc codice nixus coniecit, inuito Propertio recepit.

Quae si uera sunt, haud dubie sequitur familiam AF non tantam, quantam Baehrensius ei attribuit, auctoritatem sibi uindicare posse, sed nullius fere momenti habendam esse. Vbicunque enim ueram lectionem nobis tradit, Neapolitani consensus accedit, iis autem locis, ubi ceteri libri uerum seruauerunt, uel maxime superuacanea est, quae sententia altera disputationis huius parte confirmabitur.

II. DE AVCTORITATE NEAPOLITANI ET FAMILIAE DV.

Ea ex re, quod N et stirpem AF optime nobis repraesentat et haud paucis locis cum DV genuina Propertii uerba exhibentibus conspirat, non deteriorem eum esse illis codicibus cum aliqua probabilitate colligere licet. Iam de Baehrensii sententia, qui nullam auctoritatem illum uindicare sibi posse contendit, dubitationem nasci uides. Admodum autem illam labefactari concedes, ubi permultis locis nullo alio libro assentiente Neapolitanum uerum perhibere intellexeris. De his nunc disserendum nobis est.[1])

4. N uerum seruauit contra reliquos libros,

a) non accedente manu 2 libri F aut V: I 20, 4 (non opus est Baehrensii mutatione); II 7, 3; 8, 25 (noua molitur Baehr.); 9, 21 (non sola potabat Cynthia). 26; 12, 8; 15, 51; 20, 8; 23, 22 (cf. Hertzb. et Leo p. 446; 'capiant' metri causa interpolatum e.); 25, 42 (Leo p. 446 iure N defendit); 27, 7 (leg. 'fletis' cf. p. 189); 28, 33; 29, 11 (cf. III 3, 36); 30, 18 (Palladis); 32, 22; 34, 29 (ab 'erechti' non multum differt 'crethei'; assentior Hertzbergio, Birtio [Mus. Rh. XXXII p. 411 sq.], Palmero, qui senem Erechtheum esse Aeschylum putant, nam loci sensus postulat, ut carmina heroica molli teneraeque Alexandrinorum poesi opponantur); III 5, 6 (leg. aera). 34; 6, 41 (siue 'Quod mi si e' cum Lachmanno scribis siue 'Quod sin e' cum Muellero, N lectio propius ad uerum accedit); 7, 47; 8, 28; 9, 9 (interpolatum esse N Baehr. sine iusta causa putat). 36; 12, 32; 15, 32 ('ubi aduerso — Noto' leg. cum Lachm.); 22, 27; 23, 11 (cf. 20, 6); IV 1, 36. 106 (leg. umbraue quae). 149; 2, 22 (nihil cogit scribere 'quascunque'). 26. 29; 3, 52 (artificiosissime Hertzb. defendere conatur 'tuas'); 5, 25. 35; 7, 33. 83 (cf. Lachm.); 11, 81.[2])

1) Hac in parte nonnulla, quae M. Hauptius, Fr. Leo, Brandtius praeoccupauerunt, paucis absoluam. — 2) IV 10, 41 non multum abest a uero 'Virtomane' (i supra e) (N); 'Dutomani' et 'Vncomani' cett. De III 7, 25

II 19, 20: Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audaces ipse monere canes.

Non debebat hic Baehrensius lectioni librorum FDV, quae est 'mouere', patrocinari. Alterum uerum est; cf. enim Ou. her. 4, 42:

Hortari celeris per iuga summa canes

et, ubi similis sententia est, Verg. Georg. III 164:

Iam uitulos hortare uiamque insiste domandi.

II 33, 37 Cum tua praependent demissae in pocula sertae eqs.

Mirum in modum, quod iam Leo p. 447 monuit, Baehrensius errauit, cum Neapolitanum 'demissae — sertae' exhibentem (in O legitur 'demissa — serta') hoc l. interpolatum esse contenderet e Charisio, qui et ipse femininam formam testatur his uu. (p. 107, 25 K.): 'Propertius feminine extulit sic: tua praependent demissae in pocula sertae'. Tali testimonio procul dubio plus auctoritatis tribuendum est quam libris nostris manu scriptis, quippe qui a Propertii aetate magno temporis spatio seiuncti uariis uicissitudinibus obnoxii fuerint. Grauissimus igitur hic l. ad confirmandam Neapolitani praestantiam.

II 34, 39sq.: Non nunc Amphiaraeae prosint tibi fata
Quadrigae aut Capanei grata ruina Ioui.

Sic Baehrensius dedit addita uoce 'nunc'. Summa rei in eo uersatur, utrum cum plerisque Neapolitani illud 'magno', quod in O omissum est, genuinum habendum et ita u. scribendus sit: Aut Capanei magno g. r. I., an cum Lachmanno et Baehrensio illa uoce ut foedo Italorum commento abiecta eo modo constituendus sit, qualem supra adscripsi, uersum maiorem uocabulo aliquo inserto expleri ut oporteat. Ac mihi quidem prior sententia defendenda uidetur esse. Primum enim ipse Propertius illud uocabulum tuetur II 32, 60:

Non potuit magno casta negare Ioui,

deinde causa, cur interciderit, manifesta est. Verissime enim Palmerus praef. p. XXXVI librarium pronuntiasse Căpānĕī dicit. Tum ueri multo est similius uocabulum 'quadrigae' sensu cum u. maiore coniunctum etiam in hoc collocatum fuisse, pentametrum autem totum mentione Capanei expleri. Iam de u. hexametro, qui nullo metro in codd. ita legitur: Non Amphiareae (-arerae N) prosint (-sunt F) tibi f. qu., quid sentiam, ut proferam, facillime sanari

et IV 5, 21 dubium mihi est. — Nonnulla, quae me omisisse suspicari possis, infra tractabo.

eum posse censeo uerborum transpositione. Rescribendum puto cum Luc. Muellero:

Non tibi quadrigae prosint fata Amphiareae,
Aut Capanei magno grata ruina Ioui.

Formam autem, quae est Amphiareus, Propertium Alexandrinis debere, fortasse Euphorioni consentaneum est; cf. L. Muell. et Aug. Otto p. 41. Multo minus arrident, quod Vngerus Anal. Pr. p. 40: 'Non iam Pharaeae' et quod Leo p. 436 sq. scribendum proponit: 'Non Oropeae', quia in nomine proprio latere uitium uix credibile est.

III 15, 3: Vt mihi praetextae pudor est uelatus amictu eqs.

Sic antea uulgo legebatur. Codd. ita discrepant: praetexta FDV, praetexti N. Versum ita ut apposui stare non posse iam Hertzbergius uidit. Male enim praetexta amictui opponitur, cum et toga uirilis et praetexta amictus sit. Reponendum igitur est e Neapolitano 'praetexti' et id, quod libri DV praebent, FN indicant, 'amictus'. Sanus autem ut prodeat uersus e librariorum erroribus, nescio an pro 'uelatus', quod ad sensum parum aptum est, cum Guyeto 'elatus' uel cum Italis 'sublatus' scribendum sit. Velandi enim uerbum, quoniam de uestibus h. l. agitur, facile irrepere potuit. Itaque cum Baehrensio legendum puto:

Vt mihi praetexti pudor est sublatus amictus.

Sensus est: postquam pudor puerilis, quem praetextus amictus ferebat, toga uirili sumpta cessit.

Sequantur pauci loci, ubi N uerae lectionis uestigia magis seruauit quam ceteri libri.

II 32, 5: Cur aut te Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur totiens te uia ducit anus?

In N legitur 'Curua te'; in O 'cur uatem'. Hanc scripturam in Perusino quoque extantem Palmerus defendit atque hunc in modum uersum explicat: 'Cynthia ad suam domum Tiburtinam (cf. III 16, 2) uatem praesagum, anum fatidicam deportari essedis iubet, ut futura exponant. Cf. II 4, 15:

Nam cui non ego sum fallaci praemia uati?
Quae mea non decies somnia uersat anus?

Sed obscuratur hac interpretatione argumentum prioris huius elegiae partis, ubi Propertius Cynthiam uituperat, quod toties Roma uel potius ab ipso discedat et taedium urbis religionemque praetendens petat loca ab hominum turba frequentata. Accedit, quod in u. se-

quenti integras uoces 'te uia' immutare ille cogitur in 'deuia'. Itaque non dubito, quin poeta Cynthiae u. 5 illud ipsum obiurget, quod conspectum custodiamque suam fugiens ex urbe saepe in locum illum amoenissimum se conferat (cf. u. 4: petis, et u. 9: currere). Qua de causa cum Neapolitani uocula 'te' genuina habenda sit, iam uideamus, quid elici possit ex 'curua' ad ueram lectionem constituendam. Vulgo scribunt: 'Curue te in H.', contra leges metricas teste Luc. Muellero (praef. p. XXXII); melius habet, quod ipse proponit: Cur aut te H. Etiam facilius cum Baehrensio una littera inserta rescribitur: Cur tua te H.

III 8, 19: Non est certa fides, quam non iniuria uersat.

Sic u. scriptus est in FDV, neque quidquam mutandum esse censeremus, nisi N, qui pro 'iniuria' exhibet 'iniurgia', scrupulum nobis inicèret. Valde igitur blanditur et digna est, quae recipiatur, emendatio Vahleni (Ind. lect. Berol. aest. a. 1881, p. 6), qui indicium illud optimi libri secutus legi uult:

Non est certa fides, quam non in iurgia uertas.

Sententia quam praeclare habeat, ex ipso loci tenore statim uides. — Praeter Neapolitanum etiam ceteri codices ad uerum reponendum aliquid conferre uidentur

IV 3, 11 Haecne marita fides, hae sunt pactae mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia uicta dedi?

Hoc l. post Hauptii coniecturam a plerisque summopere laudatam notissimo id potissimum quaeritur, utrum e codicum FDV lectione Neapolitani illud 'parce auia' oriri potuisse negans ex hoc uerum enucleandum, illam interpolatam esse contendas, an in illo libro merum subesse errorem tibi persuadeas, ut codicum DV scripturam ('hae sunt pactae mihi noctes; et pacate mihi n.' F) pro genuina amplecti liceat. Priorem sententiam per se satis probabilem esse, si multos locos, ubi N uerae scripturae indicia seruauit, tecum consideraueris, uix negabis nec plerique criticorum non ita censent. Hac igitur ratiocinatione ductus Hauptius (Opusc. II p. 105), postquam uoces 'sunt' et 'mihi' in libris nulla fide dignis rudi uersus emendandi conatu substitutas esse demonstrare conatus est, e Neapolitani scriptura eliciendum satis ingeniose hoc proponit: — et pactae in sauia noctes. Sed Luc. Muellerus, Brandtius (p. 41), Vahlenus (Monatsber. d. kgl. preuss. Acad. d. Wiss. z. Berl. Apr. 1881, p. 352), alii hoc uocabulum, quod nusquam apud Propertium nisi III 29, 39 legitur, ne ad sententiam quidem satis aptum esse iure

contendunt. Nonne enim hic post commemoratam sanctam coniugii fidem sauiorum mentio languet sordetque? Accedit, quod 'pactae' cum uerbis 'in sauia' ad unum fere coire, ut ab illa uoce iam non pendere possit uersus proximus, Vahlenus animaduertit; cf. Brandtium. Itaque dubium mihi non est, quin haec coniectura a poetae mente abhorreat. Etiam minus mihi placet id, quod L. Muellerus Propertium dedisse putat: — pactae et mihi gaudia noctis, propterea, quod non de nocte nuptiali sermonem esse sensus postulat, sed de multis noctibus, quas Arethusa a marito in remotissimis regionibus militante sibi eripi queritur. Magis arridet Brandtii coniectura, quae est 'et pactae aula mihi noctes' h. e. haene illae noctes, quas mihi in atrio promisisti? Sed si hoc a poetae manu profectum esse tibi persuades, restat dubitatio ea in re posita, quod, quomodo interciderit 'mihi', non intellegis. Qua de causa in eam incidi opinionem, ut talem uocem restituendam esse conicerem, qualis et ante proximum uerbum 'mihi' facile omitti poterat et litteris a N traditis 'auia' similis est. Et ecce nobis subuenit cod. Perusinus, qui teste Palmero 'iam' exhibet.[1]) Haud enim inepte sumere possis fuisse in fonte Neapolitani 'pacteiami' i. e. pactae iam mihi, quod cum obscuratum esset, ortum est illud 'parce auia'. Nam omnes illas litteras difficiles fuisse ad legendum etiam inde elucet, quod huius libri librarius uocem 'pactae' per 'parce' descripsit. Contra in ceteris codicibus uestigio uocis 'iam' deleto pronomen mihi, quod sensus facile suppeditat, seruatum est, uersus autem explendi causa in fonte librorum DV 'sunt' additum, in F 'pactae' mutatum est in 'pacatae'.[2]) Hoc igitur modo si rem tibi fingis omnia facile explicantur et simul manifestum est hic et Neapolitano et reliquis libris, quippe qui 'mihi' seruauerint, utendum esse. Itaque cum Palmero scribendum existimo:

Haecne marita fides et pactae iam mihi noctes.

b) N in genuina lectione conspirat cum F^2V^2 his locis: I 3, 30; 4, 22; 6, 6; 7, 20; 12, 9; 13, 11; 14, 22 (indicatiuus maiorem habet uim; releuat V^2); 22, 7 (cum V^2?); II 8, 37 (non uideo, cur Baehr. praeferat 'sacra'); 16, 44; 25, 39; 33, 19; 34, 25 (cf. II 8, 37); III 3, 22; 7, 46 ('pauper, at in terra' coniungendum esse cum 'uiueret' iam Leo p. 444 monuit; fortasse 'flare potest' legendum). 52. 68; 8, 18; 9, 2; 10, 15. 19. 23; 11, 25 (cum Baehr. mutauerit, parum perspicio); 12, 4; 13, 51. 58; 16, 11. 30; 20, 17

1) Fortasse est mera coniectura, sed uera, opinor. — 2) Haupt. etiam 'mihi' spurium iudicat; cf. tamen L. Mueller.

(constringet scribend.); 22, 13; 24, 38; IV 1, 8. 81. 141; 2, 2 (petita Baehr. sine causa). 19 (quam hic uim uerbi uacare Baehr. statuat, non intellego). 44 ('notat' ferri posse puto; 'mi nitet' Lachm., 'me grauat' Baehr., 'me decet' Polsterus). 62. 64; 3, 59; 4, 9. 10. 12. 42. 83 (Baehr. intercidisse aliquid statuit); 5, 5; 6, 45. 63; 7, 20. 41 (uerbum 'rependit' mihi speciem temerariae coniecturae minime praebet). 84. 93; 8, 34. 37 (leg. uitrique); 10, 17 (aliter iudicat Baehr. prouocans ad Cat. 68, 90; sed hic de fortitudine sola sermo est). 37.[1])

I 8, 21: Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, uita, tuo limine uera querar.

AFD, V m. 1 (cf. Corrigend. in Baehr. edit. p. 198) exhibent 'Quin ego tuta'; NF^{2}V^2 'Quin ego uita'. Sensus huius distichi aperte hic est: Quocunque modo de me mereris, tamen, ut prospere procedat iter tuum, opto; nam nullus alius amor apud me efficiet, ut aequo animo feram, quod me neglegis, sed semper tibi addictus fido animo querar. Iam quaeritur, utrum 'uita' genuinum habendum, an corrupta uoce 'tuta' ad emendandum nobis utendum sit. Ac Baehrensius quidem (Misc. Crit. p. 74) fieri posse negat, ut poeta, quam u. 1 dementem et u. 17 periuram uocarit, eandem u. 21 blandissima usus adlocutione uitam suam appellet. Itaque substituendum putat epitheton in querellis sollemne: arguta. Sed cum primum uerba illa 'demens' et 'periura' non nimis premenda sint — profitetur enim poeta aperte summum erga Cynthiam amorem inde a u. 21 — et deinde respiciendus sit animus fluctuans in amore et in tali, qualis hoc carmine depingitur rerum condicione, non ita firmo fundamento illius sententiam niti persuasum habeo. Praeterea neque 'arguta' abisse in 'ego tuta' crediderim neque sensus loci supra a me expositus lucem ab illo adiectiuo accipere mihi uidetur. Contra quia ueri multo est similius 'tuta' esse corruptum e 'uita', hac blanda uoce pro genuina habita illud, quod est 'uerba', spurium esse cum Scaligero, Passeratio, aliis censeo. Ad irritum igitur cadunt emendandi conamina, qualia sunt: fida — uerba (Lachm.), multa — uerba (Keil.). Iam restat, ut, quid pro 'uerba' restituendum sit, indagemus. Scaliger proposuit 'acerba' assentiente Sandstroemio (Emendatt. in Prop., Lucan., Val. Flacc.; Vpsal. 1878; p. 2), Passeratius 'uera', quod Hertzbergius probauit, ut dicentem faceret poetam: 'querar quidem, sed nihil nisi iusta',

1) III 7, 23 NF^{2}V^2 'Hoc' male pro 'Hic'; 14, 17 habenis pro harenis. De II 25, 43 et 29, 1 infra agam.

quod ineptum esse nemo non uidet.[1]) Huius autem coniecturae, qua Propertii manum restitui ego quoque existimo, uerum sensum primus L. Muellerus perspexit, cum interpretaretur: ueri cum questu signa edam amoris. Cf. Cat. 66, 18: Non, ita me diui, uera gemunt, iuerint. Prop. III 6, 35: Quae tibi si ueris animis est questa puella. Saepissime autem uoces 'uera' et 'uerba' esse confusas commemorare uix attinet.

III 13, 47: Cui si tam longae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi uidisset corpus humari,
Diceret aut 'o mors, cur mihi sera uenis?'

Libri hoc habent:

Quis tam longaeuae { minuisset NF^2V^2 / meminisset DV^1 / iurauisset F^1 } fata sen.

Baehrensius (Misc. Crit. p. 87), cum non de uiolenta Nestoris morte per militem accepta, sed de negata a fato uita longa dici oportere putaret, hunc in modum locum constituit:

Cui si tam longae renuisset fata senectae
Atropos, Iliacis miles in aggeribus, eqs.

Postea autem hac coniectura abiecta in editione hoc scribendum proposuit:

Quoi stamen longae renuisset f. s.,
Callidus Iliacis miles in agg. Non ille etqs.

Sed compluribus de causis ne hoc quidem ferri posse mihi uidetur. Primum enim, quod etiam in priorem coniecturam ualet, non demonstrauit, sed posuit Neapolitani illud 'minuisset' esse interpolatum, deinde 'si' in protasi melius additur, quam suppletur. Tum nescio an displiceat uocabulum 'stamen' singulari numero ac sic nude dictum, quod concedes, si contuleris locos, quales sunt: Tib. I 7, 1sq.: fatalia nentes Stamina. Ou. trist. IV 1, 63:

— natalis stamina nostri,
Stamina de nigro uellere facta mihi.

Ibid. V 13, 24: 'Non ita sunt fati stamina nigra mei.' V 3, 25: 'Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae | Stamina bis genito bis cecinere tibi'. Denique non ita apta euadit sententia, si u. 48 ad apodosin refers: quid enim calliditas et fortitudo Nestoris ad id, quod Antilochi filii mortem uidit? Quibus causis permotus rei-

1) Polsterus ipsum 'iusta' restituendum putat, p. 15.

ciendam Baehrensii coniecturam et acquiescendum esse puto lectione uulgari, quam supra dedi.[1]) Restat autem scrupulus in u. minore: quid enim rescribendum sit pro 'Gallicus', quod idem esse ac 'Phrygius' (Gallus enim Phrygiae amnis) nonnulli interpretes putant, me quidem iudice nondum pro certo constat. Permulta a criticis temptata sunt, cf. Baehr. Bergkius proposuit 'Iliacus Graiis', Kindscherus (Mus. Rh. XVII p. 217) 'quiuis', quod ab omni probabilitate abhorret, Leo (p. 438) 'Delius' i. e. Apollo, quod satis mire dictum puto. Behotius commentus est 'Bellicus', quod Palmerus ita tuetur: 'ne cui uideatur 'bellicus' ui carere, hoc moneo poetam dicere uelle, Nestorem felicius in bello periturum fuisse quam longo et misero aeuo in pace producto'. Sed etiam sine illo adiectiuo haec sententia inest. 'Gallicus' nuper Vahlenus p. 352 rursus defendit; et sane eiusmodi est, ut neque corruptionis neque interpolationis speciem prae se ferat. — Denique ne u. 49 pronomen 'ille', cum a N absit, suspectum habeas, cf. Palmerum (praef. p. XXXVI), qui inde uitium natum esse suspicatur, quod librarius pronuntiaret 'Āntīlōchī'. — Cf. ad hunc l. etiam Aug. Otto p. 29.

II 24, 45sq.: Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo seruato sola relicta uiro.

Ita NF^2V^2; ab infido DV^1; om. F^1. Baehrensius (proll. p. XII), quia in librorum FN fonte lacuna extiterit, lectionem 'seruato' correctori deberi censet. At prorsus falsus est: 'ab infido' potius una cum 'fallaci' (D mg. m. 2) temera est coniectura. Nam Neapolitani scriptura non solum satis exquisita est, sed ne habet quidem, si alteram praefers, uox 'modo', quo pertineat, quam rem Leo p. 444 monuit. Videtur mihi hic l. unus esse ex iis, quibus Neapolitani auctoritas in clarissima luce posita est.[2])

II 28, 21: Andromede monstris fuerat deuota marinis.

Hac Neapolitani (F^2V^2) lectione pro Italorum coniectura habita Baehrensius (proll. p. XXIX) proponit 'sacrata', quod minus quam alterum a scriptura ceterorum codicum, quae est 'monstrata', distet.

1) Vahlenus l. l. p. 351 scripturam codicum defendit optationem interrogatione expressam in ca inesse ratus. Ita igitur legi uult: Quis tam longaeuae min. f. s. Gallicus Iliacis miles in aggeribus? Sed desidero huius insolentis usus exempla ex ipso Propertio deprompta. — 2) De totius distichi integritate Otto p. 51 adeo dubitat, ut corruptelis et interpolationibus misere illud foedatum esse credat. Quod quo iure faciat, hic non curamus; nobis enim nihil aliud diiudicandum, quam utra lectio antiquior sit.

Sed mihi litterarum similitudo hic omnino non curanda uidetur, quia illud 'monstrata' lapsu librarii, cui 'monstris' in mente haerebat, ortum esse ueri est simillimum. Nihil igitur est, cur Neapolitano honorem detrahamus.

II 34, 1: Cur quisquam faciem dominae iam credit amico?

Codicum F^1DV^1 lectio 'non credit', si cum Baehrensio illud 'amori' ab omnibus libris exhibitum mutaueris in 'amari', quod facile fit, haud inepta primo obtutu tibi uidebitur, cum sensus hic sit: adeo caue nimis credulus seueris aliorum frontibus (u. 23) existimes dominam tuam a te solo amari, ut semper tibi persuadeas eam etiam ab aliis expeti atque concupisci. Sed accuratius locum considera, uidebis nimis uagam esse illam locutionem nec satis uersui 3 (cf. etiam u. 10) conuenire, quippe qui credendi uerbum hic ualere 'custodiendum tradere' indicet, quae significatio Neapolitani scripturae 'iam credat' subest. Sed nondum sanus est uersus, cum ne nunc quidem 'amori' ferri possit. Vix enim nunc quisquam cum Burmanno deum Amorem hic intellegendum credet, ad quem u. 5 spectet, nec Hertzbergii nugas comprobabit, qui 'amori credit' esse 'periculo ei exponit, ut expeti et adamari ab aliis possit', docere frustra studet. Nihil igitur restat, quam ut Beroaldi commentum 'amico', quod etiam L. Muellerus et Palmerus receperunt, arripias. Denique addo me indicatiuum 'credit', cum maiorem uim habeat, coniunctiuo anteferre. — Subdubito de II 18, 21sq.:

Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, quoi bonus ante fuit.

Ita uulgo scribunt ex NF^2V^2; nec sane est, quod reprehendas. Sed reliquorum codicum lectio a Baehrensio recepta, quae est 'Nunc' et ipsa ferri potest, praesertim cum orationis uis in eo posita sit, quod Amor modo iniquus modo propitius eidem esse soleat. Quoniam autem N cum F^2V^2 tot locis genuinam scripturam seruauit, ne hic quidem ab eo recedendum esse consentaneum est. — Suo autem fortasse iure Baehrensius, qui uersum scripsit, ut supra dedi, antiquam pronominis relatiui formam, quae est 'quoi' e DV (qui) elicuit. Nam etiam aliis nonnullis locis hi libri tales formas aut exhibent aut indicant, uelut I 20, 45 (quoius); II 6, 26 (quoiuis et quoilibet cf. p. 172); 24, 3 (quoi); 18, 15 (quae DV, cui FN; leg. quoi); 23, 1 (qui DVN, cui F; leg. quoi); cf. etiam II 13, 47. Ita fortasse III 8, 29 legendum est 'quom' (quo DV, cum FN).

N cum V² solo uerum perhibet: I 9, 31; 18, 19; 20, 4; II 3, 26; 15, 27; 26, 15 (apud poetas Augusti aetatis talis elisio diphthongi admitti non potest; cf. L. Muell. De r. m. p. 283).[1]) 44; 28, 47; 29, 36 (nec); 30, 18 (tumor); 32, 52; 33, 42; 34, 12. 42. 72; III 5, 31. 41; 7, 66; 10, 3, 31; 13, 3. 23. 43. 47. 53 (uetus scriptura est 'mons', cum inde librorum FD 'Parnas(s)i' u. 54 ortum uideatur). 54; 14, 30; 15, 15. 34 (iure Brandt. p. 12 N defendit); 16, 4; 17, 21; 18, 20; 20, 4 (-ne seruatum est). 11. 19; 24, 6 (esse). 28; IV 1, 6. 28 (meritissimo Brandt. p. 13 'nuda' uere Propertianum dicit: 'miscebant praelia nuda' ualet 'pugnabant sine lorica'). 41. 73. 104. 133. 135. 142 (non necessaria est Baehrensii coniectura). 144; 2, 28 ('in' propter sequentem uocem 'inposito' mutatum esse uidetur in 'ab'). 49; 3, 5. 16. 67; 4, 23. 30 (cf. Lachm.). 57; 5, 24. 52. 57. 58 ('aere' sensui optime conuenit, cf. Hertzb.; 'sine aure' Vahlen. p. 355); 6, 2. 50. 79. 85; 7, 15. 81; 8, 11. 21. 48; 9, 5. 27. 54; 10, 5. 34. 45. 46; 11, 102.[2])

II 34, 43: Incipe iam angusto uersus includere torno.

Tamquam si nullum posset esse dubium, Baehrensius (proll. p. XXIX) locum absoluit his uerbis: 'alterum 'componere' (hoc enim est in FDV¹) audacissime Itali in 'includere' correxerunt, ego in 'compescere' mutaui, quo et mendi γένεσις declaretur (nam similia maxime uerba fortunam supra expositam subiisse apparet) et uocabulum uere Propertianum restituatur'. Sed unde compertum habet 'includere' esse Italorum coniecturam? Scilicet concludit hoc e codicum DV¹F 'componere' praebentium consensu; quasi uero res non ita habere possit, ut communis horum librorum fons mendum contraxerit.[3]) Meo quidem iudicio idem hoc de l. censendum est ac de II 28, 21, ubi Baehrensius reponendum existimat 'sacrata', quod per compendium scriptum proprius ad reliquorum codicum lectionem 'monstrata' accedat. Nam ut ibi propter litteras 'monstr' librarii errore repetitas similitudinem litterarum anxie curare non opus est, ita etiam hoc, de quo nunc agimus, loco, cum uoce 'com-

1) Perlegenti mihi saepius hoc carmen dubitationem semper mouit uersus ultimi: Cum mihi discussit talia uisa metus, uocabulum ultimum Quod quamquam habet explicationem — timore enim saepe expergiscimur — tamen nescio an elegia pulchriorem conclusionem accipiat, si scribis 'dies'. — 2) III 16, 12 NV² 'scilicet' male pro 'sic licet'; IV 11, 97 'lubrigia sumptum' pro 'lugubria sumpsi'. De II 34, 4 infra disseram. — 3) Vid. stemma in fine disputationis appositum; eae lectiones, in quibus (A)F cum DV consentit, profectae uidentur esse ex apographo, quod littera b significaui.

ponere' uersus 41 genuinum uersus 43 uerbum prorsus expulsum sit, tolerari potest Neapolitani illud 'includere', etsi nihil habet similitudinis cum altero, quod est 'componere'. Cf. Hertzberg., qui sensum explicat. — Diltheyus coniecit 'incudere'.

N cum F^2 in uera lectione cosentit his tantum locis: II 24, 10; 25, 45; 34, 47; III 1, 5; 5, 6; 11, 14 (e Meotis natum esse 'Iniectis' nemo non uidet); 13, 26; 14, 19 (armis F^2; recte ac merito Brandt. p. 12sq. coniecturas Baehrensii reiecit et interpolatos esse reliquos libros demonstrauit); 21, 6; 22, 15; 24, 6 (esses). 29. 33; IV 1, 15. 68; 3, 53; 5, 38 (quoilibet Baehr.); 8, 56. Dubito de III 13, 56 (cf. enim Baehr.) et 23, 20 (cf. Hertzb.). De IV 10, 42 quoque mihi non constat; fortasse scribendum 'e rectis'; 'inuectis' Luetjohann p. 12, alii alia.

Omnes, quos protuli, locos si diligenter examinaueris, Baehrensium peruersissimum de N fecisse iudicium intelleges. Nam etsi in iis uersibus, ubi N sine F^2V^2 uerum praebet, pauca minutiora a correctore profecta esse posse illi concedendum est (ex. gr. II 12, 8 ullis; 28, 33 poterit; 30, 18 Palladis; III 5, 46 haut; 12, 32 natasse), tamen argumenta satis grauia praesto sunt, quae codicis honorem dilucide demonstrent. Considera mihi modo locos, qui sunt II 23, 22 (iuuerint N, capiant cett.); 25, 42 (ducit N, dulcis cett.); 33, 37 (demissae — sertae N cum Charisio, demissa — serta cett.); 34, 40 (magno N, om. cett.); potestne de his ullo modo dubitari? Accedunt ii multi loci, ubi ueri indicia in N sunt, quae uel minime correctionis aut interpolationis speciem praebent. Ne autem eos uersus, ubi in hoc libro lacunae existunt, a me omissos esse putes, de his infra p. 179sqq. agam. — Sed ita codicem interpolatum esse Baehrensius contendit, ut lectiones a manu 2 in F et V adscriptae ab illius librario in uerborum contextum reciperentur. At hoc antequam credatur, non ponendum sed demonstrandum est re uera illas a correctoribus esse profectas, quod fieri nullo modo posse Leo p. 443sqq. uerissime contendit. Nam non solum omnes fere paucissimis exceptis uerae sunt, sed etiam ex parte tam exquisitae, ut illud statuere non liceat. Huius rei exemplum grauissimum est II 24, 46 (seruato NF^2V^2, ab infido DV^1, om. F), quo de l. supra egimus; etiam II 13, 47 (minuisset); 28, 21 (deuota); 34, 43 (includere); III 24, 38 (formae); IV 1, 28 (nuda), alii extra interpolationis suspicionem positi mihi uidentur. Deinde summi momenti

aliud argumentum est, de quo cum Friderico Leo prorsus consentio. Si enim F² et V² scripturae in N fluxissent, hic liber non solum illis, sed correctoribus eorum, uel etiam codice recentior esset descripto ex illis iam correctis, quod Baehrensio uix quisquam concedet. Itaque ne longus sim in re perspicua, uerum est, quod Leo censet Laurentianum et Vaticanum ex codice aliquo Neapolitano haud dissimili, certe non ex ipso N correctos esse, quam rem IV 11, 17—76, locus in eo omissus, satis demonstret. Actum igitur est de sententia Baehrensii, qui Neapolitanum quasi agmen ducere codicum Italorum coniecturis interpolatorum putat.

Sed ut de plurimis, quos protuli, locis in uniuersum Leo sanum mihi uidetur fecisse iudicium, ita de omnibus, qui supersunt, et ab illo et a Brandtio et ab aliis adeo dissentio, ut eos, quod saepius fieri in talibus quaestionibus nemo nescit, ultra iustos fines egressos esse falsaque cum ueris miscuisse contendam. Nam non solum Neapolitanum unum esse librum non interpolatum, sed etiam reliquos omnes codices prorsus abiciendos esse putant, quia, quidquid in his extet, absit a N, interpolatoribus deberi manifestum sit. Ad has sententias refellendas, qua potissimum in re noui aliquid proferre nobis uidemur, iam accedamus.

5. DV(A)F anteferendi sunt Neapolitano aut corrupto aut interpolato: II 1, 2 (cf. III 1, 24; 9, 32; perperam Hertzb.: 'uenit' enim est 'uersatur'). 7; 2, 4; 13, 1 ('armantur' uerum est, cum 'Susa' scribendum sit); 25, 2 (nihil mutandum censeo: 'uenit' error est); 30, 35; 33, 3 (in deam ipsam Prop. inuehitur); III 5, 18 (cf. Baehr. Misc. Cr. p. 99; de uiolenta morte non agitur); 21, 3.

II 6, 25sq.: Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si quoiuis nuptae quoilibet esse licet?

Quoilibet DV, cuilibet F; quidlibet N. Keilius, etsi 'quidlibet' talibus exemplis, qualia sint I 11, 26; 19, 11; II 20, 26, defendi possit, praeferendum tamen esse 'cuilibet' censet (p. 6) et eo quidem sensu, ut ad amatores referatur, quibus pudicitia lapsa nuptas impune se dare poeta dicat. Sed nescio an displiceat masculini generis datiuus ad datiuum 'quoiuis nuptae' appositus, praesertim cum genetiuum exspectes. Assentior igitur Lachmanno, quid et ipse 'cuilibet' probans attractionem esse agnoscendam statuit, quae exquisitior loquendi ratio librarium Neapolitani fefellerit.

II 30, 19: Num tu, dura, paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora longa maris
Spargereque externa communes caede Penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares?

Omnia quae de hac elegia aut, ut uerius dicam, de hac uersuum congerie disputata sunt, accuratius examinemus non oportet[1]), quoniam, in quocunque sententiarum conexu collocatum fuisse u. 19, de quo nobis agendum est, putas, rei cardo in eo uersatur, utrum Neapolitano maiorem auctoritatem tribuas an ceteris codicibus.

V. enim 19 in N ita scriptus est:

Non tamen immerito Phrygias nunc ire per u.,

in DV: Nunc tu, dura, paras Ph. eqs. itemque in F, nisi quod 'tu' a manu 1 omissum a manu 2 supra lineam additum est. Omnes igitur, qui ante Baehrensium Propertium ediderunt spreta Neapolitani lectione codicem secuti Groningauum, qui hoc l. ea tantum re discrepat a familia DV, quod pro 'tu' praebet 'iam' (V mg. m. 2), scripserunt:

Num iam, dura, (uel 'dure') paras eqs.

nec Baehrensius codicum DV scripturam pro genuina non amplexus est. Contra Heimreichius p. 19 optimo iure contendere sibi uidetur sana ratione nos cogi, ut potius pro Neapolitani uerbis corruptis ac ne enuntiatum quidem efficientibus supposita esse statuamus

1) Hertzbergio, L. Muellero, aliis hoc carmine, quod unum sit integrumque, poetam ipsum se alloqui credentibus non assentior. Nam si reputaueris tecum ea, quae ille Quaest. Prop. p. 115 profert, nimis artificiosa haec esse ac peruersa concedes. Mihi potius persuasum est non integrum carmen manibus nos tenere sed disiecti membra poetae. Iam Lachmannus ita diuidendum esse censuit, ut a u. 23 noua elegia inciperet. Sed prius quod statuit carmen stare non posse nemo negabit, cum interrogatione illa, quae uu. 19—22 continetur, minus aptam conclusionem habeat. Nec magis arridet, quod Weberus (p. 14sqq.) uu. 19—22 interpolatos, uu. 1—18 Cynthiae poetam blandis uerbis retinere studenti, uu. 23—40 Propertio respondenti tribuendos esse contendit, quia argumenta satis futilia profert et nimis uiolenter rem agit. Etiam ea, quae Rossbergius (p. 19) et Peiperus (Quaest. Prop. 1879, p. 11sqq.) disserunt, a probabilitate abhorrere uidentur, quod iudicium ut faciam imprimis moueor horribili illa interpretatione, quam hic uersibus 19—22 inculcat — de tibia enim eos intellegit — mutata insuper codicum lectione, quae est 'Hyrcani', in 'Icarii'. Accedo igitur Heimreichii sententiae, qui quattuor hic esse agnoscenda fragmenta contendit et ea quidem, quae Baehrensius illum secutus in editione sua stellulis interpositis significauit.

uerba 'Num iam, dura, paras'. Itaque, quamquam nondum sibi constet, quidnam poeta scripserit, in emendando certissime proficiscendum esse a N. Neque aliter iudicat Leo p. 447 et ullo modo fieri potuisse negat, ut Neapolitani uerba inueherentur a librario e III 19, 27, quod factum esse Luc. Muellerus suspicatur. Sed ut hanc Muelleri sententiam iure reicere ille mihi uidetur — cum enim nullam similitudinem indagare possim inter hos duos locos, casui attribuendum puto, quod in utriusque uersus initio eaedem uoces coniunctae sunt — ita cetera, quae profert reprobanda esse modo demonstraturus sum. Antea autem Brandtii mentio facienda est, qui et ipse Neapolitani scripturae maiorem uindicat auctoritatem, cum fieri posse neget, ut post patheticam illam uersuum 1—10 orationem, post ualidas blandasque uersuum 12—18 cogitationes sequatur interrogatio: Num iam paras me relinquere? Itaque ut, quid ego sentiam hoc de l., tandem aperiam, iis, quos attuli, uiris haec libenter concedo neque corruptela e uerbis 'Nunc, tu, dura paras' nasci potuisse illud Neapolitani 'Non tamen immerito' neque consilio illa uerba in haec esse mutata, quoniam ne enuntiatum quidem efficiunt, sed fieri potuisse contendo, ut errore librarii haec lectionum discrepantia oreretur. Quid enim nos statuere uetat in eo libro, e quo N fluxit[1]), ad explicandum uersus sensum aut in margine aut supra lineam scriptum fuisse illud 'immerito', hac sententia: hoc de te non merui, ut a me discedere parares, et deinde errore librarii in textum irrepsisse? Nonne hoc modo etiam id facilius intellegitur, quod Neapolitani uerba sensum praebent nullum? Praeterea cum ne 'tamen' quidem, pro quo DV 'tu' habent, defendere quidquam nos cogat, uocula 'Nunc' cum Scaligero in 'Num' immutata cum familia DV scribendum erit: Num tu, dura, paras eqs., ut oratio conuersa sit ad Cynthiam, siue praetorem lucri faciendi causa sequi animum ea induxerat, siue nihil nisi immanitatis exemplum poeta ei proponit. Brandtii autem argumentum, quo inepte hoc l. talem interrogationem collocatam esse affirmat, nihil ualere manifestum est, cum uu. 19—22 cum antecedentibus arte cohaerere nemo adhuc demonstrauerit et poetae nihil obstet, quominus ad exprimendum animi motum similem, atque in initio elegiae posuit, interrogationem hoc l. repetat. Iam non esse probandas elucet coniecturas, quibus Leo et Brandtius a Neapolitani uestigiis profecti hunc u. integritati reddere studuerunt. Sed ne

1) Habet enim N solus multas lectiones, quas non ex Italorum ingeniis sed e uetere fonte fluxisse demonstrauimus.

ipsae quidem eiusmodi sunt, ut ulla probabilitate commendentur. Nam id, quod Leo proponit: 'Num tamen ingredior' et propterea displicet, quod poeta sine iusta causa se ipsum adloquens inducitur, et quia ueri parum est simile — uerbum enim desideratur — ex 'ingredior' aduerbium 'immerito' natum esse. Et quomodo, quaeso, codicum DVF lectio oriri potuit, si illa genuina esset? Item coniectura Brandtii refutanda mihi uidetur, qui non priore sed posteriore 'nunc' pro corrupto habito restituendum censet:

Nunc tamen (immerito!) Phrygias potes ire p. u.

Nam cum alterum 'nunc' in omnibus codd. integrum sit atque in initio uersus tales uoculae saepius quam in medio corruptae sint, sanae artis praecepta suadent, ut secus iudicemus. Praeterea uereor, ut omnibus persuadeat illud prius 'nunc' ita explicari posse: quamquam te tam blande allicio, tu tamen eqs. Haec omnia si accuratius perpenderis, nos non solum non cogi codicum DVF lectionem prorsus abicere, sed etiam satis esse causae concedes, cur eam genuinam habeamus, alteram Neapolitani ut errore natam spernamus.

II 32, 33: Ipsa Venus quamuis corrupta libidine Martis,
Nec minus in caelo semper honesta fuit, eqs.

De hoc l. exponendi munus M. Hauptius (Opusc. II p. 60) mihi dempsit, cuius iudicio, quo propter orationis schema, quod dicitur ἀπὸ κοινοῦ, parum intellectum interpolatum esse Neapolitani illud 'fertur' (quamuis cett.) censet, ego plane subscribo. Cf. etiam Muell. praef. p. VII et Vahlen. l. l. p. 357.

III 1, 23: Omnia post obitum fingit maiora uetustas.

Praeclare habere sententiam nemo non uidet. At ex hac lectione non potuisse oriri id, quod N praebet 'Famae — uetustae', Heimreichius p. 20 et Brandtius p. 18 clamant, unde hic scribendum censet: Famae post obitum fingit maiora uetustas. Sed prorsus falsus est. Nonne enim post hominum rerumque obitum demum ipsa uetustate fama nascitur, quae omnia maiora reddit? Vocem autem 'Famae', unde natum est 'uetustae', ex interpretamento irrepsisse ueri est simillimum.

Vestigia ueri perhibent DVF his locis:

II 15, 49: Tu modo, dum licet, o fructum ne desere uitae.

Hoc de l., quamuis saepe tractatus sit, nondum critici consentiunt. DV habent 'licet', F licet (u supra i); N lucet. Qui Neapolitanum defendunt, eius scriptura pulchram sententiam, qua uita diei, mors nocti

comparetur, inferri contendunt. Ac poetam ipsum eam illustrare uu. 23 et 24:

Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa uenit, nec reditura dies.

Contra quam uulgare ac pedestre esse illud 'dum licet' (cf. Brandt. p. 15)! At ego prorsus aliter sentio. Quamquam enim 'dum lucet' per se dici posse concedo, tamen nihil hic iuuat u. 23 sq. contulisse, quia uerba 'Dum nos fata sinunt' idem ualent ac 'dum licet'. Quid, quod in talibus locutionibus semper fere 'licere' aut 'sinere' poni exemplis allatis demonstrari potest? Cf. ex. gr. I 19, 25:

Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes.

Tib. I 1, 69: 'Interea, dum fata sinunt, iungamus amores'. I 5, 75: 'utere quaeso, | Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua'. Ou. a. a. III 61: 'Dum licet et ueros etiamnunc editis annos, | Vtere, eunt anni more fluentis aquae'. Itaque, quoniam genuinam esse librorum DVF scripturam maxime probabile est, alterum, quod est in N, metri adiuuandi causa interpolatum esse cum L. Muellero aliisque censeo.[1]) Is metro manco ita subuenit, ut 'o' insereret, quam interiectionem a librariis saepius omissam esse consentaneum est; et certe melius hoc habet quam 'hunc', quod Itali addiderunt assentiente Lachmanno in prima editione. Palmerus (postscript. p. LXVI) conicit: Da modo dum licet et eqs., quod parum placet. Probo igitur uersus formam, quam L. Muellerus reposuit.

III 18, 24: Scandenda est torui publica cymba senis.

Quanto studio defendendi quocunque modo etiam in rebus pusillis Neapolitani bonitatem nonnulli uiri abrepti sint, ex hoc l. cognosci licet. FD enim et fortasse V m. 1 exhibent 'torti', N 'troci'; F m. 2 et V m. 2 'torui', quod uerum esse omnibus editoribus constat. Contra Leo p. 444 hoc abiciendum et scribendum esse 'Scandenda atrocis' contendit; quasi fieri nullo modo potuerit, ut 'torui' in 'torti' uel 'troci' abiret. Seruemus igitur 'est', quod omnes libri agnoscunt (cf. u. 23: Exoranda — sunt) et reddamus Propertio illud 'torui' eliciendum e 'torti'.

Sequantur complures loci, de quibus dubium mihi est.

II 18, 5: Quid mea si canis aetas canesceret annis,
Et faceret scissas languida ruga genas?

Sic N uersum exhibet, reliqui codd. habent: Quid si iam canis

1) Quod interpolationem ductam esse ex euang. Ioh. 9, 4 putat, nimis quaesitum uidetur.

aetas mea caneret annis? Genuinam esse Neapolitani lectionem — modo 'canesceret' mutes cum Heinsio in 'candesceret' — cum illud 'iam' in ceteris libris mutato uerborum ordine additum speciem foedi commenti prae se ferat, L. Muellerus et Vahlenus l. l. p. 338 sq. cum probabilitate quadam contendunt neque assentiri dubitarem, dummodo 'candesceret' arrideret. Sed suo iure Rossbergius (p. 14) nimis insolitam atque audacem esse locutionem 'aetas candescit canis annis' censet, quia, cum aetas pro ipso homine, cani autem anni pro canis capillis accipiendi sint, duplex dicendi τρόπος insit. Itaque uerum restituere sibi uidetur, cum scribat 'uanesceret', cui coniecturae iam ab Hertzbergio allatae non nimis confido. Palmerus (postscript. p. LXVI) dubitanter conicit: Quid mea si canis aetas marceret et annis, ut 'canis' per se capiendum sit, quod minime placet. Alteram igitur hic uiam esse ineundam cum Keilio, Baehrensio, aliis ratus omnino spernendam Neapolitani scripturam et a reliquis libris proficiscendum esse puto, cum illam natam esse hoc modo haud inepte fingere tibi possis. Librarius in describendo uerbo genuino ita errauit, ut syllabam 'can' a uoce 'canis' in mente haerentem praue repeteret, quod saepius factum esse nemo nescit; inde nata lectio 'caneret'. Tum Neapolitani uel fontis eius librarius male doctus canescendi uerbum, quod loci sensus quasi ultro suppeditat, omissa uocula 'iam', qua non opus est, reposuit. Iam quaeritur, quale uerbum illud genuinum fuerit. Keilii (p. 17) commentum, quod est 'tenderet', propter insolitam, quam statuit, uim primo obtutu repudiabimus. Ingeniosius Bentleius ad Hor. od. II 5, 13 legendum proposuit 'curreret'; sed ne haec quidem coniectura uera uidetur esse, quia celeritatis notionem infert. Fortasse legendum est:

Quid si iam canis aetas mea c e d e r e t annis.

Aetas mea i. e. qua nunc uigeo.

II 25, 43: Vidistis quandam Argiua p r o d i r e figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.

Ita uulgo scribunt e NF², V²?, DVF praebent 'prodente', quod corruptum esse e forma notissima 'prodire' persuadere mihi nequeo. Latere igitur hic suspicor id, quod Baehrensius una littera addita restituendum proponit: 'Argiuam prodente figura'. 'Quadam' autem, quod N habet, leuissimus error est. Similiter, ni fallor, res habet II 34, 4:

Expertus dico: nemo est in amore fidelis,
E t f o r m a m raro non sibi quisque petit.

Lectionum discrepantia (et formam O; formosam NV²) uix aliter explicari posse mihi uidetur, quam ut N interpolatoris manum hic passum esse statuamus, quia, si 'formosam' genuinum esset, causa mutandi non fuisset. 'Forma' autem usu satis noto dictum est pro 'puella formosa'; cf. II 28, 53: Et quod Troia tulit et quot Achaia formas.

II 29, 1: Extrema, mea lux, cum potus nocte uagarer eqs.

Felicissima est mutatio Heinsii, qui pro uoce 'Hesterna' cum fine elegiae pugnante restituit 'Extrema'; saepissime enim hesternus, externus, extremus in codd. confunduntur. Sed dubitationem mouent uerba 'mea lux', quae sunt in NF²V², cum O exhibeat 'modo lux'. Mirum enim esse, quod illis uerbis poeta Cynthiam alloquatur, cum in reliquo carmine nusquam orationem ad eam conuertat, sed ut de absente uerba faciat, Baehrensius proll. p. XXIV non sine causa monet. Huc accedit, quod blanda illa uox felicis amatoris securitatem atque gaudium indicat, ad quem animi affectum finis elegiae male quadrat. His potissimum de causis, quoniam argumentum prioris elegiae partis (usque ad u. 23) cum iis, quae posteriore parte enarrentur, parum congruat, Guyetus, Rossbergius p. 17 sq., Sandstroemius p. 10 sq. eosque secutus Eschenburgius (Obseruu. critt. in Prop. Bonn. 1865) p. 36 sq. inde a u. 23 nouum carmen incipere contendunt. Sed prorsus falsi sunt; nam ne multus sim in re perspicua, si illud ita esse statuis, nihil aliud quam duos pannos habes, qua de re iam Baehrensius l. l. dixit. Non magis ualet, quod mirum esse Sandstroemius ait Propertium nullo uerbo sese defendere aut excusare et amicam ei ne exprobrare quidem moram, sed nihil proferre nisi haec: 'Quid tu matutinus', ait, 'speculator amicae?' Nam si primi libri eleg. 3 contuleris, quae in depingenda condicione simillima uersatur, uidebis Cynthiam, ubi primum e somno experrecta sit, statim in poetam inuehi, hunc ipsum ne unum quidem uerbum loqui, quo illius animum leniat. Immo hoc ipso carmine tota re, quomodo gesta sit, enarrata Propertium excusationem agere et illius misericordiam mouere Keilius p. 33 sq. et Baehrensius uere docent. Itaque cum elegiam in duas partes diuelli non liceat, ad tollendos illos scrupulos blandam allocutionem 'mea lux' cum Baehrensio suspectam habebimus augente dubitationem librorum DVF discrepantia, quae est 'modo lux'. Atque ille quidem uocem 'modo' genuinam esse ratus ita interpolationem hic grassatam esse sibi persuasit, ut antiquo tempore ab eo, qui in exemplari suo nihil nisi uerba: 'Hesterna modo cum

potus nocte uag.' inuenisset, ex antecedentis eleg. u. 59 illud 'lux' insereretur, deinde a correctore Italo 'modo' mutaretur in 'mea'. Legi igitur uult: 'Extrema modo cum perpotus n. u.'. At quomodo prior ille interpolator ad lacunam explendam incidere poterat in hunc u., praesertim cum illa allocutio ei, de quo agimus, carmini ne conueniat quidem? Deinde, quamquam uocem 'modo' de remotiore quoque tempore usurpari non nego, uereor, ut hoc l. idem ac 'nuper' ualere possit. Facilius igitur fortasse conicias uerba 'modo lux' e lectione genuina corrupta esse — iam Fonteinius, uir acutissimi ingenii, scribendum proposuit 'infelix' — aut ex interpretamento antiquo iam tempore ad uoces 'extrema nocte' adscripto irrepsisse. Sed, utut res se habet, hoc constare mihi uidetur 'modo' ad pristinam genuinamque scripturam propius accedere quam 'mea', quod secundum uocem 'lux' correctum esse Baehrensio concesserim. Quomodo autem totus u. in integrum restituendus sit, adhuc dubium mihi est.[1])

Hic agendum nobis est etiam de iis uersibus, qui in N aut prorsus omissi aut manci sunt. Etenim Heimreichius Hauptium secutus, quod iam in praefat. monuimus, quotquot uersus uel uersuum particulae abessent a N, legerentur in reliquis libris, ea crassa, ut aiunt, Minerua expleta esse iure contendisse sibi uisus est. Sed nullo negotio demonstrari potest eum, cuius iudicio alii subscripserunt, in defendendo Neapolitani honore modum transisse. Primum enim sententia Heimreichii ea re labefactatur, quod duos uersus simplici librarii errore intercidisse manifestum est. Nam L. Muellerus ob nullam aliam causam III 10, 17 et 18 a N abesse uerissime dicit, quam quia librarius oculis ab exitu u. 16 (caput) ad u. 18 in eandem uocem desinentem aberrauerit. Non magis suspectus est eiusdem libri el. 11 u. 58: Femineas timuit territa Marte minas? etsi causa, cur in illo codice desit, latet. Palmerus uocabulum inter 'territa' et 'minas' in archetypo intercidisse suspicatus dubitanter coniecit 'turpe'; sed stare potest 'Marte', quidquid Heimreichius contra disputat. Fortasse igitur simili de causa — in F 'timuit' omissum est — u. iam a Neapolitani fonte aberat. Etiam III 9, 35

Non ego uelifera tumidum mare findo carina

Heimreichius p. 11 suspectat, quamquam sanum eum praebere sensum ipse concedit. Nullo igitur alio argumento opinio eius nititur, quam quod u. in N deest. Potuisse enim Propertium ea licentia

1) Cf. etiam ea, quae de huius el. fine supra disputauimus.

uti, ut uocem 'findo' trochaice poneret, affirmat L. Muellerus. Cf. etiam Eschenburg. p. 22sq. Exulat igitur u. ab illo libro fortasse propter hanc ipsam causam, quod librarius metrum esse uitiosum credidit. — Sequitur locus, de quo fusius nobis dicendum est.

II 22, 47sqq.: Quanta illum toto uersant suspiria lecto!
Cum recipi, quem non nouerit illa, putat.
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, quaerere plura iubet.

De u. 48 agemus p. 187sq. Etiam u. 50 satis corruptus est in libris; F enim praebet 'Quem quae — fata', DV 'Quae quoque — plura'. Ab N totus uersus abest, unde eum Heimreichius p. 10 spurium censet sententiam contortam longeque repetitam esse ratus. Quam dubitationem causis parum stabiliri L. Muellerus (praef. p. XXIX) demonstrauit, cuius iudicium plane probo, nisi quod uersum omissum puto ea de causa, quod in archetypo complures lectiones superscriptae uel adscriptae erant, ut, quidnam eligendum esset, librarius nesciret. Aptissimum igitur huic uersui hic esse locum censeo, cum in tali, qualis a poeta fingitur rerum condicione dilucide depingat amatoris animum desiderio doloreque affectum, qui suis, ut ita dicam, auribus parum confidens iterum e domina quaerere seruulum iubet, quae quamuis inuitus iam audiuit. Age nunc uideamus, quomodo scribendum sit. Sine dubio id uerum est, quod habet F (et V^2) 'Quem quae' (Quae quoque DV); incertior res est in fine uersus.' Palmerus recordatus huius libri el. 2 u. 4, ubi N pro 'furta' habet 'fata', quod hic est in F, legendum proponit 'furta', ut perfidia puellae alium recipientis significetur; deinde Beroaldi commentum 'dicere' comprobat. Baehrensio placet familiae DV 'plura', pro 'quaerere' autem conicit 'promere'. Contra mihi recepta lectione 'plura' mutatione omnino non opus esse uidetur, quoniam nihil obstat, quominus puerum a iuuene iterum ad dominam missum esse nobis fingamus, ut, qua de causa illa uenire nollet, percontaretur, nec quaerendi uerbum repetitum aures admodum laedit; cf. uersum, quem L. Muellerus l. supra l. affert: Ou. Trist. I 1: Si *q*uis *q*ui *q*uid agam forte re*q*uirat erit. Contra si 'dicere' uel 'promere' probas, u. 50 idem fere dictum est ac u. 49. Itaque ex uariis codicum scripturis et criticorum coniecturis ita uersus prodit:

Quem, quae scire timet, quaerere plura iubet.

Iam accedamus ad eos locos, ubi uersuum particulae in N desunt.

II 34, 51sqq.: Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid *restabimus* undas eqs.

Poetae manum restitutam esse puto palmari Wassenbergii coniectura 'restabimus undas'; cf. Haupt. Op. II p. 58sq. Corruptela autem, ni fallor, hic ita grassata est, ut primum id, quod est 'restabimus' propter 'aliquid' pro subiecto acceptum abiret in 'restabit' (ita FN), deinde uersus explendi causa 'er' superscriberetur, quod alter librarius (DV) ad 'restabit' referens formam ineptam 'restauerit' (undas) conformauit, alter (F) ad 'undas' trahens effecit 'restabit erumpnas'; cf. Baehr. proll. p. XII adnot. Neapolitani autem librarius ultimam uocem 'undas' omisit, siue quod ea metrum non expleri intellegebat, siue quod, quomodo describendum esset 're-stabit^{er} undas' uel simile quid, nesciebat. Verum igitur est hunc librum complemento illo uacare, qua in re illius praestantiam positam putant, sed illud 'er' fortasse iam in fonte Neapolitani extabat. Certe 'undas' genuinum est, quod et ipsum in N deest. Cf. II 9, 26: Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae. Itaque ne hoc quidem l. libri DVF spernendi sunt, modo ad ueram lectionem reponendam recte iis utaris. De ceteris coniecturis cf. Haupt. et Baehr., qui ipse proponit: restabit et undas. — Ibid. u. 83:

Nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

Quocunque modo priorem uersus hexametri partem constituendam esse censes (cf. Baehr.), hoc uix negabis uerba 'minor ore canorus', quamquam ab N absint, interpolationis speciem prae se ferre nullam. Quid Heimreichius (p. 8)? 'Sed ea mihi esse uidetur artis criticae natura, ut ceterorum uersuum completorum ratio fidesque codicis N haec quoque uerba iam rapiant in perniciem.' Credat Iudaeus Apella! — Simillime res habet IV 3, 7:

Te modo uiderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Neuricus hostis equo eqs.

Si quid uideo, primo statim aspectu concedendum est uerba 'Bactra per ortus', quae in N omissa sunt, non eiusmodi esse, ut a nescio quo proprio, ut aiunt, Marte ficta ea esse conicere liceat. Quomodo enim librarius, si in exemplari suo nihil nisi 'Te modo uiderunt iteratos' inuenisset, in uoces illas satis quidem quaesitas incidere potuit? 'Bactra' saltem quin genuinum sit, nemo dubitabit; cf. u. 63. Sed ea potissimum in re loci difficultas uersatur,

quod uerba 'iteratos per ortus' non habere explicationem multi critici clamant. Atque certe Heimreichio (p. 6) concedendum est ea non idem ualere posse ac 'per complures dies', quod nonnulli uolunt recordati Ou. fast. VI 199: Mane ubi bis fuerit Phoebusque iterauerit ortus. Nam locutio non solum satis quaesita esset et mira, sed etiam absurda, quia diutius quam nonnullos dies Lycotam in orientalibus regionibus stipendia meruisse manifestum est. Sed ita illa uerba cum Kuinoelio aliisque explicari posse puto, ut significent 'per orientis populos iteratos i. e. iterum peragratos'. Sic Lucan. II 642: 'totos mea, nate, per ortus | Bella seres'. De iterandi autem uerbo cf. notissimum illud Horatii (Carm. I 7, 32) 'iterabimus aequor'. Omisit autem finem uersus is, qui N exarauit, fortasse propterea, quod offendebat in uoce 'blactra', quae in archetypo uidetur fuisse (blactra DF, bactra V in ras. m. 1).[1])

Duo tantum restant loci (III 1, 27; 5, 39), ubi uerborum defectu, qui in N extat, huius libri praestantiam comprobari Hauptius luculenter exposuit (Op. II p. 52sqq.). Attamen ad nimium eum procedere existimo ea in re, quod iam in archetypo uocabula absumpta fuisse ideoque complementa illa in omnibus praeter N codicibus extantia prorsus esse ficta contendit. Optimo enim iure L. Muellerus (praef. p. VI) hoc profert: 'minus tamen certum illud, utrum sicut in N, etiam in archetypo unde ductus est fuerit defectus uerborum, an extiterint uocabula difficilia lectu, quae illius librarius taedio ac difficultate uictus omitteret, Groningani rudi arte partim depingeret partim expleret'. Quam ad sententiam duci se ait litterarum similitudine, quae inter uerba tradita et emendata intercedat. Huc accedit, quod N, cum multas bonas lectiones solus habeat, descendisse uidetur e libro, qui haud paucis locis satis differebat a reliquorum codicum fonte; cf. p. 161 adn. 2. Quid igitur uetat, quominus statuamus in illo nonnulla magis obscurata fuisse atque euanuisse quam in hoc? Ita ex. gr. III 1, 36 N exhibet 'augur . . . ipse deae', cum in DVF dilucide scriptum sit 'auguror ipse diem'; cf. etiam III 5, 35; IV 10, 1.

Hoc modo rem habere altero illo loco post Hauptii disputationem notissimo, qui est III 5, 39, si sumis, ceteris litteris obscuratis in archetypo nihil clare scriptum fuisse probabile fit nisi 'entum' uel 'antum', unde factum est, ut Neapolitani librarius sane quidem prouidus totum uocabulum omitteret, is autem, qui ceterorum

1) R. Voigtius (De IV Prop. lib., Helsingf. 1872, p. 55) aliquid ex illis uerb. eliciendum putat; Polsterus (p. 7) coniecit 'mitratos per ortus'.

codicum fontem exarauit, parum caute sed fortasse sine dolo scriberet 'Gigantum'. Haec similiaque perpendenti mihi non tam certum exploratumque uidetur quam plerisque opus esse Hauptii emendatione, quae est 'nocentum', praesertim cum ἑκατόγχειρας Hesiodeos similiaque monstra gigantes appellari posse ipse fere concedat.[1]) — Similiter iudicandum puto de III 1, 27:

Idaeum Simoenta Iouis cum prole Scamandro,

quam G. Wolffii emendationem ut certissimam laudibus summis plerique extollunt; cf. Haupt. Sed ne quis credat me illam totam in dubium uocare uelle, de priore parte, quae est 'cum prole', mihi quoque constat, quoniam propter litterarum similitudinem illud corrumpi poterat in 'cunabula', quod DVF perhibent. At nomen ipsum 'Scamandro' iis, quae supra exposui, mecum reputatis adeo non pro certo habeo, ut e tradito uerbo 'parui' ueram scripturam eliciendam existimem, cum illud 'cunabula' e corruptis uocibus 'cum prole' repositum non in archetypo uerborum defectum fuisse demonstrare mihi uideatur. Fortasse igitur latet adiectiuum ad 'prole' referendum, quod ego indagare nondum potui. Minime autem poetae mentem assecutus est Palmerus, cum ita uersum scriberet:

Idaeos montes Iouis incunabula parui.

Nam quid Iouis incunabula ad Achillem cum fluminibus pugnantem et Hectoris corpus circum Troiae muros trahentem?

Haec si uere disputata sunt, sequitur nimiis laudibus uiros doctos extulisse Neapolitani praestantiam compluribus locis, ubi in eo nonnulla desunt. Aut enim errore aut legendi difficultate aut aliis causis factum esse demonstrari potest, ut librarius uocabula omitteret, quae in archetypo extitisse probabile est. Vno tantummodo uel duobus locis corrupta illius uerba fontis librorum DVF librario male docto facultatem dedisse uidentur ostentandae eruditionis, cum illud 'cunabula parui' de industria e litteris traditis repositum esse uix negari possit. Hoc uero ab omnibus concedetur nonnullis uersibus uerborum defectu in illo libro extante moneri nos, ut caueamus, ne quid temere pro genuina lectione habeamus.

6. Familia DV uerum seruauit prae N(AF). I 2, 29 (secus statuit Leo p. 441 adnot.); 3, 31 ('percurrens' uerum est propter uerba 'diuersas — fenestras'; per totum cubiculum lucem dispersam esse poeta indicat); 9, 31; 13, 36; 19, 10 (Thessalis);

1) Palmerus dubitanter coniecit 'silentum' collato Verg. Aen. VI 432, et 'tormentaque sontum' (postscript.).

II 1, 69 (cf. 25, 14, ubi etiam in N haec forma extat); 3, 10; 10, 22; 15, 22 (iure Lachm. et Baehrens. 'hoc' praetulerunt); 24, 36. 37; 29, 31 (uulgo 'quo' legunt); 33, 16; III 2, 4; 7, 1; 11, 51 (cf. p. 66); 13, 53 (laurigero); IV 3, 1 (mendum inde natum, quod librarius pronuntiabat 'Ārēthusa', cf. Palmer.)[1]); 4, 32; 6, 22 (Markland.: femineae — apta); 8, 38 ('Graia' ex 'grata' optime effecit Palmerius). 72. 85; 9, 3 (e 'uacuas' c. Santenio eliciendum puto 'nocuas'). D solus uerum perhibet: II 3, 42[2]); 4, 7; 9, 2; 13, 12; IV 5, 36; 10, 26 (cum V m. 1?). — Aperte interpolatoris manus deprehendi posse mihi uidetur I 3, 43:

Interdum l e u i t e r mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras,
Dum me iocundis lapsam sopor inpulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

Grauiter DV, leuiter NAF. Lectionem 'leuiter' omnes fere interpretes defendendam susceperunt ita explicantes locutionem 'leuiter queri', ut idem eam ualere dicerent ac 'queri submissa et quasi suppressa uoce', uid. Hertzb. Sed desunt, quod sciam, huius usus exempla et per se patet nihil aliud 'leuiter' significare posse quam 'strictim, obiter'. Hanc notionem fortasse is, qui primus 'leuiter' scripsit, huic loco conuenire censuit, cum Cynthiam a Propertio summo ardore dilectam grauiter irasci parum deceret; sed minime illius animum perspexit. Nam non solum hic illa Propertium, quod sero uenerit, uituperat, sed etiam alii multi extant loci, e quibus pronam fuisse Cynthiam ad iram et leuia peccata opprobrio ei uertisse cognosci potest; cf. u. 18; I 5, 8; 18, 25; III 16, 9. Nonne igitur absurdum fere est, si Propertio, quippe cui irascatur, dicit se leuiter tantum questam esse? Iam uero uide mihi, quam consentaneum sit humanae naturae, eum, qui uehementer lamentatus sit, fessum somno opprimi. Sed etiam alia accedit causa, cur 'leuiter' spurium iudicandum sit: legitur enim in DV non 'querebar' sed 'loquebar'. Iam si in archetypo suprascriptum uel in margine adscriptum fuisse statuis 'ł le', statim omnia perspicua

1) Similiter, ni fallor, res habet IV 7, 85, ubi NDF et sine dubio V[1] miro consensu praebent: Sed Tiburtina (Tiburna) iacet hic —. Fortasse librarius, cum pronuntiandum putaret 'Tībūrtīnā', numeri adiuuandi causa addidit 'Sed' et uerborum ordinem mutauit. Deinde orta est lectio: Sed Tībūrnă iăcēt hic. Verum est, quod uulgo scribunt: Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra. — 2) 'Ante' defendere conatus est C. Brandtius p. 8, sed frustra me quidem iudice; maior enim audacia, quam quae ferri aut excusari possit exemplis ab eo allatis.

fiunt. Hoc enim 'le-', quod re uera ad 'grauiter' pertinebat (supplendum le-uiter) a librario pro 'lo' habitum ad 'quēbar' relatum et ita 'loquebar' factum est. Haec si tecum reputaueris, cum DV legendum esse 'grauiter', quod iam Burmannus uidit, concedes.

I 8, 7: Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?

Scriptum est in DV 'pruinas', in NAF 'ruinas'. Hanc lectionem, qua significantur omnia de caelo in terram demissa, Hertzbergius defendit et, uocabulum pruinae, quamuis facilitate et elegantia sese commendaret, tamen simul cum illo Italorum foedo commento, quod est 'sulcare', natum esse contendit. Sed, cur 'ruinas' teneri prorsus nequeat, satis mihi uidetur esse causae. Nonne enim est nimis infinita haec uox nullo genetiuo addito, cum sequantur haec: Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues? Niues ipsae sunt ruinae, ut quales intellegi uelit poeta, incertum sit. Nullus igitur dubito, quin 'ruinas' librarii neglegentiae debeatur, uelut 20, 37 'ilia' pro 'lilia' in AF scriptum est. — Nuper autem Brandtius illud defendendum rursus suscepit his usus uerbis (p. 6): 'Quamquam 'ruinas' suam habet interpretationem. Potuit enim poeta, ut rem augeret uerbis idemque leuiter iocaretur, domos paene dilabentes deserti illius, quo Cynthia festinabat, oppiduli seu uici ruinas dicere, quae teneros dominae pedes laederent, ut haec esset sententia: quid tu in ruinoso illo et foedo oppido, cum horum splendidissimorum aedificiorum luxuria frui possis?' — Possuntne ineptiores excogitari nugae? Si ex ullo alio, ex hoc l. cognosci licet, quo nonnulli in defendendo Neapolitani honore progressi sint. — Alia corruptela criticos fefellit u. 19:

Vt te felici praeuecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus.

Sic extat in NAF; quae constructio uerborum nulla sermonis Latini ratione stare potest, quamquam erant, qui uocem 'praeuecta' pro uocatiuo accipi posse contenderent; cf. Hertzb. Itaque iam Itali huic uersui suas infulserunt coniecturas scribentes: per saeua Ceraunia, uel: uectam per caerula remo; multo melius habet, quod Heinsius proposuit: post uicta Ceraunia, cum uincendi uerbum saepe in talibus locutionibus usu ueniat. Sed iam Lachmannus hanc coniecturam ita impugnauit, ut non 'praeuecta' suspectum habendum esse contenderet, sed in uoculis 'Vt te' latere uitium et restituendum censeret pro illis 'Vites', praesertim cum 'uitare Ceraunia'

sollemne esset. Et uere eum corruptelae sedem perspexisse elucet e familiae DV scriptura, quae est 'Vtere'.[1]) Neque dubium mihi est, quin hoc in archetypo fuerit et hoc modo exorta sit altera lectio, ut ex 'Vte'' is qui correxit, cincinnulo illo neglecto aut parum intellecto duas illas uoculas efficeret.[2]) Sed quamquam genuinum esse 'Vtere' persuasum habeo, tamen recipientibus nobis hanc scripturam difficultates nonnullas oriri negari non potest, quae non neglegendae uideantur. Primum enim pronomen 'te' supplendum est, qua in re sane nemo ualde offendet, cum praesto sint exempla, uelut 6, 22:

Nam tua non aetas unquam cessauit amori,
Semper et armatae cura fuit patriae (scil. tibi).

Deinde ut consecutiuum, quod uocant, fortasse orationi melius conuenit, quam asyndeton; postremo displicet participium praeteriti positum pro praesentis. Hi autem scrupuli non tanti uidentur esse, ut alteram lectionem praeferamus, quam si amplectimur, illud 'praeuecta' corrigere cogimur, quod minime est suspectum (prouecta DV).

I 9, 27: Quippe ubi non liceat uacuos subducere ocellos,
Nec uigilare alio nomine cedat Amor.

Significantius h. l. subducendi uerbum est, quod DV perhibent (seducere NAF), cum poeta Cupidinem tamquam ita attente uigilantem faciat, ut ne clam quidem illi oculos tollere, ut uacui fiant amore, nec somnum inuenire liceat. Cf. II 30, 9:

Excubat ille acer custos et tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.

I 12, 19 Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est.

Legitur in DV 'discedere'; in F 'desistere', in N et A 'dissistere', quod omnino non est Latinum. Habet, quod sciam perraro desistendi uerbum hanc propriam principalemque significationem et hoc unum exemplum mihi praesto est: Plaut. Men. II 2, 27:

Quid tu tristis es? quid ille aut abs te iratus destitit?

Qua de causa, etsi forte quis rariorem hic uocem esse expulsam suspicari possit, alterum, quod est discedere, recipere non dubito. Cf. II 5, 9:

Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.

1) In V est 'ut///te', quod sine dubio ex 'Vtere' mutatum est. — 2) Iam Eldikius ita legendum esse coniecit; cf. Kuinoel. II p. 62.

II 7, 7sq. Nam citius paterer caput hoc discedere collo
Quam possem nuptae perdere amore faces.

Ita legitur in DV. Prorsus non assequor, quo consilio Baehrensius ex NF 'more' receperit. Affirmat enim poeta hoc disticho se nunquam amoris uinculum, quo cum Cynthia coniunctus sit, puella in matrimonium ducta dissoluturum esse. Ita iam Kuinoelius locum interpretatus est. Ferri non posse explicationem Broukhusii, Vulpii, aliorum, qui nuptiales taedas perditas interpretati sunt 'inutili dispendio frustra consumptas' commemorare uix opus est. Ceterum idem hic mendum in NF subesse mihi uidetur, ac I 8, 7.

II 8, 3sq. Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae:
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.

Sic uulgo scribunt ex N. Id, quod F reluctante metro habet 'leuior' deprauatum esse e 'lenior' in propatulo est. At iure Baehrensius familiae DV scripturam 'segnior' in suum locum restituisse mihi uidetur, quae sensu non multum differens ab altera ualet: minus acri studio te persequar. Eiusmodi enim me iudice externa, ut ita dicam, specie est, ut inde alteram, quae est 'lenior' natam putem.

II 9, 11sq.: Et dominum lauit maerens captiua cruentum
Appositum fluuiis in Simoenta uadis.

Appositum cum DV esse legendum mihi aliisque constat; Palmerus praefert 'Propositum', quod est in NF parum apte conferens Ou. trist. III 9, 29: scopulo proponit in alto.[1]

II 22, 45sqq.: Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua uenire negat.
Quanta illum toto uersant suspiria lecto!
Cur recipi, quasi non uouerit, illa uetat?
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat eqs.

Primum ut, quomodo res gesta fingatur, animo informemus, amator

1) Nonnulli uiri docti hic tulerunt et adhuc ferunt, quae tolerari nequeunt: fluuiis — uadis. Ex. gr., ut omittam Hertzbergium, Palmerus ad III 11, 51 prouocans nescio quid de uocabulo 'uadis' adiectiui loco usurpato hariolatur (postscript. p. LXVI); Postgato 'fluuiis' adiectiuum uideri idem testis est. Heinsius coniecit 'flauis — uadis' Lachmanno, L. Muellero, Baehrensio plaudentibus; at Xanthi sunt flaua uada, non Simoentis. Scribendum igitur cum Vngero (Anall. Prop., Hal. 1850, p. 34) 'fluuiis — uagis', quod antea Palmero quoque (cf. praef. p. XVIII) placuerat; hoc enim uerum esse comprobari mihi uidetur l. supra l. III 11, 51, ubi DV recte exhibent: Fugisti tamen in timidi uaga flumina Nili; uada NF.

puellam, quae se esse uenturam pollicita est, summo cum desiderio expectat. Quae cum subito per puer[um] missum neget, suspirans lamentansque in lecto uoluitur et ex seruo quaerere non desinit, quid sit causae, cur uenire illa nolit. Ita cum res se habeat, quomodo uestigia lectionis codicibus traditae, quae est: 'Cur recipi, quae non nouerit {illa / ille} uetat', seruari possint, non uideo. Baehrensius enim id probans, quod Marklandus temptauit: quasi, ita legendum proponit: Cur recipi, quasi non uouerit, illa uetat? Haec uero uerba, quod iam Lachmannus monuit, nisi amatori, qui quasi non notus a puella excluditur, non conueniunt, quo de incommodo hic non agitur. An 'recipi uetat' idem esse Baehrensius censet ac negat se esse uenturam? Deinde talis interrogatio iuuenis decepti querellam continens nimis abrupte hic legitur neque ad reliquorum uerborum structuram quadrat. Idem fere atque etiam magis in Brandtii coniecturam cadit, qui proponit (p. 19):

Cur recipi, quam non nouerit, ille uetat?

i. e. cur riualis iste (?) uetat eam a me recipi, quam pro mea puellae familiaritate ne nouerit quidem? Ipse autem, quid sibi obici possit non ignorat, cum haec addat: 'erunt enim qui interrogent: quis hoc augurando potius quam cogitando assequi potest deceptum amatorem u. 48 loqui?' Ac nimis certe est confidere lectorum sagacitati, si, cum u. 47 pronomine 'illum' iuuenis puellam frustra expectans significetur, idem pronomen in proximo u. de riuali usurpari posse existimat; neque enim quidquam prodest prouocasse ad II 9, 1 et 48, quia ibi oppositis inter se 'iste' et 'ego' (u. 48 ille uir) nullum relinquitur dubium, neque excusatio petenda est a locis incertis, quod Brandtius facit. Itaque cum neque 'cur' neque 'uetat' stare possit, assentior Lachmanno aliisque editoribus, qui ex Bernardini Vallae libro hoc receperunt:

Cum recipi, quem non nouerit illa, putat.

Sensum ille bene ita explicat: caecus ira amator, quia puella uenire negat, statim alium recipi suspicatur, sine causa, cum puella eum, quem sibi praelatum putat, ne nouerit quidem. Denique Lachmannus — propter hanc enim discrepantiam tractandus nobis est locus — 'illa', quod DV exhibent, iure praefert, cum non solum ad sensum aptius sit, sed 'ille' ne ferri quidem possit. Nam etsi uerum est, quod Hertzbergius uersus maioris subiectum in u. minore saepe pronomine 'ille' excipi dicit, tamen hoc in eos tantum locos ualet, ubi praecedens subiectum est nomen, cum hic unum idemque

pronomen sese excepturum esset. Praeterea si ita interpungas: 'quem non nouerit ille, putat', leges grammaticae 'ipse' expostulant.

II 27, 7: Rursus et obiectum flemus capiti esse tumultum,
Cum Mauors dubias miscet utrimque manus.

Recte fecisse Baehrensium puto, quod ex DV 'capiti' recepit, quoniam nihil nos cogit cum L. Muellero scribere 'caput' (NF) esse tumultu.[1]) Merus enim error in his libris subesse mihi uidetur. Iure autem propter uu. 2 et 3 (Quaeritis) ei placet 'fletis', quod iam Itali e Neapolitani scriptura, quae est 'fletus' elicuerunt; O habet 'flemus'.

II 29, 35 sq.: Apparent non ulla toro uestigia presso
Signa uoluptatis, nec iacuisse duos.

Voluptatis DV, uoluntatis FN. Baehrensius (Misc. crit. p. 93) secutus Lipsium, qui nescio cui codici Farnesiano hic auctoritatem tribuit, cum F m. 2 legi uult 'uolutantis', pro quarto casu pluralis acceptum, cui coniecturae librorum NF scriptura fauere uidetur. Deinde e 'non', quod est in O (nec NV mg. m. 2) 'con' effecto ita uersiculum scribit:

Signa uolutantis coniacuisse duos.

At iam Hertzbergius uolutandi uerbum pecorum potius libidinis quam hominum esse monet nec, uelut Graecum κυλινδεῖσθαι, de hominibus usurpari nisi ad turpissimam nequitiam notandam; cf. locos ab eo allatos. Coniacendi autem uerbum, quod apud ultimae tantum aetatis scriptores obuium alia nulla de causa Baehrensius infert, quam quia Neapolitani illud 'nec', etsi recto talo stare potest, interpolatum esse putat. Itaque spreta turpi illa coniectura familiae DV lectionem 'uoluptatis' reuocandam puto, a qua recedere nihil nos cogit. Duas enim res poeta Cynthiam proferentem facit: 'non modo non turbato aut presso lecto uoluptatis signa, sed ne talia quidem apparent, unde duos iacuisse concludi debet'. Ne autem te irritet infinitiuus simul cum substantiuo ad idem uerbum relatus cf. locos, quales sunt I 5, 19—22; III 1, 25—27.

II 32, 7 sq.: Hoc utinam spatiere loco, quodcunque uacabis,
Cynthia! sed tibi me credere turba uetat.

Hoc quoque loco nimium Neapolitani bonitatem defendendi studium prouocauit quodammodo temeritatem coniciendi. Leo enim, ut semper in emendando ab illo codice proficiscitur, ita etiam hic eo nixus

1) Vtitur hac datiui forma Propertius: cf. I 11, 12; II 1, 66.

lectionem 'time' genuinam esse censet, e qua et familiae DV 'tibi me' et libri F 'timeo' fluxerint, et e uocula 'sed', quae corrupta ei uidetur, noui aliquid eliciens scribendum suspicatur (p. 446 adnot. 1):

Cynthia! sacra time: credere turba uetat.

Contra mihi errorem procliuiorem fuisse constat ex 'tibi me' per compendium exarato in 'time', quo accedit, quod illud sensui aptissimum est. Iam quis non uidet illa coniectura ea, quae arte inter se coniuncta et opposita sunt, moleste interrumpi ac seiungi? Vitium autem traxisse illud 'sed' mihi non tam certum est quam Friderico Leo. Quamquam enim sententiarum conexui potius 'nam' conuenire concedo, tamen illud defendi potest, si omnem enuntiati uim collocatam esse animaduertis in uoce 'turba' opposita uerbis 'hoc loco', quomodo nos quoque licentiore particulae 'aber' usu dicere possumus: 'Wenn du doch hier lustwandeln wolltest, aber in dem Gewühl traue ich dir nicht'. Quam ob rem non noua molienda sunt, sed codicum DV lectio retinenda.

III 5, 35 Cur serus uersare boues et plaustra Bootes eqs.

Sine iusta causa Leo (p. 447) de hac familiae DV scriptura dubitat. Nam non multum ab ea recedit id, quod N perhibet: flamma boon, quoniam fieri poterat, ut 'plaustra' in 'flamma' abiret. Ea autem, quam commendat: coniectura:

Cur serus uersare Bootes flammea plostra?

non tam N quam F adiuuat, qui habet 'flamma palustra'. A uero abhorrere mihi uidetur ea potissimum de causa, quod uocabulum 'boues' omnium librorum consensu tutum aegre desideratur.

III 21, 5 sqq.: Omnia sunt temptata mihi, quacunque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negauit:
Seu uenit, extremo dormit amicta toro.

Nugas hic egit Hertzbergius his usus uerbis: 'Pro 'amica' ingeniose Scaliger 'amicta'. Sed dubitationem mouet illud 'ipse' (u. 6) tam breui interuallo (post u. 4) repetitum, quo idem deus, qui flammas nutrit, simul saeuo abstinentiae imperio ipse cruciare amatorem significatur. Itaque quod interpunctione indicaui, subiectum deus etiam per u. 7 pertinere censeo'. — Repone e DV 'ille'; ipse NF; iste Hauptius. Fortasse etiam u. proximo horum codicum lectio 'negauit' (negarit cett.) recipienda est, ut sensus sit: postquam saepe negauit.

IV 2, 33sq.: **Cassibus impositis uenor: sed arundine sumpta**
Faunus plumoso sum deus aucupio.

Audacissimum appellat Rossbergius (p. 25) hoc dicendi genus, quoniam aliud sit 'speciem furabor Iacchi, furabor Phoebi (uu. 31 sq.), aliud 'ipse ego Vertumnus Faunus plumoso sum deus aucupio'. Totam quoque structuram propter ablatiuum qualitatis duram esse contendit. At quae magna cum probabilitate disputare sibi uidetur, falsa sunt atque inde quidem nata, quod hic deterioris notae libros Neapolitano esse anteferendos aegre patitur. DV enim perhibent 'Faunus'; F 'Fauuor', N 'Fauor', e quo efficiendum putat 'fautor'. Ne igitur hac coniectura uerum restitui credas, ne ad sensum quidem apta est, cum deum non fautorem siue patronum aucupum dici oporteat, sed eum ipsum arundine sumpta aucupari. Quod autem Propertius utitur uerbis 'Faunus sum deus', cum antea dixerit 'speciem furabor Iacchi — Phoebi', nihil aliud est quam gradatio. Ergo bene habet codicum DV lectio.

IV 4, 55sqq.: **Sic hospes pariamne tua regina sub aula:**
Dos tibi non humilis prodita Roma uenit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape et alterna lege repende uices.

Hic poeta Tarpeiam optantem facit, aut uxorem ut se ducat Tatius, Sabinorum rex, aut ut captiua qualicunque ratione amore eius frui possit. Si illud eueniat, dotem regalem illa promittit Romam proditam, sin hoc, saltem Sabinorum raptarum ultionem expleri ait. Versum 55 grauiore maculatum esse uitio patet; neque enim tolerari potest, quod omnes codd. exhibent 'Sic hospes', cum hoc uocabulum nec Tarpeiae nec Tatio conueniat; et ita uariant libri: patrianne F, pariamne N, patiare DV. Atque editorum plerique uestigia lectionis Neapolitani, a quo uix differt F, seruant, cum, prout initium uersus constituunt, aut 'pariamue' aut 'pariamque' aut 'pariam' scribant. At mihi cum Hertzbergio et Fr. Leo (p. 440) hoc uerbum omnino abhorrere uidetur ab hoc l., cum recte illi putidum esse castam illam Vestae sacerdotem primo amore tactam hic de liberis procreandis uerba facere contendant. Itaque euertuntur emendandi conamina illo uerbo nixa, quorum nonnulla haec sunt: 'Si coniux pariamue' Puccius, 'Sim consors pariamque' Fonteinius, 'Si constet, pariam ut Tatia' L. Muellerus, 'Si posces pariamue' Vahlenus (Ind. lect. aest. a. 1881). Hertzbergius igitur secutus Vossiani scripturam 'patriamne', ad quam proxime Laurentiani illud 'patrianne' accedit, scripsit:

Sic hospes, patriaeue tua regina sub aula,
— Dos tibi non humilis prodita Roma uenit —

quod uix quisquam probabit. Friderici Leo coniectura 'Si comes accipiarue', quamquam sensui haud male conuenit, tamen a litteris traditis nimis est uiolenta. Itaque cum familiae NF scripturis uera lux uersui reddi nequeat, cum Baehrensio librorum DV 'patiare' genuinum habere non dubito. Sed ne mihi obicias: usitatissimum patiendi uerbum non abire potuisse in 'pariamne' uel 'patrianne', hoc idem etiam magis ualet ex gr. in coniecturam Friderici Leo, quae est 'accipiarue'; nec multum differt 'patiare' a 'pariāne' lineola neglecta. Quomodo autem totus u. in integrum restituendus sit, ne nunc quidem mihi constat. Fortasse non multum a uero abest, quod scripsit Baehrensius:

Sim compar patiare, tua regina sub aula.

V solus uerum seruauit III 3, 42:

Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare nec Aonium cingere Marte nemus.

His uerbis Calliope poetam hortatur, ut intra angustos elegiacae poesis fines uersetur neue ad bella carmine epico canenda sese accingat, quam sententiam ita exprimit, ut primum curru Veneris a cycnis tracto uectari eum iubeat, dein, ne sit bellator, moneat. Atque u. 42 habet V cingere, NDF ting(u)ere. Quarum lectionum quamquam utraque ad sententiam modo allatam pariter apta est, iure tamen Hertzbergius priorem defendisse mihi uidetur. Nimis enim tenue tingendi uerbum est in re tam atroci, cum de gladio uel ueste uel aliis paruis rebus recte dicatur; cf. u. 32 et IV 1, 111; 4, 24. De nemore potius dicendum erat 'implere' uel tale quid; cf. u. 45: perfusus sanguine Rhenus. Cingere autem Musarum nemus Marte i. e. bellatoribus, bello translate ualet, ut Hertzbergii uerbis utar, arma et bellum ipsum in poesin inferre. Ceterum in litteris tam ambiguis, quales sint t et c, nihil fere ponderis habere codices, sed interpretatione, quomodo legendum sit, eruendum esse recte ille addit.

III 13, 27: Illis munus erant decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis eqs.

Ita N. Talis structurae mutatio defendi potest exemplis, qualia sunt:

I 5, 19sqq. Tum graue seruitium nostrae cogere puellae
Discere, et exclusum quid sit abire domum;
Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.

III 1, 25sqq.: Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
Fluminaque Haemonio comminus isse uiro
Idaeum Simoenta Iouis cum prole Scamandro,
Hectora per campos ter maculasse rotas?

III 11, 37sq.: Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.

Sed nimis hic quaesitum mihi uidetur tale dicendi genus: facillime reponi potest e V (m. 1?): 'Illis munus erat, decussa Cydonia ramo | Et dare' eqs. 'Erant' ita fortasse ortum est, ut librarius uerba 'decussa Cydonia ramo' pro subiecto acciperet. In ceteris libris lacuna extat.

Restant duo loci, ubi libri DV superant F deficiente Neapolitano.

IV 11, 25sq.: Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Et iaceat tacita laxa catena sera.

Iure Baehrensius codicum DV lectionem 'laxa' (lapsa F) probat, cum opponi soleant inter se catena laxa et arta h. e. adstricta. Si Cerberus quiescit, catena laxa est, sin prosilit, adstringitur.


IV 11, 69sq.: Et serie fulcite genus: mihi cymba uolenti
Soluitur aucturis tot mea fata meis.

Hic l. multis uexatus est coniecturis, quas omnes affere piget. In codd. inepta leguntur: nupturis F, uncturis DV; malis O. Sanum praebet sensum et ad familiae DV scripturam proxime accedit id, quod Lachmannus et Hertzbergius commendant: aucturis tot mea fata meis. Cornelia enim libenter se mori ait, cum a nepotum serie fata sua maiora factum iri speret. Kindscherus (Mus. Rh. XVII p. 223) 'fata' mutandum censet in 'facta', sine iusta causa, ut mihi uidetur.

Haec si cum aliqua probabilitate disputata sunt, quo nonnulli critici in Neapolitani honore defendendo processerint, elucet. Est enim ne hic quidem liber a grauioribus corruptelis aut interpolationibus uacuus, qua de re etiam editorum plerisque constat, cum uincant ac persuadeant loci nihil dubii relinquentes, quales sunt I 3, 43; II 15, 49; 32, 33, ubi licentioris mutationis indicia in N extant, et II 30, 19; III 1, 23, alii, quibus grauiore librarii errore praua scriptura orta uidetur. Iam uides, quo iure Heimreichius, Leo, omnes, qui ab hac parte stent, Neapolitanum unum sequendum, alios libros prorsus abiciendos esse contendant. Accedit,

quod familia DV carere nullo modo possumus, quia haud paucis locis uerum una seruauit (cap. 6). De (A)F autem quod p. 161 diximus, altera disputationis nostrae parte stabilitur atque confirmatur: nullam haec stirps sibi uindicare potest auctoritatem, quia non solum prauas lectiones communes habet cum aliis codicibus (cap. 4 et 6), sed etiam bonas (cap. 5).[1])

Iam ut omnia, quae disseruimus, paucis complectamur, in aestimando codicum Propertianorum honore nec Baehrensium uerum uidisse elucet nec Brandtium, Fr. Leo, alios. Est enim illorum praestantissimus Neapolitanus, cum non solum familiam AF optime repraesentet et cum DV in multis sinceris scripturis conspiret, sed etiam haud paucis locis uerum solus perhibeat, nec tamen unus sequendus, quia complures in eo obuiae sunt interpolationes grauioraque menda. Alterum locum libri DV obtinent, quorum auctoritas ea in re posita est, quod compluribus locis soli genuina poetae uerba seruauerunt. Familiae autem AF lectiones praeter corruptelas et interpolationes, de quibus cap. 2 diximus, mixtae uidentur ab altera parte ex iis, quas fons Neapolitani proprias habebat, ab altera e scripturis patris librorum DV, quo fit, ut illa facile careamus; paucissimi enim illi loci, de quibus cap. 3 egimus, nullius momenti putandi sunt. Omnibus igitur, qui in censum ueniunt, locis tractatis enucleasse nobis uidemur crisin Propertianam niti Neapolitano et familia DV. Quae ratio inter omnes codices intercedat, ut dilucide appareat, appono stemma:



1) Tamen afferendae nobis erant etiam in altera parte eius scripturae, ut, quid omnino traditum sit, appareat. Vno l., qui est II 22, 50 (uid. p. 180) libri F(V²) lectionem recepimus; sed leuissimi res est momenti.

INDEX LOCORVM.

DE
FESTI ET PAVLI LOCIS PLAVTINIS

SCRIPSIT

EDUARDUS LEIDOLPH

OLBERSLEBENIENSIS

Cap. I.

§ 1. Fabularum Plautinarum cum per multum tempus codices tantum saeculorum undecimi duodecimique et adeo recentioris aetatis noti essent, ab eisque omnis ars critica proficisci deberet, prospero casu euenit, ut hoc saeculo ab Angelo Maio codex Ambrosianus rescriptus saeculi quarti uel quinti detegeretur et imprimis a F. Ritschelio ad fabulas Plauti restituendas adhiberetur. Sed et hunc codicem et alios cum aetate longe superent grammaticorum nonnullorum libri, merito hi quoque uirorum doctorum oculos in se conuerterunt: quo factum est ut multi errores feliciter emendarentur. Ex his autem grammaticis praeter ceteros Festus Paulusque respiciendi sunt cum propter multitudinem uersuum Plautinorum, tum propter aetatem, ad quam eorum scripta redeunt: redeunt enim ad Verri Flacci de uerborum significatione opus, quod sub Augusto imperatore compositum est. Huius enim operis epitomen circiter medio secundo post Christum natum saeculo fecit Pompeius Festus, quam iterum octauo uel initio noni excerpsit Paulus. Atque Pauli quidem epitome satis macra ut integra ad memoriam nostram peruenit, ita Festi operis multo largioris dimidium tantum atque id igni partim absumptum nobis seruatum est. Apud Festum igitur Paulumque quae exstant fragmenta Plautina etsi saepe iam ad restituendos singulos locos adhibita sunt, tamen nondum quaesitum est, quae omnino esset ratio inter ea codicesque nostros: quod necessarium esse si maiorem nonnullis eorum fidem, quam codicibus nostris habere uolumus, facile apparet. Quae quastio simul propterea maximi momenti est, quod ex his fragmentis tam antiquo tempori tribuendis imaginem nobis fingere possumus eorum codicum, quibus primo ante Christum natum saeculo fabulae Plautinae ferebantur. Hoc autem quod nobis propositum est, priusquam aggredimur, ne quis dicat aut Festum aut Paulum fragmenta secundum codicem illius qua quisque fuerit aetatis mutauisse, quid de hac re nobis iudicandum sit, breuiter est exponendum. Quare

primum qua ratione Paulus in excerpendo Festi opere, deinde qua Festus in excerpendis Verri Flacci libris usus sit, inquirendum est.

§ 2. Primum igitur Pauli quae fuerit ratio in excerpendo Festi libro si quaerimus, iam ab initio nobis qua breuitate illius epitome facta sit, reputantibus id apparet multos Paulum locos apud Festum exstantes prorsus omisisse, multos ultra modum contraxisse. Quod utriusque operis eis partibus quae una nobis seruatae sunt comparatis plerisque exemplis comprobari inuenimus. Saepissime enim fit, ut apud Festum aut uersus Plautini exstent aut certe nomine Plauti adiecto ad eum glossa referatur, apud Paulum contra aut tota glossa, aut uersus Plautinus, aut una cum hoc etiam nomen Plauti omissum sit. Atque tota glossa tam saepe intercidit, ut exempla afferre non necesse sit. Versus autem Plautini omissi sunt, ita tamen, ut nomine Plauti adiecto ad eum glossam spectare intellegamus, sub uocibus his: *Persicum* (216, 4), *Putitium* (216, 10), *Reglescit* (279, 5), *Rubidus* (263, 5). Neque uersus neque nomen Plauti commemoratum est sub uocibus his: *Narita, Neruum, Schoeniculas, Scrutillus, Soracum, Sororiare, Spetile, Spinther, Status dies, Strebula, Subuerbustam, Succingulum, Surum, Torreri, Valgos.* Hoc autem propterea cognitu dignum est, quod tota ratione perspecta etiam alias glossas apud Paulum exstantes ad Plautum referre licet, etsi neque uersus ipse neque nomen poetae allatum est.

Multis tamen locis etiam apud Paulum uersus uel uersuum Plautinorum fragmenta inuenimus. Quin etiam saepius ubi Festum non habemus ad rem nobis explorandam solis Pauli excerptis utendum est. De quibus quid nobis iudicandum sit, ut intellegamus, proficiscendum est ab eis uersibus, quos Paulus et Festus una exhibent. Atque ei quidem quamquam haud adeo multi sunt, tamen ad normam qua reliquos iudicandos putemus constituendam sufficiunt. Eorum enim locorum, ubi uterque uersus Plautinos affert, hi eodem, quoad uidere possumus, modo ab utroque traduntur: Aul. 684 (Resecrare 280. 282) Curc 15 (Oculissimum 178. 179) Curc. 103 (Quadrantal 258. 259) Truc. 490 (Oculissimum 178. 179) Dyscol. u. (Nupta uerba 170. 171) Neruol. u. (Moenia 144. 145 atque Sublesta 294. 295) Syri u. id est: Cistell. (Todi 352. 353) uersus incertae fabulae (Profanum 228. 229). Septem locis ea re Paulus a Festo differt, quod locum Plautinum in breuius redactum exhibet, cum aut uersuum complurium,

qui apud Festum sunt, unum tantum commemoret, aut unum illum uersum, quem Festus exhibet, uerbis eis, quae ad uocem explicandam superflua uidebantur, omissis afferat. Huc pertinent hi loci: 1. Cas. II, 8, 7. Fest. p. 165 s. u. Nepa: *[Recessim dabo me] ad parietem, imita[bor nepam].* Paul. p. 164: *Dabo me ad parietem imitabor nepam.* — 2. Epid. 620. Fest. p. 273 s. u. Raui coloris: *Sed quis haec est [mulier et ille rauistellus qui] uenit.* Paul. p. 272: *Quis haec est mulier et ille rauistellus qui uenit.* — 3. Mil. 581. Fest. p. 169 s. u. Nassa: *Numquam hercule ex ista nassa hodie ego escam petam.* Paul. p. 168: *Nunquam ex ista nassa hodie ego escam petam.* — 4. Pers. 347. Fest. p. 294 s. u. Sublesta: *Ad paupertatem si immigrant infamiae, grauior paupertas fit, fides sublestior.* Paul. p. 295: *Grauior paupertas fit, fides sublestior.* — 5. Pseud. 964. Fest. p. 174 s. u. Nobilem: *Peregrina facies uidetur hominis atque ignobilis.* Paul. p. 175: *Peregrina facies atque ignobilis.* — 6. Truc. 271. Fest. p. 302 s. u. Suasum: *Quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam.* Paul. p. 303: *Suaso infecisti propudiosa pallulam.* — 7. Friuolariae u. Fest. p. 301 s. u. Sultis: *Sequimini me hac sultis legiones omnes lauernae.* Paul. p. 300: *Sequimini me hac sultis.*

Vnus restat locus, ubi Paulus grauiorem mutationem fecisse uidetur, Cas. IV, 3, 7 quem cum Festus (p. 277) in hunc modum exhibeat: *Nam quid illae nunc tam diuinitus remorantur remeligines*, Paulus haec praebet: *Quid nunc illae tam diuinitus remorantur remeligines.* Sed si apud Paulum uocem *diuinitus*, quam mero lapsu calami apud Festum pro recta scriptura *diu intus* ortam esse apparet, seruatam esse reputabimus, uix dubitabimus, quin a Pauli librariis uoces *nunc* et *illuc* permutatas esse putemus.

Quare ut breuiter comprehendamus quae de Pauli fragmentis Plautinis ex Festi libro haustis statuimus, haec sunt:

1. Saepissime apud Paulum, ubi apud Festum fuerunt loci Plautini, neque uersu neque nomine poetae adiecto mera glossa exstat. Inde efficitur, ut nobis etiam alias glossas Pauli etiamsi nomen Plauti omissum est, ad Plauti uersus referre et apud Festum uel locum ipsum uel certe Plauti nomen exstitisse putare liceat.

2. Ex eis locis ubi utriusque et Festi et Pauli librum habemus, patet Paulum ad uerbum Festum secutum esse neque ex sui temporis codice quodam aut ipsum uersus addidisse aut

uersus apud Festum exstantes mutata forma in opus suum transtulisse. Inde haec comprobatur ratio, ut omnibus reliquis locis, ubi uersus Plautini afferantur, nisi rationes obsunt grauissimae (de quibus postea), omnia quae apud Paulum sunt, fuisse etiam apud Festum contendamus.

3. Vidimus ex eis quos antea attulimus locis a Paulo saepe locos Plautinos siue uersibus siue uocibus singulis omissis breuius quam a Festo relatos esse. Quare etiam reliquis locis, si Paulus et codices hoc modo differunt, cauendum erit, ne Festum quoque iam easdem differentias exhibuisse putemus. Quin potius apud hunc uersum Plautinum incolumem fuisse contendere licet.

Sed unum restat commemorandum. Vt enim saepius in textum genuinum Pauli alias glossas illatas esse uidemus, sic etiam fieri potuit, ut uersus Plautini aliunde in Pauli epitomen inferrentur. Atque hoc factum est p. 8 s. u. *Angor*, quae ad Most. 208 spectat. Ibi enim hic locus ita affertur: *Vellem me in anginam uerti, quo huic aniculae fauces praeoccuparem.* Eodem modo haec uerba cum afferat Seruius ad Georg. III 497, qui saepius ex memoria locos affert[1]), probabile est totum hunc locum Plautinum illinc in Pauli scriptum translatum esse.

§ 3. Sequitur ut exponamus Festus qua ratione apud Verrium Flaccum qui loci Plautini exstiterunt exscripserit. Atque id ut ad rem nobis propositam multo maioris est momenti, quod apud Festum multo plures eosque pleniores locos Plautinos inuenimus quam apud Paulum, ita multo difficilius est propterea, quod Verri Flacci operis nihil nobis seruatum est, quocum quae apud Festum sunt, comparare possimus. Atque omnino qua ratione Festus egerit, qui quaestionem instituerunt O. Muellerus[2]) et Dirksenus[3]) inter se consentiunt Festum plerumque Verri Flacci uerba apposuisse 'recisis tamen quae ipsi minus scitu digna uidebantur' (Muell. XXXI). Festus autem quo modo reciderit Verri Flacci opus ipse exposuit sub uoce: 'porriciam', ubi se propositum habere dicit intermortua iam et sepulta uerba praeterire. Multae igitur glossae apud Verrium Flaccum exstantes a Festo consilio omissae sunt. Iam quaeritur quo modo in eis quas excerpsit glossis egerit. Atque ab O. Muellero et Dirksenio demonstratum

1) Cf. ad Georg. I 344. — 2) In editione Festi Paulique p. XXXI. — 3) Die römisch rechtlichen Quellen der Grammatiker Verrius Flaccus und Festus. Cf. 'Abhandlungen der Berliner Academie der Wissenschaften.' 1852.

est ita eum egisse, ut locos e scriptoribus allatos plerosque omitteret. In eis autem, quae apud eum exstant, Muellerus quidem ex suo doctrinae penu paucissima eum addidisse putat, Dirksenus contra (p. 139) in glossis ad ius pertinentibus quidquam eum addidisse suo iure negat. Nobis ceteris missis ad rem propositam quaerendum est primum utrum omnes locos Plautinos apud Festum allatos ex Verri Flacci opusculo sumptos esse putemus, deinde qua fide Festus in uersibus afferendis Plautinis Verrium Flaccum secutus sit. Atque utrumque hac mihi ratiocinatione cognosci posse uidetur. Festus enim ubi cum Verrio Flacco non consentit, sed eum impugnat, large atque copiose sententiam suam exponit. Quod cum faciat in rebus ne dignis quidem plerumque memoria et ita, ut quibus dissentiat a Verrio Flacco in exploranda et explicanda glossa uersentur[1]), quid, si aut nouam glossam adiecisset aut ad glossam apud Verrium Flaccum exstantem uersum aliquem addidisset aut secundum codicem Plautinum aliquid correxisset, tale negotium laboris plenum silentio eum confecisse statuemus? Quare quos Plautinarum fabularum locos in opus suum Festus recepit, omnes eodem modo ut apud Verrium Flaccum invenerat, scripsisse putandus est.

Cap. II.

§ 4. Iam aliam ad quaestionem accedendum esse puto haudquaquam superuacaneam: Verrius Flaccus unde quos citauerit uersus Plautinos sumpserit. Eam autem quaestionem rationibus his solui posse spero.

Fabulae omnes Plautinae, quae apud Festum Paulumque commemorantur, sunt triginta quattuor. Omnium enim earum, quae ad nostram peruenerunt aetatem praeter unam Vidulariam mentio fit. Reliquae autem, quae nominantur, hae sunt: Artemo, Astraba, Carbonaria, Condalium, Cornicularia, Dyscolus, Feneratrix, Frivolaria, Hortulus, Lenones gemini, Neruolaria, Parasitus piger, Saturio, Sitellitergus. Quare si reputamus apud Paulum quam raro nomina comoediarum afferantur, omnes autem has fabulas praeter Captiuos et Corniculariam, quarum nomina non occurrunt, dimidio operis Festi eoque igni grauiter mutilato commemorari, fortasse multo maiorem fabularum Plautinarum numerum tota Festi epi-

1) Cf. uoces: Oscos, Orcum, Impetum, Pictor, Percontatio, Praerogatiuae, Pedum, Superuacaneum, Scurrae, Sacrem porcum, Sas, Spondere, Salicem, Satis, Tauras.

tome commemoratum fuisse non sine probabilitate suspicabimur. Porro cum Festus epitomen Verriani operis fecerit, multo maiorem et fabularum et locorum Plautinorum numerum apud Verrium Flaccum ipsum exstitisse ueri simile est. Quod si reputamus Ritschelii illud intellegitur: Noch aus dem Vollen schöpfte dagegen Verrius.[1]) Quod tamen nolim cum Ritschelio ita intellegi, quasi ex ipsis codicibus omnes suas diuitias hauserit Verrius: immo probabile est eum aliorum grammaticorum copias paratas in suum usum conuertisse, certe horum thesauros non neglexisse: quod ut statuam, suadet cum infinita locorum congerendorum molestia, tum alia res, de qua sequenti paragrapho agetur.

§ 5. Inueniuntur apud Festum Paulumque loci Plautini uario modo scripti. Apud Festum enim p. 273 haec exstant sub uoce [Raui coloris]: *quod genus hominum [Plautus appellat rauistellos:] Sed quis haec est [mulier et ille rauistellus qui uenit].* Qui locus cum maximam partem igni consumptus sit, plurimum interest, ut quae huius uersus apud Festum exstiterit forma ex Pauli excerptis comperiamus, apud quem p. 272 haec inueniuntur: *Raui coloris appellantur, qui sunt inter flauos et caesios, quos Plautus appellat rauistellos. Quis, inquit, haec est mulier, et ille rauistellus qui uenit?* Atque alter qui huc spectat locus est Pauli p. 96: *Grauastellus, senior Plautus: Qui est grauastellus, qui aduenit. Ut puto, a grauitate dictus.* Atque hoc quidem loco qui uersus Plautinus affertur, eundem esse, quem antea commemorauimus, iam per se apparet, nisi quod manifestum est etiam magis quam aliis locis Festi uerba a Paulo esse correpta. Accedit autem alia quoque causa, cur hos duos locos ad unum eundemque uersum referendos esse contendamus. Versus enim — est Epid. 620 — in codicibus nostris eadem scripturae discrepantia traditus est, ita ut in A 'rauistellus', in reliquis 'grauastellus' exstet.

Alter locus cuius quin apud Festum sit duplex scriptura dubitari non potest, affertur p. 302 sub uoce 'suasum': *Suasum colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in uestimento albo. Plautus: 'Quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam'. quidam autem legunt in suaso. nec desunt qui dicant, omnem colorem qui fiat inficiendo, suasum uocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.* Duarum igitur huius uersus scripturarum altera est: *suaso* altera: *insuaso.* Atque hic quoque uersus

1) Parerg. I 149.

in codicibus duplici traditur scriptura, de qua quid iudicandum sit, postea uidebimus.

Tertius locus cuius duplex apud Festum scriptura exstat, quattuor his locis affertur: Paul. p. 52 *Crotillum ualde exile. Plautus: 'Extortis talis cum crotillis crusculis.' crusculum diminutiuum a crure.* Sic enim et hanc glossam et uersum Plautinum restituendum esse quoddam docet glossarium Salomonis glossis adiectum, quod totam fere Pauli epitomen ita continet, ut in optimis Pauli manu scriptis referendum sit. Ibi enim haec glossa sic exstat: *Crocotillum ualde exile. Plautus: 'Extortis talis cum crotillis crusculis.' crusculum diminutiuum a crure*, cum ceteri codices quod Muellerus posuit: 'cum crocotillis crusculis' exhibeant.[1]) — Fest. p. 352 *Todi sunt [aues paruae pede exil]i quarum m. Plautus in Sy[ro: Cum extor]tis talis cum todillis cru[sculis.]* — Paul. p. 353 idem exhibet. — Fest. p. 301 s. u. Succrotilla: *[Plautus in de]scribendis mulie[rum cruribus gracilibus] in Syr[o: Cum extortis] talis, cum sodellis cr[usculis. bel]le, quae non pedibu[s ualerent.]* Apparet illius uersus de quo agimus uocem 'sodellis' corruptam esse. In qua quod O. Muellerus latere putauit *todillis*, propterea accommodatum non est, quod sub uoce 'Succrotilla' cur ille uersus afferretur, mirum esset. Atque propter hanc ipsam causam, quod satis dubitanter conieceram 'sodellis' ex 'crotillis' ortum esse, nunc ubi auctore Loewio p. 52 Pauli 'crocotillum' in 'crotillum' mutauimus, optime comprobatur. — Fest. p. 329 *Schoeniculas app[ellare uidetur mere]triculas Plautus propter usum un[guenti schoeni,] quod est pessimi generis. itaque [dixit: Diabola]res schoeniculae, mi]raculae cum extritis [talis cum todillis crusculis].* Quo in loco restituendo dubium est, utrum 'todillis' an 'crotillis' scribamus. 'Extritis' autem pro quo reliquis locis omnibus 'extortis' inuenimus, nescio an librarii uitio etiam hoc loco ex eodem 'extortis' corruptum sit.

Atque omnibus his locis unum eundèmque uersum allatum esse apparet. Neque enim cum O. Muellero[2]), quod apud Priscianum (p. 611 P) hic uersus: 'cum extortis talis cum todinis

1) Debeo huius loci emendationem Gustauo Loewio, qui de hac re interrogatus litteris haec benigne mecum communicauit. Idem ad hanc glossam adnotat: 'Dies crotillis stimmt augenscheinlich zu der anderweitigen Ueberlieferung todillis, todinis, sodellis weit besser als crocotillis. crocotillum stammt offenbar aus der benachbarten Glosse (p. 53, 56) crocotinum.' — 2) Cf. adnotat. eius ad uocem 'crocotillum' p. 52.

crusculis' itemque, qui s. u. 'Schoeniculas' huic antecedat: 'Diobolares, schoeniculae, miraculae' apud Varronem (de lingua lat. VII 64) e Cistellaria affertur, 'eundem ferme uersum lectum esse in duabus fabulis Plautinis in Cistellaria et in Syro' putauerim, sed multo potius Syrum alterum Cistellariae nomen esse Ritschelio assentior.[1]) Vnus igitur idemque uersus scriptura duplici 'todillis' atque 'crotillis' omnibus his locis traditur.

Accedit iam alius uersus, cuius duplicem apud Festum exstitisse scripturam ut cognoscatur, a codicibus proficiscendum est. Versum autem quem dico, Mil. 1180 BCD sic exhibent: *Id conexum in umero laeuo exfafillato brachio.* In A autem pro *exfafillato* exstat *expapillato.* Ad hunc uersum quin quae apud Paulum p. 79 exstat glossa: *Expapillato brachio, exerto; quod quom fit, papilla nudatur* referenda sit, uix erit qui dubitet, praesertim cum apud Nonium[2]) sub eadem hac glossa hunc Mil. uersum allatum inueniamus. Sed qui his rebus operam dederunt, etiam aliam Pauli glossam ad hunc uersum spectare putauerunt, quae est p. 83: *Effafilatum, exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est extra uestimentum filo contextum.* Neque mihi quidem dubium uidetur esse, quin hoc uerbum ex illo Mil. uersu sit sumptum, primum cum nullo alio loco haec uocis forma apud scriptores latinos omnino exstet, deinde propter interpretationem: 'exerto brachio' quae ex hoc demum uersu orta esse uidetur.

Iam unus restat locus, qui duplici nobis scriptura apud Festum exstitisse uidetur. Versum autem dico Aul. 555 qui in BC ita legitur: *Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit.* Ad quem uersum hanc apud Paulum p. 28 glossam: *Argus oculeus, Argus nomen est hominis qui fuisse fingitur oculis plenus* quamuis stulta sit explicatio addita, pertinere apparet. Mihi autem cum O. Muellero[3]) etiam alius huc referendus uidetur esse Festi locus. P. 178 enim sub uoce: 'Oculissimum' haec inuenimus: *[Id]em* (sc. Plautus) *alibi oculatum Ar[gum, quod toto corpore oculos habet.]* Cur huc referendus sit hic locus infra apparebit.

§ 6. Quinque igitur illos locos de quibus paragrapho antecedenti egimus, duplici Festus scriptura praebet. Atque discrepantias quidem illas cum tribus locis Epid. 620, Mil. 1180, Truc. 271

1) Cf. Parerg. p. 164. — 2) P. 103. — 3) Cf. adnot. eius ad p. 178 a 25.

etiam nunc codicibus nostris exhibeantur, ne a Verrio Flacco ex ipsis codicibus Plautinis sumptas esse statuamus, causae obstant grauissimae. Reputemus enim qua ratione differentiae illae in Festi Paulique operibus nobis traditae sint! Atque Truc. 271 sub uoce *Suasum* exstantis scripturae differentia eo modo est allata, ut postquam uersus citatus est, sic pergatur: *quidam autem legunt in suaso.* Quos autem eos fuisse putabimus? Codicum Plautinorum scripturam si indicare uellet auctor, prorsus alia esset tota oratio. Atque quae noua inde quaestio oritur, cui illud *quidam* tribuamus, utrum Festo an Verrio Flacco, ad hanc rem nullius est momenti. Nam siue quod Dirksenus in uoce *alii* probauit, etiam uocem *quidam* Festo tribuimus, apud Verrium Flaccum autem singulorum sententias exstitisse putamus, siue iam apud Verrium Flaccum eam fuisse arbitramur locutionem — illud mihi certum uidetur intellegi grammaticos uel glossatores, qui *insuaso* legi uellent. Quare apparet scripturam *insuaso* ex grammaticorum opusculis in Verri Flacci opus transiisse. Quae sententia eis quae sequuntur etiam magis stabilitur.

Ceteri enim uersus duplicis scripturae sub glossis diuersis afferuntur, idque ita, ut, quoad ex reliquiis Festi Paulique colligere possumus, scriptori ne notum quidem fuerit unum eundemque uersum singulis tantum uerbis mutatis commemorari. Quas discrepantias si ex codicibus Plautinis ipsis sumpsisset, certe alia ratione Verrium Flaccum allaturum fuisse puto. Quare cum ueri simile non sit, in afferendis his differentiis codices ipsos eum adiisse, nihil aliud restat, nisi ut aut alteram aut utramque scripturam e grammaticis haustam esse dicamus.

Accedit iam aliud argumentum, quo idem demonstrari posse puto. Apud Festum enim nonnullae fabulae duplici nomine proferuntur. Sic uersus Mostellariae afferuntur uno loco p. 166 e *Mostellaria,* duobus: pp. 162, 305 e *Phasmate.* De hac re ita iudicandum esse, ut fabulae illi duo nomina fuisse putemus Ritschelius exposuit. Eodem modo et e Cistellaria (p. 372) et e Syro (pp. 301, 352) uersus afferuntur, quae duo nomina unius fabulae esse iam antea commemoratum est. Mirum autem, si Verrium Flaccum ea ratione egisse putare uellemus, ut sine ulla causa modo hoc modo illo nomine fabulas afferret. Quem si ex fabulis ipsis quae ei opus essent collegisset, certe duo nomina 'uel' 'siue' particulis interpositis attulisse putauerim, ubi duplici nomine uti liberet. Sic autem ne sciuisse quidem uidetur utrumque nomen ad unam eandemque fabulam pertinere. Quae si nomina una cum

locis a grammaticis deriuantur, non est quod eam rem amplius mireris.

Quibus expositis id apparere puto non omnes uersus Plautinos quos apud Festum inuenimus ad codices redire, sed partem certe eorum ex grammaticorum glossatorumue operibus esse sumptam.[1])

Cap. III.

§ 7. Iam his quasi fundamentis disputationis nostrae constructis ad rem nobis propositam ipsam progrediamur. Atque primum quidem iterum ad locos illos apud Festum Paulumque du-

1) Atque his quidem argumentis ut demonstratum esse uidetur Verrium Flaccum nonnullos certe uersus Plautinos non ex codicibus Plautinis, sed ex grammaticorum operibus exscripsisse, ita omnino suspicio oritur alios quoque uersus ex eisdem fontibus ad eum peruenisse. Atque si glossas inspicimus has: Naenia p. 161, Nec p. 162, Nauteam p. 165, Numero p. 170, Vapula Papiria p. 372, Valgos p. 375, Nepa p. 165, Nare p. 166, Putum p. 217, inde qua ratione omnino egerit Verrius Flaccus aliquatenus cognosci posse puto. Exempli causa afferam uocem: Naucum p. 166: *Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius, quod oleae nucisque intus sit. Aelius Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores, fabae grani quod haereat in fabulo. Quidam ex Graeco, quod sit ναὶ καὶ οὐχί, leuem hominem significari. Quidam nucis iuglandis, quam Verrius iuglandam uocat, medium uelut dissepimentum.* Iam sequuntur exempla ex Plauto Naeuio Ennio allata. Vnde patere puto non ita egisse Verrium Flaccum, ut locis eis, ubi naucum uox usu ueniret, ex scriptoribus Plauto Naeuio Ennio conquisitis uirorum doctorum de ea uoce sententias ex scriptis eorum colligeret, sed multo potius ea ratione, ut singulorum uirorum doctorum de ea uoce sententias prius colligeret, uersus ut apud illos inueniret in opus suum referret. Atque idem non solum eis quos modo attuli locis, sed multis etiam aliis factum uidetur esse, quos cum nihil ad Plautum faciant, nunc mitto.

Restat ut paucis indicemus unde imprimis uersus Plautinos Verrium Flaccum sumpsisse uerisimile sit. Atque qui sub eis uocibus, ubi uersus Plautini afferuntur, nominati sunt scriptores, hi sunt: Aelius Stilo s. u. Naucum 166. Vapula Papiria 372. Aurelius Opilius s. u. Nauteam 165. Valgos 375. Varro s. u. Vapula Papiria 372. Sextus Pompeius s. u. Numero 170. Ateius Philologus s. u. Naucum 166. Labeo s. u. Nauteam 165. Sinnius Capito s. u. Nec 162. Numero 170. Vapula Papiria 372. Cincius s. u. Naucum 166. Cornificius s. u. Putum 212. Panurgus Antonius s. u. Numero 170, quem qui sit nescimus. Quorum scriptorum elucet ad uersus Plautinos explanandos maioris quam reliquos momenti fuisse Aelium Stilonem, Aurelium Opilium, Varronem, quos imprimis fabulis Plautinis operam dedisse constat.

plici scriptura traditos redeundum est. Illis enim, quod et ad Festi Paulique uersus Plautinos recte iudicandos et ad textus Plautini nobis traditi historiam maximi est momenti, quo tempore et qua ratione ortae sint duae fabularum Plautinarum recensiones accuratius quam adhuc factum est definiri posse puto. Recensiones enim duas codicum Plautinorum nobis traditas esse, quarum altera Ambrosiano (A) altera reliquis omnibus codicibus, imprimis Palatinis, qui dicuntur (P), contineatur, ut nemo doctus negauit, ita cui tempori uel cui auctori utraque sit tribuenda, uirorum doctorum sententiae magnopere inter se differunt.

Atque Ritschelii quidem sententia, qui nixus codice Ottoboniano 2005 Calliopium recensionis P. auctorem esse putauit[1]), a Studemundo prorsus remota est.[2]) Sed ne Studemundum quidem, qui post Ritschelium hanc quaestionem accuratius tractauit[3]), omnia recte egisse putauerim. Quem si sequimur, Ambrosiani auctorem post Heliodorum metricum, qui primo p. C. n. saeculo medio floruit[4]), et ante Charisium grammaticum opus suum confecisse statuamus necesse est. Atque ante Charisium quidem Ambrosiani recensionem perfectam esse ut demonstret, hunc Charisii[5]) locum affert: *meditate. Plautus in Bacchidibus: Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes. in quibusdam non ferunt.* [pro quo Ritschelius scripsit: *feruntur.* Cf. Parerg. I 418, 386.] Iam cum uno illo uersu nullo modo hoc loco carere possimus, in A autem teste Studemundo uersus 540—551, quos P exhibet, desint, inde satis probabiliter concludit illa Charisii uerba non ad unum illum uersum, sed ad totum hunc locum esse referenda. Quare iam tum duplicem recensionem exstitisse putat. Atque huic rationi ut nihil obstat, ita cum post Heliodorum A recensionem ortam esse demonstrare studeat, uariae difficultates oriuntur. Argumentis autem nititur his: Ex A scribendi ratione apparere ubi noui metri initium sit uersus aut latius promoueri aut inseri, quamquam is ordo per librarios, quid sibi uellet, nescientes saepissime turbatus sit. Iam cum ab Heliodoro metrico, qui *Ἀριστοφάνειον κωλομετρίαν* scripserit[6]), eam uersus et promouendi et inserendi rationem aut inuentam aut certe in libros translatam esse uerisimile

1) Ritschel. opusc. II 167. Proll. ad Trin.[1] XL sq. — 2) Festgruss der philol. Gesellschaft zu Würzburg, 1868, p. 39 adn. 3. — 3) L. l. pp. 38—49. — 4) O. Hense, Heliodoreische Untersuchungen, pp. 164 sqq. — 5) Gramm. lat. I p. 205. — 6) C. Thiemann, *Ἡλιοδώρου Ἀριστοφάνειος κωλομετρία.* Halle 1868.

sit, nihil obstare, quominus eius rationem a grammatico aliquo in fabulis Plautinis adhibitam esse putemus. Sed Studemundus ipse quod p. 40 se demonstraturum esse pollicetur: 'dass der Recensent, auf welchen der Ambrosianische Codex zurückgeht, nach dem griechischen Metriker Heliodor gelebt hat', se non demonstrauisse p. 49 fatetur, cum eum saltem qui metra recensuerit post Heliodorum floruisse ex ea re concludi posse dicat. An uero eum qui secundum illam Heliodori metrici normam uersus aut promouit aut inseruit necesse est eundem putare, per quem differentiae illae grauissimae in textum peruenerint? Ac tamen qui de duplici recensione agunt imprimis de his discrepantiis cogitant. Quare etsi Studemundo concedimus A uel etiam P[1]) secundum Heliodori normam scriptos quondam esse, inde ei quaestioni, quo tempore illae inter A et P differentiae, id est duae recensiones, ortae sint, nihil lucri affertur.[2])

Longe aliam **Bergkius** sententiam secutus est[3]), qui primam mutationem fabulas Plautinas perpessas esse putat non multo post Terentium mortuum, quo tempore eas iterum mutata forma in scaena actas esse constat.[4]) Eodem autem tempore cum fabulae retractata forma in scaenam eommitterentur, exempla magis uetusta atque genuina neglecta intercidisse putat. Neque habemus quod huic sententiae merito opponi possit. Iam uero praeter hanc fabularum mutationem alteram postea factam esse, qua indoles fabularum seruata, forma magis mutata sit. Atque huius alterius retractationis uestigia nobis seruata esse dicit recensionum nostrarum A et P differentias. Sed eam quoque fabularum Plautinarum retractationem histrionibus esse tribuendam, quod Truculenti exemplo demonstretur. Atque his mutationibus finem fecisse Aelium Stilonem: sequitur ut ante annum u. c. 650 eae quoque quae nobis seruatae sunt recensiones factae esse uideantur.

Hanc uero Bergkii sententiam, qui Palatinorum et Ambrosiani discrepantias ex histrionum mutationibus consilio factis ortas putat, Schoellius[5]) refutauit, cum omnibus eis Truculenti uersibus,

1) L. l. p. 47 adn. 3. — 2) Oportebat longius de his agere, cum alii a Studemundo comprobatum esse putauerint et putent recensionem A post illum Heliodorum metricum ortam esse, ut Teuffel: Gesch. der röm. Litt. 99, 10: 'Der Urheber der Recension des A muss nach dem Metriker Heliodor und vor dem Grammatiker Charisius gelebt haben.' — 3) Auslautendes D im alten Latein. Ein Beitrag zur lateinischen Grammatik von Theodor Bergk, pp. 121—142. — 4) Ritsch. Par. I 187, 188. — 5) Analect. Plaut. pp. 1—14.

quibus Bergkii sententia nititur, potius id euinci demonstret illas scripturae discrepantias aut per grammaticos librariosque aut meris scribendi erroribus in textum peruenisse.

§ 8. Haec fere de duplici fabularum Plautinarum recensione uiri docti statuerunt. Quorum quidem sententiae quam infirmis nitantur argumentis cum satis apparere putem, aliam totius quaestionis diiudicationem firmioribus ut spero stabilitam argumentis proferre non dubito. Supra enim commemorauimus differentias illas, quas apud Festum inuenimus, ne a codicibus quidem abesse. Exhibet enim

Epid. 620	A rauistellus	P grauastellus
Mil. 1180	A expapillato	P exfafillato
Truc. 271	A suaso	P resuasu.

Atque Epid. quidem 620 et Mil. 1180 recensionum nostrarum scripturae plane cum eis congruunt, quas Festus exhibet. Truc. autem 271 difficultatem praebere uidetur, cum Festi altera huius uersus scriptura sit *insuaso,* recensionis P *resuasu.* Attamen quod in P legimus *Quia tibi resuasu infecisti* e. q. s. constat corruptum esse, primum cum talem uersum Plauto nemo tribuat, deinde quod *resuasu* omnino nihil est, sed aut coniectura stultissima aut librarii uitio huc ingressum uidetur esse. Neque tamen quisquam hanc corruptelam ex Ambrosiani scriptura ortam esse contendat, sed ueri similius est *resuasu* ex illo *insuaso* natum esse, quae sententia duobus reliquis locis Epid. 620, Mil. 1180 mirifice commendatur. Quare etiam Truc. u. 271 eandem quam apud Festum differentiam inter duas recensiones nostras iure agnoscere uidemur. Cum autem tribus his locis Festi scripturam alteram A, alteram P exhibere uideamus, merito colligi posse arbitror duplices illas Festi scripturas duplicis recensionis uestigia esse. Neque huic iudicio repugnat, quod Festus Epid. 620, qui p. 272 prorsus cum Ambrosiano consentiat, altero loco apud Paulum p. 96 sic exhibet: 'Qui est grauastellus, qui aduenit', cum P pro 'aduenit' exhibeat: 'uenit'. Nam cum etiam Trin. 67 eandem duarum recensionum differentiam inueniamus, ut A 'uenio', P 'aduenio' praebeat, hoc quoque loco genuina recensionis P scriptura fuisse mihi uidetur 'aduenit', quod postea aut culpa librarii aut casu in 'uenit' mutatum est.

Sed accedit etiam aliud idque multo grauius argumentum, cur recensioni duplici duplices illas Festi scripturas tribuamus. Videamus enim quid quoque loco Plautum ipsum scripsisse probabile sit.

Atque Epid. quidem u. 620 quaeritur utrum 'grauastellus' an 'rauistellus' Plautum scripsisse putemus. 'Rauistellus' autem quid sit, duplici modo a Festo explicatur: aut enim a 'rauus' (cf. p. 273) aut a 'rauis' (cf. p. 282) eam uocem deriuatam esse dicit. Sed si a uersu Epid. ipso proficiscimur, rauistellum neque eum esse posse, qui raui coloris est, neque eum, qui rauim i. e. raucam uocem habet, per se apparet. Ceterum iam ex eo, quod duas illas sententias inuenimus, conicias haud quaquam huius uocis significationem grammaticis primi a. C. n. saeculi planam fuisse. Sed etiam alterum uerbum 'grauastellus' ut secundum Festi explicationem a 'grauitate' uel potius a 'grauis' deriuemus nullo modo fieri potest, cum hoc uersu 'grauastellus' uocis syllabam primam longam esse oporteat, 'grauis' breuem habeat, etsi quae additur significatio: 'senex' bene huic loco apta est. Ad eandem uocem Placidi quaedam glossa spectare uidetur, de qua Loewius egit.[1]) Hanc glossam quae in classe R ita fertur: 'grauascela graues id est anni' in G autem: 'grauescella graues idus anni' uariis modis uiri docti restituere conati sunt. Sed neque Deuerlingius, qui 'grauastellas graues id est annis', neque Vsenerus, qui 'grauis stella, graue sidus anni' restituit, his mutationibus quicquam mihi profecisse uidentur. Contra Loewii coniectura haec glossa fortasse sanata est, qui sic scripsit: 'grauastella, γραῦς id est anus' simul allatis aliis Placidi glossis, ubi ad explicandam uocem latinam graeca uox additur. 'Grauastellus' igitur idem significat quod 'senex', est autem deminutiuum, deriuatum a 'grauaster', quod ipsum ad eandem radicem redire uidetur, quae in graeca uoce γραῦς est. Atque uocabula similiter conformata cum ex aliis scriptoribus tum ex Plauto allata sunt a Studemundo in Herm. I 282—284. Ceterum hanc radicem 'grau-' praeter hoc uerbum in lingua latina non offendimus. Singularis igitur haec uox cum usu ueniat, proque ea simul altera eaque simillima in textu Plauti inueniatur, aliam inde ad uocem 'rauistellus' explicandam uiam ingressus est O. Muellerus, qui ad glossam Paul. p. 96 'Grauastellus' adnotat, ut 'rauus' ex 'grauus' ita 'rauistellus' ex 'grauastellus' ortum esse. Verum hac ratione nihil demonstratur, nisi secundum legem linguae latinae 'g' ante 'r' omissum esse. Neque enim intellegitur, cur etiam 'a' in 'i' transierit. Sed ne illud quidem recte animaduersum est. Etenim si O. Muellerum sequimur intra centum quinquaginta annos illam mutationem secundum legem

1) Epid. ed. Goetzius praef. XXIV.

latinae linguae factam esse concedendum est, ut similia inuenimus in gnotus, gnatus, aliis. Sed numquam praeter illud unum uerbum intra linguam latinam ipsam, quoad nobis nota est, 'g' ante 'r' euanuisse uidemus. Quare haec explanandi uia non est sequenda.

Iam si quaerimus, utra scriptura Mil. 1180 Plauto sit tribuenda, Ritschelius quidem et Brixius Ambrosiani scripturam: 'Id conexum in umero laeuo expapillato brachio' in textum receperunt. Contra quam scripturam C. F. W. Muellerus[1]) suo iure profert ita scribi non licere primum propter hiatum uitiosum, deinde propter correptam tertiam uocis 'expapillatus' syllabam, postremo quod expapillandi notio: 'papillam denudare' hoc uerborum nexu inepta sit, cum dicat: 'dann reichte wohl bei den Römern der Arm bis zur Brustwarze?' Quibus de causis aliud uerbum eodem syllabarum numero, cuius tamen secunda longa fuerit, hoc loco uoce 'expapillatus' e textu expulsum esse putat. Atque quae priora argumenta Muellerus affert sane satis grauia sunt; si autem sensum huius uocis hoc loco ineptum dicit, hoc fortasse minus recte contenderit; cf. graecum *ἐξωμίζειν* apud Aristophanem Eccl. 267: '*ἐξωμισάσαις τὸν ἕτερον βραχίονα*'; quamquam non 'a brachio usque ad humerum' sed 'brachio atque humero denudatis' dicere uult. Verum nihilominus mihi quoque propter duo illa argumenta a Muellero allata huic uersui illa uox tribuenda non uidetur esse. Sed doctissimi illi editores Plauti cur non ad alteram uocem hoc loco a ceteris codicibus seruatam refugerint, quaerentibus causa inde repetenda est, quod quid illa uox significaret uel num omnino in lingua latina existeret, dubium uidebatur esse. Neque enim aut Turnebus[2]), qui 'exfafilatum' uoce a Paulo abiudicata exfilatum scribere uult, aut Vossius[3]), qui 'effafilatum' compositum esse dicit ex praepositionibus 'ex' et 'ad' atque uerbo 'filare', quidquam profecerunt, ac Loewius, qui pro uoce 'effafilatus' scribendum esse putat 'exinfulatus', quod alio loco eadem significatione apud Paulum inuenitur, etsi hac coniectura uersum sanauit, tamen quae nouae inde orerentur difficultates se non posse soluere ipse confessus est.[4]) Lucem huic uerbo difficillimo primus attulit Buechelerus[5]), qui comparata tabulae Iguuinae secundae uoce *sufafias* in ea eandem quam in Plautina *ef-faf-illatus* inesse radicem uidit. Illud autem 'sufafias' constat ex 'sub' praepositione et radice 'faf', quae 'notionem ligaturae originem fortasse *πείσμα-*

1) Plautin. Pros. p. 264. — 2) Aduers. III 5. — 3) Etymol. 214[b], 368 sq. — 4) Prodrom. 270. — 5) Interpret. tab. Iguu. pp. 26. 27.

σιν et offendicibus proximam habet'. Quare 'brachio exfafillato' nihil aliud est, nisi 'brachio extra amictus uincula prolato'. Atque hanc uocem non solum hoc loco, sed etiam alibi olim exstitisse Placidi glossa quadam comprobatur, qui (41, 16) haec exhibet: *exfabillauero: exeruero*, ubi f pronuntiationis cousuetudine notissima in b transiit. Quare uersus ille cum Ribbeckio secundum Palatinos sic scribendus est[1]): *Id conexum in umero laeuo exfafillato brachio.* Neque enim ulla re prohibemur quin *exfafillato* producta altera syllaba metiamur.

Iam Truc. 271 codices sic exhibent:

A Quia tibi suaso infecisti e. q. s.

BCD Quia tibi resuasu infecisti e. q. s.

BCD codicum scripturam ex Festi *Quia tibi insuaso infecisti* e. q. s. ortam esse recte uiri docti exposuerunt; cf. p. 211. Atque hanc quidem scripturam in nouissima huius fabulae editione Schoellius probauit, Spengelius contra A secutus 'suaso' praetulit. Quaeritur utram formam genuinam putemus. Atque fuerunt, qui uerbum 'insuasum' omnino exstitisse negarent. Nam quae praeterea huc spectant glossae: Paul. 111 *Insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio*, et Philoxeni: *Insuasum εἶδος δοκαρίων κεκαπνισμένων* cum alii scriptorum loci non commemorentur, ad eundem hunc Truc. uersum spectare ueri simile est. Ortam autem hanc uocem Galuauius[2]) putat ex recta huius uersus scriptura: *Quia tibin suaso infecisti* e. q. s., qua ratione etiam Buggius et Kochius hunc uersum scribi uoluerunt. (Cf. Neue Jahrb. CVII p. 408. 772.) *Suasum* autem correptum esse censet ex *subarsus* uel *sub-assus,* unde uox Italica *arsiccio* ortum ceperit. Verum mihi tota haec argumentatio claudicare uidetur. Neque enim ex *subarsum* omnino fieri potuisse uocem *suasum* crediderim. Deinde minime hunc uersum scribere uelim: *Quia tibin suaso* e. q. s., sed utcumque de restituendo toto hoc loco cogitamus — et mihi quidem quae Schoellius proposuit, ualde placent — *insuaso* puto scribendum esse primum propter allitterationem, deinde quod altera forma 'suasum' grammaticorum operam laboremque olet, cum a uoce suadendi deriuetur.

Atque ut antea singulorum locorum duplici ratione apud Festum traditorum alteram formam in A, alteram in P inuenimus, sic iam non modo rectam, modo falsam scripturam aut Ambrosianum aut Palatinos praebere uidemus, sed Palatini semper rectas, Ambro-

1) Cf. eius edit. Mil. glor. — 2) Forcellini 'Insuasum'.

sianus semper falsas exhibet scripturas. Quae cum ita sint, quis ueri simile esse negabit illas duplices apud Festum scripturas duplicis recensionis nostrae esse uestigia peruetusta? Inde autem efficitur utriusque nostrae fabularum Plautinarum recensionis fundamenta quaedam iam ante Verrium Flaccum exstitisse. Cur fundamenta dicam recensionis non ipsam recensionem subinde apparebit.

§ 9. Pergo nunc ad eam quaestionem quomodo factum sit ut pro genuinis uetustisque formis grauastellus, effafillatus, insuasum illae alterae nullum praebentes sensum: rauistellus, expapillatus, suasum legerentur. Atque Muelleri quidem coniecturam, qui 'rauistellus' formam esse recentiorem, quae secundum leges linguae latinae ex illa orta esset, contendit, non rectam esse iam antea demonstrauisse nobis uidemur. Quare ad has formas explicandas alio erit confugiendum. Ac mihi quidem rectam ingressus esse uiam uidetur Buechelerus, qui 'expapillatus' pro 'exfafillatus' ideo factum esse dicit[1]), ut uox obscura alia commutaretur, quae melius intellegi posse uideretur. Atque idem pertinere puto ad uoces 'insuasum' et 'grauastellus'. Nam has ut apud grammaticos aut non aut satis dubitanter explicatas inuenimus, ita quo modo, 'suasum' et 'rauistellus' sit explanandum haudquaquam dubii sunt. Quod si comprobatur, tunc facile suspicio moueri potest tempore fabularum denuo in scaenam commissarum illas nouas formas esse factas, quemcumque auctorem esse statuemus. Nunc uero prorsus absurda esset sententia, in locum uocabulorum obscurorum obscura substituta esse, quae ne ipsa quidem melius intellegerentur: immo si ex uoce 'insuasum' propterea 'suasum' factum est, quod a 'suadere' hoc uerbum deriuari posse uidebatur, ex 'grauastellus' rauistellus, quod 'grauis' uel 'rauus' inesse putabatur, ex 'exfafillatus' simili de causa 'expapillatus' — omnes hae mutationes grammaticorum glossatorumque opera ortae esse mihi uidentur. Quare etiam eam fabularum Plautinarum recensionem, ubi illae formae exstant ad grammaticos aliquo modo referendam esse putamus eoque consilio factam, ut obsoleta atque obscura illius poetae dictio temporum usui accommodaretur.

Quae cum ita sint, etiam de reliquis duobus locis Plautinis quos Festum duplici exhibere scriptura iam antea commemorauimus, quid nobis iudicandum sit, elucere puto: Cistellariae illum dico uersum codd. nostris non exhibitum et Aul. v. 555.

1) Tab. Iguu. II 27.

Atque illius quidem uersus duas apud Festum scripturas esse alteram *Cum extortis talis cum crotillis crusculis*, alteram *Cum extortis talis cum todillis crusculis*, antea dictum est. 'Todillis' autem nihil esse apparet. Neque enim ulla ratione quod apud Festum exstat, fieri potest, ut a uoce 'todus' tale deriuetur adiectiuum. Alteram uero uocem 'crotillus' etsi qua ratione explicanda sit non uideo tamen rectam esse ex illa altera, quae p. 301 apud Festum affertur: 'succrotillus' elucet. Hanc enim non suspectam esse exempla a Titinio atque Afranio petita docent. Hoc unum ex his locis et ex addita Verri Flacci significatione aliqua probabilitate concludi posse uidetur imprimis de uocis sonitu usu uenisse illud uerbum, quamobrem ad Plauti uersum additum est: 'belle, quae non pedibu[s ualerent].[1]) Quare hic locus tribus illis de quibus antea egimus iam per se simillimus etiam ea re proxime accedit, quod altera forma 'crotillis' uera est, altera 'todillis' uere latina esse omnino non uidetur. Porro etiam huius uersus formam falsam optime explicatam atque deriuatam apud grammaticos inuenimus, cum 'crotillis' quid fuerit non dicatur. Atque propter hanc ipsam causam etiam hoc uersu scripturam falsissimam 'todillus' a grammatico aliquo excogitatam esse nemo negabit. Haec autem omnia si reputantur, tunc etiam hoc ut concedatur fore spero, huius uersus scripturae differentias redire ad fabularum Plautinarum recensionem duplicem, ita ut in recensione P 'crotillis', in A 'todillis' fuisse putemus.

Paulo aliter res se habet Aul. u. 555, quo uersu propter duas illas Festi glossas huc referendas duplicem quondam exstitisse scripturam contendimus: *Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit* atque: *Quos si Argus seruet, qui oculatus totus fuit:* quae si cum illis comparabimus, quas adhuc tractauimus, prorsus aliam inter duo uerba *oculeus* atque *oculatus* rationem intercedere intellegimus, atque inter *grauastellus* et *rauistellus*, reliqua. Apparet

1) Loewii de hoc uersu sententiam eandem esse ualde gauisus sum. Litteris enim illis iam antea commemoratis scripsit: 'Wenn mich einer fragte, wie ich den Plautusvers schriebe, so würde ich mich für

cum extortis talis cum *crotillis* crusculis

entscheiden, aus folgendem Grunde. Die andre Ueberlieferung todinis, todillis knüpft an die todi an. Wenn diese Vogelart meinetwegen mit dünnen Beinen wirklich existirt hat, so erwartet man davon todinis wie Prisc. hat. ... Nun bietet aber Festus todillis und auf -illis geht das Adiectiv in der ganz abweichenden Variante crotillis auch aus. Danach verwerfe ich todillis. Was aber crotillis eigentlich bedeutet, vermag ich nicht zu sagen.'

enim et *oculeus* et *oculatus* optime dici posse. Tamen cum uno hoc Aulul. uersu uocem 'oculeus' offendamus, alteram 'oculatus' apud Plautum exstare Asin. 202, Pseud. 301, Truc. 490 uideamus, quamuis non prorsus eadem, tamen similis inter haec duo uerba ratio esse uidetur atque illis locis; idque propterea, quod uocem raram altera usitatiore commutatam inuenimus. Atque eam quoque mutationem cum grammatico alicui tribuimus uix errare nos putamus. Huius igitur loci condicio cum sit simillima quattuor reliquis uersibus Plautinis duplici apud Festum scriptura exstantibus, ut iam neminem fore puto, qui duas illas Festi uoces ad hunc Aul. uersum non referat, ita simul id alterum concedi existimo, etiam hanc scripturam duplicem ad recensiones Plautinas redire, praesertim cum recensione P formam 'oculeus' singularem, et propterea praeferendam, exstare uideamus. A igitur recensioni hoc quoque loco formam recentiorem fortasse recte tribuemus.

§ 10. Quinque igitur illis Festi Paulique locis Plautinis comprobatum esse nobis uidetur primum aut utramque recensionem aut certe utriusque recensionis fundamenta quaedam iam ante Verri Flacci tempora exstitisse, deinde illas Ambrosiani scripturas a grammaticis factas esse. Neque desunt grammatici qui Plauto operam nauauerint. Studia enim Plautina Romae cum florerent initio primi a. C. n. saeculi — satis erit nomina attulisse Aurelii Opilii, Aelii Stilonis — huic tempori non modo illas scripturas, sed omnino nouam recensionem tribui posse facile quispiam colligat. At obstat impedimentum grauissimum. Constat enim recensiones nostras A et P ad unum eundemque archetypum redire, quem cum fabulas unam et uiginti utraque nobis recensione traditas exhibeat, quas uel a Varrone ipso collectas uel certe ab eo ex ceterarum numero ut genuinas electas esse constat[1]), medio circiter primo a. C. n. saeculo ortum esse iure statuimus. Differentiae igitur recensionum nostrarum cum iam exstitisse uideantur priusquam fabulae illae una et uiginti ex ceterarum numero elegerentur et secernerentur, fieri non potest, ut quod simplicissimum sit, fabulas illas unam et uiginti postquam collectae sint, a grammatico aliquo correctas esse putemus. Atque ne ea quidem explicationis uia patet, ut secundum grammaticorum glossas fabularum nostrarum corpus correctum et mutatum esse dicamus, cum mirum esset, in recensione P rectas, in A falsas formas traditas

1) Cf. Ritschel. Parerg. disp. III.

esse ut illis de quibus adhuc egimus locis factum est. Sed ita fortasse huic rei lucem afferri posse putauerim, ut iam antequam fabulae nostrae una et uiginti in unum corpus colligerentur, comoedias singulas etiamtum Plautinas a grammaticis temptatas esse et iam ante Varronem duplici singulas fabulas forma exstitisse censeam. Iam uero cum ueri simile non uideatur uariis temporibus easdem fabulas electas et in unum corpus redactas esse hoc unum restat, ut fabulas illas unam et uiginti postquam collectae sunt, secundum exemplaria antiqua correctas et mutatas esse dicamus. Atque haec quidem ratio probari posse uidetur propter eam quoque causam, quod multis locis in A uersus omissos esse uidemus, quos P exhibet. Nam ut Goetzio assentimur, qui uersus Stichi omissos in A in communi codicum fonte exstitisse et postea ex A eiectos esse putat, ita propter alteram fabularum Plautinarum traditionem omissos esse cum eo[1] ueri simillimum putamus. Quamquam dubitari potest utrum Ambrosiani an Palatinorum recensio prior sit putanda. Tamen ut a quinque illis proficiscamur locis, cum minus ueri simile uideatur pro uerbis quae intellegi atque cognosci possunt alia obscuriora in textum illata esse, hac de causa ad eam adducor sententiam, ut P recensionem uetustiorem putem. Haec uero fabularum Plautinarum retractatio cui auctori uel cui tempori tribuenda sit, uix certius definiri potest.

Cap. IV.

§ 11. Apud Festum igitur cum secundum ea, quae antea diximus, utriusque recensionis nostrae uestigia appareant, iam quaerendum est inter reliquos apud Festum locos et recensiones nostras quae sit ratio. A autem recensionis cum parua tantum pars maleuola sorte ad memoriam nostram peruenerit, ad illam quaestionem persoluendam maximi nobis momenti sunt ei loci, quibus utriusque recensionis scripturas habemus. Iam uero cum in his duplicem hanc inueniamus rationem, ut A et P inter se aut differant aut consentiant, totam hanc quaestionem ita instituendam puto, ut primum agam de eis Festi fragmentis Plautinis, quae codicibus nostris duplici scriptura tradita sunt, deinde de eis, in quibus codices consentiunt.

Atque primum quidem ubi A et P inter se differunt, A recensionis scripturas apud Festum uersibus offendimus his: Cas. IV

1) Cf. Dittographien im Plautustext Cap. III.

3, 7, Fest. p. 277 s. u. Remeligines: *Nam quid illae nunc tam diuinitus remorantur remeligines.* Cf. Paul. p. 276: *Quid nunc illae tam diuinitus remorantur remeligines.* Ac de scripturae inter Festum Paulumque huius loci differentiis quae dicenda sunt, iam antea exposuimus. P: *Nam quid illaec nunc tam diu intus remorantur.* A idem exhibet nisi quod REMILIGINES. Apparet igitur, Festum cum A uocem *remeligines* (sic enim scribendum est: cf. Vaniček, Etymol. Wörterb. p. 125), quam P omiserunt, in fine uersus praebere. Neque quae aliter apud Festum tradita sunt atque in A, *diuinitus,* pro quo in codd. *diu intus,* atque *illae* pro quo in codd. *illaec* recte exstat, quin meris scribendi erroribus tribuenda sint, quisquam dubitabit.[1])

Cas. epil. 7, Fest. p. 166 s. u. Nauteam *]o scorto sup[.* Referendas esse has lacinias ad Cas. exitum apparet ex uoce nautea et codd. scriptura: P. *Ei pro scorto supponetur hircus unctus nausea* A pro *hircus* exhibet *ircus* pro *nausea* autem *nautea.* Consentit igitur Festus cum A in uoce *nautea.*[2])

Epid. 592, Fest. p. 230 s. u. Plaustrum *]pidicus[. . . . .]um perculi.* Atque haec quidem pertinere ad Epid. 592 perspicuum est, qui exhibetur in P: *Epidicus mihi magister fuit. Perii austrum perculi* et in A: EPIDIC . . . . . TRVMPERCVLI. Si recte a Goetzio Ambrosiani lacunam expletam esse putabimus[3]), in uoce 'plaustrum' A et Festus consentiunt.

Mil. 581, Fest. p. 169 s. u. Nassa *Numquam hercule ex ista nassa hodie ego escam petam.* Cf. Paul. 168 *Numquam ex ista nassa hodie ego escam petam.* A idem. P *massa* et (B) *capiar* (CD) *capetam.* Recte igitur cum A Festus hunc uersum exhibet. Ceterum 'hercule' apud Festum ut hoc loco, sic etiam p. 178 s. u. oculissimum ex Pseud. u. 301 allatum inuenimus pro recta forma Plautoque tribuenda 'hercle'. Atque illa quidem forma a Plauto abiudicanda utrum ex codice aliquo sumpta, an per librarios in Verri Flacci aut Festi textu orta sit, dubitari potest. Tamen hoc mihi probabilius uidetur esse.

1) Nescio Geppertus cur in hoc uersu restituendo et codd. et Festi scripturam neglexerit. Scripsit enim: Nam quid illae hinc tam diu intus remorantur remeligines. In quibus offendit coniunctio uerborum: 'hinc intus remorantur', quod omnino dici posse negauerim. Praeterea autem etiamsi recte omnia se habere concederemus in codd. scriptura cum nihil offensionis sit, omnino nulla causa est, cur quidquam mutemus. — 2) Ne hic quidem uersus recte apud Geppertum scriptus est. Qui si cum A contra reliquos codd. scripsit 'ircus', falsam eam scripturam esse Sabinorum 'fircus' docet. Cf. Curtius, Grundzüge[4], 182. — 3) Cf. eius annotat.

Pers. 419, Paul. p. 336 *Seduculum* [sic enim codd. optimi] *genus flagelli dictum, quod uapulantes sudantes facit.* Corruptam esse hanc glossam inde patet, quod a uoce *sudare* ut *seduculum* deriuetur fieri non potest. Immo restituendum est propter eam interpretationem *suduculum.* Neque enim cum Meursio *sudiculum* restituemus, si eam glossam pertinere ad Pers. 419 Ritschelio concedemus, ubi A: SVBVCVLVM una B littera secundum Ritschelii annotationem incerta, P *cubiculum* praebent. Atque in A siue fuit tertia huius uocis littera B, siue alia, mihi dubium non uidetur esse, quin idem quod apud Paulum habemus uerbum in A lateat. Congruit igitur etiam hac in uoce Festus cum A.

Poen. V 5, 12. 13, Paul. p. 28 *Atritas atri coloris. Aegyptinos Aethiopas.* Spectat illa glossa ad u. 12 ubi *atritas* quidem etiam codd. exhibent, haec ad u. 13 qui sic legitur: P. *Quam Aegypti aut qui cortinam ludis per circum ferunt.* A. *Quam Aegyptini qui* etc. Consensus igitur est inter A et Festum.[1])

Pseud. 110, Fest. p. 355 s. u. Turbelas: *Quo alto et quantas soleam turbelas dare.* Codd. *pacto* atque P *turbellas,* A *turbelas.* Atque in Festi quidem scriptura: *Quo alto* Ursinianus uocem *quales* latere ratus est. Tamen quamquam uersui accommodata est haec scriptura, talem differentiam statuere coacti non sumus, cum facillime librarii errore ex QVOPACTO omisso P QVOACTO et inde QVOALTO fieri potuerit.

Stich. 352, Fest. p. 169 s. u. Nassiterna: *Ecquis huc effert nassiternam cum aqua sine suffragio?* P idem, nisi quod *nasciternam:* A *nassiternam* cum Festo exhibet.[2])

Trin. 24, Paul. p. 109 s. u. *Immunis; Immune est facinus.* A idem, P *Inmene est facinus.* Exhibet igitur Paulus plane Ambrosiani scripturam. Neque uero Plauto tribuendam esse eam formam, quam A et Paulus, sed eam quam P exhibent ut uetustiorem apparet.

Iam unius statim loci mentio facienda est, ubi apud Festum eam scripturam, quam P praebent, offendisse uidemur. Truc. 277, Paul. 221 *Patulum bouem Plautus appellat, cuius cornua diuersa*

1) Ceterum u. 12 corruptus est, cum in codd. exstet: 'Ita replebo atritate atratior [sic A, atrior P] multo ut siet'. Hiatum huius uersus non ferendum ut tolleret, Geppertus sic correxit: 'Ita repleuero'. Tamen cum respondeant: 'faciam', 'replebo', alterius futuri formam omnino huic loco conuenire negauerim. Immo scripserim: 'Ita replebo [eam] atritate' e. q. s. — 2) Cf. Loewii Analect. Plaut. p. 178.

ac late pateant. Haec glossa quin spectet ad Truc. 277, uix dubium esse potest. Ibi autem inuenimus in P *patulum uoueri,* in A *patulam bouem.* Verum cum Palatinorum scripturam corruptam esse appareat ex *patulum bouem,* hoc loco consensus inter P et Paulum statuendus erit.

Iam nero quid ex his locis nobis concludendum sit quaeritur. Omnibus eis uidimus Festum Ambrosiani scripturam exhibere praeter Truc. 277, ubi cum P consentire uisus est. Tamen ut hunc locum statim absoluam, ut omnino illud *patulum bouem* non recensíoni alteri tribuam, sed mero librarii alicuius uitio, propterea quod in archetypo ultima syllaba omissa fuerit, ortum esse putauerim, ita ne illud quidem concedam illam apud Paulum glossam ex codice aliquo Plautino ipso sumptam esse, cum ap. Fest. p. 229 glossam inueniamus talem: *Propatulum late patens atque apertum et patuli boues, quorum cornua in diuersum super modum patent.* Cuius glossae uerba: *patuli boues* non minus recte ad eundem Plauti uersum referemus. Quare omnino non cum P contra A, quoad utraque recensione nobis seruata uidere licet, Festus facere mihi uidetur.

Reliquis igitur omnibus locis A et P seruatis et inter se differentibus Festum A scripturam exhibere uidemus. Quid ergo? Omnes illos locos propterea cum A consentire dicendum est, quod ex codice eiusdem recensionis fluxerint? Caue hoc facias, priusquam demonstratum sit singulorum uersuum illorum differentias reuera duplici recensione in textum peruenisse neque aut scribendi erroribus aut casu ortas esse. Diligentius igitur discrepantiarum illarum condicionem inspiciamus. Quarum meris quidem librariorum uitiis eas deberi apparet, quas inuenimus Cas. IV 3, 7 epil. 7, Epid. 592, Mil. 581, Stich. 352. Neque aliunde originem eius differentiae repetendam esse, quae est Poen. V 5, 13, inde apparet quod facillime ex AEGYPTINI AEGYPTI NI et inde AEGYPTI AVT fieri potuit. Atque etiam Pseud. 110 si Festus cum A *turbelas,* P *turbellas* exhibent, haud ita magni eam differentiam habendam esse putauerim. Sed Pers. 419, ubi Festus una cum A scripturam 'suduculum' P 'cubiculum' exhibet, similem rationem offendisse uidemur, atque eam quam statuimus inter 'grauastellus' et 'rauistellus', reliqua. Nam etiamsi apud Paulum uox *suduculum* recte cum uerbo *sudare* comparatur, tamen quae additur explicatio: *Suduculum genus flagelli dictum quod vapulantes sudantes facit,* a uero longe aberrat. Est enim *suduculum flagri* eodem modo atque eodem sensu dictum atque *gumnasium flagri.*

Haec enim locutio ut significat eum locum ubi flagrum exercetur, ita illa eum significari puto, quo diu ualdeque caeso flagrum ipsum sudans redditur. Quare cum hoc uerbum Verri Flacci atque auctorum eius temporibus iam obscurum fuisse uideatur, ut ex addita illa Pauli explicatione apparet, facillime grammatico cuidam *cubiculum* scribendum esse in animum uenire potuit. Quare hic locus ex eadem qua A recensione ad Festum peruenisse fortasse uidebitur. Tamen cum reliquis recensionis duplicis locis eam rationem inuenerimus, ut P rectas A falsas exhiberet formas, eam explicationis uiam ingredi non licet, sed etiamsi coniectura ortum putamus *cubiculum,* tamen non eidem tempori cui illas sed multo posteriori tribuemus.

Vnus restat locus Trin. 24 ubi Paulus cum A *immunis* P autem recensio: *inmenis* id est inmoenis exhibet. Atque huius quidem loci condicio prorsus alia est quam eorum, de quibus adhuc egimus. Illis enim omnibus rectam cum A contra P seruat Festus scripturam: hoc loco cum A falsam exhibet. Atque grauior mihi haec inter A et P differentia uidetur esse quam quae orthographicae rationi sit tribuenda. Neque enim quisquam casu et in A et apud Festum uel Paulum ex *inmoene* factum contendet esse *immune.* Quare hoc uersu eiusdem correctoris manum offendimus, cuius id fuit consilium, ut pro formis uetustis atque obsoletis nouae et temporum usui accommodatiores legerentur.

Quae si recte disputata sunt, propius ad A recensionis contextum uerba Festina accedunt. Neque contra facit alius locus, Cist. uersum dico uno A traditum, qui apud Fest. p. 274 s. u. Rauim sic scriptus est: *]experiuraui her[-]im.* cum in A haec exstant[1]: EXPVRGABOKERCLESOMNIAADRAVCAMRAVIM. Primum enim uerbum apud Festum etiamsi contra A expurigaui, quod rectum hoc uersu est, fuisse uidetur tamen in uoce, 'rāuim', qua ultimus uersus pes ut expleatur nullo modo fieri potest, cum A fecisse Festus uidetur. Quod uitium qua ratione uitandum sit, etsi nullum uideo remedium, tamen eo ipso sententia nostra etiam magis commendatur, cum haec omnia ad codicem A recensionis redire contendimus.

§ 12. Sequitur ut eis locis, ubi A et P idem exhibent, quae sit ratio inter Festum codicesque paulo diligentius contemplemur. Quae cum duplex esse possit, ut Festi scriptura aut consentiat aut

1) Cf. Studemund in Herm. I, 298. 299.

dissentiat cum codicibus, eo ordine agendum uidetur, ut primum dicamus de eis locis quos Festus eodem modo quo libri nostri scripturae erroribus non respectis, deinde de eis, quos discrepanti scriptura exhibet.

Ex illis autem ut primum agamus de eis, qui et apud Festum et in codicibus recte nobis exhibiti esse uidentur, hi sunt respiciendi:

Bacch. 476, Fest. p. 318 s. u. Sacrem porcum: *Adu]lescens qui[bus hic pretiis porci] ueneunt sac[res sinceri nummo] nummum [a me accipe, iube te] plari de mea [pecunia].* Atque missis scribendi erroribus *plari* Festi pro *piari, ueniunt* librorum P pro *ueneunt,* reliqua cum AP consentiunt, quoad scripturas comparare licet. Neque enim in A quidquam legi potest nisi SNVMMVMAMEACCIPE. Atque B idem exhibuisse ex horum uerborum scriptura: *Sacris incerinummis . . . a* e. q. s. apparet.[1]) Festi autem lacunam quominus ut in omnibus codicibus traditum est *nummis* pro *nummo* editionis Muellerianae expleamus, nihil obstat.

Pers. 347, Fest. 294 s. u. Sublesta: *Ad paupertatem si immigrant infamiae, grauior paupertas fit, fides sublestior.* Paul. 295 *Grauior paupertas fit fides sublestior.* Qui locus etsi hic referendus esse non uidetur cum et A et P exhibeant: *admigrant infamiae,* quod unum Plauto tribuemus, tamen cum nihil facilius esset, quam ut oculis ad initium uerbi sequentis aberrantibus librarius pro *admigrant* scriberet *immigrant,* mero calami lapsu haec differentia orta esse uidetur.[2])

Pers. 392, Fest. p. 297 s. u. Soracum: *[libro]*rum *eccillum [habeo plenum] soracum.* Quae apud Festum certa sunt *librorum eccillum[ ]soracum* prorsus cum A et P consentiunt. In ceteris si A exhibet: PLENVMILLVMSORACVM, P: *habeo plenum soracum* neutram scripturam Plauto tribui posse propter hiatum apparet. Apud Festum quae fuerint, enucleare uelle inutilis uidetur opera.[3])

1) Hac lacuna non respecta Brixius (Quaest. 35) sic scribendum putat: 'sacres sinceri? numos a med accipe'. quae scriptura per se ipsa refutatur. — 2) Ceterum si hoc loco apud Nonium p. 177 scripturam inuenimus hanc: 'Vbi ad paupertatem admigrant infamiae paupertas grauior fit, fides 'sublestior', inde non de discrepantia codd. Plautinorum cogitandum est, sed sine dubio hic locus in Nonii fonte ex memoria allatus fuit. — 3) Vario modo uiri docti hunc uersum tractauerunt. Atque librorum quidem scriptura non offendit Spengelium (T. Maccius Plautus p. 195). Reliqui autem uaria ratione hiatum tollere conati sunt: Ritschelius post 'eccillum' inseruit 'ego', Muellerus scripsit:

Similis atque huius uersus ratio est Truc. 572, qui cum apud unum Paulum exstet concisus, quo modo apud Festum scriptus fuerit, satis est dubium. Tradita apud Paulum p. 366 s. u. 'Tegillum' uerba haec sunt: *Tegillum mihi aret id si uis dabo.* Consentiunt igitur haec uerba cum codicibus quorum A: *Tegillum eccillum mihi unum aret,* P: *Tegillum eccillum mihi unum aretit* exhibent. *Aretit* enim *aret* atque *id* iteratum uidetur esse.[1])

Trin. 37. 38, Fest. p. 277. s. u. Remeligines aeque su[ ]publi[. . . . Hae laciniae quoad comparare possumus cum codd. congruunt.

Mil. 697, Fest. 330 s. u. Spicit: *Flagitium est si nihil mittetur, quae supercilio spicit.* In A quod hoc loco maximi est momenti *quae* ante uocem *supercilio* legi potest.[2]) B, ubi reliqua eodem modo ut apud Festum exstant, omisit hoc uerbum, CD *q* (= que), F *quo* exhibet. Atque primum quidem etiamsi in B *quae* ante *supercilio* omissum est, tamen cum CD *q* exhibeant, aut hoc aut plenam scripturam *que* archetypo codicum BCD tribuendam esse puto. *Que* autem ipsum nihil aliud esse posse nisi *quae* ut iam per se apparet, ita horum codicum scribendi ratione etiam magis comprobatur. Quare et A et P recensionis eandem huius uersus scripturam fuisse contenderim. Congruunt igitur inter se Festus et recensiones nostrae. Nihilominus autem Ritschelius cum F 'quo supercilio' in textum recepit. Neque tamen mihi ulla causa uidetur esse cur ab optimorum codicum scriptura hoc loco decedamus. Nam cum supercilium — quod etiam Ritschelium si sequimur, unum fieri potest — eadem hoc loco usurpatur sententia qua *superbia,* nescio cur *supercilio* solum non idem, quod

Librorum [domi] (Prosodie 495), Kochius (Mus. Rhen. 32 p. 100) 'libellorum' deminutiuum commendat, qua ratione etiam Bacch. III 3, 29 'Cum libellum legeres e. q. s.' sanandum esse putat. Verum huic coniecturae id obstat, quod apud Plautum nusquam 'libellum' eodem sensu quo 'liber' adhibitum esse inuenimus. Nam Pseud. 706, ubi haec uox exstat, pro 'epistula' usurpata est atque etiam Curc. I, 3, 6, siquidem is locus ex alia Plautina fabula huc adscriptus est, eandem 'libellum' uocis significationem statuere cogimur. Muelleri autem coniectura propterea mihi non commendatur quod cum iam u. 390 dictum sit, 'quoi dos sit domi' iteratum hoc uersu domi superuacaneum est. Ritschelii contra coniectura lenissima sensuique aptissima est, ut in ea acquiescendum esse uideatur. — 1) 'Eccillud' rectam esse scripturam propter accentum in ultima positum apparet. Hiatum autem interim cum Fleckeiseno tenere malim, quam trium illarum, quas C. F. W. Muellerus (p. 586) proposuit scripturarum aliquam accipere. — 2) Cf. Ribbeck, Rhein. Mus. XXXVI, 117.

superbe significare possit. Ac facillime quidem ex *quae supercilio spicit* quippe quae minus bene perspici possint, fieri potuit: *quo supercilio spicit.* Quare cum Ribbeckio (cf. eius editionem) secundum Festum codicesque hunc uersum edendum esse puto.

Falsam scripturam et apud Festum et in codd., si Ritschelium sequimur, uno tantum inuenimus loco, qui est Stich. 352, Fest. p. 169 s. u. Nassiterna: *Ecquis huc effert nassiternam cum aqua sine suffragio?* De quo loco iam antea dictum est. Hic agitur de initio, quod eodem modo P exhibent atque A exhibere Ritschelio uisus est. Verum ex metri rationibus apparere uidetur fieri non posse, ut Plautum ita scripsisse putemus. Immo cum Guyeto ut fecerunt Ritschelius et Fleckeisenus scribendum erit: 'Ecqui huc' e. q. s. Quamquam non nescio qua ratione tradita scriptura defendi soleat.

Iam de eis locis, qui aliam atque in codicibus scripturam prae se ferunt apud Festum, quid nobis iudicandum sit exponendum est. Atque rectas quidem apud Festum Paulumque scripturas offendere nobis uidemur his locis: Paul. p. 102 *Habitior pinguior,* quae glossa suo iure a Kochio[1]) ad Epid. 10 relata est, ubi A: ABILIOR, P: *agilior* exhibet, neque hoc neque illud sensum efficiens. — Deinde hoc loco commemorandi sunt uersus Men. 200. 201, qui a Festo p. 302 s. u. *Succingulum* in folio, quod fere totum igni absumptum est, exstitisse uidentur. Quae supersunt, apud Muellerum hoc modo leguntur: *]Plautus[ ]um Herculis[ ]tiquam abstu[* Apud Ritschelium hi duo uersus uti Lambinus coniecerat sic scripti sunt: *Meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum* || *Hercules haut aeque magno umquam abstulit periculo.* Eadem in codd. exstant, nisi quod A: HAVDKERC secundum Loewium: HAVDKERCVLESAEQ, B: *Haud hercle seque,* C: *Aud hercule seque,* D: *Apud*^{ut} *hercule seque* praebet. Omnes igitur codices particulam *haud* ante uocem *Hercules* exhibent, quae scriptura duplici causa reicienda est. Primum uersum 201 nullo modo metiri possumus, deinde particulam *haud* ab aduerbio dirimi non licet. Quare Lambinus duobus uerbis *haud* et *Hercules* transpositis optime uersum restituit. Quae mutatio probatur illo Festi loco. Apparet enim eum ante uocem *Hercules* — nam *Herculis* quod legimus merus librarii error est — non legisse particulam *haud,* sed uocem *succingulum.* Verum alia difficultas restat: quaeritur quid ceteris apud Festum uerborum laciniis *tiquam abstu*

1) Rhein. Mus. XXVI, 550.

faciamus. Ac Muellerus quidem ex illis reliquiis uersus hoc modo restituit: *Ab Hippolyte succingul-]um Hercules[aeque magno neu-]tiquam abstu-[lit periculo.]* Concedendum est potuisse haec exstare apud Festum, si exteriorem uerborum seruatorum formam respicimus. Versus autem, qui tum efficitur, duabus difficultatibus laborat. Primum enim *Hercules* dactylicum esse non licet. Atque etiamsi Hercles forma aliis locis scripta uidetur fuisse, tamen si aliud remedium datur, eam recipere dubitem. Deinde in uerbo *neutiquam* offendimus, quod non significat: *nullo modo, nulla ratione,* sed potius *non nimis, non ualde.*[1]) Praeterea apud Plautum semper scribendum atque legendum esse *ne utiquam* constat, quod hoc uersu nullo modo fieri potest. Versum autem adeo corruptum uix codici illi tribuemus, quem optimi generis fuisse paragrapho antecedenti uidimus. Accedit quod paruum lapsum calami apud Festum si statuimus, optime omnia quadrant. Facillime enim duas litteras *ti* ex una *n* oriri potuisse nemo negabit, praesertim cum ea mutatione nouum uerbum *utiquam* efficeretur. Restituendum igitur est: *Ab Hippolyta succingul-]um Hercules[haut aeque magno u-]nquam abstu-[lit periculo.]* Ac iam cum Festi testimonio Lambini coniecturam comprobatam uideamus, nemo cum Kochio de forma uetustiore *Herculeus* cogitabit[2]), quam ut formas *Achilleus* et *Vlixeus* a Buechelero erutas Plauto uindicat

Huc pertinere puto etiam Truc. 213, qui uersus apud Schoellium ita legitur: *Huic homini amanti neniam mea era apud nos dixit de bonis.* B: *H. h. amanti meer ap̃ nos neniã dıx̃ d. b.* CD: *H. h. amanti me era apud nos dixit neniam d. b.* A: *H. h.* APVTNOSMEAERAAMANTINNEIAMDIXIT. 'Quem uersum a Festo p. 161 s. u. Naenia ubi haec exstant: Idem: Huic hom[ ]dixit domi et ap[ ]niam esto' allatum esse primus putauit Antonius Augustinus. Ac mihi quoque etsi Schoellius magnopere addubitauit[3]), hae laciniae ad illum Truc. uersum pertinere uidentur. Sed quae apud Muellerum scripta inueniuntur, uix uersus Plautinos putabimus, uerum aliter locus ille explendus est. De quo mihi quidem recte egisse uidetur Sophus Buggius, qui — id quod priusquam illius de hac re sententiam cognoueram, et ipse inueneram — sic scribendum esse censuit: *Idem: Huic hom[ini amanti mea era apud nos naeniam]dixit domi. et ap[* Quare uersus e Truc. allatus in uerbum *domi* desinit, ea autem quae sequuntur ad alium scriptorem pertinent, cuius uerba in proximis allata fuisse putanda

1) Cf. Forcellini lex. sub ea uoce. — 2) Rhein. Mus. XXV, 618. — 3) Cf. eius annotat.

sunt. Nihilominus abusum esse Festi testimonio Buggium Schoellius in annot. ad hunc u. dicit. Ac sane uariae difficultates nobis offeruntur. Nam etiamsi, postquam cum Buggio lacunam expleuimus, uersum octonarium iambicum apud Festum habemus, quo Truc. illo loco, cum Astaphii narratio incipiatur, sequentes autem uersus eiusdem generis sint, opus est, tamen offenderunt uiri docti in coniunctis uerbis *apud nos domi* cum aut *apud nos* aut *domi* satis esse putent. Neque tamen in his uerbis haerendum est, cum apud Plautum ipsum Amph. 759 legamus *ad te domum,* ubi domum eodem iure superuacaneum esse uidetur. Cf. etiam Cic. Sest. 18, 41: *apud me domi.* Ac si mirum uidetur dici ab Astaphio: *Huic homini mea era naeniam dixit,* quamquam is nondum mortuus est, uersu sequenti: *Nam fundi et aedis obligatae sunt ob. amoris praedium* id optime explicatur. Certe enim nostrae fabulae meretricibus is amator pro mortuo est, qui nihil iam dare potest Contra haec si codicum scripturam contemplamur, uersum omnino non habemus. Quare Geppertus: *neniam apud nos dixit de bonis,* Spengelius: *neniam dixit bonis,* Schoellius: *naeniam mea era apud nos dixit de bonis* scripserunt. Mihi *de bonis* glossema uidetur esse ab aliquo ad explicandam singularem illam dictionem *naeniam illi dixit* adiectum, quo uerbum *domi* e textu eiectum est. Mire enim dictum esset: *naeniam dicere alicui alicui rei,* quod Spengelius uult, *aut naeniam dicere alicui de aliqua re,* quod codices praebent. Quare hoc quoque loco meliorem quam omnes codices nostri scripturam apud Festum traditam esse puto.

Ad Pseud. 301, Fest. p. 178 quae s. u. Oculissimum afferuntur, spectant: *Idem in Pseu]dolo oculatum pro prae[senti ponit cum dixit: Emi]to die caeca hercule [oliuum, id uendito oculata die].* Cum dubitatio esse non possit, quin hoc loco Pseud. 301 allatus fuerit, recte apud Muellerum lacunae suppletae sunt. Pro *emito* autem codd. BD praebent *eme;* quod etiam in C codicis scriptura *et me* latere uidetur. Ambrosianus Ritschelio secundum annotationem idem *eme* exhibere uisus est. Apparet *emito* hoc loco unice rectam esse scripturam.

Ad Trin. 243, Pauli glossa p. 116 *Liquitur, labitur fluit* spectat.[1]) Versus ille in codd. ABCD pariter sic traditus est: *Ilico res foras labitur, liquitur.* Pauli autem glossa commotus Fleckeisenus *labitur* nihil nisi additamentum ratus e textu eiecit uersumque satis probabiliter sic restituit: *Ilico rès foras liquitur.*

1) Fleckeisen, Jahrbb. CXI, 539.

Quare etiam Festo Verrioque Flacco haec huius uersus forma nota fuisse uidetur.[1])

Iam si quaerimus e quali codice hi loci meliore quam codd. nostris apud Festum exstantes scriptura sumpti sint, primum elucet ex eis nullo modo cognosci posse utri recensioni eum tribuamus. Apparet enim falsas eorum uersuum scripturas, quae codd. nostris exhibentur, aut scribendi erroribus ut Epid. 10, Men. 201, Pseud. 301 aut glossematis in textum illatis ut Truc. 213, Trin. 243 natas esse. Festi igitur scripturae siue ex grammaticis transcriptae sunt siue ex ipsis codicibus collectae, ad codices redeunt, qui liberi fuerunt uitiis quibusdam, quibus A et P infecti sunt. Quae ratio non prohibet, quominus propius ad Ambrosianam recensionem accedere in uniuersum uerba Festina statuamus.

Dubium est utrum inter eos locos quibus contra A et P rectam Festus exhibet scripturam· Pseud. 1252 referendus sit, ad quem Paul. 126 quae inuenitur glossa spectat: *Madulsa ebrius, a Graeco μαδᾶν deductum, uel quia madidus satis a uino.* P: *habeo madulsam*, A: EOM^DV : S. Atque si in uoce *madulsa* eum quem Paulus uult sensum inesse putamus, tunc fieri non potest, ut cum P legamus *habeo madulsam*, sed quam Lipsius proposuit[2]) scripturam: *abeo madulsa* cum Ritschelio Lorenzioque praeferendam esse putabimus. Atque talem lectionem eam fuisse, ad quam Pauli glossa spectat, ex explicatione addita apparet. Dubium autem est, utrum Ambrosianus cum P falsam an cum Paulo rectam praebuerit scripturam.

Restat unus locus Stich. 91, qui ap. Fest. p. 197 s. u. Osculana pugna ex Neruolaria sic affertur: *Osculum sat est mihi* ...

1) Data hac occasione cantici sequentis u. 280 quomodo restitui posse putem exponam. Is enim in omnibus libris (AP) pariter sic traditur: *patrem tuum si percoles per pietatem.* Ad quem uersum restituendum et explanandum uarias editores rationes secuti sunt. Nam locum corruptum esse plerisque editoribus assentior neque a Brixii, Crainii, Redslobii (Symbolae criticae ad Plauti fabulas. Gymnasialprogramm Weimar 1879, p. 10. 11) stare possum, qui uersum ita, ut codices exhibent scripserunt. Reliquorum plerique propter uu. 279. 281 uersum creticum restituere conati sunt. Mihi uidetur ex codicum omnium communi lectione: 'Patrem tuom si percoles' uersus iambicus indicari, uersus autem mutatione leuissima sic fortasse restituendus esse: *Patrem tuom si percoles pie per aetatem[tuam].* Qui uersus non solum sensui optime accommodatus est, sed etiam optimam metrorum concinnitatem affert. Habemus enim uers. 279 dim. cret., 280 oct. iamb., 281 dim. cret., 282 oct. iamb. — 2) Ant. lect. V, 9.

qui ambo mi pater. AB *Osculum.* # *Sat est osculi mihi uostri.* # *Qui amabo pater?* CD *est mihi osculi uestri.* Consentit igitur Festus cum uerba *est mihi* exhibeat cum CD contra AB, differt in exitu uersus ab omnibus codd. De his scripturae discrepantiis quid iudicandum est? Apparet codicibus quae tradita sunt uerba si respicimus falsissimam esse eam quam CD exhibent scripturam, sed scribendum esse ut fecit Ritschelius cum AB *Osculum.* # *Sat est osculi mihi uostri.* # *Qui amabo pater?* Iam autem quaeritur quid eis faciamus, quae a Festo tradita sunt. Vbi si cum Muellero secundum codd. lacunam explemus *osculi uestri,* uersum omnino non habemus. Sed tamen in extremis huius uersus uerbis traditis: *Qui amabo mi pater* boni uersus exitus latere uidetur. Quare si cum Aldina et A. Augustino supplemus, quod etiam propter litterarum deperditarum numerum commendatur: *osculi,* uersus effigiem uidemur habere: *Osculum. Sat est mihi osculi. Qui amabo mi pater:* in quo nihil praeter caesuram neglectam offendit. Ceterum cum ualde dubium sit, illum uersum num illo modo suppleri oporteat, facillimeque cogitari possit alia quondam apud Festum exstitisse, in quibus nihil fuerit uitii, satis erit contendere Festi scripturam non prorsus esse reiciendam, sed fortasse in ea latere uersum aeque bonum atque eum quem codd. nostris traditum habemus.

Cap. V.

§ 13. Restat ut ad eos locos tractandos transeamus, qui Ambrosiano aut perdito aut inextricabili Palatinis solis exhibentur. Qua in re pronum est suspicari, ubicumque Festus a P grauius differat, Festinam scripturam ad Ambrosianam recensionem propius accedere, si quidem supra de hac re recte disputauimus. Firmatur autem haec suspicio nonnullis locis, quorum scriptura Festina a Palatinis eo modo differt, quo recensiones A et P inter se differre uidimus. Hi autem loci de quibus primum nobis agendum est, sunt: Poen. III, 1, 27, Paul. p. 97: *Grallatores appellabantur pantomimi, qui, ut in saltatione imitarentur Aegipanas, adiectis perticis furculas habentibus atque in his superstantes, ob similitudinem crurum eius generis, gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi. Plautus: Vinceretis cursu ceruas et grallatorem gradu.* Apud Geppertum hic uersus scriptus est: *Vinceretis ceruom cursu uel clauatorem gradu.* Haec enim in codd. exstant, nisi quod B *et clabatorem* C *.t glabatorem* praebet. Totus uersus etiam apud Varronem (de ling. lat. 350 Sp.) inueni-

tur in hunc modum scriptus: *In Poenulo: Vinceretis ceruum cursu uel gralatorem gradu.* Praeterea huc spectat Plac. 50, 3: *Grallae perticae, ad quas cruribus colligatis ambulantes, grallatores dicuntur.* quae glossa propter similitudinem ex Verri Flacci opere ortum cepisse uidetur. Gloss. Labb: *Grallatores καυικὰ φοροῦντες,* Nonius: *Grallatores sunt collobathriarii* etc. Quae si reputamus, 'tunc hoc loco similis scripturae discrepantia uidetur exstitisse atque inter *grauastellus* et *rauistellus, exfafillatus* et *expapillatus.* Atque sic Osanno uisum est, qui utramque lectionem probam esse dicit.[1]) Contra quam sententiam si afferre uellemus *clauator* sensui non aeque accommodatum esse, quam *grallator,* ei argumento haud multum tribuendum esset, cum etiam illis locis alteram scripturam praeferendam esse constet. Sed tamen quomodo B et C uocem *clauatorem* exhibeant, si diligentius examinabimus, uix dubium esse potest, quin et *clabatorem* et *glabatorem* corrupta esse putemus ex 'uoce *gralatorem,* quam Varro exhibet. Nihilominus satis magnae traditarum huius uersus scripturarum restant differentiae. Duae enim eius formae hae uidentur esse: Cod. P (V et D Gepperti), Varro: *Vinceretis ceruom cursu uel gralatorem gradu.* Neque enim graui corruptela in codd. ex *uel* apud Varronem tradito *et* fieri potuit, unde uersus uitiosus fit. Atque altera scriptura Pauli est: *Vinceretis cursu ceruas et grallatorem gradu.* Quos duos uersus si comparamus, id elucere puto genuinam formam eam esse, quam cum Varrone codd. exhibent primum propter scribendi genus *gralatorem,* cum Plautum litteras geminatas nondum adhibuisse constet, deinde quod sic multo simplicior atque accommodatior fit oratio. Respondent enim inter se *gradu* et *cursu, gralatorem* et *ceruom.* Neque uideo cur femininum *ceruas* poeta praetulerit, cuius rei nulla causa est. Quare Plauto huius uersus scriptura apud Varronem codicibusque tradita tribuenda uidetur esse. Sed Pauli uersum elegantissimum esse atque optimum quis est qui neget? De scribendi igitur erroribus cum cogitari nullo modo liceat, unde duas huius uersus formas fluxisse putabimus? Atque mihi quidem, cum *grallatores* forma recentior sit habenda, omnia optime explicari posse uidentur, si hunc quoque uersum a grammaticis tractatum esse statuimus. Apud Paulum autem quae exstant, etiam in A exstitisse suspicor.[2])

1) Anal. crit. 198. — 2) Liceat eiusdem fabulae proximae scenae u. 5. emendationem proponere. Vt lenonem qui Agorastoclis puellam eiusque sororem tenet perdat, Milphio, seruus fidelis, ero amanti id suadet, ut

Bacch. 887—889, Fest. p. 161 s. u. Naenia: *nio utitur Plautus [in Bacchidibus: si tibi est ma]chedem: ad nob[is ueruina est domi qua quidem] te reddam, u[bi tu me irritaueris, confossio]rem soricina naenia.* Libri: ... *si tibi est machera et nobis ... te fatiam si tu me ...* Satis igitur magnae differentiae horum uersuum traditae sunt. Atque *chedem* quidem Festi eodem modo ut codicum *et* Festique *ad* illud *ex [ma]chaera*, hoc ex *at* mero librarii errore orta esse apparet. Grauius autem est, quod apud Festum legimus: *te reddam* scil. confossiorem, in codd.: *te faciam.* Iam illud *u* quod post uerbum *reddam* apud Festum seruatum est, indicare uidetur eum particulam *ubi* exhibuisse, pro qua codd. nostri *si* praebent. Atque reliqua cum consentiant, de hoc uno uersu nobis agendum est, cuius duplicem hanc formam fuisse uidemus: Fest.: *[qua quidem] te reddam u[bi tu me irritaueris]* codd.: *qua quidem te faciam si tu me irritaueris.* Vtrumque autem uersum et sensui aptum esse neque rationibus metricis oppugnare apparet. Quare differentiae quales sint, si quaerimus, *ubi* et *si* inter se commutatos non solum hoc loco habemus, sed etiam Stich. 524, cuius initium A *Domum ubi redieris* P *Domum si redieris* exhibent. Atque ut iam propterea Festi scriptura A recensionis esse uidetur, ita etiam magis hoc propter alteram contendemus differentiam, ubi Festus *reddam*, codices *faciam* cum participio perfecti passiui coniunctum praebent. Vtrumque enim dici posse et apud Plautum inueniri exempla docent a Brixio in annotatione ad Capt. 342 allata. Tamen ex illis quae affert exemplis ueri simile uidetur Plautum talibus in coniunctionibus uer-

Collybiscum, lenoni ignotum, cum trecentis Phillippis instructum quasi peregrinum lenonis domum mittat. Qui si pecunias apud lenonem perdiderit, occasionem lenonem perdendi datum iri. Opus autem est testibus quos ut arcessat, Agorastocles in forum mittitur. Iam III, 1 hic cum aduocatis suis aduenit. Proxima scena Agorastocles eos ad Milphionem adducit, qui u. 5 ubi eos conspicit ad eri uerba: *assunt testes* respondet: ... *tot quidem* ‖ *Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.* quae uerba non sine offensione esse mihi uidentur. Iam primum dubium est utrum omnino *tot* cum comparatiuo ita ut hoc uersu factum est, coniungi possit. Deinde cur de magno aduocatorum numero Milphio dicat, haud est clarum, cum ad id quod propositum erat, haud ita magnus numerus opus esset. Videtur igitur in illis uerbis corruptela latere. Milphio nihil aliud dicere uult nisi: non potuisti homines adducere magis idoneos. Quare *tot* corruptum esse puto. Coniectura autem lenissima omnia se recte habitura uidentur, si pro *tot* scribimus *pol*, ut illa uerba sint: *Pol quidem* ‖ *Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.*

bum *reddere* praetulisse, cum uerbum *facere* adhibeat tantum in elocutione *missum facere*, quae etiam apud alios scriptores creberrima est, et *nihilo factius facere* (Trin. 397), ubi tamen facere ut diceret, uerborum lusu efficiendo poeta commotus uidetur esse. Quare si reputamus quae antea de uerborum *oculeus* et *oculatus* ratione dicta sunt, hoc quoque loco uox inusitata usitatiore remota uidetur esse. Quare dubium mihi non est, quin quae huius uersus apud Festum exstet scriptura alterius recensionis sit.

Most. 727. 728, Fest. p. 305 s. u. Superescit: *In Phasmate: Ehe[m uix] tandem percipio, super rebus nostris loqui te. Phasmatis* nomine afferri Mostellariam iam antea commemoratum est. Versus autem qui hoc loco apud Festum allatus est, in codd. sic traditur: *Ehem uix tandem percepi super his rebus nostris te loqui.* Sed ut dubium non est ad eundem hunc uersum Festum spectare, ita fieri non potest, ut alterius ex altero scriptura deriuetur. Apparet enim in codd. septenarium trochaicum esse: *Ehem* ‖ *Víx tandem percépi super his rébus nostris té loqui,* cui metro prorsus repugnat, qui apud Festum exstat uersus. Tamen cauendum est, ne prorsus corrupta quae apud eum sunt putemus. Illis enim uerbis et ratio et metrum inesse uidetur dummodo legamus: *Ehem* ‖ *Vix tándem percípio* ‖ *Supér rebus nóstris loquí te,* quae dimetri et trimetri bacchiaci coniunctio apud Plautum usu uenit. Hoc autem loco corruptissimo de metro nihil constat. Metrum autem bacchiacum ut optime sententiae respondere uidetur, ita praesens tempus pro perfecto usurpatum esse hoc sensu non offendit. Ceterum etiam alibi haec duo tempora inter se commutata esse docet Merc. 259, ubi A 'Inscendo in lembum' P 'Ascendi in lembum' exhibent. Quare recte fortasse hanc quoque inter P et Festum differentiam recensioni duplici tribuendam esse contendere licet.

Cas. II, 8, 7, Fest. p. 165 s. u. Nepa: *Plautus in [Casina: Recessim dabo me [ad parietem, imita[bor nepam.* Paul. p. 164 s. u. Nepa: *Plautus: Dabo me ad parietem, imitabor nepam.* Codd. *Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.* Atque idem legisse Nonium uel eius auctorem ex eis, quae 145, 14 apud eum allata sunt, apparet: *Retrouorsum cedam, imitabor nepam.* Primum elucet nihil offensionis in eo uersu inesse, qui a Festo Pauloque traditus est. Deinde non minus clarum est, ea quae P exhibent: *Recessim cedam,* nullo modo redire posse ad Festi scripturam *Recessim dabo me.* Ceterum non sine causa in codicum

Recessim cedam offendit Loewius[1]), primum quod *recessim* eiusdem radicis sit atque *cedam*, deinde quod u. 10 denuo habemus *candidatus cedit hic mastigia.* Atque re uera propter has causas languidi aliquid in hoc loco inest. Quare Loewius proposuit scribendum esse: *Recessim betam* quod fortasse uerum est. Quam scripturam si genuinam putamus, tunc utrum codicum an Festi recentior sit putanda, dubitatio esse non potest. Quare hoc quoque loco recentioris recensionis scriptura apud Festum allata esse uidetur.

Aul. 162—164, Fest. p. 238 s. u. Postumus: *Post mediam aetatem qui mediam ducit uxorem domum, si eam senex anum praegnantem fortuito fecerit, quid dubitas, quin sit paratum his nomen pueris Postumi?* P: *media ducit ... fortuitu ... paratum nomen puero Postumus.* Atque primum quidem uersum 164 et apud Festum et in codd. optime et sensui et metro aptum esse apparet. Neque enim offendendum erit in *his pueris,* quod apud Festum est, cum in sententia tam generali bene pluralis numerus cogitari possit. Atque optime intellegitur *his,* id est: *eis pueris,* qui e matrimonio senis anusque procreentur. Quare cum cogitari non possit alterum uersum ex altero corruptum esse, hoc quoque loco recensionum discrepantiam offendisse uidemur, praesertim cum illud *fortuito* (fortuitu B) eandem sententiam fulciat.

Curc. 103, Fest. p. 258 s. u. Quadrantal: *Plautus in Curculione: Anus haec sitit, quantillum sitit? modica est, capit quadrantal.* Paul. p. 259 *Anus haec sitit. quantillum sitit? modica est, capit quadrantal.* Codd. *Sitit haec anus* e. q. s. Quamquam quae intersunt inter Festum codicesque haud ita grauia sunt, atque eis de quibus adhuc egimus locis, tamen uerborum apud Festum ordinem non casu, sed consilio factum esse puto eo, ut magis normae responderet. Quare quod de uersibus antecedentibus dictum est, etiam de hoc ualet.

Curc. 463, Paul. p. 101 *Halapanta significat omnia mentientem, ab eo, quod halet omnia. Ἄλην enim Graeci τὴν πλάνην id est fallentem, appellant.* B *kalophantam [am ex em],* EZ *kalophantam,* EJ *halophantam.* Nonius 120, 8 *Halofanta.* Accuratissime de hoc loco egit C. G. Brandis (de aspiratione latina quaestiones selectae, Bonae 1881). Genuina B codicis scriptura cum sit *halophantem*, collata Pauli glossa eam formam uerbi *alapari* (de quo uide Roenschium Mus. Rhen. XXXIV, 632) participium esse putat. Quare illum u. sic scribit: *Halapantem an sycopan-*

1) Anal. 204.

tam e. q. s. P igitur recensione recta forma tradita est. Nam quod exstat *halophantem* non *halapantem,* secundum sequens *sycopantam,* ex quo semper *sycophantem* factum uidemus esse, scriptum est. *Halapanta* autem quod apud Paulum exstat, cum Brandi glossatorum opera factum esse putamus.

Curc. 566, Fest. p. 372 s. u. Vapula Papiria *Reddin an non mulierem prius, quam te huic meae, machaerae obicio mastigia? Vapula ergo [= uapulare ego] te uehementer iubeo, ne me territes.* Totum locum prioris uersus causa attuli, ubi codd. exhibent *uirginem* pro Festi *mulierem.* Vtraque autem scriptura cum sit aptissima, uix de casu quodam cogitari licet, sed eadem atque eorum qui adhuc tractati sunt, huius loci condicio uidetur esse.

Pseud. 16. 17, Fest. p. 305 s. u. Suppremum: *Plautus: [Me antidhac suppre]mum habuisti se[mitem consiliis] tuis.* Codd.: *Me antidhac supremum habuisti comitem consiliis tuis.* Dubium uidetur num recte in litteris apud Festum seruatis *se* codicum scripturam latere putauerit O. Muellerus. Cogitari enim potest alius uocabuli apud Festum initium seruatum esse. Ac mihi quidem secundum lacinias relictas sic probabilius ille uersus explendus uidetur esse: *[Me antidhac suppre]mum habuisti so[cium consiliis] tuis.* cl. Mil. 1013 'Sociennum tuorum consiliorum', ut fortasse hoc quoque loco recensionum offendamus differentiam.

Pers. 244, Paul. p. 366 *Tippula bestiolae genus sex pedes habentis, sed tantae leuitatis, ut super aquam currens non desidat. Plautus: Neque tippulae leuius pondus est, quam fides lenonia.* Codd.: *Neque stipulae [*BD *stipule].* Variis de causis hoc uersu offenderunt uiri docti. Atque in exitu quidem quod et Festus et codd. exhibent: *quam fides lenonia,* Dacerius: *fide lenoniae,* Ritschelius, cui assentitur Buechelerus[1]): *fides lenoniae* scribendum esse censuit. Neque tamen mihi necessarium esse uidetur, ut traditam scripturam mutemus. Sed in initio huius uersus difficultates exstant grauissimae. Atque primum quidem quaeritur utrum codices secuti *stipulae* an cum Festo *tippulae* scribamus. Videtur autem haec differentia eiusdem generis esse, cuius recensionum discrepantias esse uidimus. Atque *stipulae* quidem bene sensui aptum esse apparet, quare Lachmannus hoc uocabulum praetulit.[2]) Sed tamen alterum uerbum *tippula* quod praeter hunc Plauti locum etiam apud Varronem exstitisse Nonius p. 180, 9 tradit, et propter significationem, quam non solum Paulus inesse

1) Grundzüge der lat. Decl. p. 66 (§ 166). — 2) Ad Lucret. p. 159.

uult, sed etiam quae a Loewio affertur glossa[1]: *tippula uermis aquaticus*, et quod multo rarior est, illi praeferendum uidetur esse. Quod si uerum putabitur, tunc ne recensionum quidem differentiam nobis occurrere, sed in codicum scriptura librarii cuiusdam coniecturam latere arbitrabimur. Sed aliud est animaduertendum. Neque enim quod codd. exhibent ad Festi *tippulae*, sed ad alteram scripturam *tipulae* redire uidetur. Atque haec quidem forma, cum Plauto litterae duplices notae non essent, ualde commendatur. Accedit quod uox *tipula* ex graeca *τίλφη* orta uidetur esse. Atque hoc si statuimus, tunc etiam ea refutatur sententia non *tipula* sed *tipulla* siue *tippulla* scribendum esse, quod cum Scaligero O. Muellerus atque Loewius contra omnes codices glossariorumque scripturas uerum putauerunt. Quare hoc quoque uersu apud Festum alterius recensionis scripturam inuenisse uidemur. Sed cum neque quae apud Festum neque quae in codicibus sunt, uersum expleant, quaeritur ubi corruptelam latere putemus. Quam cum inde a *leuius* eqs. omnia recte se habeant in primis uerbis quaerere oportebit. Quare cum ad formam *tipullae* uix refugiamus omnino trochaicum esse hunc uersum cum Ritschelio negabimus et iambicum restituemus: *Neque tipulai leuius pondust, quam fides lenonia.*

Omnium igitur horum locorum quae aliter atque in codicibus P recensionis apud Festum exstant scripturae non casu, sed consilio uidentur factae esse. Codices autem Plautini quod exhibent, cum semper rectum genuinumque, Festi scripturam recentiorem inuenerimus, omnes hos locos ex eodem A recensionis codice, quem antea accuratius describere conati sumus, sumptos esse suspicamur.

§ 14. Reliquis qui supersunt locis ita utendum esse uolo, ut collectis et qui recta et qui falsa apud Festum exstant scriptura uersibus Plautinis codicis illius Verriani, quo nomine usi sumus, imaginem quam maxime claram atque perspicuam reddamus. Atque recte quidem et apud Festum et in codicibus traditi sunt hi loci: Amph. 275, Paul. p. 368 *Vesperugo, uesper stella. Plautus: Nec uesperugo nec uergiliae occidunt.* — Amph. 404, 412, Fest. p. 217 *Persicum portum Plautus cum ait* . . . . . Asin. 221, Paul. 113 s. u. Inlex: *Esca est meretrix, pectus illex.* Cum libris *lectus inlex* scribendum est. Quae apud Paulum traduntur *pectus illex* procul dubio scribendi errore exortae sunt. Aul. 324, Fest. p. 173 *Nundinalem cocum Plau[tus dixit in Aularia: Cocus ille nun[d]inale est, [in nonum diem solet ire coctum.* Codd. nun-

1) Prodr. 289.

dinalis est. Lemmatis huius apud Festum glossae causa uerisimile mihi uidetur *nundinale* ex *nundinalis* corruptum esse, quod facillime fieri potuit ultimis syllabis saepenumero omissis. Aul. 50, Paul. p. 28 Adaxint adegerint. Aul. 509, Paul. p. 221 *Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet, quae et patagiata dicitur et patagiarii qui eiusmodi faciunt.* Codd. *Caupones patagiarii, indusiarii.* Aul. 684, Fest. p. 282 s. u. Resecrare: *Plautus: Resecroque, mater, quod dud[um ob[secraueram* Paul. p. 280 *Resecroque, mater, quod dudum obsecraueram.* Bacch. 1088, Paul. p. 35 s. u. Blennos: *Stulti, stolidi, fatui, bardi, blenni, buccones.* Apud Paulum enim quod post *fatui* libri exhibent *fungi,* mero calami lapsu omissum esse perspicuum est. Capt. 820, Paul. p. 336 *Sectarius ueruix.* Codd. quod exhibent *uerueci sectario,* eandem scripturam Festo tribuendam esse docet codex Gu., ubi non *ueruix* sed *uerbex* legitur. Quod ex *ueruex* ortum esse facile concedetur. Cas. II, 2, 33, Paul. p. 73 *Deliquum apud Plautum significat minus.* Per librarium enim forma usitatior *Deliquum* pro recta, quam B, Varro (de l. l. VIII, 384) exhibent: *delicuum* apud Paulum irrepsisse uidetur. Cas. II, 5, 12, Fest. p. 355 s. u. Torreri: *Plautus: In una edet opera in furnum calidum condito, atque ibi torreto.* Fest. p. 262 s. u. Rubidus: *Plautus in Casina: [In furnum calidum condit]o, atque ibi torreto [me pro pane rubido].* Codd. *Una edepol opera in furnum calidum condito Atque ibi torreto me pro pane rubido.* Atque *edet* ex *edepol* corruptum esse elucet. Sed si ad initium prioris Festi loci O. Muellerus annotat: *In] dele* uix hoc rectum putauerim. Multo rectius quod altero exstat, hoc quoque supplendum esse mihi uidetur: *Plautus in [Casina]:* Cas. III, 5, 20, Fest. p. 170 s. u. Numero: ..... *ut Plautus in Casina: Ere mi? quid uis mea ancilla? nimium saepius numero dicis. Saepius* enim mero scribendi errore ex *saeuis,* quod recte codices exhibent, ortum esse nemo erit qui neget.[1]) Cas. V, 4, 22, Paul. p. 28 *Amasso amauero.* Curc. 121, Fest. p. 178 s. u. Oculissimum: *item [oculissi]me dixit* (scil. Plautus). Curc. 231 Paul. p. 58. *Collatiuum uentrem magnum et turgidum dixit Plautus quia in eum omnia edulia congeruntur.* Curc. 400, Paul. p. 107 s. u. Incomitiare: *Plautus: Quaeso ne me incomities.* Curc. 534, Paul. p. 80 *Excidionem urbis a caedendo dictam manifestum est.* Epid. 670, Paul. p. 89 *Flemina*

1) Geppertus scripsit cl. Mil. 1400 ubi idem inuenitur: *Numero [hoc] dicis.* Neque tamen ad talem mutationem ulla causa est, cum omisso illo *hoc* omnia optime intellegantur.

dicuntur quum ex labore uiae sanguis defluit circa talos. Videtur enim mihi ad hunc uersum haec glossa referenda esse. Men. 78. Fest. p. 258 s. u. Quando: *ut Plautus in Me[naechmis ait: Ideo quia]* mensam quando edo, [detergeo]. Men. 832, Paul. p. 220 *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur, eo quod pandi fiunt.* Codd. *Ut pandiculans oscitatur.* Merc. 737, Fest. p. 339 s. u. Sequester: *et Pla[utus Mercatore: Imo]* *sic sequestro mihi data [est].* Quem uersum etsi Ritschelius scripturam traditam falsam ratus sic scripsit: *Immo haec sequestro mihi datast,* tamen hic attuli, quod cum C. F. W. Muellero (Prosod. 257) sic metiendum esse puto: *Immó sic séquestro mihi datast.* Mil. 211, Paul. p. 36 *Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Graecis. Unde Plautus Naeuium poetam Latinum barbarum dixit.* Most. 240, Fest. p. 162 s. u. Nec: *et apud Plautum in Fasmate: nec recte si illi dixeris.* Pseud. 266, Fest. p. 218 s. u. Porriciam: *[Plautus in P]seudolo: atque in [manibus exta teneam, ut porriciam] intebea loci. Interea* si restituimus optime haec cum libris consentiunt. Pseud. 964, Fest. p. 174 s. u. Nobilem: *Plautus in Pseudolo: Peregrina facies uidetur hominis atque ignobilis.* Paul. p. 175 *Peregrina facies atque ignobilis.* Pseud. 1200 Fest. p. 217 s. u. Putum: . . . . *[et Plautus: Purus putus hic]* sycophanta est. Pseud. 258. Fest. p. 258 s. u. Quando: . . . . . *et in Pseudolo: Dabo, quando ērit. ducito, quando habebis.* Poen. I 2, 55, Fest. p. 330 s. u. Schoeniculas: *Plautus . . . . . Idem: Prosedas pistorum [amicas, reliquias alicarias] miseras schoeno dili[butas servilicolas, sordid]as. Alicarias* enim, non cum Muellero *halicarias*, scribendum esse Pauli glossa p. 7 docet: *Alicariae meretrices dicebantur in Campania solitae ante pistrina alicariorum uersari questus gratia* eqs. Rud. 535, 536, Paul. p. 128 s. u. Mauduci: *Plautus ait: Quid si ad ludos me pro manduco locem? Quapropter? clare crepito dentibus.* Ubi etsi in codd. legitur: *Quid? si aliquo ad ludos me pro manduco locem? Quapropter? Quia pol clare crepito dentibus,* tamen eis quae antea de ratione inter Paulum Festumque intercedente exposuimus, in memoriam reuocatis uix dubitabimus, quin quae apud Paulum sint ex illis quae in codd. inuenimus recisa esse dicamus. Rud. 820, Fest. p. 301 s. u. Sultis: *in Rudente: Curate haec sultis magna diligentia.* Rud. 1208, Fest. p. 318 s. u. Sacrem porcum: *[et in Rudent]e: Sunt domi [agni et porci sacres].* Trin. 136, Paul. p. 107: *Inconciliasti, comparasti, commendasti, uel, ut antiqui, per dolum decepisti.* Recte a Ritschelio haec glossa huc relata est. Trin. 609,

Fest. p. 359 s. u. Tammodo: *ut Attius: Tammodo, inquit, Praenestinus.* Non dubium esse potest, quin hic locus non ex Acci quadam fabula, sed ex Plauti Trinummo sumptus sit, quamquam propter codicum Festi RSA (cf. Mommsen, Abh. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1864, p. 70) scripturam: *Accius in . . . ctor lius dardanius . . . . . . in tenebris.* atque Politiani: *pro lius dardanius prius fuit tindaridarum* quarum utraque quid faciam nescio, non certum est genuinum hunc Pauli locum esse. Trin. 721, Paul. p. 45 s. u. Cacula: *Plautus: Video caculam militarem.* Trin. 1014, 1020, Paul. p. 38: *Condalium . . . . .* Nam huc propterea haec glossa spectare mihi uidetur quod solis his locis illud uocabulum adhibitum inuenimus. Truc. 611, Fest. p. 166 s. u. Naucum: *et in Truculento: Amas hominem non nauci.*

§ 15. Accedamus iam ad eos locos, qui apud Festum recta, in codicibus Plautinis falsa exstant scriptura. Qui propterea maximi sunt momenti, quod secundum eos codicum scripturas deprauatas atque corruptas corrigere atque emendare licet. Huc spectant hi loci:

Amph. 490, Paul. p. 61 *Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit.* Codd. quod exhibent *suspitio* nullum sensum praebet, sed ex uersu antecedenti per librarium repetitum est. Scioppii coniectura *consuetio* restitutum est. Aul. 336, Fest. p. 274 *Rauim anti[qui dicebant pro raucitate]. Plautus: Ubi si quid pos-[cam, usq. ad rauim poscam prius.]* p. 282 s. u. Rauam uocem: *[ut est apud P]lautum, qui [ait in Aulularia: Ubi si quid] poscamus quod ravim [poscam prius.]* In codd. BI sic hic uersus scriptus est: *ubi si quid poscamus quae* [omissum a I] *adarauim [I arram] poscamus prius.* Neque codd. neque Festus hunc uersum integrum exhibent. Tamen apparet et apud Festum et in codd. quae sint, in eis latere ueram scripturam: *Ubi si quid poscam usque ad rauim poscam prius.* Codd. si etiam altero loco habent: *poscamus,* clarum est id in textum peruenisse, postquam ex priore *poscam usque* factum est *poscamus quae.* Aul. 562, 563, Paul. p. 60 *Curionem agnum Plautus pro macro posuit, quasi cura macruisset.* Codd. BD *curiosam.* Pauli ille locus huc relatus est a Scaligero. Ceterum codicum scriptura non errori sed coniecturae ineptae tribuenda uidetur esse, nisi forte glossema est, quo genuinum *curionem* e textu motum esse putamus. Bacch. 929, Fest. p. 363 *Termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum* l. pelites
utitur Plautus in Bacchidibus. B. *Non pedibus tormento fuit*

praeut ego e. q. s. C. *Non pedibus tormentorû it* e. q. s. Codicum scriptura *tormento fuit,* uel *tormento ruit* cum omni sensu careat, a Lambino secundum illam Festi glossam uox *termentum* in textum Plautinum peruenit. Atque *termentum* bonam uocem latinam esse, cui etiam eum sensum quem Paulus inesse uult tribuere possumus, quae Salmasius ad hunc locum attulit exempla *momen, tormen, pomen* a uerbis *mouere, torquere, ponere* deriuata docent. *Tormento* autem coniectura ineptissima est, ut cubiculum pro suduculum, aliae.[1]) Curc. 99, Fest. p. 166 s. u. Nautea: *[. . . . Idem Curculione: Nam odor u[nguentum o[mnium prae tuo nautea est.]* B²EI exhibent *nausea.* De qua scriptura cf. quae dicta sunt ad Cas. epil. 7. Curc. 5, Fest. p. 314 s. u. Status dies: *Plautus in Curculione: Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum quo imperant ingratis.* Codicum *imperat* atque Festi *ingratis* librarii errores sunt. Rectam autem esse Festi scripturam contra quod Macrobius habet: *intercessit* demonstrare non necesse est.[2]) Curc. 500, Fest. p. 210 s. u. Pedibus: *sic Plautus refert in Curculione: Item genus inter homines meo quidem animo, ut muscae, culices, cimices, pedesque, pulicesque.* Codd.: *Item genus est lenonium.* Omittunt: *cimices.* Mero librarii uitio ut apud Festum *genus est lenonium* sic in codd. cimices omissum esse apparet. Men. 101 Fest. p. 310 s. u. Struices: *Plautus: Cerialis caenas dat. ita mensas extruit, tantas struices concinnat patinarias.* Libri: *cenas, mensam,* BaCDa *Certalis,* Bb *Certetalis,* DcFZ *Cerealis.* De singulis disputare supersedeo. Men. 395, Fest. p. 273 s. u. Ritus: *[Plautus in Menaechmis: Certe haec mulier can-] terin[o · ritu astans somniat.* BCD *cantherin ori tu.* cf. Aul. 495 ubi BD eandem corruptelam atque hoc loco exhibent. Mil. 213 Paul. p. 61 s. u. Comoedice: *Plautus: Euge eus adstitisti et dulce et comoedice.* B. *Euge, uscheme hercle astitisset et dulce et comoedice.* C. *Euge, usche me hercle astitis et* e. q. s. D. *Eugeuscheme hercle astitis et* e. q. s. Quae hoc loco inter Paulum codicesque intersunt, primum *euscheme* aut apud Paulum aut certe apud Festum fuisse ex optimi Guelferbitani codicis scriptura *eus*

1) Vocem 'termentum' hoc in uersu restituendam esse uiri docti consentiunt. Quorum de hoc uersu difficillimo sententias inter se repugnantes habes a Gualt. Brachmanno (De Bacchidum retractatione scaenica 1880) in annotatione ad hunc uersum collectas. Ipse Brachmannus *termentum hoc fuit* praefert. — 2) Ceterum huc referendam esse puto eam quoque glossam quae est ap. Paul. p. 102: *Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur.*

intellegitur. De *hercle* uoce apud Paulum omissa cum iam antea dixerimus, restat, ut exponamus quid de *adstitisti* et quod pro hoc codices exhibeant iudicemus. Ac Ritschelius quidem contra Paulum ex eis quae in codd. tradita sunt: *adstitit sic* restituit, credo quod sic optime codicum scripturam intellegi posse putabat. Lorenzius contra et Brixius non offensi *it* tertiae personae perfecti[1]) scripserunt: *adstitit et.* Ribbeckius autem deleto uersu sequenti: *Numquam hodie quiescet priusquam id quod petit, perfecerit,* quem adscriptum esse putat ad u. 208, in editione nouissima Paulum secutus sic hunc uersum restituit: *Euge, euscheme hercle adstitisti* e. q. s. Ac mihi quidem ut ea restitutio ualde placet, ita ex eadem codicum scriptura corruptela orta uidetur esse. De *dulce* pro *dulice* uix opus est disertis uerbis agere. Mil. 1212, Fest. p. 305 s. u. Superescit: *Mea opera super hac uicina, quam ego nunc concilio tibi.* In BCD legitur *super hanc uicinam* et *mihi* quorum utrumque corruptum esse apparet. Poen. I, 2, 137, Paul. p. 60: *Comperce pro compesce dixerunt antiqui.* Codd.: *comperta, quod ex illa uoce ortum esse perspicuum est.* Preud. 250, Fest. p. 181 *Occidamus Plautus ponit pro contra cedamus. cum plurimae aliae praepositiones familiariores huic uerbo sint.* In B exstat *accedamus,* unde secundum illam Festi glossam Passeratius Gulielmus Ritschelio assentiente effecerunt *occedamus.* Ex quo uerbo quod apud Festum exstat *occidamus* corruptum esse mihi propter explicationem additam probatur. Namque etsi recte Muellerus annotat ut ex *betere, perbitere,* a *lenire, delinire,* sic etiam ex *cedere* compositione *occidere* oriri potuisse, tamen cum nullo alio loco ex *cedo* cum praepositionibus composito *cido* factum esse uideamus, hoc quoque uersu formam illam quondam exstitisse negauerim. Truc. 490, Fest. 178 s. u. Oculissimum: *Idem: pluris esl ocu[latus testis unus quam auriti decem]* cf. Paul. p. 179 .... *Item ipse: Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.* In codd. casu uerbum *unus* excidit.

Omnibus autem his locis ut codicum nostrorum corruptelas facillime cognosci licuit ita nonnulli eiusdem condicionis uersus Plautini supersunt, qui corruptela grauiore laborant.

Aul. 399, Paul. p. 79 *Exdorsua dorsum confringe; alii exime.* Codd. *Congrum muraenam exossata fac sient.* Etsi mirum uidetur illam glossam ad hunc uersum spectare, tamen cur huc

1) Cf. Mueller, Pros. pp. 71—79.

referenda sit, elucet ex eis, quae Nonius p. 17, 30 affert: *Exdorsuare dorso nudare. Plautus Aulularia: tu Macerio Congrum, muraenam exdorsua, quantum potes.* Quare Pauli quoque glossam huc referendam esse ut nemo negabit, ita etiam totum uersum ad quem Pauli pertinet glossa eodem modo scriptum fuisse concedendum est ut apud Nonium legitur. Quae cum ita sint, condicio huius uersus eadem uidetur esse, atque eorum, quos recensione grammaticorum duplicem accepisse formam uidimus. Tamen argumenta grauissima contra hanc sententiam faciunt. Nam antea de duplici recensione statuendum esse nobis uisum est P recensionem esse genuinam, A recentiorem. Neque tamen quisquam erit, qui hoc loco Palatinorum scripturam foedatam hiatu falsissimo praeferat. Immo facillime ad uersum genuinum quem apud Paulum habemus alius uersus eiusdem Plautini exitus in margine asseri potuit, quo postea uerba genuina remota sunt. Atque talia apud Plautum glossemata saepenumero inueniuntur. Cf. exempli causa Men. 856.

Curc. 15. 15ª, Fest. p. 178. *[Oculissimum carissimum. Oculissi]mum ostium amicae [Plautus in Curculione]* . . . . Paul. p. 179. *Oculissimum carissimum. Plautus: Oculissimum ostium amicae.* Spectare haec ad u. Curc. 15 iam diu animaduersum est. Is autem uersus et qui sequitur — nam de singulis agere non possumus — in libris sic legitur: *Huic proxumum illud ostium occlusissimum. Salue ualuistin ostium occlusissimum.* Quem locum sanum non esse apparet. Atque quemadmodum editores et qui huic loco operam nauarunt, eum corrigere studuerint, in editione Goetzii annotatum est. Tamen omnibus his singulorum coniecturis praestare mihi uidetur Goetzii ipsius emendatio, qui Festum secutus totum locum sic restituit: *Huic proxumum illud est oculissimum ostium Amicae. ‖ [Mihi uidetur] oclusissimum. ‖ Salue! ualuistine usque, oculissimum ostium?* Quibus praeter Festi testimonium argumentis nitatur exponit Stud. philol. Lips. I, 250.

Asin. 96 sqq. ex eo quo in codicibus exstant ordine singulis mutatis sic apud Goetzium scripti sunt:

96. Dem. Qua me, qua uxorem, qua tu seruom Sauream
Potes, circumduce, aufer: promitto tibi
Non obfuturum, si tu id hodie effeceris.
Lib. Iubeas una opera me piscari in aere,
100. Reti autem iaculo uenari in medio mari.
Dem. Tibi optionem sumito Leonidam.

Idem hic locus inuenitur apud Festum, qui q. 198 s. u. Optio haec praebet: . . . . . *Plautus in Asinaria: Qua me, qua uxorem, qua tu seruum Sauream potes, circumduce, aufer, promitto tibi non obfuturum, si id effeceris, tibi optionem sumito Leonidam.* Contra Muellerum commate post uerbum *effeceris* posito cum codicibus *tibi* ad proximum uersum rettuli. Atque quae apud Festum sunt, si cum codd. comparamus, primum in tertio uersu haeremus: *Non obfuturum si id effeceris.* Apparet enim eum uersum plenum non esse, sed aliquid excidisse. Atque ne codices quidem quod exhibent: B *si hodie effeceris,* D *sit hodie,* Osbernus IE3 F *si id hodie,* E *sit hodie* rectum est, cum eam scripturam, ad quam haec omnia redire uidentur, *si id hodie effeceris,* si statueremus, hiatum admitti necesse esset. Quare hunc locum cum opus uideretur mutare, multis rationibus uiri docti sanare studuerunt. Sed longum est hoc loco omnes coniecturas ad hunc uersum sanandum propositas afferre, quas omnes apud Goetzium inuenimus. Lenissima mihi ea uidetur, qua Ussingius huic loco consuluit: *si tu id hodie effeceris,* quam etiam Goetzius et Loewius in textum receperunt. Maxime autem offendit quod duo uersus in codd. Libano tributi (99. 100) apud Festum omissi sunt. De qua re priusquam agamus, uersuum illorum condicionem paulo diligentius inspicere placet. Neque in priore quidquam offensionis inest, alter uero quemadmodum in codicibus traditus est, prorsus abhorret a uersuum Plautinorum ratione. Exhibent enim BD: *Uenari autem rete iaculo in medio mari.* Quare Fleckeisenus praeter numerorum asperitatam offensus etiam coniunctis uerbis *rete iaculum* scribendum esse censuit: *et uenari autem reticulo* aut *et uenari autem iaculod.* Sed cum etiam Truc. 35 coniuncta inueniantur uerba *rete iaculum,* in eis non solum non est haerendum, sed etiam efficitur, ut Plautum hoc quoque loco ea coniunxisse putemus. Qua de causa etiam Langenii coniectura per se pulcherrima reicienda est, qui scribere uult: . . . . . . *me piscari in aere* ‖ *Reti, iaculo autem uenari in medio mari* Propterea Hermanni scripturam, quam etiam Goetzius probauit, *Reti autem iaculo uenari in medio mari* praeferam. Duo igitur illi uersus cum eo loco ubi in codd. exstant apud Festum non inueniantur, quaeritur utrum casu uel apud Festum uel iam apud Verrium Flaccum interciderint, an omnino apud eos non exstiterint. Sententiarum huius loci conexus hic est: Demaenetus ut filio amanti uiginti minas quibus huic opus sit paret, Libano suadet ut

ipsum defraudet (u. 91). Ad quae Libanus cum domino ipsi nihil in manu sit, se illa ratione quidquam efficere posse negat (uu. 91—95). Deinde Demaenetus modo pecuniam paret, et se et mulierem et Sauream, seruum dotalem, inultu circumducendi potestatem seruo dat (uu. 96—98). Sequuntur Libani uerba (uu. 99. 100): *Iubeas una opera me piscari in aere* ‖ *Reti autem iaculo uenari in medio mari.* Negat igitur Libanus ulla ratione fieri posse, ut uxorem Saureamque seruom defraudet. Nihilominus autem u. 106 maxima confidentia se illud effecturum esse contendit. Quare duo illi uersus hoc loco accommodati non sunt. Neque tamen propterea a Plauto eos abiudicari uelim, cum locum tantummodo mutasse uideantur. Optime enim omnia quadrant, si post uersum 95 eos inserimus. Libanus enim postquam dixit (uu. 91—95): Quomodo te defraudare possum, cui ipsi nihil est in manu? iam pergit: hoc non minus frustra esset, quam si in aere piscari, in medio mari uenari uellem. Atque Verriani nostri codicis scripturam eam fuisse cur negem, causam non habeo.

§ 16. Restat ut de eis agamus uersibus, quos falsos apud Festum traditos habemus. Atque eorum quidem duo sunt distinguenda genera: ei qui etiam in codicibus pariter falsi traduntur atque ei qui apud Festum solum uitiosa exstant scriptura. Atque illos suo iure ex eodem codice cui omnes adhuc uersus Plautinos tribuimus, sumptos esse putabimus. Quare ex eis quae uitia illi codici fuerint uideamus.

Primum igitur uersum propter rationes metricas uitiosum apud Festum iam antea offendimus: Pers. 244 *Neque tippulae leuius* c. q. s. Scribendum enim esse *tipulai* uidimus. Accedit Aul. 595, Fest. 166 s. u. Nare: *Plautus in Aulularia*: *Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis.* Fest. 330 s. u. Scirpum *et Plautus in Aulularia: Quari puri, qui nare discunt, scirpo induetur ratis.* Restituendum esse hunc locum ad normam prioris apparet. Eadem atque illius codicum est scriptura. Offenderunt uiri docti in proceleusmatico primi pedis, quem trochaeï loco apud Plautum non usu uenire constat. Quod uitium non propterea excusatur, quod hic uersus a Plauto omnino abiudicandus est. Hoc enim loco delendos esse uersus 592—598 omnes consentiunt. Atque Brixius quidem eos aliunde huc insertos esse putat[1]), Goetzius[2]) ad exemplum eorum, qui sunt Bacch. III. 2, Epid. I, 2, de uetusta interpolatione cogitat. Atque hoc totam horum uersuum rationem contemplanti mihi ueri similius uidetur.

1) Neue Jahrb. 91, 56. — 2) Cf. eius annotat.

Nihilominus autem cum tales interpolationes Plautina uersuum construendorum norma factas esse uideamus, uix interpolatori uitium illud tribuendum erit: sed cum Pylade, Kochio[1]), Goetzio genuinam huius uersus formam hanc putamus: *Quasi qui pueri* e. q. s. — Cas. III, 1, 9, Fest. 310 s. u. Sutrium: . . . . *Sed facito dum merula per uersus quod cantat colas cum suo cuique facito ueniant quasi eant Sutrium.* Codd. teste Gepperto *merui aper uersus quos cantat colas. cum cibo cum* . . . . Agitur hoc loco de priore uersu, qui eodem modo et apud Festum et in codd. corruptus est. Neque enim dubium esse potest, quin in codd. eadem scriptura, quae apud Festum est, corrupta exstet, non quam Geppertus inde enucleare studuit: *Sed facito dum memoria* e. q. s. Neque quisquam iam contra Festum codicesque scribendum esse censebit: . . . *quos cantat Colax.* Immo praeter unam prioris uersus lacunam sic omnia optime intelleguntur:

Sed facitodum merula . . . . per uersus quos cantat colas
Cum cibo suo quisque facito ueniant, quasi eant Sutrium.

Lacuna autem illa communis est codici Verriano Palatinisque.[2]) — Cas. II, 5, 93, Paul. 366 s. u. Titiuillitium: *Plautus: Non ego istuc uerbum empsi cum titiuillitio.* B: *istud . . . emissum tibi stalitio. Titiuillitio* in exitu huius uersus recte apud Festum seruatum est. Neque tamen in uocibus antecedentibus *empsi cum* sensum inesse apparet. Eodem loco cum etiam codd. corrupti sint haec corruptela iam ab antiquis temporibus in textum Plauti illata esse uidetur. Alia de hac re sententia est O. Muelleri, qui *empsi cum* non ex codice quodam Plautino fluxisse sed apud Paulum uel Festum corruptum esse ratus, inde *empsiculem* restituit, ut dicitur *pensiculo*, *missiculo.* Ac fortasse recte hoc fecit. Certe C. F. W. Muelleri hoc praeferam sententiae, qui *uerbum mi empsim* scribendum esse censuit.[3]) — Hiatum et apud Festum et in codicibus nostris uersibus inuenimus his: Curc. 566, Fest. 372 s. u. Vapula Papiria *Reddin an non mulierem prius quam te huic meae machaerae obicio mastigia? Vapula ergo te uehementer*

1) Neue Jahrb. 107, 842. — 2) Ad quem uersum sanandum Buechelerus (Jahrb. 87, 751) proposuit *Sed facito dum merula per [per] uersus quos cantat colas.* Ceterum quoniam de hac scena agimus commemorari licet dittographiam esse uu. 13—16, quibus prorsus eadem exponuntur atque uu. 7—12. Conferamus enim 7. *Fac uacent aedes.* 13. *Fac habeant linguam tuae aedes.* Simul apparet u. 12. *Cura, ego ad forum modo ibo. iam hic ero.* ‖ *Bene ambula* optime totam scenam finiri. — 3) p. 483.

iubeo ne me territes. Hiatum igitur septenarii trochaici *machaerae obicio* cum libris Festus exhibet, quem cum emendatione lenissima, quam C.F.W. Muellerus[1]) proposuit, *machaerae huic obicio* euitari licuerit, uix Plauto tribuemus. — Men. 778, Paul. 369 s. u. Velitatio: *Nescio quid uelitati estis inter uos.* Codd. *Nescio quid uos uelitati estis inter uos duos.* Versum a Paulo in breuius redactum esse iam antea commemoratum est. Sed ex eis quae exstant apud eum, elucet hiatum apud Festum quoque exstitisse.[2]) — Iam nonnulli loci exstant, qui omnino a Plauto abiudicandi sunt. Eorum iam antea commemorauimus Aul. 595: *Quasi qui pueri nare discunt scirpea induitur ratis.* Accedit Mil. 94, Fest. 375 s. u. Valgos: *in Milite glorioso: Qui talos uitiosos maiorem partem uideas uagi salis.* Codd. *Maiorem partem uideas ualgis suauiis. Valgis suauiis* apud Festum quoque restituendum esse ex Mommseni singulorum Festi codicum collationibus patet (Abhandlungen der Berl. Akad. 1864, p. 82). Haec autem Festi uerba: *qui talos uitiosós* non ad Plautum spectare, sed errore in uersum Plautinum irrepsisse[3]) apparet. Quare consentiunt inter se Festus et libri. Tamen haec huius prologi pars a Plauto abiudicanda est. Cas. II, 8, 62, Paul. 117 *Lingulaca genus piscis uel mulier argutatrix.* Pertinere hanc glossam non solum ad Cas. II 8, 61, sed etiam ad u. 62 ut ex duplici huius uocis explicatione apparet ita hac Nonii glossa, quae est 50, 8 comprobatur: *Lingulacae locutuleiae* e. q. s. ubi u. 62 allatum inuenimus. Hunc autem uersum Loewius (Anal. 204) delendum esse censet ut grammatici procul dubio additamentum, quo pessumdetur ioci lepida breuitas. Ac sane hoc fortasse recte contendit cum u. 61 per se prorsus sufficiat. Most. 1042, Fest. 167 s. u. Naucum: *Quod id esse dicam uerbum nauci nescio.* Codd. *Quid.* Quod Festus *quod,* codices *quid* exhibent, huic dif-

1) p. 552. — 2) Hunc uersum Ritschelius (p. XIII) in eis enumerat, quibus ad hiatum tollendum nullum remedium habet, alio loco (Neue Plaut. Excurse 114) forma obsoleta 'uelitatis' restituta sanari putat. Muellerus (p. 557) sic scribendum esse censuit: *Nescio quid uos uelitatin estis inter uos duos.* Ac si *nescio quid* hoc uersu idem quod pronomen indefinitum ualere reputabimus (cf. G. Fuhrmann Jahrb. 105, 809 sqq.) satis apta Muelleri coniectura uidetur. — 3) O. Muellerus ea uerba ex glossemate ad explicationem *qui diuersas suras* adscripto orta atque huc in textum ipsum translata esse putat. Quae sententia propterea mihi ueri similis non uidetur, quod in his uerbis prorsus alius sensus latet atque in eis, ad quae pro glossemate ea adiecta esse Muellerus uult. Quamobrem statuere malim apud Festum praeter Opilii Aurelii eorumque qui eum sequerentur, etiam aliorum sententiam de uoce *Valgos* exstitisse, qui eam uerbis, qui talos uitiosos [habeant], interpretarentur.

ferentiae haud multum erit tribuendum. Maximi autem est momenti quod hunc uersum si ubi exstat ibi genuinum putamus tunc cum Ritschelio [1]) et Lorenzio lacunam statuere coacti sumus. M. Bonnetus autem [2]) totum uersum grammatici alicuius facetias scurriles putat. Ac sane deleto hoc uersu cum optime omnia quadrent, sententia eius ualde commendatur. — Praeter hos singulos uersus a Plauto abiudicandos uno loco dittographiam quoque quae dicitur apud Festum offendere nobis uidemur. Est haec Asin. 96 sqq., quos quo ordine scribendos esse putemus antea exposuimus. Quem horum uersuum ordinem si uerum existimamus, tunc non minus quam si quae adhuc scripta fuerunt perlegimus offendimus. Versibus enim 96—98 prorsus eadem exstat sententia atque uersibus 101—107 (Redimam). Primum enim et ibi et hic Demaenetus seruum hortatur, ut quacumque ratione possit, argentum paret (Qua me — aufer: Tibi optionem — amicae quod det). Deinde et ibi et hic pollicetur nihil inde seruo periculi fore (promitto — effeceris: Quid ais — Redimam). Porro cum etiam in exitu huius scenae similia inueniantur, ut duplicem recensionem ibi statuendam esse Goetzius putauerit, etiam hoc loco eadem ratione omnia optime explicari posse puto. Ac facile intellegitur dittographiam esse uu. 96—98 quibus aperte studium cognoscitur uu. 101—106 in breuius redigendi.

§ 17. Veniamus iam ad eos locos quos apud Festum unum falsos traditos inuenimus. Bacch. 123, Fest. p. 217 s. u. Putitium: *ta id est pura fac . . . . dibus rettulit . . . . tior est barbaro . . . . .* Atque primum quidem quomodo has lacinias supplendas esse censeamus exponendum est. Apud Paulum igitur cum ante glossam sequentem *Pubes* exhibeatur: *Putitium Plautus pro stulto,* apud Plautum autem haec uox inueniatur Bacch. 123, ubi BCD exhibent: *I*[CD *is*] *stultior es barbaro Poticio,* eadem igitur fere, quae apud Festum exstant, uix dubium esse potest, quin haec glossa ad illum Bacch. uersum pertineat et uersus ipse apud Festum allatus fuerit. Quare apud Muellerum ille Festi locus sic restitutus est: *ta id est pura fac . . . . . heredibus rettulit. [Putitium Plautus pro stulto: Putitio stul]tior est barbaro.* In his offendit primum quod haec supplementa lacunae spatium excedunt, deinde quod quae Plauti uerba afferuntur, uersum non efficiunt. Quare Merklinius aliter locum restituit [3]) proponens *ta id est pura fac[ta. Puti-*

1) Parerg. 468. — 2) Jahrb. 1875, 885. — 3) Obseruationes ad Sexti Pompeii Festi Paulique excerpta. Dorpat 1860, p. 8.

tium Plautus in Bacchi]dibus rettulit [pro stulto quom ait: Is stul]tior est barbaro [Putitio] satis magno exemplorum numero allato, quibus referendi uerbum in afferendis testibus usu uenit. Atque mihi ualde haec emendatio commendatur. Quam si probamus, etiam id apparet, quae apud Festum exstent redire ad ea quae in codd. sunt: '*i, stultior es*' c. q. s. Facillime enim postquam ex *i stultior* factum est *is stultior*, quod etiam in CD habemus, etiam *es* in *est* mutari potuit. Quare recta cum codicibus Plautinis apud Festum quin exstiterit scriptura *stultior es* non dubito. Iam uero Pauli testimonio (p. 216) firmatur apud Festum exstitisse *Putitio* pro quo codd. exhibent *Poticio.* Nihilominus ea quae additur explicatio ad *Potitios* spectat. Neque tamen ullo loco hoc nomine illam familiam commemoratam inuenimus. Quare si secundum Festi exemplificationem codicumque scripturam huius familiae mentionem hoc uersu fieri putamus, falsa est Festi scriptura. Sed quaeritur utrum omnino de illa familia hoc loco agatur. Atque mihi quidem ualde dubium id uidetur. Plautus enim si tetigisset id quod apud Festum commemoratum est, nonne putandus est dicturus fuisse *stultior es barbaris Poticiis?* Atque praeterea offendit uerbum *barbarus* hoc uersu sensu prorsus alio usurpatum esse atque u. 121. Neque tamen quae hoc loco offerantur difficultates, quomodo tollam habeo. Quare in dubio relinquenda est haec res, dum fortasse aliunde lux afferatur. — Curc. 444, Fest. p. 214 *Perediam et bibesiam Plautus finxit sua consuetudine* e. q. s. B. *perreh diam et per heblesiam* exhibet, quae quamquam satis sunt deprauata, tamen genuinam huius uersus scripturam, quae est apud Goetzium, indicant: . . . . *Perediam et Perbibesiam.* — Epid. 333, Paul. 125 *Murricidum ignauum stultum. Plautus: Murricide homo, [ignaue iners]; ignaue iners* enim glossema esse apparet. Libri recte: muricide homo. — Men. 527, Fest. 333 s. u. Spinther: . . . . . *Iu[beasque spinther nouum] reconcinnarier.* B, Priscianus: *spinter,* CD *spinther.* Atque de his quidem tribus locis una iudicare licet. Primum igitur falsae horum uersuum scripturae, quas apud Festum Paulumque inuenimus non librariorum peccatis exortae esse sed ad ipsum Verrium Flaccum redire uidentur. Neque tamen propterea putandum est formas illas falsas *bibesiam, muricidum, spinther* ad codices aliquos redire Plautinos. Sed reputatis quae capite tertio exponere studuimus uersus Plautinos Verri Flacci non omnes ad ipsos codices, sed ad grammaticorum opera partem redire uersi simile esse, inde etiam has formas repetere licet. — Aul. 354, Fest. p. 364 s. u. Temetum: *Plautus in Aulularia: Cererin, Strobile has facturi nuptias?*

qui? quia temeti nihil allatum uideo. Atque prior quidem uersus in codd. prorsus eadem ratione scribitur, omissa etiam uoce *sunt* quae in eo Festi codice qui Politiano usu fuit exstitisse uidetur.[1]) *Has* autem et codices una exhibent pro quo apud Macrobium (Sat. III, 11) *hi* exstat. Seruium apud quem haec exstant (Georg. I, 344) *Cererine nuptias facturi estis?* apparet id non e codice quodam Plautino, sed ex memoria attulisse, ut his uerbis testimonio uti non liceat. Quaeritur igitur utrum codd. Festumque secuti *has sunt facturi* an cum Macrobio *hi sunt facturi* scribamus. Neque enim, cum apud Festum *has sunt* exstitisse uideatur, ullo argumento nititur Muelleri (482) coniectura, qui *has facturi* ex *haec* uel *hi s[unt] facturi nuptias* ortum esse putat. Duarum autem illarum lectionum quae apud Macrobium est eam in textum recepit primus Pylades cumque eo etiam Goetzius. *Hi* autem si scribimus, quos dictos esse putabimus? Utrum Megadorum et Euclionem, qui uersu antecedenti commemorati sunt, an coquos qui a Strobilo adducuntur? Procul dubio coquos qui adsunt intellegendos esse apparet. Sed hi dici non possunt nuptias facere, quod aut de parentibus aut de uiris qui uxorem in matrimonium ducunt adhibetur. Cf. Aul. 261. 288. Cas. II. 8, 50. Altera autem scriptura *has sunt facturi nuptias* iam propterea commendatur, quod una et in codicibus et apud Festum exstat. Sed quem tunc efficimus sensum? Optimum, ut mihi uidetur. Neque enim quaerere uult Staphyla Cereri utrum nuptias faciant, sed Cereri utrum *has* nuptias faciant, id est tales, quibus ne temeti quidem quidquam attulerint. Subiectum autem huius sententiae facillime ex uersu antecedenti suppleri potest. Quare hoc uersu Festi codicumque scripturam seruare uelim. Alterius autem uersus exitus in codicibus sic traditur: *allatum intellego,* quod unum rectum est. Cum Festo si una *allatum uideo* exhibet Macrobius (l. l.), inde nihil aliud sequitur nisi eum fontem quo Macrobius hoc loco usus est ad Verrium Flaccum redire[2]), dummodo illud *hi* uersus antecedentis aut casu aut librarii cuiusdam coniectura ortum esse putemus. Verrius autem Flaccus ipse unde hunc uersum uitiosum sumpsisse putandus est? Vix enim de glossemate in Verri Flacci librum illato cogitare possumus, neque etiam si reliquos omnes locos de quibus adhuc egimus contemplamur, ipsum Verrium Flaccum ex memoria hunc uersum

1) Cf. Mommsen l. l. p. 87. — 2) Fugit hic locus Hugonem Linke, qui de ratione inter Macrobii auctorem atque Verrium Flaccum egit (Quaestiones de Macrobii Saturnaliorum fontibus p. 36).

attulisse ueri simile est. Quare cum ne in codd. quidem Plautinis talis uersus exstitisse uideatur, ex opere alius grammatici apud quem e memoria hic uersus allatus erat, eum sumpsisse putandus est. — Men. 7, Paul. 28 *Atticissat Attice loquitur. Plautus: Non atticissat, sed sicilissat. id est Sicule loquitur.* B *uerum sicili cissitat*, CD *sycilicissitat.* Rectam formam esse sicelissat, quam apud Paulum inuenimus, Ritschelius demonstrauit.[1]) Neque tamen haec sola est differentia inter Paulum et BCD. Hi enim omnes exhibent *uerum*, Paulus *sed.* Atque Ritschelius quidem cum a Paulo *sicilissat*, a codicibus *uerum* accepit, sic uersum restituere conatus est: *Non atticissat uerum sicelissat tamen.* Ubi etsi mirum uidetur et codices et Paulum *tamen* uel quidquid praeterea in fine uersus fuit omisisse, tamen cum Pauli scribendi ratione hoc bene conuenit, ut nihilominus apud Festum plenum uersum fuisse ueri simile uideatur. Neque uero negari licet, *sed* quod apud Paulum exstat etiam Festi scripturam fuisse. Contrariam rationem cum Pseud. 372 offendamus ubi A *uerum*, P *sed* exhibent, minime ex recensione illam inter Festum et P differentiam ortam esse putauerim, sed etiam hic locus in Verri Flacci fonte ex memoria mihi uidetur allatus fuisse.

§ 18. Supersunt nonnulli loci qui utrum ad fabulas Plautinas pertineant incertum est. Huc pertinet Bacch. 446 ad quem spectare Pauli glossam p. 79 uiri docti putauerunt: *Expreta antiqui dicebant quasi expertia habita.* Atque haec quidem glossa ut iam difficultates praebet maximas, ita etiam uersus Bacch. 446 interpretes magnopere uexauit. Legitur enim apud Ritschelium hoc modo: *Fit magister quasi lucerna uncto expretus linteo.* Videtur igitur ratio quaedam interesse inter Pauli glossam atque huius uersus uocem 'expretus'. Verum neque glossa Pauli intellegi potest neque *expretus* quid sit adhuc est enucleatum. Accedit hiatus post uocem *lucerna* ut appareat uersum prorsus corruptum esse. Quare hanc rem intactam relinquo.[2]) Similis atque huius

1) Op. II, 434. — 2) Praeter illam corruptelam grauissimam etiam alia in hoc uersu latere mihi uidetur, quae facilius corrigi potest. Offendit enim statim ab initio huius uersus atque sequentis coniunctio: *Fit magister* .... *Itur illinc* .... Neque minus durum est quod fieri cum participio coniunctum est. Accedit quod ne codicum quidem scriptura eadem est quae Ritschelii. Exhibet enim B *Id* (*al. it*), C *Et*, D *Fit*, F *It.* Quare ad has difficultates soluendas hanc coniecturam proposuerim quae etiam ad librorum optimorum scripturam propius accedit: *Ita magister*

uersus condicio est Pseud. 1278, cuius mentionem fieri ap. Fest. p. 161 s. u. *Naenia* his laciniis *ubi ergo* .... uiri docti putauerint imprimis quod et hic et ibi uocem naeniam habemus. Nam quae praeterea in codicibus sunt (BC *tibi circumuortor,* D *ubi circumuortor*) ualde illis dissimilia sunt. Accedit quod totam hanc rem difficillimam reddit cantici hunc uersum esse, quod editores uariis modis metiuntur. Ritschelius. enim sic scripsit: *Circumuortor, cado: nenia ludo id fuit.* Lorenzius: *Ut me amaret, ubi circumuortor cado.* Si ad hunc uersum spectare putamus illas Festi lacinias, tunc Buggii[1]) coniectura commendatur, qui apud Festum *ubi ergo*, in codicibus propterea *ubi ergo uortor* uel *ubi ergo inuortor* latere putauit. Neque tamen de hac re diiudicare ausim. Pauli glossam p. 69 *Dirigere apud Plautum inuenitur pro discedere,* quae ad Curc. 424 relata est, iam cum illo uersu secundum B *dissicit* uel *dissecit* scribendum esse constet, nemo erit, qui eo spectare putet. (Cf. Ribb. com. Rom. fragm.² praef. XIV. Fleckeisen Jahrb. 121, 122.) Recte fortasse ad Capt. 521 relata sunt, quae apud Festum p. 133 s. u. Manticularum exstant: *Plautus hoc significare uidetur, quibus quotidie paruae noxae extergeantur. frequens enim antiquis ad manus tergendas usus fuit mantelorum.* Neque tamen certi quidquam de ea re affirmari potest.

quasi lucerna ...... *Agitur Ilinc iure dicto.* Ad *Ita* cf. Trin. 835. Ea quae de hoc uersu restituendo egit Britzlmeierus (Progr. d. k. Studienanst. zu Landshut 1867/68 p. 6) probare non possum. Scripsit autem: Fit magister quasi lucerna Punica exornatus sit. — 1) Neue Jahrb. 107, 405.

INDEX

LOCORVM PLAVTINORVM.

DE
ARISTARCHO PINDARI INTERPRETE

SCRIPSIT

PAVLVS FEINE

Disputaturis nobis de Aristarchi studiis Pindaricis grammaticum illum celeberrimum et iustam editionem carminum Pindaricorum adornasse et commentarios ad ea scripsisse probemus non iam necesse est, cum de ea re post Boeckhii[1]) et Osanni[2]) explicationes dubitatio non relinquatur. Verum tamen si ad excerpenda Aristarchi praecepta ex scholiorum Pindaricorum farragine nos accingimus, summae statim suboriuntur difficultates. Scholiorum enim superstitum redactores principalem fontem, commentarios Didymi, quem ex more suo superiorum libros, iudicium semper censuramque facientem, suis commentariis admiscuisse ut coniectura assequi ita multis exemplis probare licet, non solum magnopere in arctum redegerunt, recoxerunt, confuderunt, additamentis auxerunt[3]), verum etiam plerumque nominibus grammaticorum exstirpatis vulgaria illa *ἔνιοι*, *οἱ μὲν* — *οἱ δέ*, *ἤ*, *ἢ οὕτως*, *καὶ εἰσὶν οἵ*, similia substituerunt, ut plurimis locis sua cuique assignare nequeamus. Itaque felicissimo casu contigit, ut in cod. Ven. A praestantissima illa ad Iliadem scholia aetatem tulerint. Collatis enim eis scholiis cum Pindaricis in explicando Pindaro Aristarchum simillimam adhibuisse rationem atque quam in Homero secutus est facile perspicitur. Cuius rei ut exempla porrigam, ut in Homero pleonasmo, ellipsi, permutatione potissimum verborum structuram affici grammaticorum princeps perspexisse sibi visus est[4]), sic apud Pindarum quoque similes observationes saepissime deprehendas. Cfr. schol. Ol. I, 131 *ἕψοι δὲ ἀντὶ τοῦ ἕψοιτο*. Ol. I, 152 *τὸ δὲ δέδορκεν ἀντὶ παθητικοῦ τοῦ δέρκεται*. Ol. VI, 131 *Δώρησαν θεῶν κάρυκα*] *ἀντὶ τοῦ ἐδωρήσαντο τῷ κήρυκι τῶν θεῶν*. Ol. VIII, 62 *ἤπειγε δὲ ἀντὶ τοῦ ἠπείγετο, ἐνεργητικὸν ἀντὶ παθητικοῦ*. Pyth. II, 54 *τὸ γὰρ ἐπειρᾶτο παθητικὸν ὂν ἀντὶ τοῦ ἐνεργητικοῦ*

1) Praef. ad schol. p. XIII. — 2) In libro, qui inscribitur anecdotum Romanum p. 181 sqq. — 3) Cfr. Boeckhium l. c. p. XVII sq. — 4) Cfr. Friedlaenderi librum, cui inscripsit Aristonici *περὶ σημείων Ἰλιάδος* reliquiae emendatiores p. 2.

ἐστι. Pyth. VI, 10 τὸ δὲ τυπτόμενοι ἀντὶ τοῦ τύπτοντες (sic leg. pro τύπτονται). Pyth. X, 103 τὸ ἄγοντα ἀντὶ τοῦ ἀγόμενον. Isthm. III (IV), 52 τὸ δὲ καταμάρψαι ἀντὶ τοῦ καταμαρφθῆναι. Ol. II, 68 ἐπάγει δέ τι· χρόνος ἀντὶ χρόνου, ἀντὶ τοῦ ἐπήγαγεν. Pyth. IV, 85 ἤλλακται δὲ ὁ χρόνος· ἐξανίστανται γάρ, φησίν, ἀντὶ τοῦ ἐξαναστήσονται. Iam saepissime Pindarum numerum singularem pro plurali aut pro singulari pluralem usurpasse notatur, plerumque simpliciter, interdum sic ut id schema apud eum usitatissimum esse addatur. Cfr. Ol. II, 80. Ol. III, 19. Ol. VI, 115. Ol. X, 5. Pyth. IV, 4. 100. 438. Pyth. VIII, 10. Pyth. X, 110. Nem. I, 34. Nem. VII, 47. Isthm. I, 60. Isthm. IV, 9. Praeterea eum pro nominati vocativum adhibere Ol. VIII, 64, ubi ad Il. *Π*, 33 ut simile exemplum provocatur, et nominativum pro vocativo Ol. VI, 37. 179. Pyth. XI, 1 ita ut omnibus tribus locis Il. *Γ*, 277 laudetur et Ol. VI, 170 et Pyth. XI, 1 insuper Od. ρ, 415. Ad Il. *Γ*, 277 vero haec Aristarchi nota exstat ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι ἥλιος ἀντὶ τοῦ ἥλιε, ὡς κἀκεῖ· δὸς φίλος (ρ, 415) καὶ ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ (*Φ*, 106). Alii autem casus dicuntur esse permutati Ol. I, 16. Ol. II, 135. Ol. III, 56. Ol. VI, 7. 120. Ol. VII, 98. 159. Ol. XIV, 12. Pyth. IV, 528. Pyth. X, 43. Nem. I, 97. Atque multis locis praepositionum et particularum permutationem scholia statuunt ut Ol. I, 105 ἡ γὰρ μετὰ ἀντὶ τῆς εἰς. Ol. IV, 3 τὸ δὲ ὑπὸ ποικιλοφόρμιγγος ἀοιδᾶς τῇ ὑπὸ ἀντὶ τῆς μετὰ κέχρηται ...... τῇ δὲ ὑπὸ ἀντὶ τῆς μετὰ καὶ Ὅμηρος κέχρηται (Il. *Σ*, 492) Δαΐδων ὑπὸ λαμπομενάων, ἀντὶ τοῦ μετὰ δαΐδων et Ol. VII, 23 ἡ δὲ ὑπὸ ἀντὶ τῆς μετά. καὶ Ὅμηρος· Δαΐδων ὑπὸ λαμπομενάων. Ad Il. *Σ*, 492 vero Aristonicus hanc servavit Aristarchi adnotationem: ἡ διπλῆ, ὅτι ἡ ὑπὸ ἀντὶ τῆς μετὰ, μετὰ δᾴδων. Ol. VI, 73 ἡ δευτέρα ὑπὸ ἀντὶ τῆς μετὰ, ἡ πρώτη δὲ ὑπὸ ἀντὶ τῆς ἀπό (sic Boeckh restituit). Ol. VIII, 4 ἡ παρὰ ἀντὶ τοῦ ἀπό. Ol. XIII, 27 ὁ Δίδυμος .... τὴν ἐν πρόθεσιν ἀντὶ τῆς εἰς κειμένην συναπτέον πρὸς τὰ μέτρα, coll. cum Pyth. IV, 459 Ἄν ποτε Καλλίσταν ἀπῴκησαν χρόνῳ νᾶσον] Χαῖρις βούλεται γράφειν ἔν ποτε ἀντὶ τοῦ ἄν ποτε, κατὰ τὴν Πινδάρου συνήθειαν. Pyth. II, 21 ἡ ἐν ἀντὶ τῆς εἰς. Nem. II, 32 ἡ ὑπὸ ἀντὶ τῆς παρά. — Ol. I, 114 ἀντὶ τοῦ τε τὸν δὲ παρέλαβεν. Ol. I, 119 ὁ μὲν ἀντὶ τοῦ μήν. Ol. II, 106 τὸν δὲ .. σύνδεσμον ἀντὶ τοῦ γὰρ δεῖ ἀκούειν, quae eadem fere exhibent scholl. Ol. IV, 34. Ol. VI, 4. Ol. XIII, 83. Pyth. III, 22. Nem. IV, 95. Et Ol. III, 40. τὸ ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ δέ ut etiam Pyth. IV, 268. Nem. I, 59. Nem. II, 32. Ad aliam praeterea en-

allages speciem talia spectant ut Ol. I, 55 *ἔνιοι δὲ μείων ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὀλίγη. ὡς Ὅμηρος* (Il. *E*, 800)· *Ἠ ὀλίγον οἷ παῖδα ἐοικότα γείνατο Πηλεύς* (immo *Τυδεύς* ut recte Boeckh) *ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὀλίγον* quae similiter redintegrantur Ol. XI, 26 et Nem. X, 147. Ad Il. *E*, 800 autem nota exstat *ἡ διπλῆ, ὅτι οὐ λέγει κατά τι ὅμοιον, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὅλως ὅμοιον*. Pyth. V, 117 *τὸ δὲ μείζονα ἀντὶ τοῦ μεγάλα ἁπλῶς, οὐ πρὸς ἄλλα συγκρίνων*. Pyth. XI, 45 ubi paraphrasta vetus pro eo quod in textu est *οὐ μείονα* scribit *οὐ μικρόν*. Et Nem. IV, 1 ubi duo scholiastae *ἄριστος* pro *ἀρίστη* dictum esse sumunt. Pyth. II, 53 *τάχα δὲ παθών] Ὅμηρος τὸ τάχα ἀντὶ τοῦ ταχέως. ταχέως δὲ παθὼν καὶ τιμωρηθεὶς τὸν πρέποντα αὐτῷ καὶ ἁρμόζοντα μισθὸν ἀνεδέξατο*. Cfr. Il. *Ξ*, 8 *ἡ διπλῆ, ὅτι τὸ τάχα ἀντὶ τοῦ ταχέως* et omnino Lehrsium.[1]) — Iam hic habe ellipsis exempla in Pindaro notata: Ol. II, 16 *λείπει δὲ ἡ ἐπὶ* Ol. VI, 140 verba *καλλιρόαις πνοαῖς* circumscribuntur *ὑπὸ ταῖς τῶν αὐλῶν πνοαῖς καὶ τῶν ἤχων*. Ol. XII, 17 *λείπει ἡ ἀντί*. Pyth. I, 157 *οἱ μέν φασι τὴν κατὰ πρόθεσιν λείπειν*. Pyth. I, 188 *λείπει γὰρ τῷ λόγῳ ἡ εἰς πρόθεσις*. Pyth. IV, 453 *λείπει δὲ ἡ σὺν ἢ ἡ ἐν*. Pyth. V, 43 *ἔξωθεν δὲ προσληπτέον τὴν κατά*. Pyth. X, 74 *λείπει ἡ μετά*. Nem. I, 100 *ἔξωθεν γὰρ τὴν εἰς πρόθεσιν παραληπτέον*. Nem. IV, 81 *Φθίᾳ] ἀντὶ τοῦ ἐν Φθίᾳ*. Nem. IV, 107 *λείπει οὖν ἡ ἐπί*. Ol. II, 131. Ol. VII, 36. Ol. XI, 13. Pyth. III, 66. Pyth. IV, 514. Nem. I, 34 *καθάπερ* aut *ὡς* particularum defectus indicatur. Pyth. I, 169 *λείπει ὁ γάρ*. Pyth. IV, 461 *ἐλλείπει ὁ τέ*. Nem. IV, 151 *ἐλλείπει δὲ τὸ τίς* et *παρεῖται δὲ τὸ τίς*. Nem. V, 87 *λείπεται τὸ ὅτι*. — Superest igitur ut complures locos proponamus quibus pronomina, praepositiones, particulae supervacaneae esse dicuntur. En habe: Ol. VI, 21 *αὐτόν τέ νιν] ὅτι ἐκ παραλλήλου τέθεικε τὰς ἀντωνυμίας καὶ ἔστιν ἡ μία αὐτῶν περισσή*. Ol. VI, 40 *ἔνιοι δὲ τὸν καὶ σύνδεσμον περισσὸν δέχονται*. Ol. VII, 171 *ὁ δὲ καὶ σύνδεσμος περιττεύει*. Pyth. III, 66 *περιττεύει ὁ τέ* quae etiam Ol. IV, 14 et Nem. VI, 38 notantur. Ol. IV, 3 *περισσὸς δὲ ὁ γὰρ σύνδεσμός ἐστιν*. Pyth. IV, 447 *ἡ πρόθεσις περιττεύει τοῦ λόγου*. Isthm. I, 11 *περισσὴν εἶναι λέγοντες* (scil. *οἱ Ἀριστάρχειοι*) *τὴν ἐξ πρόθεσιν ποιητικῇ συνηθείᾳ*. Isthm. VI, 27 *περιττεύει δὲ ἤτοι ἡ ἐν πρόθεσις ἢ ἡ σύν· μία γὰρ ἀρκεῖ*.

Quibus expositis iam eo nos convertamus ut etiam in Pindari

1) In libro qui inscribitur de Aristarchi studiis Homericis p. 101 sqq.

scholiis poetae rationes et proprietates in exponendis fabulis, in vocabulorum, in similium usu, in victorum laude, talibus notatas esse doceamus. Ad peculiarem poetae morem in tradendis fabulis haec scholia exempli gratia spectant: Ol. I, 37. 105. Ol. VI, 23. Ol. VIII, 41. Ol. IX, 62 coll. cum 85. Ol. IX, 115. Pyth. IV, 44. 281. 447. Pyth. IX, 183. Pyth. XI, 25. Nem. III, 75. Nem. X, 103. 150. Isthm. I, 15. 23. Isthm. III (IV), 63, 92. Isthm. VI, 5.

Iam de Pindari singulari verborum usu ex magna copia haec conferas. Ol. VII, 148 *θηλυκῶς τὴν Ἰσθμόν φησιν, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις τὴν Ὀρχομενόν* Ol. VIII, 64 *θηλυκῶς τὸν Ἰσθμὸν, ὡς ἐν ἄλλῳ* ubi in alio scholio eiusdem versus, exstat *ἐπίφορός ἐστι πρὸς τὰ θηλυκὰ, ὡς τὸ Ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ, ὡς καὶ νῦν τῇ Ἰσθμῷ.* Pyth. I, 29 *πάλιν κατὰ τὸ ἴδιον ἔθος θηλυκῶς τὴν Τάρταρον προήγαγεν, ὡς καὶ τὴν Ἰσθμὸν καὶ τὸ Τυφώς.* Ol. VI, 1 *θηλυκῶς δὲ νῦν προήγαγεν* (scil. *κίονας*) *ὡς καὶ Ὅμηρος* (Od. *α* 52)· *ἔχει δέ τε κίονας αὐτός Μακράς. κτέ.* Ol. XII, 10 *σύμβολον, ἀρσενικῶς καὶ οὐδετέρως.* Pyth. II, 144 *ὁ φελλὸς δὲ καὶ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς κλίνεται.* Pyth. IV, 328 *θηλυκῶς ὁ Πίνδαρος τὴν αἰῶνα κατὰ τὸ ἴδιον ἔθος ἐξήνεγκε.* Pyth. XI, 5 *πυκνῶς δὲ τίθησιν ὁ Πίνδαρος κατὰ τὸ ἀρσενικὸν τὸν ἄδυτον.* — Pyth. I, 94 *τιμὴν γὰρ εἴωθε τὴν βασιλείαν ὀνομάζειν.* Pyth. IV, 334 *τὸ δὲ κατέβα ἀντὶ τοῦ κατῆλθε, καὶ πυκνῶς τούτῳ χρῆται τῷ καταβῆναι ἀντὶ τοῦ παραγενέσθαι.* — Ol. IX, 96 *καὶ νῦν μὲν ὁ Πίνδαρος τὸν ἐκ μητρὸς πάππον μήτρωα ὀνομάζει· Ὅμηρος δὲ καὶ οἱ λοιποὶ τὸν τῆς μητρὸς ἀδελφὸν μήτρωα καλοῦσι.* Citantur deinde Il. *π*, 717 sq. Similiter rem exponit alius schol. ad eundem versum § 3. Atque Ol. VI, 130 et Nem. IV, 129 a scholiis *μήτρως* pro avunculo accipitur. Ambigunt schol. Nem. V, 78 *μήτρως ἢ ὁ τῆς μητρὸς ἀδελφὸς ἢ ὁ κατὰ μητέρα συγγενής· χρῆται γὰρ οὕτως ὁ Πίνδαρος* et schol. Isthm. V, 87, ubi alter explicat *μήτρωες δὲ, ἀντὶ τοῦ μήτρως δὲ, τουτέστιν ἀδελφὸς τῆς μητρός,* alter *ὃν δὴ μήτρωα καλεῖ τούτου ὡς κατὰ μητέρα προσήκοντα· οὐ γὰρ πιθανὸν μητράδελφον ἀκούειν.* Et schol. Nem. X, 69 et Nem. XI, 43 interpretantur *οἱ τῆς μητρὸς πρόγονοι* et *οἱ κατὰ μητέρα πρόγονοι.* — Ol. I, 9 *κακῶς εἶπεν ἄστρον. ἔδει γὰρ εἰπεῖν ἀστέρα. τὰ γὰρ ἐκ πολλῶν συγκείμενα ἀστέρων ζώδια ἄστρα λέγεται, ὁ δὲ ἥλιος ἀστήρ.* Cfr. schol. Il. *E*, 5 *ἡ διπλῆ, ὅτι τὸν κύνα λέγει ἀστέρα,* praeterea schol. Il. *Δ*, 75. *K*, 252. — Ol. III, 31 *οὐκ ἄν τις ἐνταῦθα ἐναντιωθείη τῷ Πινδάρῳ τῷ τὸ ἔτι ἀφύτευτον*

χωρίον ἄλσος ὀνομάζοντι. ἔλεγον γὰρ πᾶν χωρίον ἀφιερωμένον θεῷ, κἂν ψιλὸν φυτῶν ᾖ, ἄλσος, ὡς καὶ Ὅμηρος (Il. *B* 506)· Ὀγχηστόν θ' ἱερὸν, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος. οὐ γὰρ Ὀγχηστὸς δένδρεσι κομᾷ, ἀλλὰ ἱερός ἐστιν. Ol. XI, 53 ἄλσος δὲ τὸ ἀνιερωμένον τῷ θεῷ γῆς μέρος, εἰ καὶ ψιλὸν εἴη φυτῶν. Ol. VII, 86 ἄλσος simpliciter explicatur τέμενος voce et Pyth. V, 117 ἄλση verbis θεῶν τεμένη. Perperam autem schol. Ol. V, 25 refert τοὺς δὲ ἱεροὺς ποταμοὺς ἄλση εἰώθασι λέγειν. — Ol. VII, 122 φαεννὸν, κατὰ συγκοπὴν φαενὸν, λαμπρὸν αἰθέρα. νῦν δὲ καταχρηστικῶς τὸν ἀέρα. Cfr. Lehrsium[1]) qui de Aristarchi praecepto secundum quod apud Homerum ἀήρ terrae proximus sit usque ad nubes, quae ultra eas regio sit, αἰθήρ et οὐρανός, praeclare egit. — Ol. VII, 71 ἔγχος μὲν γὰρ τὸ δόρυ. Cfr. Il. *H*, 255 ἡ διπλῆ, ὅτι κυρίως ἔγχη τὰ δόρατα, οὐχ ὥς τινες τὰ ξίφη. Cfr. etiam *H*, 273. — Pyth. IV, 135 τὸ δὲ σημεῖον χ', ὅτι σταθμοὺς τὰς κατ' ἀγροὺς ἐπαύλεις ἔλεγε. Il. *E*, 140 ἡ διπλῆ ...... καὶ ὅτι σταθμοὺς τὰς κατ' ἀγρὸν ἐπαύλεις. — Pyth. X, 56 κνωδάλων, κυρίως τῶν θαλαττίων ζώων, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τῶν χερσαίων. Nem. I, 74 κνώδαλα δὲ κυρίως τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ θηρία, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κινεῖσθαι, καταχρηστικῶς δὲ καὶ πᾶν θηρίον, ὡς καὶ Ὅμηρος (Od. ρ, 317)· Κνώδαλον ὅττι δίοιτο· καὶ ἴχνεσι γὰρ περιήδει, ubi haec exhibet scholion κυρίως μὲν τὸ θαλάσσιον θηρίον τὸ κῆτος, νῦν δὲ θηρίον ὑπὸ κυνῶν ἁλισκόμενον. — Ol. I, 105 πάλιν, εἰς τοὐπίσω κτἑ. Cfr. schol. Il. *E*, 836 χειρὶ πάλιν ἐρύσασα] ἡ διπλῆ, ὅτι ἀντὶ τοῦ εἰς τοὐπίσω. Cfr. etiam Lehrsium[2]) — Ol. I, 118 οὐ χρονικῶς τὸ σχεδὸν, ἀλλὰ τοπικῶς. Cfr. schol. Il. *P*, 202 οὐχ οὕτως παρείληπται ὡς ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ τάσσομεν διστακτικῶς τὸ σχεδόν, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἐγγύς. Schol. *Υ*, 290 σχεδὸν, ἀντὶ τοῦ ἐγγὺς, καὶ οὐχ ὡς ἡμεῖς cfr. Lehrsium[3]) — Ol. I, 9 ἢ ὅτι τὸ ἐρι μόριον λέγουσιν ἀντὶ τοῦ μεγάλως, ὡς Ὅμηρος (Il. *K*, 305). Ἐριαύχενας ἵππους, ubi schol. τὸ ἐρι γὰρ μόριον ἐπὶ τοῦ μεγάλου τίθεται, ὡς καὶ τὸ ζα.

Iam ex aliis generibus συνηθείας Pindari haec sunt: Ol. I, 5 ἔθος δέ ἐστι Πινδάρῳ, μὴ οἷς προοιμιάζεται συγκριτικοῖς, τούτοις τὰ συγκρινόμενα εὐθέως ἐπάγειν, ἀλλὰ μεταξύ τινα εἰκόνα ἀποδεικτικὴν τῆς βελτιότητος παρεντιθέναι, καὶ οὕτω τὴν σύγκρισιν ἐπιφέρειν. ποιεῖ δὲ τοῦτο θερμός τις ὢν καὶ πολύνους περὶ τὰ νοήματα. Nem. I, 34 ταῖς δὲ τοιαύταις

1) L. c. p. 167 sqq. — 2) L. c. p. 100 sq. — 3) L. c. p. 100.

παραβολαῖς χρῆται ἀποτόμως, οὐ λέγων τὸ καθάπερ. Pyth. VII, inscr. *ἔστι δὲ οὗτος οὐχ ὁ τὰ Ὀλύμπια νενικηκώς, ἀλλ' ἕτερος· τὴν δὲ ἐκείνου νίκην τούτῳ προσάπτει ὁ Πίνδαρος συνήθως αὐτῷ.* Cfr. tamen Boeckhii notam ad id schol. Nem. X, 1 *ὁ δὲ Πίνδαρος, ὅτε βούλοιτο ἐπαινεῖν τὰς πατρίδας τῶν νενικηκότων, ἀθροίζειν εἴωθε τὰ πεπραγμένα ταῖς πόλεσι περιφανῆ, καθὼς ἐν τῇ ᾠδῇ, ἧς ἡ ἀρχή· Ἰσμηνὸν ἢ χρυσαλάκατον Μελίαν.* Isthm. II, 28 *ὁ.. Νικόμαχος Ἀθηναῖος ὢν ἀμφοτέροις ἡνιόχει, Θήρωνι καὶ Ξενοκράτει. ἐπὶ μὲν οὖν τοῦ Ξενοκράτους οὐχ οἷόν τε ἀκούειν· οὐ γὰρ ἀνῄρητο Ὀλυμπικὴν νίκην, ἀλλ' ὁ Θήρων. κοινοποιεῖ δὲ τὰς νίκας ἀμφοῖν ὁ Πίνδαρος συνήθως αὐτῷ.*

Ut vero ad aliam rem accedamus, notarum quae ad aliarum dialectorum discrepantias ab Attici sermonis usu spectabant reliquiae reperiuntur Ol. I, 5. 75. 84. 146. Ol. III, 17. 56. Ol. V, 54. Ol. VI, 37. 87. Ol. XI, 28. 37. 72. 113. Ol. XII, 4. Pyth. I, 9. Pyth. II, 52. 138. Pyth. III, 65. Pyth. IV, 204. Pyth. X, 12. Nem. I, 34. Nem. III, 16. 42. 49. Nem. VI, 45. Nem. X, 146. Isthm. II, 44. Praeterea Schimberg[1]) cum Aristarchum in Homero homonymias geographicas persecutum esse probavit, etiam in Pindari scholiis has adnotationes ad scholam Aristarcheam revocare licere evicit: Ol. XIV, inscr. *δύο δὲ Ὀρχομενοί, ὁ μὲν Μινύειος ἐν Βοιωτίᾳ, ὁ δὲ πολύμηλος ἐν Ἀρκαδίᾳ· τοῦ δὲ Μινυείου νῦν μέμνηται.* Pyth. VI, 35 *καὶ ὁ Πίνδαρος τὸν Νέστορα ἐκ τῆς Μεσσηνιακῆς Πύλου φησὶν εἶναι. τριῶν γὰρ ὄντων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Πύλων εἷς μέν ἐστιν ὁ περὶ τὸν Ἀλφειὸν ποταμὸν ἐν Ἤλιδι Πύλος, ὃν καὶ ὑπὸ Ἡρακλέος πεπορθῆσθαί φασιν· ἕτερος δὲ ὁ Τριφυλιακὸς Πύλος, ἐν ᾧ ὁ Ἀμαθόεις ποταμός· τρίτος ἐν Μεσσήνῃ περὶ τὸ Κορυφάσιον. εἴσι δὲ οἵ φασι τοὺς τρεῖς Πύλους ὑπὸ τὸν Νηλέα εἶναι.* Nem. VII, 53 *Ἐφύραν δὲ εἶπε νῦν τὴν ἐν Ἠπείρῳ, ἣν Κίχυρόν φασι μετονομάσθαι ἀπὸ Κιχύρου τοῦ Μερμέρου. τέσσαρας δὲ ἀναγράφει τὰς Ἐφύρας· πρώτην μὲν τὴν αὖθις Κόρινθον ὀνομασθεῖσαν· Ὅμηρος* (Il. Z, 152)· *Ἔστι πόλις Ἐφύρη. ἑτέραν δὲ τὴν περὶ Θεσσαλίαν· Ὅμηρος* (Od. α, 259)· *Ἐξ Ἐφυρῆς ἀνιόντι παρ' Ἴλου Μερμερίδαο. τρίτην δὲ περὶ Ἦλιν, ἧς Ἱππίας μνημονεύει. τετάρτην τὴν ἐν Θεσπρωτοῖς.* Praeterea varia huc cadere videntur; ut unum exemplum afferam, Ol. IX, inscr. legitur *Ἔθνη Λοκρῶν εἰσι τρία. Ἐπιζεφύριοι πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ,*

1) In dissertatione quam inscripsit analecta Aristarchea p. 3—23.

Ὀζόλαι πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ, Ἐπικνημίδιοι πρὸς τῇ Εὐβοίᾳ, quae paullo amplificata etiam Ol. XI, 18 et Ol. X, 13 perhibentur. — Quemadmodum ex eis quae adhuc disputavimus perspici potest, Alexandrini in interpretando Pindaro saepissime Homerum respexerunt et quae in eo observaverunt ad Pindarum transtulerunt. Cuius rei plurima exempla praeter ea quae nos proposuimus indagabit qui Pindari scholia inspiciet. Atque Homerum normam regulamque fuisse ad quam Pindarum referrent et explicarent, etiam haec res testificatur, quod Pindari discrepantias ab Homerico dicendi genere diligenter adnotaverunt, quin etiam vituperaverunt Pindarum quod ab Homero recederet. Cfr. Ol. VII, 42 *ἐναντίως τῷ ποιητῇ τὰ περὶ τῆς μητρὸς Τληπολέμου ἱστορεῖ ὁ Πίνδαρος. Ὅμηρος μὲν γὰρ αὐτὴν Ἀστυόχην ἀποκαλῶν καὶ Ἄκτορος εἶναι θυγατέρα βούλεται, ἐν οἷς φησιν* (Il. *B*, 658)· *Ὃν τέκεν Ἀστυόχεια. ἔοικε δὲ ὁ Πίνδαρος ἐντετυχηκέναι τῷ Ἀχαιῷ ἱστοριογράφῳ. ἐκεῖνος γὰρ οὕτω γενεαλογεῖ· Ὑπερόχου Εὐρύπυλος· οὗ Ὄρμενος· οὗ Φέρης· οὗ Ἀμύντωρ· οὗ Ἀστυδάμεια ἡ Τληπολέμου μήτηρ.* Ol. VII, 62 *τοῦτο ἐκ τῶν Ὁμήρου ὁρμηθεὶς λέγει, ὅτι Ζεὺς χρυσὸν ἔβρεξε τοῖς Ῥοδίοις, διὰ τὸ τὸν ποιητὴν εἰρηκέναι* (Il. *B*, 670)· *Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων, οὐκ εἰρηκότος Ὁμήρου, ὅτι ὁ Ζεὺς ἔβρεξε χρυσὸν, ἀλλὰ περιεποίησε χύδην αὐτοῖς τὸν πλοῦτον.* Ad *B*, 670 autem habet Ven. A *ἡ διπλῆ, ὅτι Πίνδαρος κυρίως δέδεκται χρυσὸν ὗσαι τὸν Δία, Ὁμήρου μεταφορᾷ κεχρημένου διὰ τοῦ κατέχευε πρὸς ἔμφασιν τοῦ πλούτου.* Cfr. etiam Lehrsium.[1]) Ol. IX, 115 *ἰδίως δὲ τοῦτο τάσσει χαριζόμενος τῷ Πατρόκλῳ* (nempe Achillem rogavisse Patroclum ne a se seorsum pugnaret). *Ὅμηρος γὰρ διαπαντὸς λέγει αὐτὸν θεράποντα Ἀχιλλέως.* Ol. IX, 128 *χάρμαι νῦν χαραὶ καὶ ἡδοναί, καθ' Ὅμηρον* (Il. *H*, 218) *δὲ αἱ μάχαι.* Ol. XIII, 12 *οὐκ ὀρθῶς δὲ τὴν ὕβριν τοῦ κόρου μητέρα λέγει, ἀλλὰ τὸ ἀνάπαλιν εἰπεῖν μᾶλλον ἔδει. Ὅμηρος· Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.* Quod exemplum inserendum esse duxi, tametsi non ut scholiasta putat is versus Homeri, sed Theognidis est. Ol. XIII, 98 *ἐπιλαμβάνονταί τινες τοῦ ἐπιθέτου, ἐπειδὴ ταῦρον εἶπε θύειν Ποσειδῶνι ἀργήεντα, ὅπερ δηλοῖ λευκὸν, τοῦ Ὁμήρου* (Od. *γ*, 6) *εἰπόντος, ὅτι χρὴ θύειν Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ· ἀλλὰ βοηθεῖται τὸ ἀργᾶντα. οὐ γὰρ λευκὸν τῇ χροιᾷ βούλεται λέγειν, ἀλλὰ τὸν ἐκλάμποντα τῷ μεγέθει καὶ ἐπιφανῆ ἐν τῇ*

1) L. c. p. 188 sq.

ἀγέλῃ. Et Pyth. IV, 361 ubi Iasonis socios Neptuno rutilos tauros immolasse traditur schol. scribit *Ὅμηρος* (Od. *γ*, 6) *μέντοι οἰκείως τῇ τοῦ ὕδατος φύσει καὶ τῷ Ποσειδῶνι ἀπονέμει τὰ θύματα, Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ*. Pyth. I, 21 *Κῆλα δὲ*] *κατὰ συναίρεσιν τὰ κηλήματα. Ὅμηρος* (Od. *τ*, 538) *δὲ τὰ τοξικὰ βέλη· Τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο. δυνατὸν δὲ ἀκούειν καὶ νῦν τροπικώτερον βέλη τὰ θελκτικὰ τῆς μουσικῆς πάθη*. Pyth. I, 29 *πάλιν κατὰ τὸ ἴδιον ἔθος θηλυκῶς τὴν Τάρταρον προήγαγεν, ὡς καὶ τὴν Ἰσθμὸν, καὶ τὸ Τυφώς· ἔδει γὰρ Τυφών· Ὅμηρος* (Il. *B*, 782) *δὲ ἑτέραν εὐθεῖαν οἶδεν, ὁ Τυφωεύς· Τυφωεΐ γαῖαν ἱμάσσῃ*. Pyth. II, 73 *οἱ δὲ ἁρμάτειοι τροχοὶ τῶν ἀνθρώπων ἑξάκνημοί εἰσιν, οἱ δὲ τῶν θεῶν δι' ὑπερβολὴν τοῦ κόσμου παρὰ τῷ Ὁμήρῳ* (Il. *E*, 723) *ὀκτάκνημοι εἶναι λέγονται. οἰκείως δὲ ὁ Πίνδαρος τὸν τοῦ Ἰξίονος τροχὸν τετράκνημόν φησιν, ἵνα τοῖς μὲν δυσὶ ποσὶ τὰς δύο, ταῖς δὲ δυσὶ χερσὶ τὰς δύο προσάψῃ κνήμας, ἴσον ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς ποσὶν, ὡς εἰς τὴν δέσιν τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν ἐξαρκεῖν*. Pyth. II, 85 *Ἐκ δ' ἐγένοντο στρατὸς θαυμαστὸς*] *ἡ φράσις κατὰ σχῆμα· ἀπὸ πληθυντικοῦ γὰρ ἑνικὸν ἐπήγαγεν εἰπών· Ἐκ δ' ἐγένοντο στρατός· καὶ ἔστι τοῦτο ἐναντίον τῷ παρ' Ὁμήρῳ* (Il. *O*, 305)· *Ἡ πληθὺς ἐπὶ νῆας ἀπὸ στρατοῦ ἀπενέοντο. καὶ πάλιν* (Il. *Σ*, 496)·

Αἱ δὲ γυναῖκες
Ἱστάμεναι θαύμαζον ἐπὶ προθύροισιν ἑκάστη.

Pyth. III, 141 *ἔνιοι ἀπεκδοχήν φασιν εἶναι ταῦτα τῶν Ὁμηρείων* (Il. *Ω*, 527 sqq.), *ὡς εἰπόντος αὐτοῦ ὅτι τριῶν ὄντων πίθων, ἑνὸς μὲν τῶν ἀγαθῶν, δυεῖν δὲ τῶν κακῶν, ὁ Ζεὺς δίδωσιν ἐξ ἑκάστου μοῖραν. ἐλέγχεται δὲ, ὅτι τὸ Ἕτερος ἐπὶ δύο μόνων λέγεται. εἰ γὰρ ᾔδει τρεῖς ὄντας τοὺς πίθους, Ἄλλος ἂν εἶπε καὶ οὐχ Ἕτερος. ἔστι δὲ ὑποστίξαντα εἰς τὸ Δώρων οἷα δίδωσι, διαστεῖλαι εἰς τὸ Κακῶν, ἵν' ᾖ· κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων. δύο οὖν λέγει πίθους Ὅμηρος, κακῶν τε καὶ ἀγαθῶν, καὶ ᾧ μὲν ἀνθρώπων ἓν παρ' ἓν ἀγαθὸν καὶ κακὸν δῷ, εὐδαίμων ἐστὶν, ᾧ δ' ἂν ἐκ θατέρου δῷ δύο μοίρας τῶν κακῶν, τοῦτον οὖν εἶναι κακοδαίμονα*. Cfr. etiam Aristonicum et Nicanorem ad Iliadis locum. Pyth. IV, 194 *λευκὰς εἶπε φρένας κατὰ τὸ ἐναντίον ταῖς παρ' Ὁμήρῳ μελαίναις, ἃς ἐκεῖνος ἀπὸ τῶν ἐν βάθει διαφαινομένων ὑδάτων κατὰ μεταφορὰν ὠνόμασε. τὰ μὲν γὰρ ἐπιπόλαια τῶν ὑδάτων διαυγῆ καὶ λευκὰ, τὰ δὲ ἐν βάθει μέλανα· διόπερ τὰς μὲν ἐπιπολαίους λευκὰς*

φρένας εἶπε Πίνδαρος, τὰς δὲ ἐν βάθει μελαίνας ὁ θειοτατος Ὅμηρος. Cfr. etiam schol. Od. *γ*, 6. Pyth. IV, 370 *Ὅμηρος μὲν ἐκτοπίζει τὸν Ἰάσονος πλοῦν* (Od. *μ*, 69 sqq.). *Οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς, καὶ τὰ ἑξῆς· οἱ δὲ νεώτεροι πόντον ὑφίστανται δύο νησίδια σκοπελοειδῆ ἀλλήλοις συῤῥηγνύμενα. καὶ ἴσως Ὅμηρος οὐδὲ αὐτὰς τὰς πέτρας ἐπικυλίεσθαί φησιν, ἀλλὰ τὰ κύματα ἐγειρόμενα μεταξὺ ταῖς πέτραις προσρήσσειν τὰς ναῦς. φησὶ γοῦν· Καί νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας, ὅτι τὴν ναῦν προσέῤῥηξεν ἂν τῇ πέτρᾳ τὸ κῦμα, καὶ οὐκ αὐτὴ ἡ πέτρα συνεκρότησε τῇ ἑτέρᾳ. οἱ δὲ νεώτεροι συντρέχειν φασίν. ὁ δὲ Πίνδρος προστερατεύεταί τι λέγων ὅτι δίδυμοι ἦσαν ζωαί.* Pyth. IV, 507 *τὸ χ', ὅτι ἐκ τῶν Ἡσιόδου Ἔργων* (714) *εἴληπται· ἐκεῖνος γὰρ παραινεῖ μὴ ὁμιλεῖν τοῖς κακοῖς μηδὲ ἐπιπλήττειν μηδὲ ψέγειν τοὺς ἀγαθούς· Μηδὲ κακῶν ἕταρον μήδ' ἐσθλῶν νεικητῆρα. Ὅμηρος δὲ τὸν Θερσίτην εἰσήγαγε φιλόκακον καὶ μισάγαθον· ὅσους γὰρ ὁ ποιητὴς ἐγκεκωμίακε κατ' ἀρετὴν, τούτους ἔψεγε. διὸ καὶ ἔλεγεν* (Il. *Β*, 220)· *Ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆϊ μάλιστ' ἦν ἠδ' Ὀδυσῆϊ.* Pyth. V, 93 *ἀπὸ οὖν τῆς Πύλου τὴν Μεσσήνην σημαίνει. οἱ γὰρ νεώτεροι τὴν Πύλον, ἧς ὁ Νέστωρ ἡγεῖτο, οὐ περὶ τὴν Τριφυλίαν τῆς Ἀρκαδίας, ἀλλὰ περὶ τὴν Μεσσήνην διδόασιν.* Eadem fusius habet schol. Pyth. VI, 35. Nem. II, 22 *ἔοικε δὲ ὁ Πίνδαρος τὸ παρ' Αἴαντος ῥηθὲν πρὸς Ἕλληνας ὑπονενοηκέναι εἰρῆσθαι πρὸς Ἕκτορα· φησὶ γὰρ* (Il. *Η*, 198)·

Ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νήϊδά γ' οὕτως
Ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Nem. III, 55 *ἀναφέρει δὲ ἐπὶ τὰ Ὁμηρικά* (Il. *Τ*, 390)· *Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ τάμε Χείρων. ἀντιτάττεται δὲ τοῖς Ὁμήρου· ὁ μὲν γὰρ ὑπὸ Χείρωνός φησι τμηθῆναι αὐτὴν καὶ δοθῆναι Πηλεῖ, οὗτος δὲ ὑπὸ Πηλέως φησὶ τμηθῆναι.* Nem. III, 75 *παρὰ μὲν γὰρ Ὁμήρῳ μόνον παιδεύεται* (scil. Achilles) *διδασκόμενος τὴν ἰατρικὴν, παρὰ δὲ τοῖς νεωτέροις καὶ τρέφεται παρὰ Χείρωνι.* Nem. IX, 104 *ὁ δὲ αἰὼν πρὸς τὸ γῆρας τούτοις τελέθει ἀεὶ φῶς τοῖς πόνοις, οἳ ἂν ἐν νεότητι γένωνται καὶ δίκῃ. ἔστι δὲ ἐκ τοῦ ἐναντίου τοῦ Ὁμήρου* (Od. *τ*, 360)· *Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.* Isthm. I, 43 *τὸ δὲ ὑψίπεδον ἕδος δοκεῖ ἐναντίως εἰρῆσθαι τῷ Ὁμηρικῷ. φησὶ γάρ* (Od. *δ*, 1)· *Οἱ δ' ἷξον κοίλην Λακεδαίμονα κητώεσσαν. ἀλλ' ἀπολυσόμεθα οὕτως· ὑψίπεδος ἡ Λακεδαίμων καθ' ἑαυτὴν, κοίλη δὲ ὡς πρὸς τὰς πλησίον πόλεις.*

Isthm. III (IV), 63 Chrysippus sensum rectum deesse contenderat, si ei versus tanquam de Aiace dicta acciperentur. Cuius censor, Didymus, ni fallor, recte de Aiace, non de Ulixe verba fieri vidit. Scribit enim *δύναται γὰρ μένειν τὸ αὐτὸ ἄλογον· καὶ γὰρ ταῦτα λέγων ἐπὶ τῆς ἰδίας μένει κρίσεως, καὶ ἐγκαλῶν ἔσται τῷ ποιητῇ, Ὀδυσσέα δὲ ψέγων.* Isthm. VI, 30 *οὐχ ἧττόν ἐστι, φησίν, ἡ γνώμη τοῦ κάλλους. οὐχ ὅμοιόν ἐστι τῷ παρ' Ὁμήρῳ* (Od. ϱ, 454)· *Οὐκ ἄρα σοίγ' ἐπὶ εἴδεϊ καὶ φρένες ἦσαν.*

Iam exposui meum de tota hac re iudicium. Cave tamen credas omnia exempla a me in superioribus prolata — quae tamen multis augeri possunt — ex mea sententia ex ipsius Aristarchi commentariis petita esse. Non ignoro permagnam eorum partem discipulorum et grammaticorum aetate inferiorum, maxime Didymi libris deberi. Attamen etiam talibus uti non dubitavi, quoniam e discipulorum quoque doctrina magistri rationibus et praeceptis lux affulget. Praeterea satis habeo haec nunc obiter tantum tetigisse. Non enim hac commentatione id sequi licet ut Aristarchi praecepta omnia ex scholiis eliciam et sic studiorum eius Pindaricorum iustam imaginem et speciem exprimam. Nam ea res nunquam plane cedet, cum quemadmodum supra monui veterum grammaticorum nomina saepenumero in superstitibus scholiis exstincta sint. Qua de causa hoc tantum mihi proposui, ut omnia in scholiis Pindaricis praecepta quae disertis verbis ad Aristarchum relegantur diligenter examinem et excutiam et quantum ex eis locis cerni potest, quid Aristarchus in explicando Pindaro praestiterit doceam.

Ac statim ab initio duo loci nobis praetermittendi sunt ubi Aristarchi nomen occurrit. Alter est in colo de metro Ol. I ex Vrat. A desumpto Boeckh. p. 20: *Τῶν ἐν τοῖς ἐπινίκοις τοῖς ὑπὸ Πινδάρου γεγραμμένοις εἰς τοὺς Ὀλυμπιονίκας πρώτη ᾠδὴ ἐπῳδικὴ ἐστι τριαδικὴ περικοπῶν δ', καὶ ἔστιν ἡ πρώτη στροφὴ καὶ ἀντιστροφὴ κώλων ιζ', ἡ δὲ ἐπῳδὸς κώλων ιγ'. τῆς στροφῆς (καὶ) ἀντιστρόφου τὸ α' Γλυκώνειον. τὸ Γλυκώνειον μέτρον, τὸ καὶ ἀντισπαστικὸν, ἐστὶ τετρασύλλαβον συγκείμενον ἐκ βραχέος καὶ β' μακρῶν καὶ βραχέος, οἷον Ἀρίσταρχος. ὠνόμασται δὲ διὰ τὸ οἷον ἀντεσπασμένον καὶ οἱονεὶ ἐναντίον διΐαμβον εἶναι.* Collatis enim aliis scholiis metricis hoc loco nihil aliud dici nisi *Ἀρίσταρχος* vocem explere metrum glyconeum sive antispasticum ⏑ – – ⏑ elucet. Ac ne commemoravissem quidem eam rem nisi Osann[1]) in eo scholio metrico Aristarchi auctoritatem laudari praedicavisset.

1) L. c. p. 184.

Alter locus est Ol. I, 97 περὶ τῆς τοῦ Ταντάλου κολάσεως ἕτεροι ἑτέρως λέγουσιν ..... Ὅμηρος (Od. λ, 582 sq.) δὲ αὐτὸν ἑτέρως ὑποτίθησι τιμωρεῖσθαι·

Ἑσταότ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ·
Στεῦτο δὲ διψάων· πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι.

καὶ τὰ ἑξῆς· πλὴν εἰ μὴ κατὰ τὸν Ἀρίσταρχον νόθα εἰσὶ τὰ ἔπη ταῦτα. Quae non ad Pindarum spectant, sed id sibi volunt Aristarchum narrationem de Tantalo in Hom. Od. λ spuriam habuisse.

1.

Ol. II, 16, § 2 Ἀρίσταρχος τὴν πόλιν οἴκημα ποταμοῦ προσηγορεῦσθαί φησι διὰ τὸ ὁμώνυμον εἶναι τῷ ποταμῷ Ἀκράγαντι. τὴν γὰρ ὀνομασίαν ἡ πόλις ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἔσχεν. Ἀρτέμων δὲ ὁ ἀπὸ Περγάμου τὴν Γέλλαν οἴεται δεῖν ἀκούειν, οὕτω καλουμένην πόλιν ἐν Σικελίᾳ παρὰ τῷ ποταμῷ τῷ Γέλᾳ, ὡς Καλλίμαχος· Οἱ δὲ Γέλα ποταμοῦ κεφαλῇ ἐπικείμενον ἄστυ. καὶ γὰρ ταύτην ὁμώνυμον εἶναι Γέλλᾳ τῷ ποταμῷ, τοὺς δὲ Ἀκραγαντίνους Γελλῴων εἶναι ἀποίκους· ὥστε τὸ πατέρων ἄωτον ἐν Γέλλᾳ ἐπὶ τῶν τοῦ Θήρωνος προγόνων συντετάχθαι. κεφαλαιώδει δὲ χρῆται τῷδε· τὸ δὲ καμόντες, ἔφη, προσήκειν μᾶλλον ἀκούειν ὑπὲρ τῶν τὴν Γέλλαν ἐκτικότων, ἀλλ' οὐ τὴν Ἀκράγαντα. οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ῥᾴστου συνῳκίσθησαν, οἱ δὲ χαλεπῶς καὶ μόλις. Ἀντίφημος γὰρ ὁ Ῥόδιος καὶ Ἔντιμος ὁ Κρὴς οἱ τὴν εἰς Γέλλαν στείλαντες ἀποικίαν πρῶτον μὲν περὶ τὴν συναγωγὴν ἔκαμον οὐ μετρίως, συναθροίζοντες τοὺς ἐκ Πελοποννήσου καὶ Ῥόδου καὶ Κρήτης, εἶτα περὶ τὸν διάπλουν, εἶτα περὶ τὸν κατοικισμόν, καὶ πάλιν διαγωνισάμενοι πρὸς τοὺς Σικανούς. Μενεκράτης δέ φησι ληρεῖν τὸν Ἀρτέμονα· μὴ γὰρ καμεῖν τοὺς περὶ Ἀντίφημον περὶ τὴν ἀποικίαν, ἀλλὰ μᾶλλον κατὰ εὐπέτειαν πολλὴν αὐτοῖς πάντα συμβεβηκέναι. Hic cum Boeckhio, sed omisso paragraphi siglo, ex farragine scholiorum quam Vrat. A ad v. 70 apud C. E. Ch. Schneiderum[1]) porrigit, applicanda sunt quae Aristarchi, Artemonis, Menecratis censor profert. Vult enim ἔχοι δ' ἂν μᾶλλον τὸ δεύτερον λόγον. μετὰ γὰρ καμάτου ἐκτίσθη, Ἀντιφήμου τοῦ Ῥοδίου καὶ Ἐντίμου τοῦ Κρητὸς κατὰ χρησμὸν Ἀπόλλωνος μαχεσαμένων Σικελιώταις περὶ τοῦ χωρίου. Magis

1) In libello quo vetera in Pindarum scholia denuo ex codice Rhedigerano edidit, Vratislaviae 1843.

autem Aristarchi sententia invaluit, ut ex scholio versus 16, § 1, ex schol. Vrat. A v. 70 et ex schol. v. 14, ubi Aristarchi verba paullum mutata repetuntur, videre licet. Iam etiam Triclinius et Moschopulus eam amplexi sunt. Et nulla esse potest dubitatio, quin Aristarchus recte locum explicuerit. Nam Pindarus eis versibus aperte de Agrigento agit. Quam urbem Theronis maiores *καμόντας πολλὰ θυμῷ* condidisse eximie Boeckh in expl. p. 115 sqq. probavit.

2.

Ol. II, 29, § 2 *ζητεῖται δι' ἣν αἰτίαν εὐξάμενος τῷ Θήρωνι τὰ κάλλιστα κατάπαυσιν τῶν πραχθέντων δεινῶν αἰτεῖται τὸν Δία. Καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχός φησι, διὰ τὸ κεκμηκέναι τοὺς τοῖ Θήρωνος πατέρας κατὰ τὴν Ῥόδον, τῶν πραγμάτων στασιαζομένων, καὶ οὕτω τὴν εἰς τὴν Σικελίαν μετοικεσίαν στειλαμένων.* Quae repudianda sunt. Non enim Pindarus de eis miseriis, quas Theronis maiores Rhodi toleraverunt, loquitur, sed Iovem orat, ut Siciliam quae nunc Theronis patria est, propitius generi eius servet. Neque veteres Aristarchum secuti sunt. Pergit enim scholion recte: *ὁ δὲ Δίδυμος τὸ ἀκριβέστερον τῆς ἱστορίας ἐκτίθεται μάρτυρα Τίμαιον τὸν συντάξαντα τὰ περὶ τῆς Σικελίας προφερόμενος. ἡ δὲ ἱστορία οὕτως ἔχει. Θήρων ὁ τῶν Ἀκραγαντίνων βασιλεὺς Γέλωνι τῷ Ἱέρωνος ἀδελφῷ ἐπικηδεύσας γάμῳ συνάπτει τὴν αὐτοῦ θυγατέρα Δημαρέτην, ἀφ' ἧς καὶ τὸ Δημαρέτειον νόμισμα ἐν Σικελίᾳ. τοῦ δὲ Γέλωνος τελευτᾶν τὸν βίον μέλλοντος Πολύζηλος ἀδελφὸς τὴν στρατηγίαν καὶ τὴν γαμετὴν τοῦ ἀδελφοῦ διαδέχεται κατὰ τὰς Γέλωνος τοῦ ἀδελφοῦ* (verba *τοῦ ἀδελφοῦ* repetita ex superioribus delenda: Boeckhius ea ex Vrat. D male supplevit) *προστάξεις, ὥστε τὸ Θήρωνος εἰς Γέλωνα κῆδος εἰς τὸν Πολύζηλον μετατεθεῖσθαι. λαμπρῷ δὲ αὐτῷ καὶ περιβλέπτῳ τυγχάνοντι κατὰ τὴν Σικελίαν Ἱέρων φθονή σας ὁ ἀδελφ ὸς καὶ πρόφασιν σκηψάμενος τὸν πρὸς Συβαρίτας πόλεμον ἀπελαύνει τῆς πατρίδος.* (Contra Diodorus XI, 44 narrat Sybaritis contra Crotoniatas opem laturum in Siciliam eum venisse *ἀλλὰ καὶ τοῦτον κατώρθωσε τὸν πόλεμον ὁ Πολύζηλος. ὁ δὲ μὴ φέρων γυμνότερον αὐτοῦ κατηγορεῖν ἐπειρᾶτο νεωτερισμοῦ· καὶ οὕτω τὸν Θήρωνα ὑπεραγανακτήσαντα θυγατρὸς ἅμα καὶ γαμβροῦ συῤῥῆξαι πρὸς Ἱέρωνα πόλεμον παρὰ Γέλλᾳ τῷ Σικελιωτικῷ ποταμῷ, οὗ Καλλίμαχος μέμνηται·*

Οἱ δὲ Γέλᾳ ποταμῷ ἐπικείμενον ἄστυ.

μή γε μὴν εἰς βλάβην μηδὲ εἰς τέλος προχωρῆσαι τὸν πόλεμον. φασὶ γὰρ τότε Σιμωνίδην τὸν λυρικὸν περιτυχόντα διαλῦσαι τοῖς βασιλεῦσι τὴν ἔχθραν. τούτοις οἰκείως τοῖς φθάσασιν εὔχεσθαι τῷ Διΐ φησι τὸν Πίνδαρον ὁ Δίδυμος, ὥστε λοιπὸν αὐτοῖς εἰρηναῖον εἶναι τὸν βίον. Atque similia § 1 traduntur ex alia recensione. Conferenda etiam, sunt schol. v. 173, v. 180 alia. Non autem solum haec inter Hieronem et Polyzelum, Theronis generum offensiones, deinde bellum Theroni ipsi cum Hierone exortum Theronem vexavit, sed etiam, id quod schol. § 2 omittit et schol. § 1 obiter tantum commemorat, eisdem temporibus Capys et Hippocrates, et ipsi Theronis propinqui, una cum Himerensibus proditionem moliti sunt, sed apud Himeram flumen a Therone victi, Camicum, in arcem natura optime munitam se receperunt. Cfr. schol. v. 173 et schol. Pyth. VI, 4.

3.

Ol. II, 58, § 2 *λέγει ὅτι ἄδηλος ἡ τύχη τῶν ἀνθρώπων . . . . . ἀμφίβολον δὲ πότερον αὐτῷ ὁ λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ θανάτου· οὐδὲ ὁπότε τελευτήσομεν τὴν ἐσχάτην ἡμέραν· ἢ ὅτι ἀθορύβως ἐν τῷ τοῦ ζῆν χρόνῳ. οὕτω δὲ καὶ Ἀρίσταρχος ἀκούει.* Haec apud Boeckhium ex Vrat. A accesserunt, nisi quod codex praebet *ὅτι ἀθορύβως ἐν τῷ τοῦ ζῆν χρόνῳ* omissa *ἢ* particula. Schneider ea re nisus *ὅτι θόρυβος ἐν τῷ τοῦ ζῆν χρόνῳ* scribendum esse existimat, ut Aristarchus ea verba de extrema vitae die dicta esse putaverit. Sed eum falsum esse et cum Boeckhio *ἢ* particulam inserendam esse apparet, cum hoc loco secundum interrogationis membrum deesse non possit. Aristarchi autem sententiam uberius § 1 habet: *οὐδ' ἀσύχιμον] ἥσυχον, ἀπράγμονα, εὐτυχῆ· οὐδὲ πότε ἐν εὐτυχίᾳ ἐσόμεθα ἀθορύβως καὶ ἀταράχως ἐν τῷ τοῦ ζῆν χρόνῳ.* Hic ex Boeckhii ratione paragraphi siglum ponendum est, nam quae subsequuntur, alteri verborum interpretationi adstipulantur. Aristarchus igitur recte verborum sententiam perspexisse videtur. 'Non scimus, poeta inquit, quando diem in otio et pace peragere nobis licebit.'

4.

Ol. II, 82, § 2 *ἔστι μὲν καὶ οὕτω διαστεῖλαι· ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν, εἶτα ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς· πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου. ὃ καὶ ὁ Δίδυμος ἀποδέχεται. Ἀρίσταρχος δὲ οὕτως· ὅθεν σπέρματος ἔχοντα* (sic legendum, Boeckh *ἔχοντι*, cod. *ἔχον*) *ῥίζαν τὸν Αἰνησιδάμου· ὡς τῶν ἴσων εἶναι τῷ* (sic cod. Boeckh false *τὸ*) *ἀφ' ὧν ἔχοντι τὸ σπέρμα τῷ Αἰνησιδάμου*

υἱῷ πρέπει λυρᾶν καὶ ἐγκωμίων τυγχάνειν. γίνεται δέ, φησὶν ὁ Δίδυμος, κατὰ τὴν ἐκφορὰν ταύτην παρέλκον τὸ τυγχανέμεν. τὴν δὲ αἰτιατικὴν πτῶσιν τοῖς ἄνω συναπτέον, ὡς προείρηκα, καὶ τὸ πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς. ὁ δὲ Θήρων τοῦ σπέρματος ἔχει ῥίζαν ἀπὸ τούτων. Schneider Aristarcho scripturam quae est ἔχοντι vindicat. Scribit enim: 'Didymus Aristarcho verbum τυγχανέμεν obstare putabat, fortasse quod eum ἔχοντι participium ad poetam referre statueret; quod si fieret, ἐγκωμιάζειν vel simile verbum sequi debebat. Scholiastae vero Aristarchus coniungere videbatur quae propter casuum diversitatem coniungi non possent: verba enim ὅθεν ἔχοντι τὸν Αἰνησιδάμου secundum eum non differre ab ἔχοντι τῷ Αἰνησιδάμου υἱῷ'. Atque Hartung[1]) Aristarchum ἔχοντα proposuisse coniectura assecutus, ut et τυγχανέμεν supervaneum esse possit, si quidem ἐγκώμιον non tanquam obiectum ad τυγχανέμεν spectet, sed ut subiectum ad πρέπει trahatur et verba ἔχοντα τὸν Αἰνησιδάμου videri possint pro ἔχοντι τῷ Αἰνησιδάμου dicta hanc Aristarchi scripturam esse vult:

> ὅθεν σπέρματος ἔχοντα ῥίζαν πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου
> ἐγκώμιόν τε μελέων λυρᾶν τε τυγχανέμεν.

Sed non debebat Hartung ἐγκώμιον corrigere; iam Schneider plures etiam cumulavit errores, omnes inde subnatos quod Aristarchum ἔχοντι scripsisse arbitratus est. Lectio enim vere Aristarchea procul dubio ἔχοντα est. Nam ut iam Bergk[2]) et Mommsen[3]) monuerunt, in paraphrasi demum Aristarchus dativum pro accusativo adhibuit. Intellexit igitur verba ut hodie etiam interpretamur: 'Unde seminis radicem ducentem Theronem, filium Aenesidami, decet encomiis canticis et lyris celebrari'. Itaque Didymo secundum eam explicationem τυγχανέμεν verbum superfluum esse contendenti non plaudemus. Prorsus autem improbandus mihi videtur esse Mommsen, qui Didymum Aristarchi verba ita intellexisse existimat, ut Pindarus haec dixerit: 'hinc originem ducere apparet filium Aenesidami' participio pro infinitivo usurpato. Nam ex Didymi sententia vix Aristarchus structuram verbo personali aptam ad verbum impersonale transtulerit. Didymi vero huius loci constitutio a Boeckhio recepta, qua ἔχοντι hoc est ἔχουσι legit et post ῥίζαν plene interpungens ea verba superioribus adiungit,

1) In editione. — 2) PLG 4. — 3) In adnotationis criticae supplemento editioni maiori affixo p. 20.

quemadmodum iam Hermann[1]) docuit, propter abruptum transitum reicula est.

5.

Ol. II, 102, § 2 Ἀρίσταρχος ἐξηγεῖται οὕτως· εἴ τις οἶδε το μέλλον, ὅτι ποινὴν τίνουσιν οἱ ἐν ᾅδου παρανομήσαντες. ‹ γὰρ λόγος ὡς τῶν αὐτῶν πλεονάκις ἀναβιούντων καὶ ἐνθάδε ἢ ἐκεῖ δίκας διδόντων τῶν ἁμαρτημάτων. ἔνιοι δὲ ἁπλούστερον ἀκούουσι τὸν λόγον οὕτως· εἰ ἔχων τις τὸν πλοῦτον οἶδεν, ὅτι ἐν τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ οἱ ἀποθανόντες καθ' ᾅδου δίκας δώσουσιν (sic scripsi cum Schneidero; Boeckh. διδόασιν). Cfr. de toto hoc loco praeclaram Mommsenii[2]) disputationem. Alexandrini verba εἰ δέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον duplici ratione interpretati sunt. Alii inde ab εἰ δέ κτἑ. novam verborum comprehensionem sic instituerunt, ut apodosis deesset, sed facile suppleri posset (schol. v. 102, § 1 οὐκ ἂν αὐτῷ εἰς ἀδικίαν ἐχρήσατο et schol. v. 104, § 2 ἔξωθεν οὖν χρῆσθαι αὐτῷ πρὸς εὐσέβειαν δεῖ). Alii autem δέ particulam aut redundare aut pro δή positam esse arbitrati ea verba cum superioribus coniunxerunt, ut poeta dicat tum tantum opes virtutibus exornatas hominibus sidus insigne esse, cum qui possideat futurum tempus respiciens recte eis utatur (schol. A secundum Mommsenium εἰ δέ νιν ἔχων] ἤτοι καθόλου καὶ ὁλοκλήρως ἐξαιρετέον τὸν δὲ συνδεσμὸν, ἢ μεταληπτέον εἰς τὸν δή. ὁ γὰρ λόγος τοιοῦτος· ὁ μετὰ τῆς ἀρετῆς πλοῦτος ἀστὴρ ἀρίζηλος καὶ ἀληθινώτατον ἀνδρὶ φέγγος, εἰ δή τις αὐτῷ χρήσηται εἰς δέον καὶ οὐκ εἰς ἀδικίαν, κατατιθέμενος τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ἀλλὰ τοὐναντίον εἰς δικαιοσύνην). Magnopere dolendum est quod quae aetatem tulit Aristarchi paraphrasis adeo concisa et mutila est, ut utram interpretationem proposuerit diiudicare non liceat. Nostra vero, si quaeris, quae sit sententia, haec est. Ad eorum partes qui prioribus se applicant, accedere non possum, cum parum probabile sit Pindarum dictum tanto spiritu et ardore prolatum imposita tali clausula finivisse 'sed ea tantum condicione, ut futuri temporis ratio habeatur', quemadmodum iudicat iam L. Schmidt.[3]) Pari modo improbo eos qui apodosin aut v. 61 aut v. 83 incipere aut omnino deesse putant. Namque

1) In editione Heyniana anni 1817 III, p. 282. — 2) In adn. crit. suppl. p. 23 sqq. — 3) In libro cui inscripsit 'Pindars Leben und Dichtung' p. 225. Cfr. etiam Haerterum in libello scholastico Stendalensi anni 1870, qui virorum doctorum de his verbis sententias p. 15 sq. breviter examinavit.

deesse in hoc lyrico dicendi genere apodosis non potest neque accedere post tantam intercapedinem; denique sententia inde a v. 61 exposita est multo alienior ab eis quae v. 56 vult, quam quae eorum apodosis haberi possit. Neque probabiliora Bergk in ed. 4 protulit qui post ἔχων τις commate incidit et Pindarum breviloquentia quadam usum ratus sic explicat, 'si quis alius opibus simul et virtutibus clarus futurum tempus mente tenet, Thero est'. Nam de Therone diserte hoc loco verba non fiunt neque etiam in ea re pondus positum est, ut aliquis sibi conscius sit se virtutes coniunctas cum divitiis possidere, sed in eo, ut habeat virtutes una cum opibus. Similiter a vero recesserunt qui εὖ aut ἔν pro εἰ vel etiam ἔχει aut οἶδε pro εἰ δέ proposuerunt. At mihi quoque prae aliis ea placent quae Th. Fritzsche[1]) ex G. Hermanni exemplari editionis Boeckhianae anni 1825 publici iuris fecit, scilicet εἰ δὲ mutandum esse in εὖτε quod significationem habeat 'quando, quandoquidem'. His expositis cum ex Aristarchi paraphrasi iure colligere mihi videar eum unam duarum explicationum a veteribus excogitatarum et supra a nobis promptarum protulisse eum non satis recte verba intellexisse elucet.

Restant alia. Aristarchus enim verba ὅτι θανόντων κτἑ. in hanc sententiam tanquam a poeta institutam accepit, 'mortuorum impiae mentes hic in terra statim poenas luunt, qui vero in hac terra peccavit, de eo apud inferos iudicium fit'. Quam interpretationem alii reprehendentes ἁπλούστερον sic explicaverunt: 'si quis opulentiam coniunctam virtutibus habens futurum tempus scit, fore ut post mortem tum statim (hoc est apud inferos, futuro tempore) impiae mentes puniantur et quicumque in terra peccaverint in subterranei arbitri iudicium vocatum iri'. Diiudicemus igitur, utri explicationi plaudendum videatur. Nam neque Chrysippus schol. v. 104, § 3 neque schol. v. 104, § 1 aut schol. v. 106, § 2 audiendi sunt. Mommsen facit cum eis qui ἁπλούστερον ἀκούουσιν, cum eum scholiastam ἀπάλαμνοι φρένες non pro 'incurabiles' sive 'insuperabiles mentes', sed pro 'inopes mentes' capere non evidenter opinetur. Equidem ad Aristarchi partes me conferre non dubito. Nego enim duobus enuntiati membris insuper inter sese oppositis poetam eadem repetisse. Accedit quod, ut etiam Mommsen bene sensit, ἐνθάδε adverbium sensu 'in hac terra' usurpatum ad loci sententiam melius quadrat. Magis fortasse nobis arrideret, si poeta mortuorum animos in hac terra rursus

1) In Fleckeisenii annal. 1882, p. 147.

poenas soluturos esse secundo loco enuntiavisset. Sed etiam sic, ut est, sententia tolerari potest.

Ceterum id unum addo, schol. v. 123 de ternis in terra et sub terra *ἀναβιώσεσι* cogitasse et idem fecisse videri Aristarchum. Quod si re vera arbitratus est, falsus fuit, cum secundum Pindarum ei qui in terra, deinde apud inferos ac tum rursus in terram revocati sincere et pure vixerint, summae felicitatis in beatorum insulis participes fiant.

6.

Ol. II, 106, § 2 in Vrat. A inest: *Διὸς ἀρχᾷ*] *τὸν δὲ, φησὶ* (scil. Aristarchus ex Schneideri sententia), *σύνδεσμον ἀντὶ τοῦ γὰρ δεῖ ἀκούειν* (Schneider *ἀκούοντα*, fortasse *ἀκούοντα οὕτω*) *καθιστάναι τὸν λόγον· ὁ γὰρ* (Schneider *ἐν γὰρ*, Boeckh *ὁ γὰρ ἐν*, fort. *τὰ γὰρ ἐν*) *τῇ τοῦ Διὸς ἀρχῇ ἀλιτρά. λέγει γὰρ τοῦτο ὁ Πίνδαρος· ἐπεὶ οἱ ἐν τῷ ζῆν ἁμαρτάνοντες μετὰ τὸν θάνατον δίκας ὑπέχουσιν· οἱ δὲ καθ' ᾅδου ἄδικοι τὰ μὲν* (Schneider *τῶν*) *κατὰ τὸν τοῦ ζῆν χωρισμὸν* (Gerhard et Boeckh *χρόνον*) *ὅταν ἀναβιώσωσιν ἐν μέρει πάλιν δίκας ὑπέχουσιν ἐν τῷ ζῆν τοῖς Ὀλυμπίοις θεοῖς κτἑ.*

Difficultatibus quas hoc scholion praebet expediendis neque Boeckh neque Schneider pares fuerunt neque equidem par sum. Cum enim initio *δέ* particulam pro *γάρ* capiendam esse expositum sit, tamen in paraphrasi applicata *δέ* vocula retinetur. Deinde verba ne inde ab *οἱ δὲ καθ' ᾅδου ἄδικοι* quidem sana esse possunt. Erat cum pro *ἄδικοι τὰ μὲν* conicerem *ἄδικοι γενόμενοι*, sed postea et ipse quod parum mihi placebat, eam emendationem abieci.

Tantum constat, si totum scholion ab uno grammatico profectum est, eum non Aristarchum fuisse quippe qui verba

ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες ποινὰς ἔτισαν

de mortuorum poena in terra exsolvenda intellexerit, cum hoc scholion ad eos, qui in hac vita culpam in se contulerint referat.

7.

Ol. II, 113, § 2 *χερὸς δὲ ἀκμῇ*] *ἀντὶ τοῦ χαλκῷ νῦν* (sic Ambros. et Vrat. A. Boeckh male *ἀντὶ τοῦ καρπῷ τῷ ἐπὶ τῆς χειρὸς νῦν*)· *καθὸ καὶ Ἀρίσταρχος. ἔνιοι δὲ χερὸς ἀκμῇ ἀντὶ τοῦ τῇ αἰχμῇ* (sic recte Schneider pro *ἀκμῇ* quod cod.

habet. Boeckh male *ἀλκῇ* edidit)· *οἱ ἀλληγορικῶς ἀκούουσιν. οὐ χθόνα ταράσσοντες* (sic bene Schneider pro *γάρ*) *οἷον οὐ πολεμοῦντες κατὰ τὴν γῆν· οὐδὲ πόντιον ὕδωρ, οἷον οὐδὲ στόλους κατ' ἀλλήλων ἐπάγοντες. κενεὰν δὲ παρὰ δίαιταν, παρὰ τὰ κενεὰ αὐτῶν κρίματα. ἄμεινον δὲ Ἀρίσταρχος παρὰ τὰ μὴ πλήρη τὰ τῆς διαγωγῆς ἐκεῖ, οἷον εἴ τις λέγει· μὴ ἐργαζόμενος οὔτε κατὰ γῆν οὔτε κατὰ θάλατταν δι' ἔνδειαν.* Primum in scholiastarum explicationibus et in lemmatis ut ad hunc versum sic etiam ad sequentem nihil aliud nisi *χερὸς ἀκμῇ* perhiberi, ut de hac tanquam etiam Alexandrinorum scriptura abunde constet affirmandum est. Iam tres horum verborum interpretationes scholia vetera porrigunt: unam Aristarchi *ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ* intelligentis 'aratro (*χαλκῷ*) subvertentes' qua in re tametsi *ἐν χερὸς ἀκμῇ* voce *χαλκῷ* circumscribi mireris, tamen nihil mutare licet; alteram eorum qui *ἀλληγορικῶς* ad bellicas expeditiones referunt. Accedit tertia recentior schol. v. 114, § 2 prolata: *οὐκ ἀροῦντες οὐδὲ σκάπτοντες τῇ ἀκμαζούσῃ χειρὶ τῶν νέων καὶ δυναμένων ἐργάζεσθαι.*[1]) Ac versus allegorice non esse accipiendos statim intelligitur. Sed ne Aristarchi quidem aut tertia explicatio meo arbitrio recto talo stant. Mihi enim Mommsen eis, quae l. c. p. 27 disputavit, *ἐν* praepositioni hic locum non esse persuasit. Qua de causa ad coniecturam confugiendum esse censeo. Et arridet mihi quod Bergk proposuit, *ἔγχεος ἀκμᾷ*, licet M. Schmidt[2]) id Sophocli quam Pindaro convenientius esse monuerit.

8.

Ol. II, 140 schol. Ambros. et Vrat A. haec habent: *πόσις*] *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος πόσιος γράφει ὁ πάντων καὶ τὸν Δία ἀκούει συμπότην εἶναι τοῦ Ῥαδαμάνθυος· ὁ δὲ Δίδυμος ἐπὶ τοῦ Κρόνου καθιστᾷ τὸν Κρόνον ὀνομάσας πατὴρ πάντων ὁ Κρόνος. ἕτοιμον καὶ ἀχώριστον ἔχει πάρεδρον, πόσις ὢν Ῥέας, παῖς δὲ τῆς ὕπατον ἐχούσης θρόνον* (Ambros. *χρόνον* compendio scriptum). *τῆς Πίσης γὰρ τῶν Τιτάνων ὁ θρόνος* (Ambros. rursus *χρόνος*, omisso articulo), *οἱ Γῆς εἰσιν υἱοί. θρόνον δὲ αὐτοῦ μέγιστον εἰληφέναι ὡς πάντα φέρουσαν καὶ τοῦ κόσμου*

1) Quae enim praeterea apud Boeckhium initio schol. v. 114 leguntur, ex Vat. et Vrat. D sumpta et perverse a Boeckhio in Aristarchi sententiam inculcata: *τῷ καρπῷ τῷ ἐπὶ* (Vrat. D *ἀπὸ*) *τῆς χειρός* cum Mommsenio ut ex *χαλκῷ τῷ ἐπὶ τῆς χειρὸς* corrupta praetermittenda sunt. — 2) In diatribe de Pindari locis nonnullis controversis p. CXXI, libro qui inscribitur 'Pindars Olympische Siegesgesänge' inserta.

νομιζομένην εἶναι θεῶν τροφόν· ὡς καὶ ὁ ποιητής· ζείδωρον ἄρουραν. ἔνιοι πόσιν ἤκουσαν τὸν συμπότην. Quae Gerhard et Boeckh de hoc scholio protulerunt, non iam satisfacere possunt. Praeterea etiam Hartung incautius Alexandrinos *ὃν πατὴρ ἔχει Ῥέας ἕτοιμον αὐτῷ πάρεδρον πόσις, ὁ παῖς ὢν Γαίας* legisse et *πατήρ* vocem partim ad Iovem partim ad Saturnum retulisse putat. Nam Iovem neque filium Telluris neque Rheae maritum esse etiam Alexandrini noverunt. Nec vero magis probari potest Lehrsii[1]) emendatio, qui scribit: *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος Διὸς γράφει καὶ τοῦ Διὸς ἀκούει συμπότην εἶναι τὸν Ῥαδάμανθυν* et sic Aristarchum verba intellexisse vult: 'Den Rhadamanthys, den der Vater Kronos hat, des Zeus ihm zu Gebote stehenden Gesellen.' Nam ea de causa in scholio Didymi sententia Aristarcheae opponitur quod ex Aristarchi ratione verba ad Iovem, ex Didymea autem ad Saturnum spectant.[2]) Bergkio iudice (in ed. 4) Aristarchus locum ita constituit:

ὃν πατὴρ ἔχει μέγας ἕτοιμον αὐτῷ πάρεδρον,
πόσις ὁ πάντων, Ῥέας ὕπατον ἐχοίσας παῖς θρόνον.

Pro *ἁπάντων* enim eum *ὁ πάντων* e coniectura scripsisse, deinde non *πόσιος* legisse, sed *πόσις*, quam vocem eum non interpretatum esse *συμπότην*, sed *πόσιν* idem esse atque dominum grammaticum clarissimum vidisse; itaque olim additum fuisse *καὶ τὸν πόσιν συμπότην* quae verba nunc intercepta esse. *μέγας* vero fortasse Aristarchum emendavisse, cum *Γᾶς* lectio cum ea interpretatione conciliari non potuisset. Sed recte M. Schmidt eam sententiam repudiat. Namque ultra Bergk progreditur cum Aristarchum *πόσις* vocem *δεσπότης* voce circumscripsisse et ut alios *πόσις* legisse a scholiorum traditione plane dissentiens coniectat. Qua de causa M. Schmidt[3]) rem aliter instituit. Gemina enim scholii ad hunc versum compositi species haec ei videtur esse: *ὃν πατὴρ ἔχει ... πόσις] ὁ μὲν Ἀρίσταρχος 'πόσιος' γράφει καὶ τὸν Δία ἀκούει συμπότην εἶναι τοῦ Ῥαδαμάνθυος· ὁ δὲ Δίδυμος ἐπὶ τοῦ Κρόνου καθιστᾷ τὸν λόγον, τὸν Κρόνου οὐκ ὀνομάσας. Ὁ δὲ νοῦς· ὅντινα τὸν Ῥαδάμανθυν ὁ πατὴρ πάντων ὁ Κρόνος, ὁ τῆς Γῆς παῖς, ὁ ἀνὴρ τῆς τὸν ὕπατον ἐχούσης θρόνον Ῥέας ἕτοιμον καὶ ἀχώριστον ἔχει πάρεδρον. ἢ οὕτως ..... πόσις ὢν Ῥέας, παῖς δὲ τῆς ὕπατον ἐχούσης*

1) In libro qui inscribitur 'Die Pindarscholien' p. 10 sqq. — 2) Cfr. M. Schmidtium in indice scholarum aestivarum in universitate litterarum Ienensi 1879 habendarum p. 13. — 3) In indice lectionum modo laudato.

θρόνον, τῆς Γῆς· εἷς γὰρ τῶν Τιτάνων ο Κρόνος, οἳ Γῆς εἰσιν υἱοί. θρόνον δὲ αὐτὴν μέγιστον εἰληφέναι ὡς πάντα φέρουσαν καὶ τοῦ κόσμου νομιζομένην εἶναι καὶ θεῶν τροφὸν, ὡς καὶ ὁ ποιητής· ζείδωρον ἄρουραν. Cum igitur veterum lectio codicibus tradita cum posteriore paraphrasi sic tantum concinat, ut metrico vitio παῖς admisso commate incidatur post Ῥέας, ut vero cum priore simul congruat nullo modo effici possit, ex ipso scholio quid legerint eliciendum esse professus priori paraphrasi hanc lectionem assignat:

πόσις, ὁ Γᾶς παῖς, Ῥέας ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον.

posteriori autem:

πόσις ὁ Ῥέας, παῖς δ' ὁ Γᾶς (vel τᾶς) ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον.

Iam Aristarchum cum eum a ceterorum editorum scriptura non longius recessisse ex scholiis colligatur, videri commendasse:

πόσιος ἅς, παῖς Ῥέας (vel ὁ τᾶς) ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον.

Versu autem antecedente pro codicum lectione Γᾶς substituendum esse πέλας. Sed ne hoc quidem probare possum, quamquam ingeniose excogitatum esse negari non potest. Obversatur enim id Schmidtii sententiae quod si Alexandrinorum temporibus ea lectio in libris promulgata fuisset, certe in codicibus aliqua vestigia remansissent. At videntur eadem fere legisse atque quae in codicibus exstant. Praeterea Gerhardo fretus secundum quem non ex scholiorum eo codice quem librarius sequebatur, sed ex alio πόσις vox tamquam novum lemma appicta est, non recte paraphrasin quae inde a verbis πόσις ὢν Ῥέας porrigatur alii grammatico deberi putat. Nam quemadmodum Mommsen[1]) asseveravit, Vrat. A apographum Ambrosiani est.[2]) Cum igitur Mommsen totum scholion quod ex Ambrosiano praebet, uno tenore perhibeat neque quidquam quod Gerhardi sententiae subveniat adnotet, re vera in eo codice unum esse concludo. Quae cum ita sint Bergkii Didymeae sententiae emendationem praefero. Is enim in hunc modum restituit: ὁ δὲ Δίδυμος· ἐπὶ τοῦ Κρόνου καθιστᾷ τὸν λόγον, τὸν Κρόνον οὐκ ὀνομάσας· πατὴρ πάντων ὁ Κρόνος ἕτοιμον καὶ ἀχώριστον ἔχει πάρεδρον, πόσις ὢν Ῥέας, παῖς δὲ κτἑ

1) Praef. ed. p. XII not. 2. — 2) Cfr. tamen etiam Bergkium in Jahnii annalibus 1878 p. 38.

sic fere ut M. Schmidt. Sane verba sic vehementer contorquentur, id quod etiam Bergk bene sensit, sed probabiliora nemo adhuc elicuit.[1])

Aristarchus autem ex mea sententia id scripsit quod iam Bergk in ed. 2 opinatus est:

ὃν πατὴρ ἔχει ..... πάρεδρον
πόσιος ὁ πάντων Ῥέας ὕπατον ἐχοίσας παῖς θρόνον.

Nam eum παῖς vocem numeris pugnare non perspexisse ex ea re verisimile duco, quod scholia rec. demum metro succurrunt. Simili modo a recta via aberravit cum Iovem Rhadamanthi combibonem dici ratus πόσιος scriberet et verborum structuram duriorem et sensum a poetae mente plane abhorrentem inveheret. Etenim tametsi germana horum versuum scriptura adhuc nondum restituta videtur esse, tamen altero versu de nullo alio nisi de Saturno mentionem adhiberi perspicitur.

9.

Mommsen adn. crit. suppl. ad Ol. II, 85 (152) schol. Ambros. exstare ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οὕτω διαγρα ..... tradit et monet ne quis propter lemma Ambrosianum Φωνάντ' ἀσυνέτοισιν eam vocabulorum divisionem Aristarcho deberi credat. Nam scholiastam aut vulgatam divisionem φωνάεντα συνέτοισιν Aristarcheam esse iudicare aut διαγράφει accipere pro 'perscribit', non pro 'dividit'. Schol. enim non de ea re sed de ἐς τὸ πάν agentem ad Aristarchum interpretationem 'in vulgus' relegare, cum alii interpretentur 'ad perfectam harum rerum quas tracto intelligentiam'. Boeckhium recte cum Aristarcho facere. Ad quae non habeo quod addam.

10.

Ol. II, 177 Ἀρίσταρχος χωρὶς τοῦ ῑ γράφει κρύφον καὶ ἀποδίδωσι κρύψιν. ὁ κόρος κρύψιν θέλων καὶ ἀφανισμὸν θεῖναι τοῖς τῶν ἐσθλῶν καλοῖς. καὶ ἡ ἀντίστροφος δὲ οὕτως ἀπαιτεῖ. Eadem omisso Aristarchi nomine schol. § 2 ex alia recensione sic tradit: ἡ λέξις ἐνίοις λέγεται χωρὶς τοῦ ῑ ἀρσενικῶς· ὃ δὲ βούλεται λέγειν, ἐστὶ τοιοῦτον· τοῖς τῶν καλῶν ἀνδρῶν ἀγαθοῖς ἔργοις ἀφανισμὸν θέλων κατασκευάσαι. Ac pari modo ex Aristarchi sententia disputata sunt haec in schol. v. 173,

1) Cfr. Pyth. III, 18 sq. ubi pariter contorte vulgatae verba scholiasta constituit: ὑπὸ χρυσέοις τόξοις ἐν θαλάμῳ δαμεῖσα εἰς Ἀΐδαο δόμον κατέβα τέχναις Ἀπόλλωνος et Nem. VII, 47, de quo loco infra agemus.

§ 6 ὁ γὰρ κόρος τῶν ἀνθρώπων τῶν ἀργῶν (scr. μάργων cum Bergkio) τῶν θορυβῆσαι θελόντων ἐπέβη τῷ τοῦ Θήρωνος ἐπαίνῳ, κρύψιν θέλων θεῖναι τοῖς τῶν ἀγαθῶν ἔργοις. Scripsit igitur Aristarchus κρύφον pro κρύφιον quod a metro abhorrebat. Idem videtur τέ particulam agnovisse.[1]) Nam tametsi paraphrases eius sententiam explicantes generaliores sunt quam ut eum huius versus duo membra statuisse colligi possit, tamen ut ex scholiis concludere licet a vulgata τέ exhibente non longinquius recessit. Praeterea correxit ἐσθλῶν καλοῖς ἔργοις, ubi ante eum ἐσθλὸν κακοῖς ἔργοις fuit. At miro modo evenit, ut eius emendatio, vulgata longe exquisitior, prae ea tamen obscuraretur, si quidem omnes fere codices praeter novicios aliquos κρύφιον et ἐσλόν sive ἐσθλὸν καλοῖς porrigunt. Aristarchus autem quamvis aliqua menda bene sustulerit, genuinam scripturam loci nondum restitutam habemus. Nam recte Hartung et post eum Bergk haesitant in verbis τὸ λαλαγῆσαι θέλων misere a Graeci sermonis usu abhorrentibus. Et placuit mihi Hartungii emendatio qui Pindarum scripsisse censet:

ἀλλὰ μάργων γὰρ ἀνδρῶν
τὸ λαλαγῆσαι θέλειν κρύφον τιθέμεν ἐσλῶν καλοῖς
ἔργοις,

donec M. Schmidt aliam coniecturam mecum communicavit. Vult enim pro λαλαγῆσαι scribere λαλαγαῖσιν, ut haec evincatur sententia: 'Insanorum hominum est perpetuis hariolationibus obscurationem facere honestis bonorum operibus'.

11.

Ol. III, inscr. ζητεῖται δὲ, διατὶ μὴ Διὶ μᾶλλον [οὗτος] ηὔξατο, ᾧ οὗτος ὁ ἀγὼν ἀνάκειται, ἢ Ἡρακλεῖ τῷ καταβολεῖ, ἀλλὰ Διοσκούροις; φαμὲν οὖν ..... ὁ δὲ Ἀρίσταρχος φησι παρὰ τοῖς Ἀκραγαντίνοις διὰ τιμῆς εἶναι τοὺς Διοσκόρους καὶ πατρίῳ ἔθει καὶ νῦν αὐτοὺς χρῆσθαι· ὁ δὲ Δίδυμος ἱστορικώτερον λέγει καί φησι, διὰ τὸ τὸν Θήρωνα ἄνωθεν Ἀργεῖον εἶναι. τιμῶνται δὲ κατὰ τὸ Ἄργος καὶ τὴν Πελοπόννησον οἱ Διόσκουροι. § 3 eadem ex alia redactione refert. Ibi enim est ζητεῖται, τί δήποτε ὁ Πίνδαρος Ὀλυμπιακὸν ὕμνον γράφων εὔχεται τοῖς Διοσκούροις προσηνεῖς τῇ ᾠδῇ γενέσθαι· ἐχρῆν γὰρ ἄρα Ἡρακλέα τὸν διαθέντα τὸν ἀγῶνα κατακαλεῖσθαι. Ἀρίσταρχος μὲν οὖν τὴν ἀπορίαν διαλύων τοὺς θεοὺς τούτους

1) Secus M. Schmidt iudicavit in diatribe p. CXLI sq.

σφόδρα ἐν Ἀκράγαντί φησι τιμᾶσθαι .... τῇ Ἀριστάρχείῳ ἀποδόσει ὁ Δίδυμος μᾶλλον προστίθεται. Quae his scholiis Aristarchus et Didymus de Dioscurorum Agrigenti cultu nobis tradunt, bene se habent, sed talia eorum deorum in hoc poemate mentioni expediendae non sufficiunt. Nam versibus inde a 35 ea ratione iterum commemorantur, ut quin alia causa permotus eos in hoc carmine celebraverit nulla relinquatur dubitatio. Atque ipsa scholia quae via ingredienda videatur esse praemonstrant. Aperte quidem errant scholia § 1 et § 2 narrantia Theroni cum Dioscurorum solemnibus sacrificia eis perpetraret nuntium victoriae Olympicae allatum esse atque magis etiam schol. § 3, quod eum ipsis theoxeniorum temporibus vicisse profitetur, sed verum vidit idem schol. inscr. § 1, iam schol. v. 1. 7. 8, quae Pindarum εἰς θεοξένια γράφειν contendunt, quemadmodum etiam codices carmini inscribunt εἰς θεοξένια. Sic qua de causa poeta a Dioscurorum imploratione carmen incipiat et quid spectans Emmenidas plurimis lectisterniis eos colere dicat intellegitur. Non enim audiendus est Hartung, qui ut in Dioscurorum solemnibus quae ξενισμός appellarentur, non in θεοξενίοις caneretur a Pindaro carmen conditum esse vult. Nam bene Dioscuri eo festo, quo dum vivebant, deos convivio acceperunt, post mortem et ipsi coli potuerunt, etiam retento eo more quo semper eis festis diebus reliquos deos apparatis epulis invitarent.[1] Quae vero profert, ut ξενισμός nominis originem explanet, fabulae sunt. Neque multum valent quae L. Schmidt contra hanc sententiam a nobis defensam dixit. Nam Pindarus in fabula eligenda Dioscurorum solemnium rationem habere non debuit propterea quod non ipsum illud festum canebat sed Theronis victoriam Olympicam illo festo celebratam. Quas ad res adventicias fabulas adaptare non solet. Praeterea non video causam, cur poeta non carmen sic in Siciliam mittere potuerit, ut Dioscurorum solemnibus Thero haberet et ipso illo festo a choro caneretur. Neque aut Heimsoeth[2]) aut L. Schmidt Boeckhii v. 36 explicationem evertisse videntur.

12.

Ol. III, 41, § 2 sq. κατὰ τοῦ Κρονίου Πέλοπος βήσας. §. Ἀρίσταρχος· χῶρος ὁ ἐν Κρονίου βήσαις Πέλοπος. λόγος δέ

1) Cfr. etiam Ohlertum in dissertatione de heroologia Pindarica Regimonti Pr. 1870 p. 23. — 2) In libro cui inscripsit 'Addenda et corrigenda in commentariis Pindari' p. 11.

ἐστιν ἐν Ὀλυμπίᾳ ὁ καλούμενος Κρόνιος. τινὲς δὲ Κρονίου Πέλοπος, ὅτι Πλουτὼ θυγάτηρ Κρόνου ἐγένετο, ᾗ συγκοιμηθεὶς ὁ Τάνταλος ἔσχε Πέλοπα.

Sic Boeckh ex Vrat. A, ubi verba usque ad *λόφος δέ ἐστιν* sine ulla interpunctione proponuntur, recte edidit atque ea quidem ratiocinatione usus, quod interpretatio verbis *κατὰ τοῦ Κρονίου Πέλοπος βήσας* enarrata post Aristarchi sententiam redintegratur. Aristarchi explicatio praetermisso eius nomine in schol. § 1 ut simplicior laudatur: *ἢ ἁπλούστερον οὕτως· ὅτι ὁ χῶρος τοῦ Πέλοπος ὁ ἐν ταῖς βήσσαις τοῦ Κρονίου οὐδέπω εἶχε τὸ φυτόν. Κρόνιον δὲ ὄρος πλησίον.* Duae igitur sibi obstant interpretationes quarum altera est: 'ager in saltibus Cronii Pelopis', altera Aristarchea 'ager Pelopis in Cronii collis saltibus'. Ad quas tertia Hartungii recens accessit qui et *Κρονίου* et *Πέλοπος* genetivos, utrosque tamen per se a *βάσσαις* pendere ratus sic vertit 'Doch sprosste dem Kronischen Pelopsthal kein Baum als Zierde der nackigen Flur'. Aristarchus et Hartung durius verba construunt, quam ut sequendi videantur, qua de causa potius alterius scholiastae explicationem amplector licet Pelops ibi Saturni nepos atque adeo in schol. § 1 pronepos exhibeatur. Neque enim Hermann[1]) pro *Πέλοπος Κρονίου* Pindarum dicturum fuisse *Πέλοπος Κρονίδα* merito contendit. Cfr. Ol. II, 13 *Κρόνιε παῖ Ῥέας* et Ol. VI, 29 *Ποσειδάωνι μιχθεῖσα Κρονίῳ.*

13.

Ol. III. 46, § 2 *Εἰς τὴν Σκυθίαν ὁ θυμὸς αὐτὸν παρώρμησεν. Ἀρίσταρχος· εἰς τὴν γῆν ἐλθεῖν, ὅπου αὐτὸν ἡ Ἰστρία Ἄρτεμις ὑπεδέξατο. δηλοῖ δὲ πάλιν τὴν εἰς Ὑπερβορέους ἐπὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγὰς ἄφιξιν· ἐκεῖ γὰρ τιμᾶται ἡ Ἄρτεμις ὅτι μάλιστα ὑπὸ Ταύρων τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνους. ἔνιοι δὲ καὶ β' νν γράφουσι καὶ τὸν λόγον ἀπευθύνουσιν οὕτω· τότε δὴ ὁ θυμὸς παρώρμησε τὸν Ἡρακλέα ἐπὶ τὴν Ἰστρίαν γῆν πορεύεσθαι.* Quibuscum conferenda sunt haec § 1: *Ἰστρίαν νιν] ἐὰν διὰ τῶν δύο νν Ἰστρίαν νιν, τὴν Σκυθίαν ἀκουστέον, ἐὰν δὲ διὰ τοῦ ἑνός, ἡ Ἰστρία Ἄρτεμις αὐτὸν τὸν Ἡρακλέα ὑπεδέξατο. Ἰστρία δὲ ἡ Ἄρτεμις ἤτοι ἀπὸ τοῦ Ἴστρου, ὃν περιοικοῦσιν αἱ Ἀμάζονες, αἳ τιμῶσι μάλιστα τὴν θεὸν ἢ ἀπὸ Ταύρων ἔθνους Σκυθικοῦ, περιοικοῦντος τὸν*

1) Opuscc. VI, p. 64.

Ἴστρον, παρ' οἷς ὁμοίως τιμᾶται ἡ Ἄρτεμις. τοὺς δὲ ἀναγινώσκειν Ἰστριανὴν, ἵν' ᾖ τὴν Ἰστριανὴν γῆν.

Aristarchus igitur, ut videtur ex coniectura, edidit Ἰστρία νιν et ante Ἰστρία plenius interpunxit. Utrum ὥρμα legerit quemadmodum Mommsen censet aut ὥρμαιν' id quod Bergk existimat, ex eius paraphrasi cernere non licet. Sed certe Hartung errat qui βορείαν pro πορεύειν voce ei vindicat, quandoquidem ex ἐλθεῖν vocabulo in eius verborum circumscriptione eum vulgatam secutum esse extra dubitationem ponitur. Aristarchi lectionem autem falsam esse iam Mommsen et Bergk idoneis argumentis probaverunt. Debebat enim Pindarus eam terram ad quam Hercules sese conferebat perspicue significare. Iam minus placet inusitatum cognomen Dianae ex Aristarchi ratione inditum, ut enuntiatum in fine antistrophes editum etiam in epodum pertrahere Pindaricum esse omittam. Praeterea etiam hoc commemorandum videtur esse Aristarchum aut eius sectatorem Istriae cognominis originem non bene explicare. Tauri enim non Danubii ripas accolunt, sed in Taurica Chersonneso habitant et Amazones tametsi in universum litora Ponto Euxino adiacentia incolunt, tamen in Paphlagonia ad Thermodontem fluvium potissimum sedem habent.[1] Postquam igitur Aristarchi coniecturam repudiandam esse docuimus, restat ut quae nobis videatur germana scriptura esse explanemus. Ac ne mea quidem sententia πορεύειν verbum pro πορεύεσθαι accipi potest, sed bene placet M. Schmidtii coniectura, quam in indice lect. supra citato p. 8 proposuit. Disiungit enim archetypi scripturam continuam *ΠΟΡΕΥΕΝΘΥΜΟΣΟΡΜΑ* hoc modo: πόρευ' ἔνθυμος ὁρμά ut hic sensus sit: 'Incitabat eum animi impetus[2]), ut in Istriam proficisceretur'.

14.

Ol. III, 66, § 2 Ἀρίσταρχος παρὰ τὴν ῥίψιν φησὶ γεγονέναι τὸ ῥιμφαρμάτου· σημαίνει δὲ ἡ λέξις τὴν ταχεῖαν φοράν. Lehrs[3]) talia Aristarcho assignari non posse recte monuit. Sed falso ex his verbis elucere lectionem ῥιψαρμάτου exstitisse dicit. Ut enim Bergk[4]) probabiliter exposuit, scholiasta hic Aristarchi de ῥίμφα adverbii vi et origine decretum exposuit et librarius quidam postea in errorem abreptus ῥιμφαρμάτου scripsit.

1) Cfr. Boeckhii notam ad h. schol. — 2) Sic enim tum ἔνθυμος vox interpretanda erit. — 3) L. c. p. 9. — 4) In Jahnii annal. 1878 p. 41 sq. et in ed. 4.

Ac laudat Bergk bene Et. M. 704, 18: *ῥίμφα σημαίνει τὸ ταχέως, παρὰ τὸ ῥίπτειν ἑαυτὸν διὰ τάχος· ὡς παρὰ τὸ κρύπτειν κρύφα, οὕτω παρὰ τὸ ῥίπτειν ῥίφα καὶ πλεονασμῷ τοῦ μ ῥίμφα.*

15.

Ol. V, 1, § 1 med. *Ἀρίσταρχος δὲ ἀκούει Ὠκεανοῦ θυγατέρα Καμάριναν τὴν λίμνην, ἀφ' ἧς καὶ τὴν πόλιν ὠνομάσθαι. Ἀρτέμων δὲ πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν τὸν λόγον εἶναί φησιν· αὕτη δὲ ἐν Συρακούσαις κρήνη, ὑποτέτακται δὲ ἡ Καμάρινα ταῖς Συρακούσαις. ἔχει δὲ ἡ Ἀρέθουσα καὶ πᾶσα κρήνη τὰς πηγὰς ἀπὸ Ὠκεανοῦ. βέλτιον δὲ ὡς Ἀρίσταρχος.* Artemonem Pergamenum Aristarcho hoc loco iniuria obloqui facile perspicitur; Camarina ut lacus nympha hic *Ὠκεανοῦ θυγάτηρ* appellatur. Mommsenii adnotationem ad v. 4 si recte intellego, Aristarchus *Καμάρινα* ei scripsisse videtur. Quod meo arbitrio nimis audacter conicit. Nam ut nullum in scholiis testimonium perhibetur, quo *Καμάρινα* lectio sola metro satisfaciens iam Alexandrinorum temporibus exstitisse colligatur, sic Aristarchi sententia etiam retento accusativo v. 4 stare potest.

16.

Ol. V, 20, § 2 med. *Καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος βούλεται οὕτω, θαλάμων κατασκευὰς τὸν Ἵππαριν τῇ Καμαρίνῃ παρέχειν. φησὶ γάρ, ὅτι διὰ μέσης ῥέων τῆς Καμαρίνης τῇ πλημμυρίᾳ ἀναπλάσσει γῆν, ἀφ' ἧς πλινθεύοντες οἱ Καμαριναῖοι οἰκοδομοῦσι τὰς οἰκίας· προσπλάσσει δὲ γῆν, ὡς ὁ Ἀχελῷος ταῖς Ἐχινάσι καὶ ὁ Νεῖλος τῇ Αἰγύπτῳ. ὁ δὲ Δίδυμος οὐ τοῦτο βούλεται· οὐ γάρ φησι τοσοῦτον πλημμυρεῖν, ὡς δύνασθαι τῇ νεωστὶ κατασκευασθείσῃ πόλει τοσοῦτον παρασχεῖν πηλὸν πρὸς πλινθοποιῗαν, ἀλλὰ τοῦτό φησιν, ὅτι ὁ ποταμὸς διὰ μέσης τῆς ὕλης ῥεῖ, εἶτα κοπτόντων τῶν Καμαριναίων τὰ ξύλα εἰς κατασκευὴν τῶν οἰκημάτων, ἀμηχανούντων δὲ πρὸς τὴν καταγωγήν, ὑποδέχεσθαι καὶ τῷ πολλῷ ῥεύματι κατάγειν εἰς τὴν πόλιν.* § 3 *Ἀρίσταρχος παριέναι φησὶ τὸν Ἵππαριν τὴν πόλιν καὶ προσχέοντα συναναπλάσσειν αὐτῇ γῆν. τοῦτο δέ φησιν ὁ Δίδυμος ἀμάρτυρον εἶναι· οὐ γὰρ ἱστορεῖται περὶ τὸν Ἵππαριν καὶ τὴν Καμάριναν τοῦτο γενόμενον. βέλτιον οὖν οὕτω τινές· ἐπειδὴ ἐξ ὑπογυίου συνῴκισται ἡ Καμάρινα, καθὰ καὶ νέοικον αὐτὴν προσηγόρευσεν, γειτνιᾷ δὲ Ἵππαρις αὐτῇ, κατὰ τοῦτο φάναι ἐπὶ τοῦ συνοικισμοῦ κολλᾶσθαι ὑπ' αὐτοῦ σταδίων*

θαλάμων ὑψίπυργον (scr. cum Boeckhio *ὑψίγυιον*) *ἄλσος· ἐπεὶ τὰ ἐπιτήδεια πρὸς τὴν οἰκοδομὴν διὰ τοῦ κατάπλου προσεκομίζετο, ὥστε ποιεῖν σταδίους θαλάμους*. Praeterea etiam schol. v. 29, § 1 haec verba Aristarchum sequuntur: *εὖ ἑστώτων, ἑδραίων, ὅτι προσχώννυσι καὶ προστίθησί τινα τῇ πόλει γῆν· κολλᾷ γοῦν, ἀντὶ τοῦ προσαναπλάσσει.* Iam § 2 haec habet: *Ἀρίσταρχός φησιν ἰλὺν καταφέρειν τὸν Ἵππαριν ὡς καὶ τὸν Νεῖλον, ἐκ δὲ τῆς ἰλύος κατασκευάζεσθαί φησιν ἄλση· κυρίως γὰρ ἀκούεσθαι τὰ ἄλση. οὐκ ἔστι δέ, ἀλλ' ὑψίγυια ἄλση τοὺς οἴκους φησί, παρὰ τὸ ἑστάναι ὡς τὰ ἄλση. ἄλσος δὲ θαλάμων, τὸ πλῆθος τῶν οἴκων, τουτέστιν αὐτὴν τὴν πόλιν ὡς εἰ ἔλεγε δένδρων ἄλσος κτέ.* In sequentibus deinde quae Aristarcheae explanationis censor schol. v. 20, § 3 docuit paullo mutata repetuntur.

Aristarcho igitur hic poeta de Hippari alluente limum ex quo Camarinaei urbem suam exstruxissent verba facere visus est. Qua de causa *ἄλσος* vocem *κυρίως* dictam esse professus de ipsa terra a flumine aggesta accepit.[1]) Ex Didymi autem ratione Hipparis e saltuosa regione profluens ligna caesa secum abstulit, ut sic potius urbis celeriter efflorentis auctor habendus sit. Utramque vero hanc explicationem horum temporum viri docti ut Hermann[2]), Bergk, Hartung, Rauchenstein[3]) improbaverunt et praeter Hermannum pro *κολλᾷ τε* commendaverunt *κολλᾷ δέ*. Sed ad eam sententiam accedere nequeo. Nam et minus apte ex ea ratione *ἀείδει* et *κολλᾷ* verba sibi opponuntur et unum Psaumin, civem, non tyrannum Camarinaeorum urbem ex inopia in claritatem evexisse superbius enuntiatum mihi videtur. Equidem cum Boeckhio Leutschio aliis ad nullum alium nisi ad Hipparin ea verba spectare arbitror. Neque tamen Aristarcho plaudo, sed multo praeclariorem Didymi explicationem duco. Nam non solum per se *ἄλσος* significatione

1) Non igitur praeceptorum meminit quae promulgavit ad Il. Δ, 487 *ἡ διπλῆ, ὅτι τὴν αἰτίαν ἐν ἄλλοις παραδίδωσι, δι' ἣν παρὰ ταῖς τῶν ποταμῶν ἀναβολαῖς τίθεται τὰ δρυτομούμενα ξύλα·*

> *Ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίον δὲ κάτεισι*
> *Χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ,*
> *Πόλλας δὲ δρῦς ἀζαλέας πολλὰς δέ τε πεύκας*

τούτου χάριν ἵνα κατάγηται ὑπὸ τοῦ ῥεύματος. Et Δ, 494 *ἡ διπλῆ πρὸς τὸ σημαινόμενον, πότερον ὅτι φυλλοροεῖ καὶ κατὰ ταύτην τὴν ὥραν ξηραινόμενα τὰ δένδρα ἐκ ῥιζῶν ἀναβάλλεται ἐκ τῶν χειμάῤῥων, ἢ ὅτι οἱ δρυτόμοι εἰς τοὺς ποταμοὺς ἐμβάλλουσι κόπτοντες, ἵνα ἐπὶ τοῦ καιροῦ συγκαταφέρωνται τῷ ῥεύματι* (sic Friedlaender, cod. *ὄμβρῳ*) *ὃ καὶ ὑγιές.* — 2) Opuscc. VIII, p. 100 sq. — 3) In Jahnii annal. 1858 p. 358.

'terra flumine alluta' frigeret, verum etiam *ὑψίγυιον* epitheton et attributum *σταδίων θαλάμων* probandam esse interpretationem Aristarchi censoris quem hoc quoque loco Didymum fuisse conicias evincunt. Didymi sententiae Libanius quoque ed. Morell. II, p. 386 a Boeckhio citatus sese applicavit.

17.

Ol. V, 54, § 2 *ὑγίεντα*] .... *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ἀναγινώσκει ὀξύτονον τὴν παραλήγουσαν, ἀντὶ τοῦ ὑγιαίνοντα· τινὲς δὲ ὡς χαρίεντα.* Sed ut ab Aristarcho *ὑγιέντα* tanquam participium vulgante veterum maxima pars recessit sic huius aetatis critici dissentiunt. Cfr. Choerob. in Theodos. can. ed. Gaisf. p. 203, 13 *Ἰστέον δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι τὰ εἰς ε͞ις λήγοντα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ὀνόματα κοινολεκτούμενα βαρύνεσθαι θέλουσιν, οἷον χαρίεις, τιμήεις, δαφνήεις, αἰδήεις. πρόσκειται 'ὀνόματα' πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν μετοχῶν, αἱ γὰρ μετοχαὶ ὀξύνεσθαι θέλουσιν, οἷον τυφθεὶς, δαρεὶς, νυγείς.* p. 204, 22 *Παραφυλαττόμεθα δὲ παρὰ τῷ Πινδάρῳ τὴν αἰτιατικὴν λεγομένην ὑγίεντα· ὡς ἀπὸ εὐθείας γάρ ἐστι παραληγομένης οἷον τῷ ἰῶτα, ὡς ἀπὸ τοῦ ὑγίεις.*

18.

Ol. VI, 23, § 4 *Ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν*] *τῶν διαβεβοημένων ἐστὶ καὶ τοῦτο, πῶς ἑπτά φησι γενέσθαι πυρὰς τῶν ἑπτὰ ἐπιστρατευσάντων καὶ οὐ πάντων καέντων. Ἀμφιάραος μὲν κατεπόθη σὺν τοῖς ἵπποις ἐν Ὠρωπῷ, Πολυνείκης δὲ οὐκ ἐτάφη· ἄταφος γὰρ ἔμεινεν· Ἄδραστος δὲ ζῶν εἰς Ἄργος ἀπῆλθεν. καταλείπονται δ', Τυδεὺς, Καπανεὺς, Παρθενοπαῖος, Ἱππομέδων. ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχός φησιν, ὅτι ἰδιάζει καὶ ἐν τούτοις ὁ Πίνδαρος, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις, ὁ δὲ Ἀριστόδημός φησι τὰς ἑπτὰ πυρὰς εἶναι τῶν στρατιωτῶν τῶν ἀπολομένων. οὕτω καὶ Ἱππομέδων καὶ Ἁρμονίδης* (Boeckh in secundo nomine Artemonem latere arbitratur, Bergk commendat *Ἱππίας καὶ Ἀρμενίδας*) *γράφει.* Similia, intercepta tantum Aristarchi sententia, ex alia recensione § 2 enarrantur. Praeterea etiam schol. Nem. IX, 53 in hanc Aristodemi sententiam disputat.

Vult igitur Aristarchus Pindarum peculiari in referenda ea fabula ratione usum de septem mortuorum ducum rogis sermonem facere. Qua in re dilucide falsus est. Non enim de septem ducum sed de septem exercituum qui septenas portas oppugnaverant cogitandum est, quemadmodum recte Aristodemus explicat.

19.

Ol. VI, 55, § 2 *Δίδυμός φησιν, ὅτι πάντες οἱ ὑπομνηματισάμενοι Φαισάναν φασὶν εἶναι τῆς Ἀρκαδίας πόλιν· αὐτὸς δέ φησιν εἶναι τῆς Ἠλιαίας καὶ παρατίθεται Ἴστρον ἱστοροῦντα ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν Ἠλιακῶν. ἤτοι οὖν Πίνδαρος ψεύδεται, ἢ διὰ τὸ τὴν Πίσαν ὑπὸ τοῖς Ἀρκάσι ποτὲ γενέσθαι βασιλεύειν φησὶ τῆς Φαισάνης τὸν Αἴπυτον.* Eadem habet § 1 ex alia recensione *Ὃς ἀνδρῶν Ἀρκάδων ἄνασσε Φαισάνᾳ] τὴν Φαισάναν πάντες μὲν οἱ ὑπομνηματισταὶ τῆς Ἀρκαδίας εἶναι πόλιν ἐξεδέξαντο, ὁ δὲ Δίδυμός φησι τῆς Ἤλιδος αὐτὴν εἶναι καὶ ὑπεραπολογεῖται τοῦ ῥητοῦ οὕτως, ὅτι ποτὲ οἱ Ἀρκάδες καὶ τῆς Ἤλιδος ἐβασίλευον κατὰ τὸν χρόνον τοῦ Αἰπύτου. οἱ δὲ βουλόμενοι τὴν Φαισάναν Ἀρκαδικὴν εἶναι τὸ περὶ Ἀλφειοῦ οὕτως ἐπιλύονται, ὅτι διὰ Φαισάνης ἔχει ὁ ποταμὸς τὰ ῥεύματα· φέρεται γὰρ ἐξ Ἀσέας κώμης Ἀρκαδικῆς· ἢ ὅτι αἱ πηγαὶ τοῦ Ἀλφειοῦ ἐξ Ἀσέας εἰσὶ τῆς Ἀρκαδικῆς καὶ ἀντιποιοῦνται αὐτοῦ οἱ Ἀρκάδες.*

Hoc scholion in eorum numerum, quibus Aristarchus diserte appelletur, iure merito recipere nobis videmur, propterea quod Didymus Aristarchum *πάντων τῶν ὑπομνηματισαμένων* sive *ὑπομνηματιστῶν* numero dilucide complectitur. Dissentit igitur Didymus eatenus a prioribus commentatoribus quatenus Phaesanam non Arcadiae sed Elidis urbem esse contendit. De ea autem dissensione nobis diiudicare non licet. Nam Phaesanae urbis praeter hunc Pindari locum nusquam mentio fit. Fortasse Didymi temporibus Elidis finibus continebatur: tantum constat Pindaro Phaesanam urbem Arcadiae esse. Non male autem Boeckh eam haud procul a confiniis Elidis et Arcadiae abfuisse coniectura collegit. Sed ultra progredi mihi videtur cum Paus. VIII, 27, 3 *παρὰ δὲ Αἰπυτῶν* et VIII, 34, 3 *γῆς .... Αἰπυτίδος* legendum esse suasit pro scriptura vulgata *παρὰ δὲ Αἰγυτῶν* et *γῆς .... Αἰγυτίδος*. Cfr. praeterea de hoc loco quae Boeckh p. 160 de Aepyto disputavit.

20.

Ol. VI, 152, § 2 *Ἀρίσταρχος παρὰ τὸ λεγόμενον Ἐν Βοιωτίᾳ ὗς.* Quae verba conferenti mihi cum § 1 *Εἰ φεύγομεν Βοιωτίαν ὗν] ὅτι διὰ τὴν ἀγροικίαν καὶ τὴν ἀναγωγίαν τοπαλαιὸν οἱ Βοιωτοὶ ὗες ἐκαλοῦντο, καθάπερ καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς*

Διθυράμβοις· Ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔλεγον. καὶ Κρατῖνος· (fr. CLIII p. 74 ed. min. com. Graec.)

Οὗτοι δ' εἰσὶν Συοβοιωτοί, κρουπεζοφόρον γένος ἀνδρῶν

quae aperte signi alicuius critici explicatio sunt, suspicio suboritur utramque notam ex Aristarchi de verbis *εἰ φεύγομεν Βοιωτίαν ὗν* praecepto profluxisse, modo alterum scholium admodum in arctum redactum esse. Idem praeceptum schol. recentior v. 148, § 1 amplificat. Ad rem ipsam non est quod addatur.

21.

Ol. VI, 158, § 2 *Ἀρίσταρχος· τοῖς κατὰ τὸν χρόνον εἰπεῖν, ἐπικελεύων τῶν τε Συρακουσῶν μεμνῆσθαι καὶ τῆς Ὀρτυγίας· αὕτη δέ ἐστι προσεχὴς ταῖς Συρακούσαις νῆσος καὶ ἀχώματος. ὁ δὲ Δίδυμος διὰ τὸν Ἱέρωνα, ἐπεὶ ἄνωθεν ἐκ προγόνων ἱεροφάντης ταῖν θεοῖν ἀποδέδεικται. τὰ προκείμενά φησιν ὁ Δίδυμος καὶ παρατίθεται τὰ Φιλίστου καὶ τὰ Τιμαίου.* Didymi nomen utroque loco pro eo quod in codice est *Πίνδαρος* Boeckh substituit. Mommsen Aristarchum *ἐπικελεύω* voluisse conicit, non probabiliter. Quam emendationem si laudes, Aristarchum *εἶπον* edidisse facile opineris. Quaeritur igitur hoc scholio, cur Pindarus praeter Syracusas Ortygiam diserte commemoret, quae non iusta urbs sed Syracusarum urbis sit vicus. Atque Aristarchus eam fuisse causam iudicat, quod antea Ortygia insula cum Syracusis aggere non coniuncta fuerit, sed tanquam integra urbs utraque viguerit.[1]) Sic enim interpretandum est, licet *ἐστί* verbum praesenti tempore dictum adversari videatur. Nam scholion ex admodum concisa Didymei commentarii recensione exstat. Quae ex re etiam evenit, ut ne hoc quidem emineat, utrum secundum Aristarchum etiam Agesiae temporibus Ortygia et Syracusae duae urbes separatae fuerint an ex eius sententia Pindarus ad tempora conditae urbi proxima spectans sic locutus sit. Ex Didymi vero ratione Hieronis causa, qui Cereris et Liberae sacerdos fuerit Ortygiae diserta mentio fit. Hic quoque Philisti et Timaei verba intercepta sunt et tota Didymi sententia non satis depicta est, ut ad coniecturam te relegatum videas.[2]) Ac videtur Didymus explicuisse Ortygiae earum dearum templa fuisse in quibus sacra

1) Cfr. Thuc. VI, 3 cum schol., Strab. VI, p. 270 Casaub., schol. Pyth. II, 9. schol. Nem. I, 1. — 2) Hiero earum dearum sacerdos etiam schol. v. 160 schol. Pyth II, 27 nuncupatur, et Herod. VII, 153 quomodo in eius gentem sacerdotium collatum sit narrat.

gentilicia offerrentur, praesertim cum Cic. Verr. IV, 53 in ea aedes sacras complures fuisse dicat et schol. Nem. I, 3 *ἱερὰν δὲ τὴν πᾶσαν νῆσον* (scil. Ortygiam) *τῆς Φερσεφόνης φασίν* et Diod. XI, 26 *κατεσκεύασε* (scil. Gelo) *ναοὺς ἀξιολόγους Δήμητρος καὶ Κόρης* verba sint. Iam si quid de Aristarchi et Didymi sententiis censendum sit percontaris, Aristarchum utri explicationi faveas plane falsum esse fateor. Nam multo ante Agesiae tempora, quemadmodum satis superque constat, Ortygia et Syracusae unam tantum urbem effecerunt et languesceret poeta, si ut se pristinorum temporum satis magnam notitiam habere ostenderet, Ortygiam praeter Syracusas nominaret. Imo ex Didymi explicatione exordiendum est, sed ex Boeckhii sententia haud improbanda insuper etiam ea de causa Ortygiae mentio fit, quod et Hieronis tyranni arx et Agesiae ipsius domus, quippe qui a primis colonis originem duxerit, ibi fuerunt.

22.

Ol. VII, 19 *Ἐποπτεύει χάρις*] *Ἀρίσταρχος χάριν ἀκούει τῆς εὐδαιμονίας· βέλτιον δὲ τὴν τῶν ποιημάτων.*

Hanc explicationem cum promit Aristarchus, obiter tantum in loci sententiam inquisivisse arguitur. Nam hic de Gratia ut victoriarum laudis auctore agi apparet.

23.

Ol. VII, 66 *Χαλκελάτῳ πελέκει*] *οἱ μὲν Παλαμάονα λέγουσι ῥῆξαι τὴν τοῦ Διὸς κεφαλήν, ὅτε Ἀθηνᾶ ἐγεννᾶτο· οἱ δὲ Ἑρμῆν· οἱ δὲ Προμηθέα· Ἀριστοκλῆς δὲ ὑφίσταται τὴν γέννησιν Ἀθηνᾶς ἐν Κρήτῃ· νεφέλῃ γάρ φησι κεκρύφθαι τὴν θεόν, τὸν δὲ Δία πλήξαντα τὸ νέφος προφῆναι αὐτήν.* Ubi Aristoclis nomen Boeckhium secutus posui, in codice legitur *Ἀρίσταρχος*. Schol. § 2 quod eandem rem exponit sed ex alia recensione emanavit, pro Aristoclis nomine exhibet *Ἀριστοτέλης*, ubi Boeckh eodem modo *Ἀριστοκλῆς* edidit. Ac recte intellexit Aristarchi talem sententiam esse non potuisse. Nam ex eis, quae Lehrs[1]) de Minervae fabula apud Homerum disseruit, secundum Aristarchum Minervam ex Iove procreatam esse perspicitur. Accedit quod hoc scholio non de Pindari commentatoribus sermo fit, sed de poetis aut mythographis aut talibus.

1) In libro qui inscribitur de Aristarchi studiis Homericis p. 182.

24.

Ol. VII, 95 *Ἔργα δὲ ζωοῖσιν*] ..... *αὐτοὶ γὰρ πρῶτοι οἱ Ῥόδιοι τὴν τῶν ἀνδριάντων ἐξεῦρον δημιουργίαν τὸ πρότερον οὐχ οὕτω τιμωμένων. Ἀρίσταρχος δὲ τὰ κατὰ Δαίδαλον αὐτόν φησι μεταφέρειν νῦν ἐπὶ τῶν κατὰ τὴν Ῥόδον τεχνιτῶν, ὅτι τοιαῦτα κατεσκεύαζον ἔργα. Πολέμων γάρ φησι παρὰ Χίοις μὲν τὸν Διόνυσον δεδέσθαι καὶ παρ' Ἐρυθραίοις δὲ τὸ ἕδος τῆς Ἀρτέμιδος καὶ ὅλως πολὺν κατεσπάρθαι λόγον περὶ τῶν ἀγαλμάτων ὡς μὴ μενόντων ἀλλὰ πορευομένων ἄλλοσε πολλάκις.*

Enotavit igitur Aristarchus poetam id quod vulgo de Daedalo tradatur, scilicet eum signa elaboravisse quae vivere et gradi viderentur, hic ad Rhodios artifices transtulisse.

25.

Ol. VII, 117 *Ἐκέλευσεν δ' αὐτίκα*] *Ἀρίσταρχος· ἐκέλευσε δὲ ὁ Ἥλιος παραχρῆμα τὴν μὲν Μοῖραν Λάχεσιν ἐπιχειροτονῆσαι τῷ λόγῳ, τοὺς δὲ θεοὺς ὀμόσαι μηδένα παραινεῖν* (sic recte pro *παρερεῖν* schol. A et O) *μηδὲ παραπεῖσαι τὸν Δία περὶ τῆς μελλούσης φαίνεσθαι χώρας ὑπ' αὐτοῦ.* Lehrs[1]) Aristarchi nomen quod Boeckh se ex Vrat. A addidisse dicit secludit, quod hoc scholio paraphrasis schol. v. 110 praecisa continuetur. Sed errat vir doctus. Nam haec paraphrasis ab illa plane diversa est. Illa paraphrasi ipsa poetae verba saepe adhibentur, ut *ἔμελλε . . . ὁ Ζεὺς — ἀλλ' οὐκ εἴασεν — ἔνδον τῆς θαλάσσης — παραυξομένην — ἐκ τοῦ πέδου*, cum haec non tam singulis verbis se applicet quam universam loci sententiam explicare velit. Praeterea non video causam, cur schol. Vrat. et schol. Ambros. Aristarchi nomen diserte tradentibus fidem denegemus. Aristarchus igitur *παρφάμεν* vocem ita intellexit, ac si persuadendi vis in ea inesset et post *μέγαν* vocem leviore interpunctione incisit. Quomodo verba ante *μὴ παρφάμεν* constituerit, ex eius paraphrasi non satis liquet. Hartung eum ad *θεῶν δ' ὅρκον μέγαν* supplevisse *ἐκέλευσεν* ratus est. Contra quae recte Mommsen disputat. Bergk in ed. 3 et M. Schmidt eum *θεούς* legisse existimant, quod si sumis *ἀντεῖναι* repetendum videtur. Mommsen complura tentavit *θεοὺς δ' ὅρκον δόμεν* sive *θέμεν* aut *θεῶν δ' ὅρκον μέγαν* ad quae subaudiendum esset *γενέσθαι* aut *θεοὺς ὀμόσαι*. Sed mittamus haec cum de eis discernere non liceat.

1) In libro qui inscribitur 'Die Pindarscholien' p. 8.

Tantum constat et Aristarchum et reliquos scholiastas praeter unum Triclinium a vero procul afuisse. Bene enim Bergk in ed. 4 Parcam ipsam iurare, non deos iureiurando adigere et *παρφάμεν* significare 'scientem dolo malo iurare' monuit, ut hic sit loci sententia: 'Iussit Sol Lachesin manus tollere et deorum magnum iusiurandum vere dare se una cum Iove insulam nulli alii assignaturam esse'.

26.

Ol. VIII, 4, § 2 *Διὸς ἀργικεραύνου*] *ἤτοι παρὰ Διός. ἐνταῦθα ἡ παρὰ συναπτέον, ὥστε εἶναι· παρὰ Διὸς ἀργικεραύνου πειρῶνται, μεγάλαν ἀρετὰν θυμῷ βαλεῖν μαιόμενοι. ὁ δὲ λόγος· εἰ φροντίζει τῶν ἀνθρώπων ὃ ἡμεῖς λέγομεν ἀποπειρῶνται. ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οὕτως· ἀποπειρῶνται εἰ ἀντιποιεῖται περὶ ἀνθρώπων καὶ ἔχει λόγον τῶν ζητούντων ἀρετὴν κτήσασθαι.* Iam necessarium est etiam § 1 adscribere: *Παραπειρῶνται*] *ἡ παρὰ περισσή· ἔστι γὰρ πειρῶνται. ἢ ἡ παρὰ ἀντὶ τοῦ ἀπό· ἔστι γὰρ ἀποπειράζουσιν.* Quaeritur enim qua vi et potestate *παρά* praepositio in voce *παραπειρῶνται* usurpata sit. Ac tres exhibentur sententiae, una Aristarchi, qua id verbum significatione *ἀποπειρῶνται* sive *ἀποπειράζουσιν* adhibetur, repetita illa ter, et fine § 1 et bis in § 2 inde a verbis *ὁ δὲ λόγος*, altera *παρά* superflua ducitur et secundum tertiam *παρά* praepositio ad *Διός* trahenda est. Quarum explicationum Aristarchea maxime probanda videtur, si quidem ex Mommsenii sententia *παρά* praepositio deminuendi vim habet et modestiae est ut insequens *εἴ τις*.

27.

Ol. IX, 3, § 3 *τριπλόος*] *ἀκαταλλήλως τῷ μέλος ἐπήγαγε τὸ τριπλόος, οὐδετέρῳ προσπλέξας τὸ ἀρσενικόν, ἀλλὰ ῥητέον πρὸς τὴν διάνοιαν αὐτὸν ἀπηντηκέναι. Ἀρχιλόχου μέλος ὁ ὕμνος, εἶτα ὕμνος ὁ τριπλοῦς· τριπλόος δὲ ἤτοι [ὁ τρὶς ἐπᾳδόμενος, ἢ] τρίστροφος ὢν κατὰ τὸν Ἀρίσταρχον.*

Cognoscitur igitur ex hoc scholio Aristarchum *τριπλόος* vocem pro *τρίστροφος* accepisse. Utrum iam ipse eam vocem *ἀκαταλλήλως* a *μέλος* voce suspensam esse docuerit an ea in eius sententiam ab alio disputata sint, diiudicare non licet, neque magni momenti est, cum de eius ipsius vocis interpretatione dubitatio non incidat. In eam autem rem, num recte eius vim explicuerit diligentius videtur inquirendum esse. Atque omnium scholiorum

de Aristarchi carmine disserentium[1]) auctoritate gravissimum est v. 1, § 6 quod haec praebet: *τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος, ὃ τοῖς νικῶσι τὰ Ὀλύμπια ἐπῄδετο, ἦν τρίστροφον, κοινῶς δυνάμενον ἁρμόζειν ἐπὶ παντὸς νικηφόρου διὰ τὸ καὶ τῆς πράξεως αὐτῆς ψιλὸν ἔχειν τὸν λόγον, μήτε δὲ ὄνομα μήτε ἰδίωμα ἀγωνίσματος. ἐφυμνίῳ δὲ κατεχρῶντο τούτῳ· Τήνελλα καλλίνικε .... τὸ δὲ τριπλόος, ὅτι τρὶς ἐπεκελάδουν τὸ Καλλίνικε· οὐ καθόλου δὲ τρὶς, ἀλλ' ὅτι τριπλῆν ἔχει τὴν στροφὴν καὶ πάλιν ἀναλαμβάνεται. Ἐρατοσθένης δέ φησι μὴ ἐπινίκιον εἶναι τὸ Ἀρχιλόχου μέλος, ἀλλ' ὕμνον εἰς Ἡρακλέα, τριπλόον δὲ οὐ διὰ τὸ ἐκ τριῶν στροφῶν συγκεῖσθαι, ἀλλὰ διὰ τὸ τρὶς ἐφυμνιάζεσθαι τὸ Καλλίνικε.* Quae ut recte intellegantur, schol. ex Vrat. A a Sybelio editum adscribo quod fortasse e Didymi commentario Eratosthenem secuti petitum est. Est ibi *κωμάζοντι φίλοις*] *πλειόνων οὐσῶν στροφῶν* (sic Bergk, cod. *ἀντιστροφῶν*) *καθ' ἑκάστην στροφὴν ἔφη ὅτι τρὶς* (sic Sybel, cod. *τρεῖς*) *ἐπεκελάδουν Καλλίνικε λέγοντες· οὐ καθόλου δὲ τρὶς* (cod. rursus *τρεῖς*), *ἀλλὰ καὶ τριπλῆν ἔχειν τὴν τροπήν. καὶ πάλιν ἀναλαμβάνεσθαι τοῦτον τὸν τρόπον.* Archilochi carmen igitur *τρίστροφον* fuisse assentientibus schol. v. 1, § 6 initio et schol. Vrat. Aristarchus tradit et Eratosthenes agnoscit. Et veterum partem integrum id ante oculos habuisse Bergk contra Leutschium[2]) recte asserit probante schol. Arist. Av. 1764 *Τήνελλα· τὸ Τήνελλα μίμησίς ἐστι φωνῆς κρούματος αὐλοῦ ποιᾶς ἀπὸ τοῦ ἐφυμνίου, οὗ εἶπεν Ἀρχίλοχος εἰς τὸν Ἡρακλέα μετὰ τὸν ἆθλον Αὐγέου.* Qua re etiam Sybelii sententia Aristarchum ex voce *τριπλόος* explicationem *τρίστροφος* elicuisse censentis reicula fit. Cum vero Eratosthenes, cum et ipse tres strophas noverit, tamen Aristarcho oblocutus sit, vix aliter res expediri poterit nisi ut cum Bergkio secundum Eratosthenem ephymnium ter singulis strophis incantatum itaque novies per carmen repetitum fuisse statuamus. Quarum duarum explicationum — nam aliorum scholiastarum commenta omitto — Aristarchi equidem praefero. Etenim *τριπλόος* vocem sic dictam esse ac si unaquaque stropha ephymnium *Τήνελλα καλλίνικε* ter exclamaretur artificiosius excogitatum duco.

Unum praeterea commemorandum est. Haud sine probabili-

1) Conferendi sunt praeter Boeckhium et Dissenium Ohlert in dissertatione de heroologia Pindarica p. 19. L. de Sybel in Herme V, p. 192 sqq., idem in commentatione de scholiis veteribus in Pindari carmina Marburgi 1872 p. 31 sqq. Lehrs l. c. p. 2 sqq. Bergk ad Archilochi frgt. 119. — 2) In Philol. XI, p. 731.

tatis specie Sybel verba τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος, ο τοῖς νικῶσι τὰ Ὀλύμπια ἐπῄδετο, ἣν τρίστροφον ad ipsum Aristarchum relegat. Sed Aristarchum ex initio huius carminis perperam collegisse Archilochi callinicum epinicii Olympiae victoribus cantati loco usurpatum esse, id quod p. 197 et p. 201 vult, futilis est opinio. Nam nihil certius est quam id ex Pindari verbis iure colligi posse. Neque scio an Aristarcho eundem morem Nemeae fuisse ad Nem. III, 1 enarranti fides habenda sit.

28.

Ol. XI (X), 15, § 3 Ἀρίσταρχος κοινὸν λόγον τὸν ὕμνον, ου πολλοὶ ἐπιθυμοῦσι. Aristarchus loci sententiam non assecutus est, nec melius res cessit aliis commentatoribus veteribus. Sed horum quoque temporum critici multi de eis verbis falluntur. Quemadmodum enim recte primus Kayser[1]) perspexit, hoc loco, ubi de debito, de usura, de solvendo verba fiunt, λόγος vox aliud quidquam nisi calculum vix significare potest. Neque tamen ad tales argutias quales L. Schmidt protulit descendemus. Poeta etsi calculum mutuum esse praedicat, tantum de munere a se offerendo agit, de ea autem re quam invicem Agesidamus pollicitus est tacet. Quamquam cur non eo alludere possit, ut Agesidamus pro carmine pecuniam soluturus sit equidem non intellego.

29.

Ol. XIV, 26 ο δὲ Ἀρίσταρχος ἰδίως φησὶ προτάξας τὰ ὀνόματα τῶν Χαρίτων ἑνικῶς ἐφώνησε· σεῦ ἕκατι, ὦ Χάρι.

Ex Aristarchi ratione igitur Pindarus a communi construendi more aberravit et ubi pluralis numerus expectaretur, singularem posuit. Alii scholiastarum veterum ad hunc versum et ad v. 20 alia finxerunt. Solum his verbis schol. v. 20, § 2 ἔνιοι δέ φασι πρὸς τὴν τρίτην Θάλειαν τοῦτο λέγεσθαι et fortasse v. 26, § 3 ἢ πρὸς μίαν τῶν Χαρίτων ἀπὸ τοῦ πλήθους μετέβη verum continetur. Nam quemadmodum ex ἰδοῖσα participio v. 15 cernitur, eis versibus solam Thaliam poeta alloquitur.

30.

Pyth. II, 75, § 2 Ἀρίσταρχος δέ (δέ inserui ex ed. Rom.)· ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς νῦν ἐπὶ τῆς νεφέλης ὑφίστησι τὸν λόγον τῆς τῷ Ἰξίονι συνευνασθείσης.

1) In libro cui inscripsit lectiones Pindaricae p. 27, secundum L. Schmidtium. Mihi enim libri inspiciendi copia non fuit, cum in bibliotheca Ienensi non exstet.

Lehrs etiam hoc loco Aristarchi nomen a reliquis seiungendum esse contendit. Nam verbis *ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς κτἑ* cum Aristarcho nullam intercedere necessitudinem, sed subiectum ad *ὑφίστησι* esse Pindarum. In ea re quam extremo loco memoravimus, Lehrs sine dubio verum vidit. Sed in magno errore versatur, si ab Aristarcho haec verba abiudicat. Nam bene quid sibi velit perspicitur. Aristarchus enim ut videtur poetam inde a verbis *ἄνευ οἱ κτἑ* sine coniunctione ab Ixionis castigatione ad Nubem eiusque filium transitum fecisse notavit.

31.

Pyth. II, 101, § 2 fin. *Ἀρίσταρχος δὲ οὕτως· οἷον εἴ τις λέγει, εὐποτμότατός ἐστιν ὁ πλουτῶν καὶ σοφίας ἅμα τυγχάνων.* Similiter schol. § 1 verba circumscribit: *τὸ δὲ ἐπιτυγχάνειν πλούτου μετὰ σοφίας, ἄριστόν ἐστιν.* Hartung nisi *πότμος ἄριστος* legerint et sic construxerint: *τὸ πλουτεῖν σὺν τύχᾳ σοφίας — πότμος ἄριστός ἐστιν* Aristarchum aut qui eum secutus sit scholiastam verba sic explicare potuisse negat. Pari modo Bergk Aristarchi sententiam cum verbis, ut codices praebent conciliare nequit sed Aristarchum scripsisse putat *σοφίας τ' ἄριστον.* Quae verba dicta esse vult pro *σὺν τύχᾳ πότμου καὶ σὺν τύχᾳ σοφίας* quemadmodum quidem ex eius obscuriore nota colligere posse mihi videor. Sed inficeta est ea interpretatio neque etiam Hartungii retinenda si quidem coniecturis ex mea sententia omnino non opus est. Nam Aristarchi sententia etiam ex vulgata expromi potest si hoc modo verba construis *τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου — σοφίας ἄριστον.* 'Optimum ait quod sapientiae obtingere potest est id, ut iuvante fortuna opes accedant.'

Difficillimi igitur loci sententiam Aristarchus bene intellexit et est quod in eius explicatione arrideat. Melius certe placet quam Mezgeri[1]) interpretatio qui non recte verba *πότμου σοφίας* consociat ut dicta pro 'Loos der Weisheit'. Etiam in ea re Mezger errat quod Aristarchum rationi suae favere contendit. Namque Aristarchum verba *σὺν τύχᾳ πότμου* coniunxisse ex eius paraphrasi cerni censeo.

32.

Pyth. III, 75 *Βάματι δ' ἐν πρώτῳ*] *ἐὰν μὲν γράφηται Ἐν πρώτῳ, ὡς νῦν γέγραπται, ἔσται ἐν ἑνὶ βήματι ὁ Ἀπόλλων*

1) In libro qui inscriptus est 'Pindars Siegeslieder' p. 57.

ἀπὸ τῆς Πυθῶνος ἐληλυθὼς εἰς τὴν Θεσσαλίαν· ἐὰν δὲ, ὡς ἔν τισι, βάματι δ' ἐν τριτάτῳ, ἔσται παραφράζων τὸ Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰών (Il. *N*, 20). ἔστι δὲ σεμνότερον καὶ πρέπον τῷ θεῷ τὸ ἅμα τῷ πρώτῳ βήματι ῥύσασθαι τὸν παῖδα, ἔστι δὲ καὶ πρὸς τὴν ἀντίστροφον σύμφωνον. ὁ μέντοι Ἀρίσταρχος γράφει τριτάτῳ. Hartung et qui eum in ed. 3 et 4 secutus est Bergk Aristarcho non τριτάτῳ ut scholion refert sed τρίτῳ vindicant atque Bergk in ed. 3 ita, ut Aristarchum fortasse aeolicam formam τέρτῳ adhibuisse putet. Nam secundum Bergkium grammaticus clarissimus non tam numeri ignarus fuit, ut alieno loco dactylum inculcaret. In ed. 4 Bergk coniecturam ἐν τρίτῳ non ab Aristarcho prolatam esse vult, sed a critico aliquo ante eius tempora qui Pindarum cum Homero conciliare studuerit. Etenim respexisse grammaticum illum Il. *N*, 20 Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰών. Praeterea Bergk conferre iubet haec ex schol. ad Il. *Ξ*, 230 ἐπεὶ τρίτῳ βήματι ἐκεῖ ἂν εὕρητο ἡ θεός. At ad horum virorum doctorum argumentationem accedere nullo pacto possum. Nam piaculum contra scholiorum auctoritatem committere mihi viderer, si Aristarchum τριτάτῳ legisse bis diserte affirmantibus diffiderem. Iam quomodo forma inusitatior pro vulgari his scholiis illata esse possit excogitari nequit, praesertim cum ex schol. ad Il. *Φ*, 267 Aristarchum τριτάτῳ formam pro τρίτῳ poni in commentariis suis ad Homerum adnotavisse eluceat. Legitur enim ad verba αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ hoc: σημειοῦνταί τινες, ὅτι ἀντὶ τοῦ τρίτῳ. Facere igitur non possumus, quin tamen Aristarchum cum τριτάτῳ commendaret Pindari metra non satis calluisse statuamus. Retinendum autem est πρώτῳ, contra quam scripturam quae Hartung profert nugae sunt.

33.

Pyth. IV, 14 Ἀργινόεντι μαστῷ] Ἀρίσταρχος μὲν τὸ Ὁμηρικὸν Οὖθαρ ἀρούρης (Il. *I*, 141. 283) παράγειν αὐτόν φησι πιθανῶς, ὑπαλλαξάμενον τὸν μαστόν· Ἱεροκλῆς δέ φησι κεῖσθαι τὴν πόλιν ἐπὶ λόφου μαστοειδοῦς λευκογείου. μᾶλλον δὲ ἀπὸ τῆς εὐτροφίας, ὡς Ἀρίσταρχος· καὶ γὰρ ὁ ἀργινόεις συνᾴδει τούτῳ μᾶλλον, ἀπὸ τοῦ γάλακτος.

Aristarchi explicatio male se habet, nam ἀργινόεντι vox ei obstat quam scholiasta ex eius sententia perperam interpretatur. Unice vera huius loci explanatio est ea, quam Hierocles protulit. Cogitandum enim de colle cretaceo est, in quo urbs sita est. Cuius rei insuper etiam Della-Cella auctor est apud Boeckhium laudatus.

34.

Pyth. V, 1, § 2 οὕτω δὲ Ἀρίσταρχος· ἔστι μὲν χωρὶς τὸ πολύφιλον λέγειν, χωρὶς δὲ τὸ ἑπέταν. τοιοῦτός ἐστι τῷ ἔχοντι ὀπαδὸς, ὥστε πολλοὺς φίλους ποιεῖν. ἔστι δὲ καὶ συναμφότερα ἀκούειν· ᾧ πολλοὶ φίλοι ἕπονται. Verba πολύφιλον ἑπέταν si commate disiungas, aliam paraphrasin atque quae continetur verbis τοιοῦτός ἐστι τῷ ἔχοντι ὀπαδὸς, ὥστε πολλοὺς φίλους ποιεῖν requirere facile aliquis arbitretur. Attamen, cum nulla esse possit dubitatio quin ea verba χωρίς accepta Aristarcho sic circumscribi posse visa sint, Aristarchum minus accuratam paraphrasin proposuisse et sic πολύφιλον, ἑπέταν verba intellexisse sumo 'opes quae multos parant amicos et quae possidenti sectator sunt'. Quod ineptum est. Et re vera altera explicatio veteribus magis probata est. Nam et in eadem paragrapho ab alio scholiasta repetuntur: πολύφιλον δέ φησιν αὐτὸν (scil. τὸν πλοῦτον) ἑπέταν, ἐπειδὴ τῷ πλουτοῦντι πολλοὶ ἕπονται et in § 3 πολύφιλον ἑπέταν, ᾧ πολλοὶ φίλοι ἕπονται. Sed ne id quidem probari potest; neque quisquam veterum verum vidit. Nam ea tantum vis πολύφιλον voci hoc loco subesse videtur quam Boeckh voluit, 'dilectissimus' (viellieber).

35.

Pyth. V, 33 Παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν] ἐπὶ παντὸς πράγματος δεῖ τῷ θεῷ· τὴν αἰτίαν ἀνάπτειν καὶ ὑπερτιθέναι καὶ φιλεῖν· οὕτως Ἀρίσταρχος ἀντὶ τοῦ φίλει. καὶ σὲ τοίνυν πρὸ μὲν πάντων τῷ θεῷ ἀνατιθέναι προσήκει, φιλεῖν δὲ παρὰ τοὺς ἄλλους ἑταίρους Κάῤῥωτον.

Quo iure Lehrs etiam hoc loco Aristarchi nomen deleri iubeat equidem non perspicio. Neque iure Bergk φίλει antiquam scripturam fuisse ex schol. apparere contendit. Satis dilucide enim schol. verbis φιλεῖν· οὕτως Ἀρίσταρχος ἀντὶ τοῦ φίλει (cfr. Friedlaend. Ariston. p. 14) eum traditam lectionem explanare innuit. Quibus verbis ut par est ante ἐπὶ παντός retractis alteroque καί (ante σέ) proscripto reliquis iustam Ar. paraphrasin contineri vides. Quam si schol. solam ponere voluisset, more solito Ἀρίσταρχος οὕτω (hoc ordine) scripsisset, cum οὕτως Ἀρίσταρχος significet 'Aristarchus sic legit'.

36.

Pyth. V, 76 Κεῖνόν γε καὶ βαρύκομποι λέοντες] Ἀρίσταρχος κατὰ τὸν τύπον φησὶ τοῦτον, καθ' ὃν ἔκτισται ἡ Κυρήνη λέοντας διατρίβειν πολλοὺς, τῷ δὲ Βάττῳ τὸν Ἀπόλλωνα δοῦ-

ναί τινας ἐπῳδάς, δι' ὧν αὐτοὺς ἔμελλεν ἀποσοβήσειν καὶ τὸν τόπον ἡμερώσειν. ὑπερποντίαν δὲ αὐτὸν ἐπενέγκαι γλῶσσάν φησι, παρόσον τὴν τοῦ Ἀπόλλωνος φωνὴν ἐκ Δελφῶν εἰς Λιβύην μετήνεγκε.

Aristarchus et Boeckh, qui ad eum magna ex parte sese applicat, loci sententiam non recte enarraverunt. Nam iure merito Hartung *ἐπῳδάς* non *γλῶσσαν* perhiberi posse contra dixit. Ei rei quod praeterea leones, si incantationibus pulsi sint, non *περὶ δείματι* fugisse opponit non magnam vim tribuo. Nec vero etiam Didymo *γλῶσσαν* vocem tanquam oraculum accipienti astipulari possumus. Potius exoriendum est a Paus. X, 15, 4 *ἐπεὶ δὲ ᾤκισε Βάττος τὴν Κυρήνην, λέγεται καὶ τῆς φωνῆς γενέσθαι οἱ ἴαμα. ἐπιόντων Κυρηναίων τὴν χώραν ἐν τοῖς ἐσχάτοις αὐτῆς ἐρήμοις ἔτι οὖσι θεᾶται λέοντα, καὶ αὐτὸν τὸ δεῖμα τὸ ἐκ τῆς θέας βοῆσαι σαφὲς καὶ μέγα ἠνάγκασεν.* Quam fabulam Pindarus, ut honorificentius in Battum pronuntiaret, hunc in modum transformavit: Battum, antea balbutientem, cum Apollinis mandato obsequeretur, divina ope linguae volubilitatem recuperasse. Et tantam Apollinem ei indidisse vocem ut ea ipsa leones in fugam propulsaret. *ὑπερποντία* autem vox appellatur, quod trans mare attulit.

37.

Pyth. VI, 4 *Πυθιόνικος ἔνθ' ὀλβίοισιν*] *οὐκ ἀπὸ φυλῆς* (imo *οὐκ ἀπὸ Ἐμμενίδου τὸ ὄνομα τῆς φυλῆς*) *ὁ Ἀρίσταρχος· τοῦ κυρίου γὰρ ὄντος Ἐμμενίδου οὐκ ἂν γένοιτο Ἐμμενίδαι.*

Quibus verbis quid Aristarchus repudiaverit tantum explicatur. Ut vero quid ipse statuerit expediamus, schol. Ol. III, 68, § 2 comparandum est. Legitur ibi: *Εὐμενίδαι λέγονται οἱ περὶ Θήρωνα, ὡς μὲν οἱ προϋπομνηματισάμενοι, ἀπὸ Εὐμένους τινὸς τοῦ τὴν Φαλάριδος τυραννίδα καθελόντος. ἦν δὲ ὁ Εὐμένης Τηλεμάχου παῖς, οὗ γίνεται Αἰνησίδαμος, οὗ Θήρων, οὗ Θρασυδαῖος καὶ Φιλοκράτης.* Primum moneo ne offendas quod hoc scholio ut schol. v. 67 de Eumene et Eumenidis dicatur. Ea enim scriptura ex librarii errore exorta est et debuit iam Boeckh *Ἐμμένους*, *Ἐμμένης* edere. Iam mihi suspicio incidit Aristarchum inter eos fuisse qui Theronis et Xenocratis gentem ad Emmenem, non ad Emmenidem retulerint.[1]) Ad perspicuitatem

1) De *προϋπομνηματισάμενοι* voce cfr. etiam Isthm. II, inscr. ubi quoniam Artemo opponitur, in *προϋπομνηματισαμένων* numero Aristarchus facile esse potest. Isthm. IV, inscr. ubi Didymus *προκατασκευάζοντας ἐνίους* vituperat, videtur de solo Callistrato agi. Cfr. etiam M. Schmidtium in libro qui inscriptus est Didymus p. 276 et p. 283.

evehere suspicionem non possum, sed ad eam sententiam quam Pyth. VI, 4 promulgavit optime quadret coniectura. Si probanda est, ut reliquos errores schol. Ol. III, 68 cumulatos iam a Boeckhio notatos omittam, aperte Aristarchus fallitur. Quod etiam eius censor Pyth. VI, 4 vidit. Pergit enim scholion: *ἡ δὲ ποιητικὴ παρέκτασις καὶ οἱ σχηματισμοὶ ἐπὶ τῶν κυρίως πατρωνυμικῶν ἐπὶ τὰ αὐτῶν τρεπόμενα ὀνόματα, οἷον Ἡρακλείδης καὶ Ἀσκληπιάδης ἐστὶ μὲν σχήματι πατρωνυμικὰ, κύρια δέ τινων. εἴ τις οὖν τὸν τοῦ Ἡρακλείδου υἱὸν πατρωνυμικῶς βούλοιτο σημῆναι, ὁμωνύμως ἂν πάλιν πατρὸς Ἡρακλείδην καλοίη.* Quo haec verba tendant elucet, non autem sana sunt. Id enim scholiasta dicere vult. Poetae nominibus propriis iam patronymica specie indutis et eisdem patronymice uti possunt. Exempli gratia Heraclides et Asclepiades specie quidem patronymica sunt; eorum forma patronymica autem pari modo Heraclides et Asclepiades esset. Derivat igitur scholiasta Emmenidorum gentem recte ab Emmenide. Quae cum ita sint, dum ab alio viro docto meliora excogitentur, hanc emendationem propono: *ἡ δὲ ποιητικὴ παρέκτασις σχηματοποιεῖ ἀπὸ τῶν κυρίως πατρωνυμικῶν καὶ τὰ αὐτῶν πατρωνυμικὰ ὀνόματα κτέ.*

38.

Pyth. VII, 17 *Νέᾳ δ' εὐπραγίᾳ χαίρω τι*] *Ἀρίσταρχος συμβεβηκέναι αὐτῷ τι σύμπτωμα περὶ τὴν νίκην ταύτην· ὅθεν καί φησι τὸ μὲν χαίρειν, τὸ δὲ ἄχνυσθαι, φθόνου τινὸς παρακειμένου τοῖς καλοῖς ἔργοις· οὕτω μέντοι γε γίνεσθαι παραμονίμους τὰς εὐδαιμονίας, ἐπὰν ἔχωσί τι κρᾶμα καὶ δυστυχήματος.* Aristarchi verborum *τὰ καὶ τά* interpretationi assentitur etiam schol. v. 23 *Τὰ καὶ τά*] *ἀντὶ τοῦ ἀγαθὰ καὶ κακά. βεβαίαν δέ φησι τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι, ὅταν τῇ πολλῇ εὐπραγίᾳ παρέπηταί τι φαῦλον. τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ* (Od. *θ*, 63)·

Τὸν πέρι Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε·
Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.

Aristarchus legit igitur *χαίρω τι* quod Hermann[1]) ut recte Mommsen iudicat non negaturus fuisset si schol. Vrat. B et ed. Rom. pro *τὸ μὲν χαίρειν* exhibere *ἔν τινι χαίρειν* 'aliquatenus

1) In libello academico cui inscriptum est: Decani nomine Guilielmi Wachsmuthii solemnem creationem philos. doct. et. a. a. l. l. magistrorum d. V. Martii a. 1835 peractam nunciat G. Hermannus p. 3.

gaudere' cognitum habuisset. Quae Boeckh, cui nuper Rauchenstein[1]) annuit, in notis criticis et in explicationibus contra eam lectionem disputavit ne mihi quidem probantur. Equidem cum Hermanno Dissenio Mommsenio Schneidewinio Christio Bergkio Aristarchum secutus *χαίρω τι* scribo et locum interpretor: 'Gaudeo ob novam victoriam, illud vero doleo quod invidia praeclara facta pervertit. Dicunt sane tam stabilem felicitatem ut vobis contigit praeter prospera etiam adversa afferre'. Quo vero spectet poeta, cum invidiam res ab Alcmaeonidis pulchre gestas obscurare dicit nescimus. Aristarchi opinionem, quoniam Pindarus de malignorum invidia falsis criminationibus Alcmaeonidas aspergentium agit[2]), certe procul habendam esse apparet.

39.

Nem. I, 3 *Δέμνιον Ἀρτέμιδος*] *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος τὴν Ὀρτυγίαν ἀκούει, διὰ τὸ κατ' ἐνίους αὐτόθι δοκεῖν αὐτὴν γεγεννῆσθαι.* Huc spectat schol. v. 1, § 2 *Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ*] *κατὰ μὲν τὴν ἱστορίαν οὐκ αὐτὴ ἡ Ὀρτυγία, καθ' ἣν ἡ Λητὼ τὴν Ἄρτεμιν ἔτεκεν, ἡ περὶ Ἔφεσον· ἀλλὰ ἑτέρα ἡ πλησίον τῆς Σικελίας.* Iam pergit schol. v. 3 *προσθείη ἄν τις, ὅτι συνήθως ὁ Πίνδαρος τοῖς ὁμωνύμοις χωρίοις ἐπιτίθησι καὶ τὰ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ἱστορούμενα· καθὰ καὶ ἐπὶ τῶν Πλειάδων* (Nem. II, 16)· *Ἔστι δ' ἐοικὸς ὀρειᾶν τε Πελειάδων μὴ τηλόθεν Ὠαρίωνα νεῖσθαι.* (ed. Rom. *Ὠαρίων' ἀνεῖσθαι.*) *ὄρειον δὲ τὸ ζῶον* (Boeckh proponit *ὀρειᾶν δέ, ὅτι ὄρειον τὸ ζῶον.* Fortasse legendum *ὀρειᾶν δὲ ὡς ζώων.*) Rationem quam Aristarchus commendavit sequitur hoc schol. v. 4: *τὴν Ὀρτυγίαν τῆς Δήλου τῆς νήσου κασιγνήτην εἴρηκε .... διὰ τὴν ὁμωνυμίαν ὡσανεὶ ἔφη· ἐν ᾗ ἡ Ἄρτεμις ἐγεννήθη ὥσπερ ἐν Δήλῳ· εἴωθε γὰρ ὁ Πίνδαρος μετάγειν τὰς ὁμωνυμίας, ὥστε τὸ λεχθὲν ἐπὶ τῆς εἰς Δῆλον Ὀρτυγίας τοῦτο ἐπὶ τῆς πρὸς Συρακούσαις μετήχθη.* Sed contra eam sententiam disputat schol. v. 3. Adiunguntur enim ibi haec: *ἔνιοι δὲ ἱστορικώτερον ἀκούουσι. τὸν γὰρ Ἀλφειόν φασιν ἔρωτι ἁλόντα τῆς Ἀρτέμιδος ἐπιδιῶξαι αὐτὴν ἄχρι τῆς Σικελίας· τοῦ δὲ τέλους τῆς διώξεως αὐτόθι γενομένου αὐτόθι συστῆναι τὴν Ἀρέθουσαν. διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὴν Ἄρτεμιν Ἀλφειῶαν προσαγορεύεσθαι· καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δὲ ὁ Ἀλφειὸς τῇ Ἀρτέμιδι συναφίδρυται.*

1) In Jahnii annal. 1861 p. 40. — 2) L. Schmidtii explicationem vocum *φθόνον ἀμειβόμενον* improbo.

Aristarchum ea in re falli hodie nemo negat. Non enim solum Dianam Ortygiae, in insula prope Syracusas sita natam esse poeta non dicit, verum etiam ibi nata esse omnino non potest.[1]) Nam *δέμνιον* vox hoc loco non 'nidus' sive 'cunae' significat, ut Aristarchus acceperit necesse est, sed de Diana quae dicitur *Ἀλφειῶα* sermo fit et ut Alpheus Ortygiae requiescit sic Diana ibi cubile habet. Cur autem hoc loco Ortygia Deli soror audiat, ut expediant, viri docti multa tentaverunt. Nec vero ulla interpretatio mihi ab omnibus partibus satisfacit. Maximam tamen probabilitatis speciem ex mea sententia ea prae se fert, quam de Leutsch[2]) publici iuris fecit. Vult enim Ortygiam sic dictam esse quod pari modo atque Delus insula e mari emersa sit, utraque igitur a Ponto patre descendat. Sed de Ortygia quoque eam fabulam diserte tradi velim probari posse. Recte vero vir doctus praeterea monet hoc loco deae et insulae inter se commistas esse notiones. Quem Pindari morem fuisse praeter locos a Leutschio laudatos Alexandrini memorant Ol. VII, 24 *σύνηθες τῷ Πινδάρῳ τὰ τῶν Νηρηΐδων* (lege *ἡρωΐδων*) *ὀνόματα κατὰ τῶν πόλεων τῶν ὁμωνύμως λεγομένων τάττειν καὶ τοὔμπαλιν, ἔστι δὲ ὅτε καὶ συμπλέκειν, ὥσπερ καὶ νῦν, παῖδα* (hanc vocem adieci) *Ἀφροδίτης μὲν γὰρ λέγει τὴν ἡρωΐδα, ὅτι δὲ ποντίαν ὀνομάζει, τὴν νῆσον βούλεται δηλοῦν.* Eadem § 2 referuntur. Iam Isthm. I, 1 *ἐν ταὐτῷ δὲ καὶ πρὸς τὴν πατρίδα καὶ πρὸς τὴν ἡρωΐδα, ἀφ' ἧς ἡ πόλις καλεῖται, τοὺς λόγους ποιεῖται. ἡ γὰρ χρύσασπις ἐπὶ τῆς ἡρωΐδος, ἣν Ἀσωποῦ καὶ Μετώπης τῆς Λάδωνός φασιν.* Schol. Nem. II, 16 *ζητεῖται δὲ διατί ὀρείας εἶπε τὰς Πλειάδας ..... οἱ δὲ καθὸ Πελειάδας αὐτὰς εἶπε, καὶ ὀρείας· αἱ γὰρ περιστεραὶ ὄρειαί εἰσιν· εἴωθε δὲ ὁ Πίνδαρος ταῖς ὁμωνυμίαις ἐπαναπαύεσθαι.*

40.

Nem. I, 34 *λέλογχε δὲ μεμφομένοις*] *Ἀρίσταρχος οὕτω· τοῖς δὲ τοὺς ἀγαθοὺς μεμφομένοις τοῦτο λέλογχε καὶ ὑποκείμενόν ἐστιν, οἷον ἀκολουθεῖ, ὥσπερ καπνῷ ὕδωρ φέρειν ἀντίον καὶ* (particula a Boeckhio adiecta cum Mezgero delenda est) *κατασβεννύναι. καταλείπεται δὲ τῇ ἀρχαίᾳ σημασίᾳ τὸ Ἐσλός·*

1) Cfr. Stuhrium in libro qui inscribitur 'Allgem. Geschichte der Religionsformen der heidnischen Völker' II, p. 225. — 2) In Philol. XIV, p. 58 et in additamentorum ad Lud. Disseni in Pindari carmina commentarium spec. I, p. 4.

ἡ γὰρ ἀντίστροφος ἀπήτει τὸ ῡ. ταῖς δὲ ταύταις παραβολαῖς χρῆται ἀποτόμως οὐ λέγων τὸ καθάπερ. καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ταῦτα. βέλτιον δὲ οὕτως ἀκούειν κατ' ἐναλλαγὴν πτώσεως· μεμφομένοις, ἀντὶ τοῦ μεμφομένους σβεννύειν ὡς ὕδατι καπνὸν, ἵνα αὐτὸς ὁ ἀγαθὸς κατασβεννύῃ τὸν φθονερὸν, ἀλλὰ μὴ σβεννύηται ὑπ' ἐκείνου. χρῆται δὲ ὁ Πίνδαρος τῷ καπνῷ ἀντὶ πυρὸς, ἐκ τοῦ παρακολουθοῦντος τὸ πρῶτον σημαίνων. Nisi me omnia fallunt, etiam schol. § 2 ex Aristarchi sententia disputat.[1]) Legitur enim ibi: τὸ ἐσλὼς (ἐσλός Bergk recte) ἀντὶ τοῦ ἐσλοὺς εἴρηται Δωρικῶς. καὶ ὅτι τὸ λέλογχεν εἶπεν ἑνικῶς ἀντὶ τοῦ λελόγχασι· λελόγχασι δὲ οἱ καταμεμφόμενοι καπνῷ ὕδωρ ἐπιφέρειν. Quae Aristarcheae sententiae castigator promit, ea contorta et perversa sunt; Aristarchus locum recte fere videtur interpretatus esse. Sensus enim ab Hermanno Dissenio Rauchensteinio[2]) aliis parum intellectus est hic: 'Contigit eis qui probis obtrectant, ut quemadmodum fumus aqua infusa augescit sic maledicentiâ bonorum laudes altius evehant'.[3])

Ceterum Bergk praef. p. 27 sq. ed. 4 recte Christium vituperat, qui[4]) ex hoc scholio Alexandrinis grammaticis complura exemplaria carminum Pindaricorum prisca litterarum specie scripta praesto fuisse evinci vult.

41.

Nem. I, 38 Μάρνασθαι φυᾷ] μάρνασθαι οὖν Ἀρίσταρχος ἀντὶ τοῦ μάχεσθαι καὶ ἀντερίζειν χρώμενον φύσει κατὰ τρόπον καὶ μηδὲν παρὰ φύσιν πράττειν. μήποτε δὲ τὸ μάρνασθαι οὐκ ἔστι μάχεσθαι, ἀλλ' ἐνεργεῖν, ὥς φησι Δίδυμος, καὶ πραγματεύεσθαι, ὥστε εἶναι τὸ κεφάλαιον τοῦ λόγου· προσήκει δὲ εὐθὺ ἀδόλως πράττειν, καθ' ἣν εἴληχεν ἕκαστος φύσιν, ἢ ἔργῳ ἢ γνώμῃ. Ad quae statim a verbis ἄριστον οὖν tertia loci explanatio accedit, ut optima laudata, quam Boeckh paragraphi signo ab Aristarchi et Didymi verbis disiungere non debebat.

Dissensio igitur inter Aristarchum et Didymum in interpretanda voce μάρνασθαι exstat. Didymus eam ἐνεργεῖν sive πραγ-

1) Dissentit Ahrens in Philol. XVI, p. 55. — 2) In libro qui inscribitur commentationes Pindaricae I, p. 20 et in Philol. XIII, p. 247 sq. — 3) Cfr. Leutschium l. c. p. 4 et Mezgerum p. 105. Herwerden qui in libello nuperrime, postquam dissertationem confeci, edito cui inscripsit Pindarica p. 24 verborum λέλογχε δὲ μεμφομένοις κτέ subiectum esse ἀνὴρ φιλόξεινος v. 20 contendit me de Aristarchi sententia depellere non potuit. — 4) In Philol. XXV, p. 610 sqq.

μαρνύεσθαι significare vult, cum Aristarchus *μάχεσθαι* et *ἀντερίζειν* voluerit. Qua in re ad Aristarchi partes accedemus. Sed quod veram vocis vim exposuit non nimiae laudi ei dabimus. Nam ea de causa, quod in toto carmine poeta ad maximos labores et molestias vitae respicit a Chromio sustentas, etiam hoc loco *μάρνασθαι* sic accipimus. Sed id carminis argumentum esse Aristarchum latuisse statim infra videbimus.

42.

Nem. I, 49, § 2 *ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχός φησιν, ὅτι οἴονταί τινες, ὅτι ὑπόθεσις αὐτῷ ἐδέδοτο τοιαύτη ὥστε μνησθῆναι τοῦ θεοῦ, ὅπερ ἐστὶν, ὡς καὶ Ἀρίσταρχός φησιν, ἀπίθανον. μήποτε δὲ, ὅτι ἀεὶ ὁ Πίνδαρος ἐπαινεῖ τοὺς φύσει μᾶλλον τῶν ἐκ διδαχῆς περιγινομένων, ὁ δὲ Ἡρακλῆς τοιοῦτος. τοῦτο δὲ ἀπίθανον. τί γὰρ, ὅτι τὴν πρώτην περὶ Ἡρακλέους γινομένην συμφορὰν ἰδίως ἐξύμνησεν; εἰς ἔνδειξιν δὲ τῶν φυσικῶν ἀγαθῶν; Ἡρακλῆς γὰρ μέχρι παντὸς ἐκ φύσεως ἀγαθὸς ὢν ἀνεφάνη, ὥστε οὐκ ἂν ὡμοίωσε τὸν ἔπαινον, ἓν μόνον τὸ περὶ τοὺς δράκοντας αὐτῷ διαπραχθὲν εἰπών· ἀλλ' εἴπερ ἄρα, ἀπὸ τῶν ἐπιφανεστέρων ἂν ἐπῄνει τὸν Ἡρακλέα. ὁ δὲ Χαῖρίς φησιν, ὅτι ὁ Χρόμιος πολλὰ συμπονήσας τῷ Ἱέρωνι κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀμοιβῆς ἔτυχεν ἐξ αὐτοῦ, ὥστε ἐκ περιουσίας καὶ ἱπποτροφῆσαι· ὡς οὖν οὗτος ἔπαθλον ἔλαβε πόνων τὴν ἐπιφάνειαν, οὕτω καὶ Ἡρακλῆς πολλὰ ταλαιπωρήσας ἔπαθλον ἔσχε τὴν ἀθανασίαν καὶ τὸν γάμον τῆς Ἥβης. καὶ πρὸς τοῦτον δὲ ἔνεστιν εἰπεῖν· τί δήποτε ὁ Πίνδαρος ἰδιώτην ἐπαινῶν τὴν τοῦ Ἡρακλέους παρέλαβε συμφορὰν εἰς ἐπίδειξιν τῆς φιλοπονίας; μᾶλλον γὰρ ἔδει κοινότερον πάντας τοὺς ἄθλους εἰς ὑπόμνησιν ἀγαγεῖν, ὅτι καθήρας γῆν καὶ θάλασσαν ἀπεθεώθη. ὁ δὲ Χρύσιππος Νεμεακὸν εἶναί φησι τὸν ἀγῶνα καὶ τὸν ἐπὶ τούτῳ δὴ ἐπίνικον· διά τε τὸ Νεμεαῖον εἶναι τὸν λέοντα, ταύτῃ τὸν Ἡρακλέα τοῖς τοῦ νενικηκότος ἐπαίνοις ἐγκαταμεμίχθαι. ἀντιπράττει δὲ καὶ τούτῳ τὸ μηδ' ὁτιοῦν τὸν Πίνδαρον εἰπεῖν περὶ λέοντος, ὅπερ αἰτιώτατον τῆς παραβάσεώς* (l. *παρεκβάσεως*) *φησιν ὁ Χρύσιππος εἶναι. βέλτιον δέ φησιν ὁ Δίδυμος ἐκεῖνο λέγειν, ὅτι ὃ περὶ τῆς Αἴτνης ἔφη, τοῦτο καὶ νῦν βούλεται δηλοῦν ὁ Πίνδαρος· Ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρώτη χάρις ἐς πλόον ἐρχομένοις πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον* (Pyth. I, 64). *τοιοῦτο λέγοι ἄν τις καὶ ἐπὶ τοῦ Χρομίου· ἐπεὶ νῦν ἤρκται ἀγωνίζεσθαι καὶ ἀρξάμενος εὐθὺς ἐνίκησεν, ἐλπίς ἐστιν αὐτῷ καὶ τῶν ἄλλων τεύξεσθαι στεφάνων. πρὸς τί οὖν τὸ περὶ*

Ἡρακλέους ἐστὶν ὑπόδειγμα; ὅτι καὶ Ἡρακλῆς βρέφος ἔτι ὢν μεταχειρισάμενος τοὺς αὖθις ἄθλους κατεπράξατο· καὶ ὥσπερ τούτου περὶ τὸν Ἡρακλέα γεγενημένου ὁ Ἀμφιτρύων Θηβαῖον ὄντα τὸν Τειρεσίαν προανέκρινε περὶ τοῦ παιδὸς, ὁ δὲ προεμαντεύσατο τοὺς ἐσομένους αὐτῷ ἄθλους, οὕτως αὐτὸς ὁ Πίνδαρος ὑπὸ τῆς πρώτης τοῦ Χρομίου νίκης προμαντεύεται, ὅτι καὶ τῶν λοιπῶν στεφάνων τεύξεται.

Apparet ex hoc scholio veteres grammaticos Alexandrinos intellexisse aut ut de Leutsch[1]) existimat traditum accepisse inter fabulam et ipsius victoris laudem aliquem nexum intercedere. Et ut hic sic etiam alibi quibus causis quoque loco poeta ad fabulam enarrandam compellatur circumspiciunt. Sed iustum Pindari in adhibendarum fabularum usum non perspexerunt nec perspicere potuerunt quoniam fabulae ex eorum ratione magna ex parte παρεκβάσεις sunt, aberrationes a recta celebrandae victoriae via. Praeterquam enim quod Chrysippus[2]) hoc loco Herculis fabulam παρέκβασιν significat exempli gratia conferenda sunt schol. Pyth. IV, inscr. ἡ γὰρ δὴ προκειμένη ᾠδὴ ἱστορικὴν ἔχει παρέκβασιν. Schol. Pyth. V, inscr. ἐπειδὴ δὲ διήγημα μᾶλλον ἐν τῷ πρώτῳ (Pyth. IV) ἐπινίκῳ ἤπερ ἐγκώμιον πεποίηται τῷ Πινδάρῳ καὶ παρέκβασις διηγηματικὴ τῶν κατὰ Ἰάσονα ἐδέησεν αὐτῷ καὶ δεύτερον γράψαι ἐπίνικον. Schol. Pyth. XI, 21 ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς σφόδρα ἀκαίρῳ παρεκβάσει ἐχρήσατο. Schol. Nem. IV, 53 Aristarchi verba: ὁ νόμος οὖν τοῦ ἐγκωμίου φησὶ (nempe Pindarus) κωλύει με μακραῖς παρεκβάσεσι χρῆσθαι. Schol. Nem. IV, 60, § 2 σφόδρα γὰρ τῶν πολεμούντων ἡμᾶς ἀντιδιδασκάλων καὶ ἀντιτέχνων φανησόμεθα καταβαίνοντες καὶ διαδεύοντες λαμπρῶς ἐὰν μὴ παρεκβαίνωμεν. δοκεῖ δὲ ταῦτα τείνειν εἰς Σιμωνίδην, ἐπεὶ ἐκεῖνος παρεκβάσεσι χρῆσθαι εἴωθεν. Quibuscum cfr. § 1 et § 3. Schol. Nem. VII, 1 (ex Aristarchi sententia quemadmodum infra docebimus) παρὸ καὶ εἰς τοὺς ὑπὲρ Νεοπτολέμου τοῦ Ἀχιλλέως τὸν ποιητὴν παρεκβῆναι λόγους. Schol. Nem. VII, 56 παρεκβαίνει δὲ εἰς τὰ Νεοπτολέμου ὡς μὲν Ἀρίσταρχος . . . . et deinde Aristodemus διὸ τῇ ἡρωϊκῇ κέχρηται παρεκβάσει. Schol. Nem. VIII, 32 ἐπειδὴ τοῦ Κινύρου ἐν ὑποδείγματι τῶν

1) In Philol. XIV, p. 61 sq. — 2) Qui me arbitro hoc loco certe non stoicus ille celeberrimus est, ad quem Boeckh omnia quae his scholiis ut ex Chrysippi sententia disputata exhibentur relegat, sed Aristarcho aetate minor, Didymo autem superior fuit. Cfr. etiam La Rochium in libro qui inscribitur 'Die Homerische Textkritik im Alterthum' p. 117 not. 202.

διὰ θεὸν τὸν πλοῦτον ὀνησιφόρον ποιουμένων παρείληφεν, ἐπιλαμβάνεται ἑαυτοῦ ὁ Πίνδαρος, ἵνα μὴ παρεκβῇ πλείονα εἰς τὸν περὶ Κινύρα λόγον λέγων καὶ μεταφέρων ἀπὸ τῶν πεντάθλων φησίν· ἵσταμαι πρὶν παλαῖσαι, εἰ τύχοι τὸ πνεῦμα συλλεγόμενος.

Neque hoc loco qua re ductus Pindarus Chromium cum Hercule comparaverit enucleaverunt. Aristarchi[1]), Chaeridis, Chrysippi opiniones procul habendae sunt. Solus Didymus, et ipse quidem falsus, vero aliquantum propius accedit. Mihi enim unice Dissenii ratio a Leutschio et ex parte a Mezgero emendata probatur. Nam poeta, cum Chromii virtutes hospitales, prudentiam in rebus gerendis, fidelitatem erga amicos et maxime quot incommoda et molestias perpessus sit, quanta pericula exhauserit et quam praeclara facinora peregerit secum reputet, ad Herculis exemplum abripitur. Haec igitur vult: Ut Hercules admodum puer summum fortitudinis testimonium edidit cum serpentes a Iunone missas strangularet, sic etiam Chromius adulescentulus (*ἐν ἁλικίᾳ πρώτᾳ* Nem. IX, 42) in pugna apud Helorum commissa eximiae virtutis praemia reportavit. Iam quemadmodum Hercules summo honore dignus habitus est, cum in deorum numerum reciperetur Hebenque in matrimonium duceret, ita Chromius quoque futuri temporis auspicia faustissima habet, quandoquidem *ἡρωϊκῶν τιμῶν* particeps fiet et post mortem in beatorum insulis commorabitur.

43.

Nem. II, 9 *Ὀφείλει δέ τι πατρίαν*] *ὀφειλόμενον καὶ πρέπον ἐστὶ, τὸν Τιμονόου παῖδα· οὕτω τὸ ὑπέρβατον δεῖ νοηθῆναι. Ἀρίσταρχος δέ· οὐκ ἐπὶ τοῦ ἀνδρὸς τὸ Ὀφείλει, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ πράγματός φησιν* (scil. Pindarus), *ὡς ἄν τις εἴποι* (sic Bergk, vulgo *εἴπῃ*)· *ὀφειλόμενον δ' ἔτι* (sic Mommsen pro *δέ τι*) *ἐστίν.*

1) De ea re quod Pindarus ex grammatici celeberrimi sententia semper *τοὺς φύσει μᾶλλον τῶν ἐκ διδαχῆς περιγινομένων* laudat cfr. exempli gratia Ol. II, 154 *σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδώς*] *ὁ λόγος γνωμικός· καί φησι, σοφός ἐστιν ὁ πλεῖστα ἐπιστάμενος ἐκ φύσεως, ὁ φύσει πρός τι ἔχων. τῶν γὰρ μανθανόντων οἱ ἐκ φύσεως ἔμπειροι βελτίους· ἐπειδὴ καὶ πρεσβυτέρα τῶν μαθημάτων ἡ φύσις.* Nem. III, 75, § 2 med. *διαπαντὸς δὲ ὁ Πίνδαρος μᾶλλον τὰ ἐκ φύσεως ἀγαθὰ τῶν ἐκ διδασκαλίας παραγινομένων προκρίνει.* Nem. VII, 1 *ἄλλοι δὲ ἔφασαν, ὅτι τοὺς ἐκ φύσεως ἀγαθοὺς ἐπαινεῖ πάντοτε ὁ Πίνδαρος μᾶλλον τῶν ἐκ διδασκαλίας* quae hic ab Aristarcho aliena sunt; fortasse alicuius ex eius discipulis sunt verba.

οὕτω γὰρ τὰ ἑπόμενα συναρμοσθήσεται, ὅταν λέγηται· Πυθίοισί τε νικᾶν Τιμονόου παῖδα. οὐ γὰρ εἴρηκε παῖς.

Aristarchus igitur ὀφείλει verbum tanquam impersonale accepit et sic locum intellegi iussit: 'Oportet Timonoi filium etiam Pythiis atque Isthmiis vincere'. Qua in re acquiescendum esse puto licet ea constructio similibus exemplis probari non possit. Neque enim qui aut coniecturis loco subvenire voluerunt ut Hermann et Hartung aut qui aliter explicaverunt ut Rauchenstein[1]) et de Leutsch[2]) quidquam evicerunt. Iam ante Aristarchum ὀφείλει verbum aliter intellectum esse ex scholio concludas. Bergk in ed. 2 et 3 e schol. v. 16 init. veteres nonnullos ἀσυνδέτως scripsisse *νικᾶν. Τιμονόου παῖδ' ἐστὶν ἐοικός* opinatus est. Quod si vere coniecisset eos lectioni Antearistarcheae opitulari facile arbitreris, sed recte Bergk ipse in ed. 4 sententiam abiecit. Is enim scholiasta — unum esse propter Hartungium moneo, qui eo scholio omnino abutitur — haud aliter construxit atque Aristarchus. Postremo loco moneam etsi in scholiis omnia diserta vestigia exstincta sint, tamen fortasse propter verba *οὕτω γὰρ τὰ ἑπόμενα συναρμοσθήσεται* Aristarchum primum recte perspexisse post *νικᾶν* non interpungendum esse.

44.

Nem. II, 16, § 1 sub fin. *Ἀρίσταρχος δέ· ἐν τούτοις μὲν ταῖς Πλειάσι φησὶ* (scil. Pindarus) *τὸν Ὠρίωνα ἐπέχειν, ἐν ἄλλοις δὲ τὴν Πλειάδα φησὶν αὐτὸν διώκειν, ὑποτιθέμενος τὸ σύστημα τῶν Πλειάδων ἓν ζώδιον.*

Secundum Mommsenium[3]) Aristarchus Pindarum hoc loco Orionem Pleiadum sectatorem fingere dicit, cum alio loco rem inverterit. Mihi vero Aristarchi adnotatio ad hunc versum id videtur spectare ut Pindaro id caeli signum tum Pleiadae plurali numero tum Pleias singulari numero vocetur. Ea conditione *αὐτόν* pronomen subiectum, non obiectum est. Quam explicationem tuentur haec eiusdem scholii verba: *καὶ ὁτὲ μὲν Πλειάδας καλεῖ πληθυντικῶς, ὁτὲ δὲ Πληϊόνην ὡς μίαν. Τρεχέτω δὲ μετὰ Πληϊόναν, ἅμα δὲ αὐτῷ κύων* (in Boeckhii fragmentis 53, in Bergkii 74). *δοκεῖ γὰρ κατ' αὐτὸν τὸν Πίνδαρον ἐρασθῆναι αὐτῆς ὁ Ὠρίων, καὶ διώκειν αὐτὴν ἐπὶ πολλοῖς χρόνοις· ὑπομνήματα δὲ τούτων ὁ Ζεὺς κατηστέρισε.* Etenim huius dithyrambi verborum Aristarchum rationem habuisse elucet. Et M. 675, 36 a

1) In Philol XIII, p. 249. — 2) In additamentorum spec. I, p. 8. — 3) Praef. ad schol. Germani p. IX.

Boeckhio et Bergkio citatus qui pari modo huc respicit rem prorsus similiter enarrat. Nec vero magis cum Mommsenio[1]) ex Aristarchi verbis utrum *Ὠαρίωνα νεῖσθαι* an *Ὠαρίων' ἀνεῖσθαι* legerit enucleare audeo. Nam cum *ἐπέχειν* voce utraque lectio bene conciliari potest. Mihi tamen videtur poeta scripsisse *Ὠαρίων' ἀνεῖσθαι.*

45.

Nem. II, 19 *Καὶ μὰν ἁ Σαλαμίς γε θρέψαι*] *ζητεῖται διατί δήποτε τὰ περὶ Σαλαμῖνα εἰς τοὺς περὶ Τιμόδημον λόγους προσῆκται· οὐ γὰρ δήπου Σαλαμίνιος ἦν· ἄντικρυς γὰρ αὐτὸν Ἀχαρνέα φησὶ τὸν δῆμον. Ἀρίσταρχος μὲν οὖν τῆς Αἰαντίδος φυλῆς εἶναι, οὐκ ὀρθῶς δέ φησιν· οἱ γὰρ Ἀχαρνεῖς τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς εἰσιν. οἱ δὲ περὶ Ἀσκληπιάδην φασίν, ὅτι εἰκός ἐστιν αὐτὸν εἶναι τῶν τὴν Σαλαμῖνα κατακληρουχησάντων Ἀθηναίων· εἰκὸς οὖν αὐτὸν γεννηθέντα Ἀθήνησι τεθράφθαι ἐν Σαλαμῖνι. Δίδυμος δέ φησιν, ὅτι ἴσως ἄμεινον λέγειν, ὅτι εἰς Αἴαντα ἀνέφερε τὸ γένος, ὥσπερ καὶ Μιλτιάδης καὶ Κίμων καὶ Ἀλκιβιάδης* (pro *καὶ Ἀλκιβιάδης* M. Schmidt[2]) aut *οἱ Λακκιάδαι* scribere aut eorum loco lacunam indicare vult) *καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ὁ Ὀλόρου.*

Videmus igitur hoc quoque loco[3]) Alexandrinos investigare cur poeta fabulam memoraverit. Non prosperius autem quam in carmine antecedente res eis evasit. Nam Aristarchus a Didymo recte refutatur. Sed ne Didymi quidem sententiam arripere licet, unus Asclepiades a vero haud multum abfuit. Videtur enim Timodemus Acharnensium pago ascriptus in insula Salamine natus et educatus esse (*θρέψαι* v. 13). Sic a poeta ex parte ut Salaminius ex parte ut Acharnensis celébrari potuit.

46.

Nem. III, 1 *ἐζήτηται δέ, πῶς ἐπικαλεῖται τὴν Μοῦσαν ἐλθεῖν εἰς τὴν Αἴγιναν ὑπὲρ τοῦ τὸν ὕμνον ᾀσθῆναι, καὶ ἅμα τοὺς νεανίσκους φησὶ μένειν, δι' οὓς αὐτὴν ἐπικαλεῖται, οὐκ ἐν Αἰγίνῃ ἀλλ' ἐν Νεμέᾳ· ὁ γὰρ Ἀσωπὸς οὐκ ἐν Αἰγίνῃ, ἀλλὰ περὶ Φλιοῦντά ἐστι καὶ Νεμέαν. ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχός φησιν, ἤτοι τὸν χορὸν ὑπὸ τῆς νίκης τὸ ἱερὸν* (lege *τὸν καιρὸν*) *αὐτο-*

1) L. c. Sed in ed. et ipse *ἐπέχειν* vocem ambiguam esse concessit. — 2) In libro qui inscriptus est Didymus p. 331. — 3) Cfr. quae ad Nem. I, 49 exposuimus.

σχέδιόν τινα ἐπίνικον ᾄσαι, ἢ τὸν Ἀρχιλόχου Καλλίνικον, οὗ καὶ τὸν Πίνδαρον μνημονεύειν διὰ τούτων (Ol. IX, 1)· Τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος φωνᾶεν, καὶ τὰ ἑξῆς. μεταβάντος οὖν τοῦ χοροῦ εἰς τὴν Αἴγιναν καὶ μέλλοντος ᾄσειν τὸν ὑπὸ τοῦ Πινδάρου πεποιημένον εἰκότως φάναι· Ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονες κώμων νεανίαι· ὥσθ' ὃ βούλεται εἰπεῖν, τοιοῦτόν ἐστιν· οἱ γὰρ ἐπὶ τῷ Ἀσωπῷ τὸν αὐτοσχέδιον ὕμνον τεκτηνάμενοι χοροὶ ἀναμένουσί σε ἐν τῇ Αἰγίνῃ ᾀσόμενοι τὸν ὑπὸ Πινδάρου ποιηθέντα ἐπίνικον. ὁ δὲ Δίδυμος διηπατῆσθαί φησι τοὺς ὑπομνηματισαμένους τῇ ὁμωνυμίᾳ τῶν ποταμῶν· οἱ γὰρ Ἀσωποὶ πλείους, ὧν ἕνα φασὶν (Boeckh bene conicit φησὶν) εἶναι καὶ τὸν ἐν Αἰγίνῃ· ὁ δὲ Καλλίστρατος Ἀσωπίδα ἐν Αἰγίνῃ.

Aristarchus et eius sectatores (οἱ ὑπομνηματισάμενοι) eis quae in hos Pindari versus commentati sunt in magno errore versantur. Nam post Caroli Muelleri disputationem[1]) re vera Aeginae fuisse fontem Asopida sive potius Asopum ut Didymus vult sumere licet. Quam rem, cum non agnoscerent, verba

ὕδατι γὰρ
μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονες
κώμων νεανίαι, σέθεν ὄπα μαιόμενοι

per hyperbatum non ferendum explicare coacti erant. Nam sensus est: 'Exspectant te ad Asopum rivulum choreutae, tuam vocem requirentes'. Praeterea etiam Aristarchum et qui eum secuti sunt fugisse carmen multos annos post victoriam adeptam a poeta pactum esse ex hoc scholio cernitur.

47.

Nem. III, 16 Ἄρχε δ' οὐρανῷ] Αἰολικῶς ἀντὶ τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος Οὐρανοῦ θυγατέρα τὴν Μοῦσαν δέδεκται, καθάπερ Μίμνερμος καὶ Ἀλκμὰν ἱστοροῦσιν· ὁ δὲ Ἀμμώνιος προστίθησιν, ὅτι διὰ τοῦτο κρέοντα κέκληκε τὸν Οὐρανόν, ὅτι πρὶν Κρόνου βασιλεῦσαι οὗτος ἐβασίλευσεν. §. ἤλλακται δὲ ἡ πτῶσις, ἀντὶ τοῦ τοῦ πολυνεφέλου Οὐρανοῦ θύγατερ. βέλτιον δέ φησιν ὁ Δίδυμος (sic Heyne, vulgo Πίνδαρος) ἀκούειν τὸ ὅλον οὕτω· τοῦ πολυνεφέλου κρέοντος οὐρανοῦ θύγατερ, τοῦ Διός. κρέων γὰρ οὐρανοῦ ὁ Ζεύς, Διὸς δὲ Μοῦσαι.

1) In libro qui inscribitur Aegineticorum liber p. 6 et p. 10 sq.

Hoc igitur scholio duae sibi obstant rationes, altera Aristarchi et Ammonii, qui *ἄρχε δ' Οὐρανῷ πολυνεφέλᾳ κρέοντι θύγατερ* scripserunt, Pindarum ut Mimnermum et Alcmanem Musas pro Urani filiabus habere rati, altera Didymi qui aeolicam genetivi formam *οὐρανῶ* vulgare satius duxit et cum Musam Iovis filiam non Urani putaret, interpretatus est 'filia nubilosi domini caeli'. Ad Dìdymi sententiam spectant igitur etiam verba *Αἰολικῶς ἀντὶ τοῦ οὐρανοῦ.*[1])

Aristarchi explicationem procul habebimus quoniam non Uranus sed Iupiter ut Nemeorum patronus et Aeginetarum patrius deus celebrandus est. Iam Pindaro, id quod ex hymnorum fragmento, in Boeckhii fragmentorum collectione 7, in Bergkii 31 concludas, Iovis filiae sunt Musae. Accedit quod Bergk an non Graeci simpliciter *Διῒ θυγάτηρ* pro *Διὸς θυγάτηρ* dixerint iure in dubitationem vocat. Quae res etiam Didymi scripturae fundamentum subducit. Ac mihi quidem videtur Bergk primus rectam viam ingressus esse, cum in ed. 2 tentaret *ἄρχε δ' οὐρανοῖο πολυφίλα κρέοντι θύγατερ.* Emendationem, quam deinde in ed. 4 foras emisit scilicet *ἄρχε δ' Οὐρανοῖ, πολυνεφέλᾳ κρέοντι θύγατερ* libentius etiam amplecterer quandoquidem ad codicum scripturam propius etiam accedit et eodem spectat atque prior correctio, sed vellem eam Musam etiam alibi *Οὐρανώ* audire probari posse.

48.

Nem. III, 129 *Ἐλᾷ δὲ καὶ τέσσαρας ἀρετάς*] *Ἀρίσταρχος τρεῖς μὲν τὰς καθ' ἡλικίαν ἃς* (Hartung et de Leutsch recte *ἀρετὰς*) *προεξηρίθμηται, τὸ ἐν παισὶν εἶναι παῖδα, καὶ τὸ ἐν ἀνδράσιν ἄνδρα καὶ τὸ ἐν παλαιοτέροις παλαιότερον. καὶ τετάρτην δέ φησιν ἐλᾶν* (Hartung male *φέρειν* cfr. Leutschium in additam. spec. II, p. 9) *ἀρετὴν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον. τετάρτη οὖν ἐστιν ἀρετὴ αὕτη πρὸς αἷς εἴρηκεν, ὡς δεῖ περὶ τοῦ παρόντος φροντίζειν καὶ μὴ περὶ τῶν ἐσομένων πάντων, ἀλλὰ πρὸς τὸ παρὸν δύνασθαι ἁρμόζεσθαι.*

Recte Aristarchus generalem loci sententiam exposuit. Ac merito iam Erasmus Schmidt cum pro eo quod magnus codicum

1) Itaque apparet paragraphi signum ante *ἤλλακται* vocem a me post Boeckhium indicatum restinguendum esse. Nam ex Aristarchi et Ammonii sententia verba *πολυνεφέλου Οὐρανοῦ* coniuncta sunt et *Οὐρανῷ* pro *Οὐρανοῦ* dictum est et demum a verbis *βέλτιον δέ φησιν κτἕ* nova sententia, Didymi ut videtur incipit. Cuius nomen si recte restituimus, omnia quae apposuimus ex eius commentario petita esse colligas.

numerus praebet *μακρὸς αἰών* in textu suo habuisse *θνατὸς αἰών* iudicavit.[1]) Qua in re maxima recentiorum criticorum pars eum secuta est. Sed vulgata, quam iam Aristarchum ut hodie exstat novisse coniectura assequaris, non ab omnibus partibus sana mihi videtur. Me enim iudice cum Bergkio scribendum est:

ἐν παισὶ νέοισι παῖς, ἐν ἀνδράσιν ἀνήρ, τρίτος
ἐν παλαιτέροισι· μέρος ἕκαστος οἷον ἔχομεν
βρότεον ἔθνος· ἐλᾷ δὲ καὶ τέσσαρας ἀρετάς
ὁ θνατὸς αἰών, φρονεῖν δ' ἐνέπει τὸ παρκείμενον·
τῶν οὐκ ἄπεσσι.

Subiectum enim ad prima verba *τίς* pronomen v. 71 est.

49.

Nem. IV, 3 *Αἱ δὲ σοφαὶ Μοισᾶν θυγατέρες*] *αἱ δὲ σοφαὶ θυγατέρες τῶν Μουσῶν, ᾠδαὶ καὶ ἔπαινοι ἁπτόμενοι αὐτῶν τῶν πόνων, οἳ διὰ τοῦ θαυμάζειν ἡδονῆς πληροῦσι καὶ εὐφροσύνης, ἔθελξάν νιν. τὸ νὶν Ἀρίσταρχος ἐπὶ τῆς εὐφροσύνης ἀκούει, ὥστε εἶναι τὸν λόγον· αἱ δὲ τῶν Μουσῶν θυγατέρες αἱ ᾠδαί, τουτέστι τὰ ποιήματα, ἁπτόμεναι αὐτὴν τὴν εὐφροσύνην ἔθελξαν τὴν τοῦ ἀνθρώπου, ὅταν ἐγκωμιάζηται· ἔστι δὲ ἄκυρον· οὐ γὰρ θέλγεται εὐφροσύνη, αὐτὴ θέλγουσα τοὺς νενικηκότας, οὐχ ὑπ' ἄλλου θελγομένη. ἄμεινον δέ, φησὶν ὁ Δίδυμος, ἐπὶ τῶν πόνων ἀκούειν τὴν νίν· οἱ γὰρ μεθ' Ὅμηρον οὐκ ἀκριβεύουσι τὴν ἀντωνυμίαν. ὡς καὶ Εὐριπίδης* (Bacch. 32)·

Τοιγάρ νιν αὐτὰς ἐκ δόμων οἴστρησ' ἐγώ.

ὥστε τὸν λόγον εἶναι τοῦτον· αἱ ᾠδαὶ ἔθελξαν αὐτοὺς τοὺς πόνους, ἁπτόμεναι αὐτῶν· οἷον θέλγουσι τὴν κακοπάθειαν ὑμνοῦσαι αἱ ᾠδαί.

Iure iam Didymus Aristarchi explicationem aspernatur. Nam quidquid Hartung argutatur qui nuper ut etiam L. Schmidt et Mommsen ad Aristarchum se applicaverunt, Pindarus 'Carmina deliniunt hilaritatem eius qui vehementer enixus victoriam reportavit' dixisse nequit. Nec vero Didymi interpretatio placet, cum ne labores quidem deleniri dici possint. Quae cum Boeckh et Dissen sentirent, *τὸν νικῶντα*, victorem, suppleverunt ad quem *νίν* pronomen spectet. Contra Mezger Anthol. Gr. IX, 544, 4 *τοῖσιν*

1) Quo iure Hartung ex verbis *τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον* Aristarchum *μακρὸς αἰών* legisse elucere censeat equidem non intellego. Nec minus falsus est cum Aristarchum a suae emendationis partibus stare asserit.

θέλγω ἀνηνεμίην in auxilium vocavit et sensum esse voluit: 'Die Lieder zaubern ihn (den Frohsinn) hervor, wenn sie sich ans Werk machen'. Neuter autem ferendus est. Nam praeterquam quod apud utrumque *ἁπτόμεναι* vox aliqua ex parte claudicat, exemplum a Mezgero allatum a Pindari loco aliqua ex parte abhorret neque ullo pacto cum Boeckhio et Dissenio ad verbum subaudiendum et plane omissum *νίν* referre licet. Iam nihil aliud relinquitur nisi ut ad emendationem confugiamus. Atque equidem cum Bergkio et Leutschio lego *συναντόμεναι*.

50.

Nem. IV, 53 *Τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθμός*] *Ἀρίσταρχος· εἰς νουμηνίαν ἐπιοῦσαν ὑποκείμενόν ἐστιν αὐτῷ ἀποδοῦναι τὸν ἐπίνικον· πάντα γάρ, φησί, τὰ περὶ τὸν Ἡρακλέα καὶ Ἀλκυονέα μακρῶς διελθεῖν κωλύομαι. ποῖος δὲ τεθμός; ὁ νόμος τοῦ ἐγκωμίου. ὁ νόμος οὖν τοῦ ἐγκωμίου, φησί, κωλύει με μακραῖς παρεκβάσεσι χρῆσθαι. ὁ δὲ Ἀμμώνιος ὡμολογηκέναι φησὶ τὸν Πίνδαρον ἐν χρόνῳ τινὶ ἀποδώσειν τὸν ἐπινίκιον· ὁ νόμος οὖν οὗτος, ὃν διεστησάμεθα ἐγώ τε καὶ οἱ τοῦ ἀθλητοῦ περὶ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἀποδώσω, κωλύει με μακρὰ γράφειν· οὐ γὰρ φθάσω. διὸ ἐποίσει· Ὧραί τ' ἐπειγόμεναι, τουτέστιν ἐπείγουσί με αἱ Ὧραι.*

Aristarchus igitur mandatum ait Pindaro est, ut usque ad proximum novilunium carmen perficeret. Qua de causa, cum brevissimum temporis spatium ei relinquatur, quominus fabulas amplius tractet cohibetur. Non vero solum temporis exiguitas, sed etiam iusta carminum condendorum ratio, ne nimius in enarrandis fabulis sit postulat. Ammonius autem ea ratione a magistro recedit quod *τεθμός* vocem de pacto et convento a Timasarchi propinquis cum Pindaro constituto accipit secundum quod poetae carmen ad diem dictam absolvendum sit. Sic *τεθμός* et *ὧραί τ' ἐπειγόμεναι* eodem fere pertinent, id quod etiam in fine additum est. Sed ea vis quam Ammonius vult a *τεθμός* voce abhorret, contra Aristarchus recte explanavit, quamquam cum Heynio et Dissenio poetam hic etiam id, ut et domestica praeferat peregrinis et ubi plures heroes canendi sint ne unius solum factis operam det, respicere malim. Iam videamus num Aristarchus etiam verba *ἴυγγι δ' ἕλκομαι ἦτορ νεομηνίᾳ θιγέμεν* bene expediverit. Quod quin negemus fieri non potest. Nam haud dubie verba *νεομηνίᾳ θιγέμεν* non significant 'usque ad novilunium perficere'. Conicias verba *ὧραί τ' ἐπειγόμεναι* eum in sententiam eam abduxisse. At

ne ea quidem ut puto ad breve temporis spatium ei etiamtum concessum spectant, sed id sibi volunt poetae praeter Herculis facinora multa alia in eo carmine esse celebranda. Secundum Boeckhium Kayserum Mommsenium dicit poeta sibi in carmine conficiendo non licere ulterius evagari; summo enim se desiderio et quasi magicis incantamentis teneri, ut solemnia epinicia attingat. Itaque quamvis iam insit in medio mari, hoc est in digressione, tamen maris insidiis, hoc est digressionis poetam abripientis illecebris esse renitendum. Quam rationem falsam esse Rauchenstein[1]) evicit. Cave vero ne Dissenii sententiae quam ibi vir doctus commendat adstipuleris. Etenim poeta non ut prope instante novilunio Herculis fata fusius celebret iynge ducitur, sed ut nunc in eius laudibus pergat animo incitatur. Iure autem Heynium Dissenium alios *τῶν μακρῶν* ad *θιγέμεν* supplere non concedo, si quidem me iudice *νεομηνίᾳ* vocem a *θιγέμεν* suspensam esse apparet. Quae cum ita sint Hartung qui Dissenium satis calumniose castigat et Bergk rectam viam mihi videntur ingressi esse, cum in *νεομηνίᾳ* corruptelam latere censeant. Non autem satisfacit quod tentaverunt neque equidem meliora in promptu habeo. Id tantum dicere licet tale aliquid verbum restituendum esse quo praeclarum Herculis facinus contineatur.

51.

Nem. IV, 151 *Οἷον αἰνέων κε Μελησίαν*] ὁ *Ἀρίσταρχος ψιλοῖ τὸ οἷον. ὁ δὲ λόγος· μόνον ἄν τις ἐπαινῶν τὸν Μελησίαν τὰς ἀναντωμένας* (?) *ἔριδας παρὰ τῶν ἄλλων στρέφοι καὶ καταπαλαίοι καὶ καταγωνίζοιτο. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν παλαιόντων. δύναται δὲ καὶ δασέως ἀναγινώσκεσθαι τὸ οἷον, θαυμαστικῶς, ὥς φησι Δίδυμος. ἐλλείπει δὲ τὸ τίς· οἷόν τις τοῦτον τὸν Μελησίαν ἐπαινῶν τὰς τῶν ἄλλων ἔριδας καταπαλαίοι· οἷον, καὶ περιγίνοιτο. διαπρέπει γάρ, ὥστε τοὺς φθονοῦντας μηδὲν ἀνύειν.*

Aristarchus igitur *οἶον* legit, Didymus autem *οἷον*, quod *θαυμαστικῶς* cepit. Ex Aristarchi ratione sensus est: 'Quae quis ipse viderit, ea se optime canturum esse confidit. Melesiae autem virtus tanta est, ut in eius solius laudibus celebrandis poeta adversariorum reprehensiones et calumnias prosternat'. Quae explicatio cum librorum scriptura conciliari nequit, cum tale asyndeton intolerabile sit. Exspectes sic *οἶον δ' αἰνέων* quod fortasse paraphrasta qui Aristarchum sequitur, agnoscit. Porrigit enim haec:

1) In Philol. XIII, p. 264 sq.

ὁ δὲ νοῦς· μόνον δὲ ἄν τις αἰνέων καὶ ὑμνῶν τὸν Μελησίαν τὸν ἀλείπτην τοῦ Τιμασάρχου τὴν ἔριδα καὶ τὴν φιλονεικίαν ἀποστρέψαι, τὴν παρὰ τῶν ἄλλων δηδαδή. At nihil videtur mutandum esse, legendum est cum Didymo *οἷον*, quod tamen si me audis melius accipitur significatione 'quemadmodum'.[1]) Iam et Aristarchus et Didymus ex prioribus ad hunc versum subaudiunt *τίς*. Quod non minus improbo. Nam v. 93—96 ita comparati sunt, ut ei qui Melesiam canat contra obtrectatorum insidias contendendum esse colligas. Quae nulla ratione aptius dicta esse possunt ac si Pindarus de se ipso faciat verba. Poeta autem tectius de se loquitur, ut Melesiae virtutès eo altius tollat. Nam procul dubio maior est ea laus in quam quin concinat nemo facere non potest quam quae ab uno tantum praedicatur.

Ceterum Aristarchus et Didymus *ἔριδας* pro *ἔριδα* in textu habuerunt, quae lectio in nullo superstitum codicum servatur.

52.

Nem. VI, 21 *ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οὐκ ἐπὶ τῷ διαλιπεῖν τὸν πατέρα παραβεβλῆσθαί φησι τῇ γῇ τὸ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ δι' αὐτὸν τὸν Ἀλκιμίδαν, ὃν πρότερον μὲν ὄντα παῖδα νικῆσαι, διαλιπόντα δὲ χρόνον νῦν πάλιν νενικηκέναι.*

Ex hoc scholio si non evincas attamen concludas iam ante Aristarchum viguisse eam interpretationem qua Alcimidae gens alterna vice certaminum victorias adepta cum arvis quae modo fructus ferant, modo vires recolligant, comparetur. Eo magis autem mireris quod grammaticus ille celeberrimus eam explicationem spreverit. Nam vera carminis initii explanatio est ea: 'Deorum et hominum gens plane diversae sunt. Attamen aliqua ex parte mortales cum aut praeclara mente aut praeclaro corpore excellunt ad deos accedunt, quamvis quam brevi fortasse via letis nobis calcanda sit nesciamus. Atque declarat etiam Alcimidae stirps[2]) eximiam

1) Cfr. Heimsoethium l. c. p. 52 sq. — 2) Lego enim cum Hartungio Rauchensteinio Bergkio *Ἀλκιμίδα τὸ συγγενές*, quam scripturam non debebant L. Schmidt, Mommsen, Mezger reprobare. Etenim ut Hermanni Boeckhii Dissenii explicationem nimis artificiosam praetermittamus, L. Schmidtio obstat quod ex eius sententia *ἰδεῖν* potius ab *Ἀλκιμίδας* voce pendeat, non a verbis *τὸ συγγενές*. Iam Mezger illepide vertit: 'Und jetzt giebt Alkimidas eine Andeutung zu erkennen, die angeborene Natur als nahestehend den fruchttragenden Aeckern = er zeigt, dass es mit der den Menschen angeborenen Natur eine ähnliche Bewandtniss hat wie mit den Aeckern'. At demonstrat non solus Alcimidas, sed tota eius gens. Neque de hominum natura in universum sed de Bassidarum gente haec dicta sunt.

speciem ad deos appropinquantem cum similiter atque arva tum fructus copiosos praebentia tum ut vires colligant quiescentia Alcimidas nunc victor prodeat post avum Praxidamantem Olympiae coronatum'. Aristarchus autem quandoquidem non solum a veteribus nihil de altera Alcimidae victoria huic antecedente refertur, sed ne poeta quidem memorat, perperam intellectis v. 13 sq. in errorem ablegatum esse suspicio subnascitur. Cepit enim ea verba fortasse hunc in modum 'Evasit (antea) puer victor certaminis Nemeaei, qui nunc (*νῦν*) luctando victoriam reportavit'. Eis verbis tamen aperte de una tantum victoria, nempe de hac quam poeta extollit agitur.

53.

Nem. VII, 47 *Τεθνακότων βοαθόων*] *πρὸς τὸ ἓν ἀκουστέον ἄχρι τοῦ Ἐπεὶ πράθε, καὶ γραπτέον ἐν τῷ ε ἔμολεν, ὡς Δίδυμος [καὶ ὑφ' ἓν ἀπὸ τοῦ Τεθνακότων ἕως τοῦ Πράθεν ἀναγινώσκει]*[1]*· τὸ δὲ ὅλον τοιοῦτον· ἔμολε παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου χθονὸς Νεοπτόλεμος, Πριάμου πόλιν ἐπεὶ πράθεν· τεθνηκότων δὴ τῶν βοηθῶν ἐν Πυθίοις δαπέδοις κεῖται. ποίων δὲ βοηθῶν; τῶν περὶ τὸν Εὐρύπυλον, οὓς αὐτὸς ὁ Νεοπτόλεμος ἀνελὼν ἐπόρθησε τὴν Ἴλιον. οὕτω γὰρ ἴδιος ὁ πόνος ἔσται τοῦ ἥρωος. δοκεῖ δὲ ὁ Νεοπτόλεμος ἐν Δελφοῖς ἀνῃρῆσθαι καὶ τεθεῖσθαι ἐν τῷ ναῷ. ἐὰν δὲ ἐπὶ τῶν περὶ τὸν Ἕκτορα, καθὼς Ἀρίσταρχός φησιν, ἀναδράμωμεν, πρῶτον μὲν μακρόθεν ἔσται τὴν πόρθησιν συνάπτων, δεύτερον δὲ ἐπὶ τὴν κοινότητα μεταβήσομεν, δι' ἧς τὸ ἐγκώμιον οὐκ ἔσται. εἰ δὲ γράφεται ἔμολον, τῷ πληθυντικῷ ἀντὶ ἑνικοῦ χρᾶται, ὥστε ὅμοιον εἶναι τῷ· Ὁ δ' ἀποπλέων Σκύρου μὲν ἅμαρτεν, ἵκοντο δ' εἰς Ἐφύραν, ἀντὶ τοῦ ἵκετο. εἰς δὲ τὸ προκείμενον τείνων παρέθηκε τὴν τοῦ Νεοπτολέμου ἀπώλειαν, ὅτι ἀδοκήτως αὐτῷ συνέβη.*

Ex Aristarchi igitur ratione verbis *τεθνακότων βοαθόων* poeta *τοὺς περὶ τὸν Ἕκτορα* respicit. Cui sententiae secundum Didymum primum obstat, quod sic nimis longum temporis spatium usque ad Troiae excidium intercedat, deinde quod ea ratione non singularis Neoptolemi labor celebretur, quoniam *οἱ περὶ Ἕκτορα* eius manu non interempti sunt. Atque ipse Didymus Eurypylum cum suis significatum esse vult.[2]) At uterque prorsus re-

1) Quae verba repetunt quod initio dictum erat. — 2) Cfr. Od. λ, 516 sqq.

pudiandus est, nam nulla esse potest dubitatio, quin hic de talibus qui Delphos venerunt sermo sit. Iam vero de proximorum verborum scriptura agendum est. Didymus, cum *βοαθόων* vocis vim non intellexisset, etiam in sequentibus erravit. Vulgavit enim perperam *μόλεν* ad quod Neoptolemum subiectum esse voluit. Praeterea eius paraphrasis verba magnopere contorquet. De Aristarcho autem qui sine dubio et ipse lapsus est, nihil traditur. Iam codices *τοὶ γὰρ μέγαν* habent quae Hermann et Boeckh in *τοὶ παρὰ μέγαν* commutaverunt. Quam lectionem Alexandrinos novisse Bergk negat et veram scripturam sibi videtur reperisse cum corrigit *βοαθόων γὰρ παρὰ μ. ὀ. . . μόνος . . τὲ δαπέδοις*. Namque si *τοὶ* sive *τοι* in archetypis reperissent, eos neque *τεθνακότων βοαθόων* ad Troiae excidium relaturos fuisse neque pluralem numerum Didymum mutaturum fuisse. Equidem autem cum Boeckhio facere malo. Nam Aristarchus et Didymus de nullis aliis nisi de Troianis mihi videntur cogitasse, propterea quod qua conditione aliquis Apollini succurreret eis omnino non in mentem veniret. Quod usque ad hoc tempus meo iudicio nemo satis docuit. Nam neque reliqui heroes quos Delphi venerabantur neque ipsius Neoptolemi comites Apollini auxilium tulerunt, sed ut eum colerent ad eum venerunt. Qua de causa facere non possum, quin M. Schmidtii emendationi, quam in diatribe p. CXXXIX proposuit et idoneis argumentis commendavit plaudam. Constituit enim locum sic:

> *ὧν θεὸς ἁβρὸν αὔξει λόγον τεθνακότων.*
> *βοαθέων τις πατρὶ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου*
> *μόλεν χθονός· ἐν Πυθίοισι δὲ κτέ.*

'Honor contingit iis, quibus defunctis deus auget famam. Opem aliquis ferens patri ad magnum umbilicum terrae profectus est. In Pythiis vero campis iacet, Priami postquam urbem evertit, Neoptolemus'.

54—56.

Nem. VII, 56 *παρεκβαίνει δὲ* (scil. Pindarus) *εἰς τὰ Νεοπτολέμου, ὡς μὲν Ἀρίσταρχος, ὅτι νικήσας καὶ χαρισάμενος τὴν ἀνάῤῥησιν τῷ Σωγένει Νεοπτόλεμος ἦν Ἠπειρώτης τὸ γένος, ὅπερ οὐχ οὕτω φησὶν ἔχειν ὁ Δίδυμος· ὁ δὲ Ἀριστόδημος* (cuius nomen Boeckh probabiliter reposuit pro eo quod in cod. prostat *Ἀρίσταρχος*) *ὅτι ἀλείπτῃ ἐκέχρητο τῷ Νεοπτολέμῳ. διὸ εἰς ἔπαινον τοῦ ὀνόματος τῇ ἡρωϊκῇ κέχρηται παρεκβάσει.*

Cum hoc loco diserte secundum Aristarchum Pindarus Neoptolemi laudes ea de causa extulisse feratur quod non Sogenes sed Neoptolemus quidam Epirota vicerit, etiam haec ex schol. v. 1 ei assignanda esse patet *ζητεῖται διατί ἀπὸ τῆς Εἰλειθυίας εἰσβέβληκε, καὶ τί δήποτε τῇ Εἰλειθυίᾳ προσδιαλέγεται. ἔνιοι μὲν οὖν φασι νέον ὄντα τὸν Σωγένη ἑτέρου νικήσαντος αὐτὸν κατὰ χάριν ἀνηγγέλθαι τοῦ πατρὸς Θεαρίωνος εἰς τοῦτο φιλοτιμηθέντος, τὸν δὲ ἀγωνισάμενον Νεοπτόλεμον τοὔνομα Ἀχαιόν· παρὸ καὶ εἰς τοὺς ὑπὲρ Νεοπτολέμου τοῦ Ἀχιλλέως τὸν ποιητὴν παρεκβῆναι λόγους.* Praeterea vero Aristarchus in schol. v. 70 poetam in exponenda fabula etiam id ut se de Neoptolemo defenderet egisse tradit atque quomodo Pindarus defensionem instituerit accuratius describit. Exhibet enim id scholion haec de ea re: *Εἰώνυμον ἐς δίκαν]* *Ἀρίσταρχος οὕτως· ἐπεὶ μέμψις τοῖς Αἰγινήταις πρὸς τὸν ποιητὴν ἦν χάριν τοῦ Νεοπτολέμου, εἰς τὴν ἀπολογίαν τὴν περὶ Νεοπτόλεμον δικαίως διαρκέσει τρία ἔπεα, φησίν· ὅτι μόρσιμον ἦν αὐτῷ οὕτω τελευτῆσαι καὶ ὅτι πεπρωμένον ἦν ἕνα τῶν Αἰακιδῶν ἀποθανόντα τεθῆναι ἐν τῷ ναῷ, τρίτον ὅτι ταῖς ἡρωΐαις πομπαῖς ἕνα τῶν Αἰακιδῶν θεμίσκοπον εἶναι. τρεῖς οὖν φησι λόγους ἱκανοὺς εἶναι εἰς τὴν εὐώνυμον δίκην· οἷον ἱκανὰς εἶναι τρεῖς αἰτίας, ἃς ἐξαριθμεῖται, τοῦ δικαίως αὐτῷ συμβεβηκέναι τὸν θάνατον.* Posteriorem scholii partem schol. v. 62 omisso Aristarchi nomine ex alia recensione sic praebet: *τρεῖς δὲ αἰτίας ὑπὲρ τοῦ θανάτου τοῦ Νεοπτολέμου πορίζεται· πρῶτον μὲν, ὅτι τὸ πεπρωμένον αὐτῷ ἀπέδωκε· δεύτερον, ὅτι πρέπον ἦν τῶν Αἰακιδῶν τινα καὶ ὀφειλόμενον σύνοικον εἶναι τῷ Ἀπόλλωνι· ἐτάφη γὰρ ὑπὸ τὸν οὐδὸν τοῦ ἱεροῦ· ἡ δὲ τρίτη, ὅτι ἐπισκοπεῖ τὰς τελουμένας θυσίας τοῖς ἥρωσι.* Accuratius autem quam Aristarchus qua de re Pindarus se defendat Aristodemus in schol. v. 150 hunc in modum explicat: *οὐκ ἀτρόπως φησὶν* (scil. Pindarus) *οὐδ' ἀπεοικότως εἰς μνήμην ἐληλυθέναι Νεοπτολέμου. ὁ μὲν οὖν Καλλίστρατος ..... ὁ δὲ Ἀριστόδημος, ὅτι μεμφθεὶς ὑπὸ Αἰγινητῶν ἐπὶ τῷ δοκεῖν ἐν Παιᾶσιν εἰπεῖν τὸν Νεοπτόλεμον ἐπὶ ἱεροσυλίᾳ ἐληλυθέναι εἰς Δελφούς, νῦν ὥσπερ ἀπολογεῖται εἰπών, ὅτι οὐχ ἱεροσυλῶν ἐτελεύτησεν, ἀλλ' ὑπὲρ κρεῶν φιλοτιμηθεὶς ἀνῃρέθη.* Denique ex paeane quem hoc scholion commemorat schol. v. 94 hunc versum servavit: *Ἀμφιπόλοισι μαρνάμενον μοιριᾶν περὶ τιμᾶν ἀπολωλέναι.*

Multo vehementius quam Nem. I, 34 et Nem. II, 19 Aristarchus et pari modo discipulus eius Aristodemus hoc loco erraverunt, cum Pin-

dari artem in fabulis eligendis et victorum laudi applicandis non satis perspexissent. Nam aperte Aristarchus, id quod iam Didymus vidit, falsus est, cum non Sogenem sed Neoptolemum Epirotam re vera esse victorem contendit neque minus Aristodemus Neoptolemum Sogenis aliptam fuisse non certis testimoniis accepisse sed ex hoc ipso loco conclusisse videtur. An putamus fieri potuisse ut talibus causis Pindarus ut fabulam exponeret commoveretur? Recte autem, licet G. Hermann[1]) et Mommsen[2]) adversentur, Aristarchus et Aristodemus nobis referunt Pindarum in narranda hac fabula simul id sequi, ut se contra iniustas criminationes Aeginetarum opprobrantium eum iniquiora de Neoptolemo scripsisse defendat. Etenim tam disertae traditioni cum ex eo paeane versus a scholiastis servatus sit et cum v. 102—105 poeta ipse se Neoptolemum indecoris verbis lacerasse neget fides non deneganda est. Iam qua de causa tandem Pindarus hanc Neoptolemi fabulam memoraverit quaeritur. De qua re viri docti magnopere dissentiunt. Rauchenstein[3]) qui ad scholia recedens poetam ea solum de causa in hoc carmine de Neoptolemo egisse putat ut Aeginetarum criminationes iniustas refelleret, propterea quod Pindarus fabulas arcte ad victorum res et facta applicare solet, minus probandus videtur. Sed ne G. Hermanno, L. Schmidtio, Hartungio, Mommsenio, Ludwigio[4]) quidem adstipulari possum qui peculiari fere quisque modo qua ratione Neoptolemi fabula cum Thearionis vita cohaereat enucleare studuerunt. Recte sane G. Hermann et L. Schmidt versibus quibus de Thearione agitur consolationis aliquid inesse viderunt, sed errant cum poetam ibi ad cladem Thearionis in Pythiis certaminibus factam alludere censent. Nam parum apta esset haec comparatio quam L. Schmidt Pindaro obtrudit 'Ut Neoptolemus, tametsi gloria Ulixi impar est, magnis laudibus ab Apolline dignus habitus est, sic etiam Theario quamquam in Pythiis non vicit, tamen cum a me celebretur, latiorem famam adipiscitur.' Accedit quod Mezger celebrandae victoriae cardinem in prioris cladis mentione verti non posse recte monuit. Potius id quod Thearioni contra exspectationem evenerit nos ignorare concedendum erit. Sed ex v. 61—63, quibus Pindarus se Thearionem contra civium invidiam et reprehensionem defendere et sincerae virtutis laudibus exornare profitetur, exorsi, si etiam poetam propter suam de Neoptolemo narrationem

1) In commentatione de Sogenis Aeginetae victoria quinquertii Lipsiae 1822 p. 3. — 2) In versione. — 3) In Philol. XIII, p. 421 sqq. et in novo Museo Helvet. VI, p. 65 sqq. — 4) Quorum sententias Mezger castigavit.

in Aeginetarum reprehensionem incurrisse spectamus, qua de causa in hoc carmine Neoptolemus afferatur intellegemus. Poeta enim eum felicem esse praedicat, qui aeternarum laudum particeps fiat. Etiam Theario nunc a Pindaro celebratus immortalitatem adipiscitur. Poeta autem in Thearionis laudibus ab omni calumnia et maledicentia abstinens ad ipsam veritatem loquitur. Sic etiam Neoptolemi facta qui pari modo Apolline iuvante aeternam gloriam assecutus est, non minus quidquid ea in re ei opprobratur, ex vero canit.

Itaque poeta in carmine haec dicit: Sogenes, inquit, mihi hodie canendus est, oriundus ex Aeacidarum urbe certaminum et carminum studiosissima. Qui enim vicit, dignus est qui canatur, ne gloria eius oblivione obruatur. Nam una tantum ratione rerum praeclare gestarum speculum novimus: si Musa coronas nectit. Qua de causa sapientes cum et divites et pauperes morituros esse recordentur, non lucri cupiditate obcaecati victorias et poetarum laudes appetunt. Sed poetae virtutes ultra extollere licet, ut Ulixis mendaciis et calliditati Homeri arte claritas quaedam admista est. Ulixes enim tanta laude indignus est. Sed calliditate adeo hominum animos sibi conciliavit, ut iudices ei arma Achillis addicerent, Aiaci negarent, quamquam hic post Achillem Graecorum fortissimus erat. Ut vero Aias, sic etiam Neoptolemus inopinato mortuus est, quem tamen Apollo summis dignitatibus exornavit. Atque eius fata se vere narrare poeta affirmat. Nam μάρτυς ille οὐ ψεῦδις ex mea sententia Pindarus ipse est. Deinde abrumpit fabulam inde a v. 50, ne nimius in enarrando videatur et ad Thearionis laudem celebrandam accedit, quem satis magnam felicitatis copiam assecutum esse dicit. Postquam deinde v. 61—63 se procul abesse a maledicentia adversus Thearionem et se vere eum canere asseveravit, v. 64—69 calumnias in aliquem cumulare ut alienum a se abicit, sed sic, ut praesertim ad Neoptolemi fabulam respiciat. Nam Ἀχαιὸς ἀνήρ me iudice ut iam in scholiis exponitur, Epirota est qui Neoptolemi ut generis parentis gloriae ita faveat, ut nihil iniquum in eum dici patiatur. Atque similiter verba μέλος ψάγιον ad paeanem illum Delphicum spectant. Inde a v. 70 autem ad Sogenis laudem se convertit, sed antea tamen Neoptolemum iterum respiciens se lineam egressum esse[1]) cum linguam ut iaculum emitteret denuo infitiatur.[2])

1) Cfr. Bergkium in ed. 4. — 2) Quae postquam scripsi, venit mihi in manus libellus scholasticus Nicolaitanae Lipsiensis anni 1882 in quo C. Steffen de hoc carmine egit. Recte consolandi rationem etiam ille

Restat, ut singulares quosdam errores Aristarchi in eis quae supra protuli scholiis enotem. Pindarus minime, ut Aristarchus in schol. v. 1 voluit, quod Sogenes puer etiamtum fuerit, in carminis exordio Ilithyiam invocavit. Nec magis mihi probantur quae Aristodemus disputat: *ὀψέ ποτε τῷ Θεαρίωνι καὶ παρὰ τὴν ἡλικίαν προήκοντι εὐξαμένῳ τῇ θεῷ Σωγένη τεκνωθῆναι, καὶ τὴν τοῦ παιδὸς αὐτοῦ γέννησιν οἷον Εἰλειθυίας εἶναι χάριν. διὰ τὴν ἰδιότητα γοῦν τῆς γενέσεως τοῦ ἀθλητοῦ πρὸς τὴν θεὸν ταύτην ἐπήρεισε τὸν λόγον.* Esse potest, ut L. Schmidt carmen eo consilio conditum esse, ut festo aliquo die a familiaribus Sogenis celebrato caneretur, fortasse eo die quo in virorum numerum reciperetur, recte contendat, qua ex re Ilithyiae mentio intellegatur. Sed ad talia confugere non necesse est si modo poetam hoc dicere sumas: 'Alii a natura alia indole ornantur, tu vero Sogenes statim ab initio nascendi, hoc est adiuvante Ilithyia tam praestanti corpore praeditus es, ut ad certamina suscipienda idoneus nunc re vera victoriam reportaveris'.

Iam longissime abicienda est Aristarchi verborum *τρία ἔπεα* interpretatio, quae tam perversa est, ut eam praeclarissimum illum grammaticum protulisse magnopere mireris. Nam aperte significant 'pauca verba', ut praetermittam omnino non tres causas afferri sed potius fatum ipsum (*τὸ μόρσιμον*) qua de causa ibi interficiebatur id erat, ut et aliquis Aeacidarum regum esset iuxta Apollinis templum et heroicas pompas inspiceret. Iam plane absurda sunt ea quae Aristodemus de ea re disserit. Est enim in eodem scholio v. 70 *ὁ δὲ Ἀριστόδημος ἔπεα τρία τὰς τριάδας ἀκούει· τὴν γὰρ ἀρχὴν ἔπος προσηγόρευον τὴν στροφὴν καὶ τὴν ἀντιστροφὴν καὶ τὴν ἐπῳδόν· τρεῖς δὲ λοιπὸν ὑπεῖναι τῷ ἐπινικίῳ τριάδας.* Quibuscum conferenda sunt in schol. Isthm. I, 85 *Ἀριστόδημος δὲ καὶ τοῦτο λαμβάνων πρὸς τὸ μόνων τῶν ἐπισήμων αὐτὸν μνημονεύειν, τοὺς δὲ λοιποὺς παρῳδευκέναι, βραχύ φησι μέτρον εἰρηκέναι τοῦ ὕμνου διὰ τὸ τὰς ἐκδόσεις τῶν ἐπινίκων πρὸς ἀριθμὸν εἰπεῖν καὶ τριάδων ἔχειν τοὺς μισθούς*, ubi Boeckh falso *πρὸς ἀριθμὸν τῶν τριάδων* deletis ceteris legi iubet.

vir doctus in hac oda agnoscit neque minus eam similitudinem inter Thearionem et Neoptolemum intercedere, quod uterque sempiternam gloriam consecutus sit docet. Sed iniuria scholiastarum narrationes de Aeginetarum in Pindarum criminationibus propter male tractatum Neoptolemum ut commenta repudiat. Hanc autem fabulae speciem Pindarus praetulit quippe quae honorificentior esset Aeginetis, cum quae in paeane Delphico dixerat fortasse etiam sic accipi potuerint, ut alii traditioni appropinquarent. Iam v. 102—104 soli nostrae sententiae favere videntur.

Sed recte Aristarchus quemadmodum apparet ex verbis τρεῖς οὖν φησι λόγους ἱκανοὺς εἶναι εἰς τὴν εὐώνυμον δίκην post πολυθύτοις et post διαρκέσει plene distinxit.

57.

Nem. VII, 127, § 2 Ἀρίσταρχος οὕτως· ἐπεὶ δὲ κατα τας συνουσίας καὶ γειτνιάσεις ἕτερος ἄνθρωπος ἀφ' ἑτέρου γεύεταί τι καὶ ἀπολαύει ἀφομοιούμενος, ὥσπερ ἡ παροιμία ἔχει·

Χωλῷ παροικεῖς, κἂν ἑνὶ σκάζειν μάθοις·

εἴποιμεν ἂν τὸν ὠφεληθέντα γείτονα ἀπὸ γείτονος ἀξιόχρεων εἶναι χάρμα. παρὸ καὶ Ἡσίοδος (Opp. et D. 346)·

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Proverbium citatum Boeckh sic restituit Χωλῷ παροικῶν κἂν ὑποσκάζειν μάθοις. Aristarchus ergo γεύεται legit, praeter quam scripturam apud Alexandrinos etiam δεύεται lectio exstitit, ut ex schol. § 1 et schol. § 2 initio cernitur. Utrum Aristarchus ex coniectura sic scripserit an lectio ei tradita fuerit, ex scholii verbis discernere non licet. Id vero certum est γεύεται vocem exquisitiorem esse, tametsi etiam δεύεται tolerari potest. Aristarchus autem significationem verbi minus bene expressit. Nam ἀπολαύει ἀφομοιούμενος ut Boeckh recte monet esset 'similitudinem quandam a vicino trahit, colorem ducit', cum tamen sententiae tenor requirat ut alter ab altero adiuvari dicatur. Praeterea Aristarchus recte τί pronomen ut indefinitum accepit. Schol. § 3 Aristarchum in ea re sequitur, quod γεύεται praebet, sed totum locum aliter constituit. Habet enim haec: ὁ δὲ λόγος κατ' ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν. εἰ δὲ κατὰ τὰς γειτνιάσεις γεύεται καὶ ἀπολαύει γείτων δεξιοῦ τε καὶ προθύμου, τί ἂν εἴποιμεν τῷ φιληθέντι τὸν φιλήσαντα; εἶτα ὡς κατὰ σύγκρισιν, γείτονα πάντων χρημάτων (lege χαρμάτων) ἐπάξιον. Qua in re dubites, utrum post ἀτενέι interpunxerit an γείτονα scripserit et cum sequentibus copulaverit.

58.

Nem. VIII, 48 ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οὕτως· ἀνόμοια πλήγματα τοῖς πολεμίοις ὅ τε Ὀδυσσεὺς καὶ ὁ Αἴας (suppl. ἐπήνεγκον sive ἐπέβαλον quod etiam initio totius scholii scribendum est pro ἔλαβον) ὑπὸ ἀλεξιμβρότου λόγχης κινούμενοι. τῇ δὲ Αἴαντος ἀνδρείᾳ καὶ Ὅμηρος μαρτυρεῖ (Od. ε, 309 sq.)·

Ὅτε μοι πλεῖστοι χαλκήρεα δοῦρα
Τρῶες ἐπέῤῥιψαν περὶ Πηλείωνι θανόντι.

Habuit igitur Aristarchus in textu suo pro πολεμιζομενοι, quod libri praebent, veram scripturam πελεμιζόμενοι. Nam κινεῖν solemnis interpretatio verbi πελεμίζειν est. Prostant in eodem scholio etiam haec verba πολεμιζόμενοι δὲ ἀντὶ τοῦ πολεμίζοντες ἐνεργητικοῦ καὶ διακονοῦντες quae Boeckhio sic emendanda videntur πελεμιζόμενοι δὲ ἀντὶ τοῦ πελεμίζοντες ἐνεργητικοῦ καὶ διακινοῦντες, ut cum Aristarchi lectione conspirent. Quae Boeckhium iniuria mutare Bergk asserit, cum tamen causas, cur Boeckh falsus sit, non addat. Ac mihi quidem videtur Bergk eo nomine Boeckhium improbasse, quod sic non necesse sit πολεμιζόμενοι passivum activo sensu dictum esse statuere. Attamen facio cum Boeckhio. Nam διακονοῦντες vox hic sensu caret. Si vero leviter corrigis διακινοῦντες, optime se habet et ad πελεμίζειν verbum te delegat. Neque magis offendas quod inusitatius verbum prae trito πολεμίζειν evanuit quandoquidem id saepenumero in codicibus evenit. Huc adde quod qua ratione ductus grammaticus ille ex Alexandrinorum criticorum more verbi genus passivum pro activo usurpatum esse opinatus sit bene perspici potest. Coniunxit enim ῥῆξαν ὑπ' ἀλεξιμβρότῳ λόγχᾳ.

Restat ut aliud memorabile dictu commemoremus. Nescio enim quomodo factum sit, ut Homerus tanquam Aiacis fortitudinis testis citetur, ubi aperte verba apposita ad Ulixis facinora spectant. Sunt enim deprompta ex querimoniis quas Ulixes eicit, cum prope Phaeacum insulam vehementi tempestate naufragium facit. Aristarchus vix tam graviter lapsus est; qua de causa cum praeterea etiam ab eius paraphrasi bene seiungi possit ea verba ab eo abiudico.

59.

Nem. X, 114 Ἀπὸ Ταϋγέτου] ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ἀξιοῖ γράφειν ἥμενον, ἀκολούθως τῇ ἐν τοῖς Κυπρίοις λεγομένῃ ἱστορίᾳ· ὁ γὰρ τὰ Κύπρια συγγράψας φησὶ τὸν Κάστορα ἐν τῇ δρυῒ κρυφθέντα ὀφθῆναι ὑπὸ Λυγκέως· τῇ δὲ αὐτῇ γραφῇ καὶ Ἀπολλόδωρος[1]) κατηκολούθησε. πρὸς οὓς φησι Δίδυμος, πῶς (inser. cum Bergkio) ἀμφοτέρων ὑπὸ τῇ δρυῒ λοχώντων,

1) Secundum Boeckhium et M. Schmidtium bibl. III, 11, 2, secundum Bergkium alter Apollodorus in libris περὶ θεῶν. Sed perperam Bergk eum alterum esse iudicat. Cfr. Arn. Schaeferum in libro qui inscriptus est 'Abriss der Quellenkunde der griech. Geschichte' p. 105.

τοῦ Κάστορος καὶ τοῦ Πολυδεύκους, μόνον ὁ Λυγκεὺς τον Κάστορα εἶδε; μήποτε οὖν δεῖ, φησὶν, ἀναγινώσκειν τὴν παραλήγουσαν συλλαβὴν ὀξυτόνως ἡμένος ἢ διὰ τοῦ ως ἡμένως (veram scripturam ὀξυτόνως τοῦ ἡμένος ὡς ἡρμένος nisi quod pro voce ἡρμένος Bergk ἀρμένος coniecit, Mommsen[1]) e Vat. B et Medic. D enotavit), ἵνα κατ' ἀμφοῖν ἀκούηται· ὁ δὲ Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει ἡμένος, ἀντὶ τοῦ ἡμένους, δηλονότι τους Διοσκούρους· ὡς ἀελλόπος (Il. Ω, 77) καὶ τρίπος (Il. X, 164)· Οὐχ ἕδος ἐστί, γεραιέ, ἀντὶ τοῦ οὐχ ἕδους (Il. Λ, 648) [§]· παρατίθενται (Bergk recte παρατίθεται scil. Didymus) δὲ καὶ τὸν τὰ Κύπρια γράψαντα οὕτω λέγοντα·

Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Ταΰγετον προσέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθώς.
Ἀκρότατον δ' ἀναβάς, διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Ταντα λίδου Πέλοπος, τάχα δ' εἴσιδε κύδιμος ἥρως
Δεινοῖς[2]) ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης,
Κάστορα θ' ἱππόδαμον καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.
Νύξε δ' ἄρ' ἄγχι στὰς μεγαλὴν δρῦν.[3])

Aristarchus id quod iam G. Hermann perspexit scripturam ἥμενος traditam accepit. Cum vero Pindarum in exponenda fabula Stasini vestigia pressisse existimaret, ἥμενον correxit, quandoquidem secundum Cypriorum auctorem non Lynceus in quercus trunco consedit, sed ipse Castor. Atque Aristarchi scripturae etiam Apollodorus adstipulatus est. Quibus opposuit Didymus eam scripturam cum fabula quemadmodum Stasinus traderet non congruere. Namque ibi uterque, Castor et Pollux a Lynceo conspicitur. Qua argumentatione nixus ἡμένος scripsit et pro ἡμένους accepit. Sic Pindarum plene cum Cypriis conciliare sibi visus est.[4]) Didymi rationem sequitur paraphrasis vetus continua quae in fine scholii inde a verbis ἀπὸ γὰρ τοῦ ὄρους σκοπῶν exstat. Antecedit eam etiam alia plane diversa qua Didymi paraphrasin Bergk minus recte censet agnosci. Si enim mecum eam ab Aristarchi auctoritate

1) In Parergis p. 31 secundum Bergkium. Mihi liber non praesto est. — 2) Eam vocem e Bergkii coniectura adieci. — 3) Sic Mommsen, qui ex Medic. D exscripsit verba νύξε δ' ἄρ' ἄγχιστα μεγάλαν δρῦν καὶ τὰ ἑξῆς. — 4) Errat Bergk, cum secundum epicum poetam Lynceum non Idam, ut sit apud Pindarum, vulneravisse contendit. Non enim respexit haec Procli περὶ τῶν Κυπρίων λεγομένων ποιημάτων verba: Ἐν τούτῳ δὲ Κάστωρ μετὰ Πολυδεύκους τὰς Ἴδα καὶ Λυγκέως βοῦς ὑφαιρούμενοι ἐφωράθησαν. καὶ Κάστωρ μὲν ὑπὸ τοῦ Ἴδα ἀναιρεῖται, Λυγκεὺς δὲ καὶ Ἴδας ὑπὸ Πολυδεύκους.

pendere sumis, verba *συν Πολυδεύκει* suppleas non necesse est; sic tantum *ἐμήνυσε τῷ Ἴδᾳ, ὁ δέ* secundum Apollodorum adicere sufficit. Iam si ad cuius partes equidem accedam quaeris, Aristarchi lectionem praefero. Ex v. 65 sq. enim (*αὐτίκα γὰρ Ἦλθε Λήδας παῖς διώκων*) elucere mihi videtur Pindarum in ea fabula ut de Idae morte alia tradit sic hic quoque eatenus a Stasino recessisse, quatenus Pollux non una cum Castore sub quercu latuerit, sed tum demum accesserit, cum frater vulneratus esset.

60.

Isthm. I, 11 *Ἐπεὶ στεφάνους ἓξ ὤπασε Κάδμου στρατῷ*] *διαπορεῖται τίς ἐνεχείρισε τῷ Κάδμου στρατῷ, τουτέστι ταῖς Θήβαις, τοὺς στεφάνους. ἔνιοι μὲν οὖν τὸν Ἰσθμὸν ἀκούουσιν, ὡς ἑξάκις νενικηκότων τῶν Θηβαίων τὰ Ἴσθμια, ἔνιοι δὲ αὐτὸν τὸν Ἡρόδοτον· τοῦτον γὰρ ἑξάκις Ἴσθμια νενικηκέναι Θηβαῖον ὄντα. τούτων δὲ οὐδέτερον ἐν ταῖς Ἰσθμιακαῖς ἀναγραφαῖς ὡμολόγηται· δι' ἣν αἰτίαν οἱ Ἀριστάρχειοι ψιλοῦντες καὶ συντιθέντες ἑξώπασαν, ἐπὶ τοῦ νικηφόρου ἐκλαμβάνονται τὸν λόγον, περισσὴν εἶναι λέγοντες τὴν ἐξ πρόθεσιν ποιητικῇ συνηθείᾳ. τὸ γὰρ ὅλον εἶναι· Ἐπεὶ ὤπασεν, ὅ ἐστι περιεποίησεν· ἄλλως τε οὐκ ἀναγκαῖον ἀριθμὸν κεῖσθαι· πολλῷ γὰρ μᾶλλον κυδαίνεσθαι τὸν νενικηκότα. Ἀριστόδημος δὲ ὁ Ἀλεξανδρεὺς δασύνων καὶ διαιρῶν τὸ μὲν ἓξ ἐπὶ τοῦ Ἡροδότου ἀκούει, τὸ δὲ ὤπασεν ἐπὶ τοῦ Ἀπόλλωνος· προστάτης γὰρ τῶν ἀγώνων ὁ θεός, ἐξ οὗ προνοίᾳ, φησί, τοῦ θεοῦ νενικηκέναι τὸν Ἡρόδοτον, οὐκ Ἰσθμιακοὺς ἀγῶνας, ἀλλὰ συμμίκτους, οὓς καὶ αὐτὸν ἐπιλέγειν Πίνδαρον* (v. 52 sqq.), *ἐν μὲν Θήβαις Ἰολάεια ἢ Ἡράκλεια, ἐν δὲ Ὀρχομενῷ Μινύεια, ἐν δὲ Εὐβοίᾳ Βασίλεια, ἐν δὲ Θεσσαλίᾳ Πρωτεσιλάεια, καὶ ἐν Ἰσθμῷ νῦν, καὶ ἄλλους δὲ περιχωρίους, οὓς διὰ μακρῶν παρῆλθεν ὁ Πίνδαρος.*

Ante Aristarchum quemadmodum ex hoc scholio cernitur duae explicationes vulgabantur. Secundum alteram usque ad Herodoti tempora sex omnino victorias Isthmiacas Thebani reportaverunt, secundum alteram ipse Herodotus sexies vicerat. Cum vero utraque ab Isthmionicorum catalogis quos Aristarchus in manibus habebat discreparet, *ἑξώπασεν* scribendum et Herodotum intellegendum esse arbitratus est. Contra Aristodemus librorum lectionem retinuit et Apollinem quo iuvante iam quinquies in ludis minoribus palmam adeptus sit, Herodotum etiam tunc Isthmiae coronandum curasse voluit. Ac perverse quidem et Aristarchus et Aristodemus. Nam

cedamus Aristarchi nomini et credamus *ἐξώπασεν* significationem habere posse *περιεποίησεν*. At quo iure quaeso hoc loco Herodotum intellegit, ubi dilucide de Isthmo verba fiunt? Victoris mentio demum a v. 14 perhibetur. Iam falso Aristodemus Apollinem *προστάτην τῶν ἀγώνων* ducit. Unius cuiusque ludi peculiaris deus praeses est. Accedit quod Apollo verbi *ὤπασεν* subiectum non est. Praeterea victorias a Pindaro inde a v. 52 memoratas enumerantibus nobis alius numerus offertur. Sed quid multa? Post Dissenii explicationem non dubium est, quin illis ipsis certaminibus ex variis ludis sex Thebani ludorum Isthmiacorum victores prodierint id quod Alexandrini non respexerunt.

61.

Isthm. I, 58 *Εἰ δ' ἀρετὰ κατάκειται*] *Ἀρίσταρχος σὺν τῷ ῑ γράφει καὶ περισπᾷ, καὶ Ἀττικὴν δέχεται τὴν σύνταξιν, ἵν' ᾖ ὁ λόγος· εἰ τῇ ἀρετῇ κατάκειται πάντα τρόπον, ἔν τε τῷ πονεῖν αὐτὸν τῷ ἰδίῳ σώματι καὶ τῷ δαπανᾶν, τῷ μὲν δαπανᾶν καθόσον ἱπποτρόφησε, τῷ δὲ πονεῖν καθόσον ἡνιόχει· χρὴ τοῖς εὑροῦσι τὴν τοιαύτην ἀρετὴν τὸν ἀγήνορα κόσμον μὴ φθονεραῖσι γνώμαις φέρειν, τουτέστι τὸ σεμνὸν αὐτῶν καύχημα μὴ φθονερῶς φέρειν, ἀλλ' ἐπαινεῖν. ἔνιοι δὲ οὕτως· εἰ οὖν ἐν ἀρετῇ κεῖται καὶ δαπανῶν καὶ πονῶν, δεῖ τὴν τοιαύτην τοῖς εὑροῦσιν ἀρετὴν μὴ φθονεῖν μηδὲ βασκάνους ἐπιφέρειν λόγους.*

Posteriorem paraphrasin addidi propterea quod tametsi Aristarchi sententiae opponitur tamen eam tuetur.

Dissentio a viris doctis qui ut Boeckh et M. Schmidt archetypum *ΑΡΕΤΑΙ* exhibuisse censent. Nam ex verbis *Ἀρίσταρχος σὺν τῷ ῑ γράφει καὶ περισπᾷ* mihi quoque ut Bergkio elucere videtur *ῑ* litteram a grammaticorum principe demum adiectam esse. Aristarchi autem lectio multis recentiorum criticorum probatur. Sed desideratur enuntiati subiectum, qua difficultate se supersedere posse recentes putaverunt, cum *τίς* subaudirent et Alexandrini, cum verba male ad Herodotum referrent. Praeterea quaeritur, qua ratione tunc *κατάκειται* accipiendum sit. Atque plurimi reddunt verbis *ἔγκειται, ἐπίκειται ἀρετᾷ* 'incumbere virtuti' quemadmodum etiam Aristarcho visum est. Sed vellem exempla similia attulissent; antea Dissenio asseveranti structionem *κατάκειμαι ἀρετᾷ* analogia non carere cum Hartungio et Bergkio fidem recuso. Apparet igitur — nam archetypi lectio non tuenda est — ex mea sententia loco alia coniectura medelam ferendam esse; sed quomodo sit

scribendum nescio ad hoc tempus. Veteres qui *ἀρεταί* proposuerunt et schema Pindaricum esse statuerunt non sunt audiendi. Hartungii, Rauchensteinii, Bergkii quidem coniecturae poetae mentem exprimunt, sed omnes longinquius a tradita lectione recedunt. Erat cum similiter atque Kayser tentarem *εἰ δ' ἀρετὰ κατάκειται πᾶσιν ὀργά*, sed nunc id ipsum mihi displicet, cum v. 47 sqq. aliorum alia studia enarrentur. Relinquamus igitur rem in medio dum meliora ab aliquo reperiantur. Hoc vero non omittendum est Aristarchum ne verborum *ἀγάνορα κόμπον* quidem sententiam assecutum esse. Nam procul dubio 'magnifica praedicatio', id quod iam Didymus intellexit est poetae victoriam celebrantis laus.

62.

Isthm. II, inscr. *Ξενοκράτει Ἀκραγαντίνῳ*] *οὗτος ὁ ἐπίνικος γέγραπται μὲν εἰς Ξενοκράτην Ἀκραγαντῖνον, πέμπεται δὲ Θρασυβούλῳ διά τινος Νικασίππου, ὥστε εἶναι ἀποστολικὸν αὐτόν. τὸν δὲ Ξενοκράτην τοῦτον οἱ μὲν προϋπομνηματισάμενοι Θήρωνος ἀδελφὸν εἶναί φασιν, ὁ δὲ Ἀρτέμων σφόδρα τὰ περὶ τοὺς Σικελιώτας πεπολυπραγμονηκὼς αὐτὸν μόνον συγγενῆ φησιν εἶναι Θήρωνος ..... Θρασύβουλοι δὲ Σικελιῶται διττοί· ὁ μὲν Δεινομένους νεώτατος ἀδελφὸς τῶν περὶ Ἱέρωνα καὶ Γέλωνα, ὁ δὲ τῆς γυναικὸς τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφός, οὗ νῦν μνημονεύει Πίνδαρος· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος ἀδελφὸν ὑπείληφε τοῦ Ξενοκράτους τὸν Θρασύβουλον, ἔνιοι δὲ υἱὸν Ξενοκράτους.* Aristarchi sententia redintegratur § 2 *βέλτιον δέ, ἀδελφὸν εἶναι τοῦ Ξενοκράτους ἢ υἱὸν τὸν Θρασύβουλον, οὐχ ὥς τινες πατέρα* et schol. v. 68 *Ἰστέον ὅτι τὸν εἰς Ξενοκράτην ὕμνον εἰς Ἀκράγαντα διὰ Νικασίππου πέμπει πρὸς Θρασύβουλον τὸν Ξενοκράτους ἀδελφόν.*

Si iure *προϋπομνηματισαμένων* numero insuper Artemoni Pergameno oppositorum Aristarchum adsciscendum esse concludo, recte grammaticorum princeps Xenocratem Theronis fratrem exhibuit. Sed Thrasybulum non fratrem Xenocratis esse, ut Aristarchus voluit, sed filium hodie inter omnes constat. Neque Aristarchus adeo lapsus esset, si Pyth. VI, 15 respexisset, ubi Pindarus ipse de Thrasybulo tanquam Xenocratis filio loquitur. Quamquam omnino in explicando hoc carmine interpretes veteres haud mediocriter erraverunt. Nam Diodori Aristophanei quem postea Asclepiades secutus est observatio qua de Xenocrate ut de mortuo sermo fit perperam a schol. v. 54 improbatur. Iam Callistratus in schol. inscr. et v. 19 Pindarum *μὴ τυχόντα τοῦ κατ' ἀξίαν*

μισθοῦ διά τινα μικρολογίαν τοῦ Ξενοκράτους non ipsum victorem sed filium eius Thrasybulum alloqui finxit.

63.

Isthm. IV, 73 Οὐδ' ὁπόσαι δαπάναι] Ἀρίσταρχος οὕτως· οὐδὲ ὁπόσαι δαπάναι αὐτοῖς ἐγενήθησαν ἐπὶ τῶν ἐκβεβηκυιῶν ἐλπίδων τῶν περὶ τὴν νίκην, ἔκνισα τῇ φωνῇ, οὐδὲ ἐλυπήθην (probabiliter Bergk ἐλύπησα), ἀλλὰ τοὐναντίον ὕμνησα αὐτούς. ἔνιοι δὲ καταλληλότερον γράφουσι σὺν τῷ ν ἔκνιξ' ὄπιν, ἵν' ᾖ Πινδαρικὸν σχῆμα· οὐκ ἔκνιξαν αἱ δαπάναι· οὐδὲ ὁ μόχθος αὐτῶν τετύφλωται, ἀλλὰ ὀξυδερκεῖ καὶ ἔχει καλὰ ἀποτελέσματα. Aristarchus male scribit ἔκνισ' ὀπί hoc est ἔκνισα ὀπί. Nam ab ἔκνισα voce significatio quam ingessit aliena est. Accedit quod ab epinicii natura abhorreret, copiae molestiarum et curarum priusquam victoria reportaretur frustra impensarum mentione facta victorem laedere. Imo poeta Phylacidae laudi vertit quod neque laboribus neque sumptibus deterritus sit quin certaminis praemium appeteret. Quam sententiam assequuntur ei veteres qui schemate Pindarico accepto ἔκνισε pro ἔκνισαν dictum esse statuunt. Atque ei interpretationi horum temporum viri docti complures plauserunt, quibus nuperrime accessit Wilpert.[1]) Attamen praefero post ἐλπίδων commate incidere ut enuntiatum οὐδ' ὁπόσαι δαπάναι ἐλπίδων subiectum sit ad vocem ἔκνισε.

64.

Isthm. V, 47, § 2 ταῦτα ⟨οὐκ⟩[2]) ἀπήρτισται τὸ κατάλληλον οὐκ ἔχοντα, ἃ δὴ ὁ Ἀρίσταρχος σημειοῦται. καὶ εἰσὶν οἵ κεχιάσθαι φασὶν, ὅτι ἰδίως ἐπιβέβληκεν ὡς ἐν διαστολῇ τοῦ οὐκ ἐφείσατο· Ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων· ἀνατρέχων ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἱστορίας. οὐκ ἔστι δὲ ἴδιον, ἐὰν ὁ ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ δὴ τάσσηται· Αἰακίδαν δὴ καλῶν. νῦν ἄρχεται τῶν ἐπὶ μέρους ἀκριβῶς, τὸ ὅλον προεκθείς.

Lehrs[3]) scribit: Das χιάζειν ist hier gewiss in einem rhetorischen Sinne gesagt: wie aus dem nicht leichten Scholion dennoch klar ist. Sed tametsi omnem operam dedi, ut quo Lehrs his verbis tenderet enuclearem res mihi non satis cessit. Nam verba οὐκ ἐφείσατο· Ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων per χιασμόν quem grammatici volunt sibi opposita esse nemo dixerit. Iam ne in toto

1) In dissertatione cui inscripsit de schemate Pindarico et Alcmanico p. 27. — 2) Lehrs bene inseruit. — 3) L. c. p. 106 nota.

quidem loco chiasmi figurae secundum Hermogenis[1]) definitionem vestigia deprehendere possum. Aliter rem instituit Schrader.[2]) Is enim verbum *ἀπαρτίζειν* ne simplici quidem faciendi vel efficiendi notione carere conatus est probare et priora scholii verba sic explicat 'haec facta sunt ita, ut male cohaereant, quod quidem Aristarchus *σημείῳ* adiecto significavit.' Tres praeterea totius loci interpretationis rationes proposuit; primam qua Aristarchus hoc ipso loco in ea re acquieverit, ut versibus quos male se habere sibi persuaserit neque quomodo sanandi essent perspexerit, notam aliquam apponeret neque vero in commentario *σημείου* rationes explicaret; alteram qua grammaticus Aristarcho inferior aetate eidem versui signum ad aliam rem notandam atque Aristarchus apposuerit sive alius grammaticus Aristarchi signum aliter atque ipse Aristarchus explicaverit. Quam denique tertio loco ponit ipse amplectitur. Aristarchum enim signum quod adiecerit in hunc fere modum explicasse: *ὅτι ἀπήρτισται τὸ κατάλληλον οὐκ ἔχοντα, εἰ μὴ ἰδίως ἐπιβέβληκεν ὡς ἐν διαστολῇ τοῦ 'οὐκ ἐφείσατο' 'ἀλλ' Αἰακίδαν καλέων' ἀνατρέχων ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἱστορίας*, qui vero post Aristarchum Pindaro operam dederint, in duas Aristarchi verba discerpsisse rationes explicandi. Sed Schradero inceptum ut *ἀπαρτίζειν* etiam pro 'efficere, facere' usurpari evinceret, non processit. Nam neutrum exemplum neque quod a Diodoro neque quod a Demetrio desumpsit cum eo facit. Neque etiam cum Schradero tot interpretationis rationes statuam: integre atque incorrupte verba legenti hoc mihi dicere videntur: 'Haec verba non omnibus numeris absoluta, non prorsus apte dicta sunt, id quod Aristarchus signo notavit. Id autem signum, *χ* nempe, ab eo adiectum esse quidam dicunt, quod ex peculiari more verba *'Αλλ' Αἰακίδαν καλέων* eis quae antecedunt *οὐκ ἐφείσατο* Pindarus opponere voluit. Singularem autem morem accipias non necesse est, si *ἀλλά* particulam loco *δή* voculae positam esse sumis. Ex qua sententia incipit poeta nunc singulatim exponere quae antea summatim protulerat'. Atque eodem modo scholion etiam Osann[3]) intellexit. Quod Aristarchi signum diverso modo explicatur non est cur mireris. Aristarchus enim, ut ad scriptores quos ex critica ratione tractavit commentarios edidit,

1) In libro *περὶ εὑρημάτων* in Walzii rhet. Gr. III, p. 157 *ὅταν ἐν ἀμφοτέραις ταῖς προτάσεσιν ἀμφότεραι ἁρμόζωσιν αἱ ἀποδόσεις καὶ ἐναλλάξ*. — 2) In dissertatione quam inscripsit de notatione critica a veteribus grammaticis in poetis scaenicis adhibita p. 38 sqq. — 3) In libro qui inscriptus est anecdotum Romanum p. 188.

sic in scholis in discipulorum usum eisdem scriptoribus explicandis operam dedit. Qua in re facile fieri potuit ut a discipulis magistri verba non pari modo acciperentur et aliud alius arriperet. Praeterea etiam aliae causae excogitari possunt quibus explicationis diversitas expediatur. Sed longum est in talibus coniecturis diu versari. Etenim etiam ex scholiis Homericis satis constat Aristarchi signa interdum vario modo explicata esse. Conferas enim exempli gratia schol. Il. *Θ*, 221 *πρὸς τὸ ἔχων ἐν χειρί, τί ποτε σημαίνει; ὁ μὲν Ἀπολλόδωρος, ὅτι περιειλήσας εἶχεν ἐν τῇ χειρί· ὁ δὲ Διονύσιος, πρὸς τὸ κατασείειν εὐθέες* (Friedlaender *εὐθέτως*) *λαβόμενος τοῦ φάρους.* *O*, 86 *Ἀρίσταρχος σημειοῦται, ὅτι οὕτως μόνως γραπτέον δέπασσιν· φησὶ γοῦν ἐν τοῖς ἑξῆς· Θέμιστι δὲ καλλιπαρῄῳ δέκτο δέπας ..... ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐπέεσσι γραπτέον· ἐπιδίδωσι γὰρ ἡ Θέμις αὐτῇ τὸ ποτήριον. ὁ δὲ Θρᾷξ Διονύσιος παρακεῖσθαί φησι τὸ σημεῖον, ὅτι διὰ παντὸς τοὺς θεοὺς συνίστησι πίνοντας καὶ ταύτην ἀρίστην διαγωγὴν ἔχοντας κτέ.* Cfr. etiam *P*, 24 *τὸ σημεῖον Διονύσιος διὰ τὸν Ὑπερήνορά φησιν· προείρηται γὰρ Ἀτρείδης δ' ἄρ' ἐπεὶθ' Ὑπερήνορα ποιμένα λαῶν οὔτασε* (*Ξ*, 516) *καὶ ἴσως κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐκεῖ αὐτὸν ὠνείδισεν.* At penitus futilis esset nostra sententia si Lehrs et Schrader iure opinarentur *χ* signum diu demum post Alexandrinorum tempora a recentioribus grammaticis apponi solitum esse. Sed contra eam opinionem hoc scholion adversa fronte pugnat. Nam non solum ipsa verba Lehrsii et Schraderi sententiam dissuadere videntur, verum etiam tanquam censorem Aristarcheae sententiae Didymum subodorari mihi videor quem plurimis locis etiam in his Pindari scholiis superiorum grammaticorum explicationes castigantem deprehendas aut diserte nominatum aut ex ratione quam in Homericis et aliis scholiis secutus est agnoscendum.[1]) Accederet novum nostrae rationi argumentum si Boeckh[2]) ex his verbis schol. Isthm. III (IV), 47 *Χρύσιππος δέ, σεσημείωταί φησιν ὁ τόπος διὰ τὴν φράσιν* Chrysippi Stoici, Aristarchi magistri temporibus cum *χ* signo confossum fuisse iure colligeret. Et tametsi etiam hoc loco ut Nem. I, 34 alterum Chrysippum dictum esse puto, tamen et is ante Didymi tempora floruit. Sed is locus nobis praetermittendus est cum quod signum ibi adhibitum fuerit taceatur. Iam maiorem vim schol. Pyth. VI, 135 habet ubi est *τὸ δὲ σημεῖον χ΄, ὅτι σταθμοὺς τὰς κατ' ἀγροὺς ἐπαύλεις ἔλεγε* coll. cum schol. Il. *E*, 140 *ἡ διπλῆ ...... καὶ ὅτι σταθμοὺς τὰς κατ' ἀγρὸν ἐπ-*

1) Cfr. quae p. 1 disseruimus. — 2) Praef. ad schol. p. XII.

αὔλεις, tametsi etiam eo loco apud Pindarum posteriore demum tempore χ signum pro alio signo irrepsisse sumi potest. Sed quid tam multa? Etiam solo hoc scholio Isthm. exorsi ad Boeckhii Osanni M. Schmidtii (Did. p. 266) sententiam recedendum erit qui in Pindaro ab Alexandrinis χ signum adhibitum esse censuerunt. Verum enimvero ad quas res notandas Aristarchi et eius sectatorum temporibus usurpatum sit diiudicare hodie non iam licet, cum temporibus p. Chr. n. eius usum magis magisque invaluisse satis superque constet.[1]) Ac praeter χ signum Alexandrinos in Pindari recensione etiam obelo usos esse elucet ex schol. Ol. II, 48 *Φιλέοντι δὲ Μοῖσαι*] ..... *τὸ κῶλον τοῦτο ἀθετεῖ Ἀριστοφάνης· περιττεύειν γὰρ αὐτό φησι πρὸς ἀντιστρόφους.* Accedit quod etiam asteriscum apud eos in Pindari editione vulgatum fuisse Lehrs docuit. Sed ne eius quidem signi peculiarem apud Pindarum usum edocere possumus.

1) Lehrs. l. c. p. 107 eos locos quibus in scholiis veteribus χ signum memoratur congessit. Appono hic compluria scholia quorum omnium vel externa species etiam hodie sic comparata est, ut τὸ *σημεῖον* supplendum esse primo obtutu appareat: schol. Ol. I, 9 *ἢ ὅτι τὸ ἐρι μόριον λέγουσιν ἀντὶ τοῦ μεγάλως, ὡς Ὅμηρος* (Il. *K*, 305)· *Ἐριαύχενας ἵππους.* Ol. II, 127, § 2 *ὅτι ἐν τῷ Ὠκεανῷ αἱ τῶν μακάρων νῆσοι λέγονται εἶναι καθ' Ὅμηρον. φησὶ γάρ· Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψυχὴν ἀνθρώποις.* Ol. III, 52 *Χρυσόκερων ἔλαφον*] *ὅτι ἐπιμελῶς οἱ ποιηταὶ τὴν θήλειαν ἔλαφον κέρατα ἔχουσαν εἰσάγουσι· καθάπερ καὶ τὴν θηλάζουσαν τὸν Τήλεφον γράφουσι καὶ πλάττουσι κτέ.* Ol. VI, 21 *αὐτόν τέ νιν*] *ὅτι ἐκ παραλλήλου τέθεικε τὰς ἀντωνυμίας καὶ ἔστι ἡ μία αὐτῶν περισσή.* Ol. VI, 48, § 2 *Ἆ τοι Ποσειδάονι*] *πρὸς τὴν ἱστορίαν, ὅτι φησὶ τὸν Ποσειδῶνα Πιτάνῃ μιχθέντα λάθρα γεννῆσαι Εὐάδνην.* Ol. VI, 152 *Εἰ φεύγομεν Βοιωτίαν ὗν*] *ὅτι διὰ τὴν ἀγροικίαν καὶ τὴν ἀναγωγίαν τοπαλαιὸν οἱ Βοιωτοὶ ὕες ἐκαλοῦντο, καθάπερ καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς Διθυράμβοις· Ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔλεγον. καὶ Κρατῖνος· Οὗτοι δ' εἰσὶν Συοβοιωτοί, κρουπεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.* Ol. IX, 46 *Ἀνίκ' ἀμφὶ Πύλον*] *ὅτι παρακηκόει Ὁμήρου λέγοντος· Ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι. διὸ καὶ μεμυθολόγηκε τὰ περὶ τὴν Πύλον τοῦ Νέστορος. Ὅμηρος δὲ οὐκ ἐν Πύλῳ λέγει τῇ πόλει, ἀλλ' ἐν πύλῃ τῇ τοῦ ᾅδου φησὶν αὐτὸν μάχεσθαι.* Nem. I, 34, § 2 *ἢ οὕτω· τὸ ἐσλὸς* (sic Bergk pro *ἐσλώς*) *ἀντὶ τοῦ ἐσλοὺς εἴρηται Δωρικῶς· καὶ ὅτι τὸ λέλογχεν εἶπεν ἑνικῶς ἀντὶ τοῦ λελόγχασι· λελόγχασι δὲ οἱ καταμεμφόμενοι καπνῷ ὕδωρ ἐπιφέρειν.* Nem. XI, inscr. incipit *Ὅτι οὐκ ἐχρῆν τὴν ᾠδὴν ταύτην εἰς ἐπινίκους συνενῶσθαι. Οὐδὲ ὅλως, φησὶν ὁ Δίδυμος, ἐχρῆν τὴν ᾠδὴν ταύτην εἰς τοὺς ἐπινίκους συνενῶσθαι κτέ.* Isthm. I, 58 *Εἰ δ' ἀρεταί*] *ὅτι ἀρεταὶ κατάκειται εἴρηκεν ἐπιζεύξας πληθυντικῷ ἑνικὸν ῥῆμα τὸ κατάκειται. καὶ ὅτι ὀργὰν τὸ ἦθος λέγει.* Isthm. III (IV), 104, § 3 fin. *χαλκοαρᾶν δὲ εἶπεν ὡς βιαιοθανάτων γενομένων τῶν τοῦ Ἡρακλέος παίδων. καὶ ὅτι ὀκτώ φησιν αὐτοὺς εἶναι.* Isthm. IV, 18 *Μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι*] *ὅτι ἀκαταλλήλως ἐπέζευξεν. ἔμπροσθεν γὰρ περί τινος ὁ λόγος· Εἴ τις εὖ πάσχοι, φησίν· εἶτα ὡς πρός τινα ποιούμενος τὸν λόγον φησί· Μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι.*

Ut autem ad scholion de quo agimus revertamur iusta est ea explanatio secundum quam poeta enuntiatum inde ab *ἀλλά* incipiens non priori opposuit sed ad principium historiae redit declaraturus quo modo Hercules Telamonem ad societatem evocaverit.

65.

Isthm. V, 58 *Οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν*] *Ἀρίσταρχος ἐκ μεταφορᾶς τῶν κάπρων φησὶν * εἰρῆσθαι· Ὅμηρος* (eam vocem adieci)· *Φρίξας εὖ λοφιήν* (Od. τ, 446)· *ὡς ..... τῆς φιάλης καὶ τετραχυμένης τῇ ποικιλίᾳ τοῦ χρυσίου, καθαπερεὶ πεφρικότος αὐτοῦ. ἵν' ᾖ ὅμοιον τῷ* (Il. *N*, 339)·

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσιν

διὰ γὰρ αὐτῶν τῶν δοράτων φρίξαι φησὶ τὴν μάχην.

Loco lacunae quam secundum Boeckhium posui possis *σκαληνωμένης*. Ad rem quam scholion tractat non est quod addatur.

66.

Isthm. VI, 23 *Ἀλλὰ παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις*] *Ἀρίσταρχος τοῦτο λεγόμενον, φησὶν, ὑπόνοιαν δίδωσιν, ὡς ὅτε ἔγραφεν ὁ Πίνδαρος, ἀχαριστουμένων τι τῶν Θηβαίων ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων. ἐὰν δὲ ὑποτεθῇ τὰ ἑξῆς, Ὅτι μὴ σοφίας ἄωτον, ὡς ἐν τῷ καθόλου λέγων ἔσται, ὅπερ πολλάκις εἴωθε λέγειν· ὅτι πᾶσα χάρις πεπαλαιωμένη καθεύδει καὶ μεμάρανται, καὶ ὅτι τοιούτου πράγματος ἀμνήμονές εἰσιν οἱ ἄνθρωποι, ὅταν μὴ ἀοίδιμον γένηται καὶ τύχῃ ὕμνου τινός.*

Opposuit igitur scholiasta Aristarcho, si verba insequentia respiciantur, poetam potius id dicere videri 'Quodcunque pristinorum temporum facinus poetae laude carens oblivione obruitur' neque sic ad suspicionem recurrendum esse Pindarum ad inimicitiam inter Spartanos et Thebanos exortam alludere. Aristarchi sententia usque ad tempus nuperrimum vulgata fuit. Mezger enim primus ad Aristarchi censoris partes se convertit. Atque difficile est in ea re iudicium facere, cum ne id quidem inter viros doctos constet, cui tempori carmen sit assignandum. Attamen quaestiones de carminis tempore et de huius loci explicatione arctissime cohaerent. Ac mihi quidem videtur Mezger probasse Boeckhium false odam ad tempus pugnae apud Oenophyta commissae proximum delegasse et potius pugnam Tanagrensem spectari. Quae cum ita sint facere non possum, quin Aristarchi sententiam improbem.

67.

Isthm. VI, 55 Ὁ δ' ἀθανάτων μὴ θρασσέτω φθόνος] Ἀρίσταρχος ἐπὶ τοῦ ἐρεθίζειν ἀκούει, τάττεσθαι δέ φησι καὶ ἐπὶ τοῦ ταράττειν. μὴ οὖν, φησὶν (scil. ὁ Πίνδαρος), ὁ ἐκ θεῶν ταραττέτω φθόνος, εἰ τὸ ἐν τῷ βίῳ τερπνὸν τοῦτο ἀεὶ κατὰ τὴν παροῦσαν ἡμέραν διώκων καὶ θηρεύων, μεθ' ἡσυχίας καταστρέψω τὸν βίον.

Aristarchus recte θρασσέτω legit, non ut pari modo in scholiis est θραύετω. Iam ex eius paraphrasi si quidem eius esse iure concludimus eum post φθόνος commate incisisse cernitur, cui interpunctioni etiam huius aetatis varii viri docti plaudunt. Mihi vero aptior prodire videtur sententia si cum Mommsenio Christio Bergkio post φθόνος plene interpungitur.

Iam eo pervenimus, ut disputationis nostrae summam complectamur. Atque hoc quidem ex eis Aristarchi praeceptis de quibus egimus elucere videtur, grammaticum clarissimum in explicando Pindaro non tantum consecutum esse quantum in Homero. Summa eius etiam de Pindaro merita esse et ipse confiteor. Attamen longe minore diligentia ad lyricorum principem quam ad epicorum accessit.[1] Namque ut eas res ex quibus hoc potissimum concludi potest breviter repetam, qua ratione Pindarus fabulas victorum laudibus intexuerit non satis perspexit. Cfr. Nem. I, 34. Nem. II, 19. Nem. VII, 56. Cfr. etiam Pyth. IV, inscr. Pyth. V, inscr. Pyth. XI, 21. Nem. IV, 53. 60. Nem. VIII, 32. Iam cum Pyth. III, 75 contra metrum graviter peccaverit eum numerorum minus peritum fuisse colligas. Cfr. etiam Ol. II, 140. Ol. V, 1. Praeterea in res historicas geographicas mythologicas diligenter inquirere supersedit Pyth. VI, 4. Nem. II, 19. Nem. III, 1. Nem. III, 16. Isthm. II, inscr. Denique aut coniecturae male ei cesserunt aut in explicandis poetae verbis plus minusve lapsus est. Ol. II, 29. 102. 113. 140. Ol. III, inscr. 41. 46. Ol. V, 20. 29. 54. Ol. VI, 23. 158. Ol. VII, 19. 117. Ol. XI, 15. Ol. XIV, 26. Pyth. IV, 14. Pyth. V, 1. 76. Pyth. VII, 17. Nem. I, 3. Nem. III, 1. Nem. IV, 3. 53. 151. Nem. VI, 21. Nem. VII, 1. 47. 70. Istsm. I, 11. 58. Isthm. IV, 73. Isthm. VI, 23.

1) Cfr. etiam huius disputationis partem primam qua ad Homerum Alexandrinos Pindarum explicavisse et ab Homero proficiscentes de Pindaro iudicium tulisse monuimus.

Addenda

ad Nem. VII, 48 et 32 sq.

Liceat mihi addere, quae de hoc loco vir quidam doctissimus mecum benevolentissime communicavit. Censet ille post *μάρτυς* gravius incidendum esse, ut enuntiata hoc loco pari modo atque saepius in hoc carmine non coniungantur, et versus sic interpretandi videantur: 'Locupletem habeo testem. Constat, Aeginetae, Neoptolemum Aeacidarum rebus gestis praeesse. Ego vero dicere audeo, poetae illustres vestras virtutes *οἴκοθεν* laudaturo, hanc ipsam rem tanquam propriam viam celebrationum esse.' Postquam igitur Pindarus fabulam Neoptolemi narravit, inde a v. 48 explicat quam stulte acturus esset, si Neoptolemi fabulam indecore traderet. Sic enim se sibi ipsi viam praestructurum fuisse, quominus Thearionem et Sogenem caneret, qui *ἔκγονοι* (v. 50) Neoptolemi videntur esse. Quoniam vero se nihil iniquum contra eum protulisse sibi conscius est, non est, cur Thearionem a se petente, ut Sogenis filii victoriam Nemeam canat, repellat.

Idem vir doctissimus etiam v. 32 sq. nunc simpliciorem medendi viam exstare agnoscit. Apollinis *βοαθόους* heroes qui Delphos venerunt dici non posse, iam exposui. At Bergkii emendatione *μόνος χθονὸς ἐν Πυθίοισί τε δαπέδοις κεῖται* admodum ei arridet. *τοί* vero, quod in Alexandrinorum exemplari ex Bergkii sententia non infuit, etiam ille iam archetypum exhibuisse arbitratur. Itaque non obstabit, si confusis quodammodo G. Hermanni et Bergkii coniecturis versus sic constituis:

τιμὰ δὲ γίνεται,
ὧν θεὸς ἁβρὸν αὔξῃ λόγον, τεθνακότων
βοαθόν· ἦτοι παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου
μόνος χθονὸς ἐν Πυθίοισί τε δαπέδοις
κεῖται, Πριάμου πόλιν Νεοπτόλεμος ἐπεὶ πράθεν.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERUNT

SEMINARII PHILOLOGORUM IENENSIS PROFESSORES

VOL. III.

LIPSIAE,

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXIV.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERUNT

SEMINARII PHILOLOGORUM IENENSIS PROFESSORES

VOL. III.

LIPSIAE,

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXIV.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

ADOLFO SCHMIDT

PHILOSOPHO PHILOLOGO HISTORICO

ABHINC QUINQUAGINTA ANNOS

PHILOSOPHIAE DOCTORIS
ET AA. LL. MAGISTRI HONORIBUS RITE ORNATO

FESTUM HOC

DIE X. M. SEPTEMBRIS GLORIOSE REDINTEGRATUM

EX ANIMO GRATULANTUR

COMMENTATIONUM PHILOLOGARUM IENENSIUM

EDITORES

INDEX DISSERTATIONUM.

DE SCRIPTORIBVS RERVM IMPERATORIS TIBERII CONSTANTINI

SCRIPSIT

GVIDO HERTZSCH

Iudicio quodam sano et recto Michael Magnus chronographus Syrus summam uim ei temporis momento attribuit, quo Tiberius cognominatus Constantinus regnum Romanum occupauit. Quod quidem Bar-Hebraeus et ipse chronographus sensit, cum Michaelis uestigia hoc loco pressisse uideatur. Dicit enim

Michael (Journal Asiatique quatrième série tom. XII p. 293 Dulaurier):

Depuis Tibère jusqu'à nos jours l'empire a appartenu aux Grecs, car à partir de Caius Julius (Auguste) jusqu' à ce dernier il y avait eu cinquante rois d'origine franke. Dans le temps des Macédoniens on compte trente rois grecs dequis Cronos le Macédonien jusqu'à Pratas. Ce fut Tibère qui commença la seconde dynastie grecque, dans l'année de l'ère syrienne 888 et de l'ère arménienne.

Bar-Hebraeus p. 90 (ed. Bruns et Kirsch):

Hinc incipit series nona ab imperatoribus Romanis ad Graecos denuo translata.

Dynastia IX.

Tiberius annos tres. Ad hoc usque tempus omnes imperatores Romani uel Franci fuerunt, quorum primus Augustus, postremus Iustinianus[1]) erat. Licet enim lingua incolarum urbis et legis peritorum graeca esset: reges tamen ipsi et milites Franci fuerunt. Ab hoc Tiberio deinceps fuit initium imperii secundi Graecorum. Erant enim leapsi anni 602, postquam regnum eorum primum desiit, quod exorsum erat a Crono[2]) Macedone et finiebatur in Perseo (per seriem) 38 regum.[3])

Mire quidem dictum esse uidetur Tiberium primum Graecum regnum occupasse; sed res Byzantinas post Iustini iunioris obitum

1) Id est Iustinus minor; consuetudo enim est et Michaelis et Bar-Hebraei ut pro Iustino et maiore et minore usurpent nomen Iustiniani. — 2) = Carano. — 3) Michaeli igitur Syro, non Barhebraeo (cfr. A. de Gutschmid: Grenzboten 1863 I p. 340) haec iudicii sanitas ascribenda est; sed de hac fontium ratione postea fusius disputabitur.

quisquis diligentius considerauerit, non poterit is negare haud pauca exstare, quibus illa chronographi sententia possit fulciri.

Ac primum quidem constat ante Tiberium saepius factum esse, ut ad homines barbaros imperii summa deferretur sicuti ad Zenonem Isauricum, ad Iustinum maiorem, Iustinianum, Iustinum minorem. Inde a Tiberio autem alius obtingendi imperii modus esse coepit, cum iam non per seditiosorum militum uim studiumque sed per praecedentis imperatoris uoluntatem nouus imperator crearetur; inde igitur paternum quoddam hereditariumque bonum regnum esse coepit, quamuis is deligendi modus non lege ulla sancitus fuerit. Quod fieri non potuit, nisi imperatores id potissimum egissent, ut et periculosissima praetorianorum uis frangeretur, et totius imperii administratio sic gereretur, ut remotis diuersis prouinciarum studiis omnia in unum coalescerent et, ut Plinii[1]) uerbis utar, breuiter una cunctarum in toto orbe patria fieret. Tum sede imperii Byzantium translata effectum erat, ut disiectis linguae Latinae etiam tum praeualentis fundamentis Graeca sola adhiberetur. En habes, cur non modo Byzantini scriptores opera sua Graece conscripserint, uerum etiam imperatores ipsi inde a Iustini minoris temporibus leges eadem lingua tulerint.

Rem ipsam iamiam aggressi duo fontium genera discernamus oportet, primum scriptorum Syriacorum, alterum Byzantinorum. Huc accedunt auctores minoris momenti sicut Ioannis Biclariensis abbatis breuiarium lingua Latina, chronicon Tabarianum Arabica compositum res Persarum et Arabum Sassanidarum temporibus gestas enarrans, de quo chronico optime meritus est Th. Noeldeke, cum non solum in uernaculam linguam uerterit uerum etiam optimis maximeque exquisitis annotationibus exornauerit.[2]) Cui chronico quantum tribuendum sit, cognoscas licet ex praefatione editoris. Ioannes uero Biclariensis, qui, ut ipsius afferam uerba, quae temporibus suis acta sunt, ex parte quod oculata fide peruidit ex parte quae ex relatu fidelium didicit, studuit ad posteros notescenda breui stylo transmittere[3]), quamuis ipsius Tiberii fuerit aequalis, tamen longioris spatii interuallo a rebus gestis sepositus erat, quam ut accurate eas cognosceret. Minime respiciendum uidetur chronicon Ioannis Nikiou Aethiopis, cum ne ea quidem, quae profert de Iustino et Tiberio imperatoribus — sunt autem paucissima — recte sese

1) N. H. 3, 39. — 2) Geschichte der Perser und Araber zur Zeit der Sassaniden, aus der arabischen Chronik des Tabari v. Th. Noeldeke, Leyden 1879. — 3) Patrol. ser. tom. 72 p. 863 A l. 10.

habere uideantur (cfr. Zotenberg: chronique Byzantine Journal Asiatique septième série tom. XII 1878 p. 346—347 et tom. XIII 1879 p. 291 sqq. Vertit autem Zotenberg chronicon Aethiopicum in linguam Franco-Gallicam). Velut l. c. p. 347 tom. XII affirmat Tiberium tertio imperii anno mortuum esse et tom. XIII p. 291 Mauricii imperatoris uxorem fuisse filiam Domentioli cuiusdam, quamquam alii iique testes grauissimi in unum consentiunt et eum morte abreptum esse quarto anno regni et Constantinam fuisse filiam ipsius Tiberii. Sed de plerisque eius auctoribus, cum plenius suo loco egerit Zotenberg, plura uerba facere superuacaneum est.

Syros autem auctores habemus tres: Ioannem Ephesium, Michaelem Magnum, Bar-Hebraeum. Ioannis Ephesii libros in nostram linguam uertit Schoenfelder[1]), Michaelis chronicon uir illustrissimus Dulaurier in Franco-Gallicam[2]), Barhebraeum Latine reddiderunt Bruns et Kirsch.[3]) Vt a Ioanne incipiam, floruisse eum temporibus Iustini et Tiberii imperatorum dignissimumque esse, cui summa habeatur fides, cum optime ex ipsius libris colligitur, tum dilucide demonstrauit N. Land, uir in studiis Syriacis clarissime uersatus.[4]) Ex eiusdem Landii libro p. 41 sqq. intelleges Michaelem Magnum saeculo XII, Barhebraeum uero XIII condendae chronographiae operam nauasse.[5]) Quos inter tres auctores quae fontium ratio intercedat, quantum quidem ad nostram pertinet quaestionem, nescio an exponere pluribus necesse sit.

Quos auctores secutus sit Michael cognosces ex Dulaur. l. l. p. 288 et Land. p. 45, ubi inter alios commemoratur Ioannes Antiochenus, id est Ephesius noster. Sed ea, quam profert Land p. 47 sententia Michaelem admodum raro adhibuisse Ioannem praesertim in rebus ecclesiasticis uix probanda esse uidetur. Quamuis enim negare non audeam Michaelem non tam ecclesiasticarum quam profanarum rerum habuisse rationem, tamen hoc certe mihi

1) Die Kirchengeschichte des Ioannes von Ephesus übersetzt von Schönfelder, München 1862. — 2) Journal Asiatique IV série tom. XII et XIII p. 289—334 et p. 315—376. Michaelis chronicon lingua Syriaca consignatum plane est deperditum; exstat autem id opus translatum in linguam Armeniacam, quod ille uir doctissimus uertit in Franco-Gallicam cfr. Land.: Ioannes von Ephesus p. 42. — 3) Bar-Hebraei chronicon Syriacum ed. Bruns et Kirsch Lipsiae 1789. — 4) L. l. p. 55 sqq. — 5) Patriarcha Syrorum Antiochenus fuit Michael Magnus inde ab anno 1166 usque ad a. 1199, quo mortuus est (uide Gregorii Barhebraei chronicon ecclesiasticum ed. I. B. Abbeloos et Th. I. Lamy I p. 536 sqq. 603, Dulaurier Journ. Asiat. IV sér. XII p. 285 sqq., qui falso centesimum eum fuisse patriarcham contendit, cum esset nonagesimus.

constat res a Michaele p. 289—301 (ed. Dulaurier) narratas si non omnes, attamen plerasque petitas esse ex Ioannis libris, ita uero petitas, ut Michael illius narrationem satis fusam in breuius redigeret nonnullasque res omitteret alias ad uerbum exscriberet. Requires sane primo statim obtutu apud Ioannem omnia, quae Michael affert de Marciani expeditione, de eodem Caesare designato et de tempore oppugnatae urbis Nisibios; sed hucusque alium auctorem mihi quidem ignotum secutus esse uidetur.[1]) Quae uero sequuntur de urbe oppugnata, haec cuncta uberius inuenimus apud Ioannem l. VI c. 2 exposita.

Pergit autem agere Michael de Alamundaro regulo Arabum cum Romanis coniuncto, quemadmodum inuasionem fecerit in Persarum terram, multos Persas, qui suum regem eum esse rati in eius castra profecti essent, trucidauerit ex inopinato, deinde a Iustino pecunias petierit; porro etiam addit Alamundaro ab irato Iustino insidias factas esse, qua re excitatum Iustini partes illum deseruisse; quibus compertis Persas omnibus neruis contendisse, ut Daram urbem caperent, quod bene cessisse dolo quodam adhibito; deinde ex capto oppido magnum numerum uirginum nobilium electum esse, ut Turcis mitterentur; uirgines autem impatientes ignominiae futurae in amnem quendam se proiecisse. Omnia haec eodem fere ordine narrat Ioannes l. VI c. 3, 4, 5, 7.

Fortasse miraris, quod Michael Ioanne apertius secernit Arabes Romanos et Persicos. At Ioannes eorum tam saepe facit mentionem, ut facile possis concludere, qua ratione illae Arabum gentes distinguendae sint; fortasse etiam Ioannes de illis Arabum principibus accuratius egit alio loco nunc deperdito, quem Michael respexerit. Contra non pertinebat ad Michaelem omnia summatim perscribentem et in breuius comprimentem numerum uirginum ab

1) Marcianum Caesarem declaratum esse ceteri scriptores-nam Bar-Hebraei, Michaelis sectatoris, ratio non est habenda — memoriae non prodnnt, quamquam uberius hisce de rebus disputant. Sed hoc loco Michaelis fons duas res inter se confudisse uidetur. Accepimus enim Iustinum imperatorem (cfr. Theophan. 376, 12 Bonn) nepotem suum Iustinum Alexandriae Caesarem renunciatum necauisse, quod is sibi pararet insidias (cfr. Euagr. hist. eccl. V 1 et 2). Item autem erat Marcianus Iustini cognatus (cfr. Ioann. Eph. VI 2, Ioann. Epiph. 3, Euagr. V 8, Malal. = Theop. 370, 2—3). Eidem cum Iustinus maxime succenseret propter insidias factas (cfr. Ioann. Epiph. 4, Ioann. Eph. VI 3, 4, 5) uel res male gestas, abrogavit imperium. Has res mihi uidetur Michael uel potius is auctor, quem ille secutus est, inter se confundere, quamuis hoc non spoponderim.

Ioanne traditum reddere. Vnde additamentum illud manauerit, quo dicit Michael regem Persarum ne minimam quidem illius calamitatis culpae partem custodibus imputasse, nequeo dicere; certe id non commemorat Ioannes. Persuasum autem mihi est Michaelem ipsum haec adiecisse, praesertim cum non exstet apud Ioannem illos custodes graues neglegentiae poenas dedisse.

His rebus expositis M. degressus de bello Persarum[1]) orationem traducit ad Iustini dementiam, quo facilius perueniat ad Tiberium Caesarem designatum. Redit igitur a sexti Ioannis libri initio ad initium l. III primaque capita contrahit quam maxime; morbi causa eadem exponitur: propter nimiam in monophysitas saeuitiam a daemonibus uexatum esse et Iustinum et Ioannem patriarcham, auctorem persecutionum omnium (cfr. Ioann. Ephes. II 26). Quamquam omnia haec Michaelis maxime sunt abbreuiata, tamen nonnulla exstant, quae prorsus congruunt cum uerbis Ioannis.

Iam ad Tiberii designationem progressus M. inde a uerbis: 'Depuis Tibère' usque ad 'sous l'autorité du nom Romain' suam ipsius sententiam narrationi intertexuisse uidetur. Posterioribus temporibus haec adiecta esse non solum apparet ex uerbis 'jusqu'à nos jours', sed etiam inde effici poterit, quod Francorum ab homine Syro mentio fit. Quo nomine omnino occidentis incolas significatos esse apud gentes orientales temporibus illarum expeditionum per duo saecula in orientem susceptarum quis est quin sciat?[2]) Itaque uix poterit dubitari, quin haec tota enuntiatio ascribenda sit ipsi Michaeli, qui illa aetate floruit.

Postquam Hormisdam in locum Chosrois successisse enarrauit p. 295, redit scriptor ad bella Persarum exscribitque l. VI c. 8, 9, 10 Ioannis Ephesii. Quibus rebus commotus rex miram illam proposuerit legem quam Michael p. 295 = Ioann. Ephes. VI 9 refert

Ioannes	Michael
Der König soll nie mehr zum Kriege ausziehen, wenn er nicht gegen einen König selbst auszieht.	Le roi des Perses décréta, que jamais le souverain ne ferait d'incursion ou n'irait à la guerre si ne c'est contre un souverain son égal.

1) Nam Ioannes h. l. uertit se ad pacem in Armenia factam. — 2) Cfr. Bar-Hebraei hist. eccl. p. 546, ubi uox Francorum eodem sensu usurpatur. Conf. et Ottonis Fris. chron. l. VII c. 4 ed. Wilm. p. 299; Francorum; sic enim omnes occidentales populos ob antiquam gentis illius dignitatem, ut puto, et uirtutem orientales appellare solent.

si scire uis, legas eiusdem Ioannis l. VII c. 8, in quo haec insunt: Seine Vornehmen nämlich zankten beständig mit ihm uud sagten: Einen schlimmen Namen bekommt Persien durch uns, da noch nie einer von den persischen Königen das that, was du gethan hast und uns herführte, um in diesen Bergen zu sterben.

Eandem legem Graeci auctores ita afferunt, ut putes Persarum regem summo cladis atrocissimae pauore attonitum edixisse, ne quis in posterum Persarum rex cum Romanis bellaret[1]; quod absurdum esset. Neque uero hac in re fide digni sunt Graeci scriptores, utpote qui res Romanas laudibus elaturi talem legis formam protulerint; contra cognosces maxima fide dignum esse Ioannem Ephesium. Non praetermittendum autem uidetur Michaelem a Ioanne ita dissentire, ut dicat Romanorum exercitum, in Cappadocia cum in Persarum conspectum uenisset, salutem fuga petiisse, cum affirmet Ioannes Persarum regem summo terrore perculsum se uoluisse recipere. Recte se habere omnia, quae Ioannes de illa fuga Persarum narrat, sequitur ex Euagrii l. V c. 14. Iterum autem M. mihi uidetur confundere inter se, quae Ioannes II 24 pluribus uerbis narrat. Ibi enim, sicut saepenumero solet, Ioannes eandem rem adumbrat quam in l. VI c. 8 etsi paucioribus uerbis enarrat. Eodem in capite cum agat de magna et turpi Romanorum clade, non dubito, quin M. in eum errorem inciderit, cum illam ante oculos haberet.

Quam compilandi uiam et rationem Michael inierit licet dignosci ex iis, quae profert p. 295—296 de Romanis a Persis subito circumuentis; quam in calamitatem eos incidisse, propterea quod Dei clementiam offendissent. Ea autem, quamuis Ioannem secutus, tantum abest, ut eodem ordine quo ille edat, ut illius calamitatis causas, de quibus ille sub finem capitis egit, prius afferat quam ipsam calamitatem exponat.

In iis, quae subsequuntur, agitur de rebus ecclesiasticis, uberius perscribitur, qualem se praebuerit Tiberius in eiusmodi rebus, utrum ab his aut ab illis steterit partibus; nam de Iustino quoque idem inseruerat p. 292. Quae quamquam non insunt Ioannis libris, tamen persuasum habeo ab illo narrata esse, cum inter ea capita, quorum summaria tantum ad nos integra peruenerunt, duo ad illam rem alludere uideantur, dico l. III c. 44 et 48; epitomae

1) Cfr. Euagr. V 15, Theophyl. III 14 p. 145, Bonn. l. 24; non respiciendi uidentur Theophanes et Cedrenus, quos ex Theophylacto prorsus pendere postea explanabimus.

sunt haec: Vom kurzen Frieden und Ruhe, welche die Rechtgläubigen in der Hauptstadt hatten, et 48: Von dem, dass König Tiberius Einheit in die Kirche zu bringen suchte (cfr. et IV 40). Summopere autem Tiberium ecclesiasticam pacem coluisse compluria docent Ioannis capita (cfr. III 21). Quas res a Michaele sumptas esse ex libris Ioanneis inde potissimum colligimus, quod inducitur ille angelus pugnans cum daemonio (cofr. Ioann. III 5). Ceterum quod attinet ad dogmaticas illas quaestiones, non neglegendum est Ioannem ipsum monophysitam uehementissimum fuisse aduersariumque eorum, qui concilii Chalcedonensis praecepta sequebantur. Apparet autem per se ipsum Michaelem, cum esset patriarcha monophysitarum Syrorum, idem de religionis praeceptis sensisse, quod Ioannes sensit.

Quae subinde narrat M. de patriarcha Tiberium adhortante, ut repudiata sua uxore Sophiam imperatoris Iustini uiduam in matrimonium duceret, haec fluxerunt ex Ioannis l. III c. 7. Quod M. affert uxorem Tiberii receptam esse benigne a Sophia et ei ab illa nomen Helenae inditum esse, id paullulum abhorret ab Ioan. Ephes. III 9, ubi scriptum est eam in sedem imperii profectam esse non impediente Sophia nomenque Helenae ei datum esse a multitudine. Vnde haec habeat M. non liquet, fortasse alio ex auctore nobis ignoto.

De moribus Tiberii, de eius liberalitate et clementia conspirant Michaelis p. 297—298 et Ioannis l. III 11 et 14, qui etiam de numero talentum donatiuorum ad unum consentiunt. Iuuat autem perspicere, quatenus Michael expresserit Ioannem. Is enim duobus l. c. uirtutes Tiberii (III 11 et 14) maxime illustrat. Quod idem facit Michael compilator. Atque alio quoque loco p. 301 uerba nonnulla inserit de laude Tiberii ita tamen, ut pauca inter se confundat. Dicit enim Ioannes III 14 p. 109: Zuvor noch hatte er befohlen, dass eine von den vier öffentlichen Abgaben allen Provinzen nachgelassen werden sollte. Michael p. 301: Cependant Tibère redoutant la colère de Dieu distribua aux pauvres la quatrième partie de ses richesses et supprima les impôts de tout l'empire. Apparet uero Michaelem falso illam quartam partem referre ad diuitias, quae certissime pertinebat ad uectigalia.

Quae deinde sequuntur de Alamundari reditu in urbem, ad eundem fontem redeunt, quamquam uerbis non consentiunt cum Ioanne (p. 170). Tiberii et Alamundari orationes autem a Michaele procul dubio fictae sunt, quoniam nihil noui afferunt. Tum Michael

transit ad describendam Auarorum irruptionem[1]), quam deprompsit ex Ioannis l. VI c. 24, 25, 30, 31, 32 ita, ut quae ille de Slauis dixerat, suae intertexeret narrationi multaque commutaret; hoc modo explicatur, cur pro Auaris nomen Slauorum usurpet Michael irruptionemque quarto anno imperii Tiberii, quo constat Sirmium captum esse, tribuat; cetera de oppugnatione Sirmii, de incendio, de annonae caritate, de penuria et inedia incolarum, de Langobardorum expectato auxilio, haec omnia fluxerunt ex libris episcopi Ephesii.

Postquam ad quartum Tiberii annum uentum est, M. dicit Mauricium a Tiberio Caesarem designatum et missum esse contra Persas una cum Alamundaro. Sed in hac re errat chronographus Ioannis uerba maxime breuians atque posterioribus praemissis ad priora facta regressus; namque ea tempestate Mauricium nondum Caesarem sed ducem orientis fuisse intellegas et ex Ioannis l. VI c. 14 et ex omnibus scriptoribus Byzantinis.

Omnia, quae deinde M. affert de simultate inter Mauricium et Alamundarum orta, occurrunt apud Ioannem l. III 40 et VI 16. Haesitanti autem tibi, utrum hoc caput exscripserit Michael an illud, nonnulla succurrunt, argumenta quibus luculenter demonstrari uideatur, eum se conuertisse ad c. 40 l. III. Primum enim — id quod per se totam absoluit difficultatem — legimus l. VI c. 16 Mauricium postremo ad imperatorem profectum esse sed non pernotuisse, num accusauisset Alamundarum; contra exstat in c. 40 l. III Mauricium in eum grauissima coniecisse crimina, quae eadem inueniuntur apud Michaelem. Deinde uero inde a c. 40 l. III uno fere tenore redeunt ad Ioannis auctoritatem, quaecumque dicuntur de regulo illo Arabum; neque uero putandum est excerptorem illum ad aliud alius libri caput se conuertisse, cum omnia uno eodemque loco deinceps tradita inueniret.

Aliter autem Ioannes aliter Michael narrat, quomodo Alamundarus a Magno illo captus sit; neque poterit pro certo statui, unde haec orta sit discrepantia; fortasse spectat ad unum ex testibus illis, quos in perscribendo Tiberii regno se adhibuisse testatur M. p. 301 hisce uerbis: car nous pourrious invoquer en faveur de notre livre l'affirmation d'un grand nombre de témoins pour attester . . . Quae Michael enuntiat de filio Alamundari omnium neruorum contentione contendente, ut patrem liberaret, haec cer-

1) Excerpsit caput de Slauorum gente fortasse ea re commotus, quod apud Ioannem sequitur hoc caput inuasionem Auarorum (24, 25 l. VI).

tissime fluxerunt ex Ioannis l. III c. 42; nam etiam in hac re congruunt illum in Romanorum terram inuadentem, quamuis omnia diripuerit atque abstulerit, tamen uitae incolarum pepercisse.

P. 300 M. tradit filium Alamundari ipsum Byzantium profectum esse ad patrem absoluendum sed utrumque in uincula coniectum esse; inde accidisse, ut Arabes partim se subiicerent Romanis et Persis, partim in aliam demigrarent terram; sic regnum illud Arabum diremtum esse; totius autem calamitatis causam fuisse peruersam concilii Chalcedonensis haeresiam. Omnia haec Ioannis monophysitae operi, quale ad nostram peruenit aetatem, quamquam non insunt, a scriptore diligentissimo quin ita relata sint, dubitari non licet, praesertim cum hoc rursus loco suppeditent capitum deperditorum summaria haec:

l. III 54: Von der Gefangenschaft und Verbannung des Mundar aus der Hauptstadt nach einem entfernten Exile.

l. III 55: Von einem der Häuptlinge des Mundar, Namens Sergius, einem gläubigen Manne, der ebenfalls in die Verbannung geschickt wurde.

l. III 56: Von der Reise des Na'man, des Sohnes des Mundar, nach der Hauptstadt.

l. VI 41: Von der Erhebung und dem späteren Sturze der römischen Araber.

l. VI 42: Davon, dass einige der arabischen Häuptlinge hingingen und sich den Persern ergaben.

Tum Michael tradit Tiberium quattuor annos reguasse, quem annorum numerum certe prompsit ex Ioannis V 13. Contra uerba inde a: Il y en a — usque ad 'quatre ans' (p. 301 l. 7—11) ipse addidisse uidetur chronographus.

In subequentibus narrat M. Tiberium filia in matrimonium Mauricio data eum Caesarem renuntiasse; haud scio an sumpta ea sint etsi in breuissimum compressa ex Ioannis l. V c. 13, 22, 23.

Exscribendi ac compilandi rationem, qua usus est Michael, ut melius perspicias iam nonnullos locos cum Ioannis uerbis me conferre patiaris; maxime autem teneas neue neglegas comparationem eam ob rem quodammodo claudicare, quod non ipsum uerborum contextum sed alterius auctoris libros in uernaculam linguam translatos, alterius bis translatos — primum ex lingua Syriaca in Armeniacam inde in Franco-Gallicam adhibuimus. Quare imperito et Syriacae et Armeniacae linguae non licebit mihi diiudicare, num exacte et accurate libri illi uersi sint ab hominibus doctis Land et Dulaurier.

Ioannes VI 2.

Er griff sie kräftig an.

Da nun die aussen sich anschickten, die Stadt einzunehmen, siehe da langte ein wilder Mann Namens Akakius Archelaus an, der vom Kaiser Justinus an Marcianus ohne einen gerechten Grund gesandt worden war, um ihn seines Commandos zu entsetzen.

Michael p. 289 sqq.

Il pressait vivement cette place.

Il était sur le point de s'en emparer lorsque arriva tout à coup un certain Acacius chargé de la mission de remplacer Marcien et qui lui enleva son commandement par l'ordre de l'empereur.

Ioannes VI 7.

Der persische König liess aus der Gefangenschaft 2000 Jungfrauen von voller Gestalt und Schönheit auswählen — und sie den Barbaren im Innern seines Landes, die Türken hiessen, zum Geschenk schicken, um sich ihnen gefällig zu zeigen, sie zu erfreuen und hinzuhalten . . . Die Jungfrauen betrübten sich nicht bloss, sondern auch über ihre Seele, dass sie dem Christenthum verloren gingen und über ihre Leiber, dass sie den Händen barbarischer Heiden überliefert würden.

Michael p. 291, 15—292.

Le roi des Perses ayant choisi dans le butin un grand nombre de jeunes vierges . . . les envoya en présent au pays des Thédalatzi dans le Thourkesdan avec des lettres pour prier ces peuples de venir à son secours . . .

Ces saintes filles, dans leur voyage, arrosaient le chemin de leurs larmes dans la pensée, que des membres du Christ allaient être livrés comme une proie à des bêtes féroces.

Ioannes VI 9.

Liessen ihm die römischen Heerführer also entbieten . . .

Dass du gekommen bist und die Stadt verbrannt hast, ist nicht Art eines Königs . . . .

Denn selbst für uns, die wir Diener eines Königs sind, wäre et sehr unziemend gewesen, wenn wir das gethan hätten, was du gethan hast; aber rüste dich und lasst uns offen jetzt im Kampfe gegen einander stehen.

Michael p. 294, 20—295.

Alors les Grecs leur envoyèrent dire ces paroles.

Il n'a jamais été la coutume des rois d'incendier et vous savez que nous nous sommes toujours abstenus de semblables dévastations dans votre pays quoique nous n'eussions pas de roi avec nous. Arrêtez-vous et nous combattrons de nouveau.

Ioannes III 7.

Wie man sich aber sagte, liess sie durch einen andern oder den Patriarchen sich mit ihm besprechen, dass der Cäsar seine Gattin verlasse und nun von ihnen, entweder sie, die Sophie, oder ihre Tochter, die gleichfalls Wittwe war, nehme.

Michael 297, 13.

Après cela le patriarche de Constantinople donna à l'empereur le conseil de répudier sa femme et d'épouser l'impératrice Sophie.

Ioannes III 40.

Fanden sie die Brücke vor ihnen abgebrochen .... indem Mauricius meinte, Mundar habe es den Persern sagen lassen und diese hätten dann die Brücke abgebrochen.

Michael 299, 15.

Il trouva le pont du grand fleuve renversé par ces derniers.

On pensa que c'était Mentour, qui était l'auteur de cette destruction.

Ioannes III 42.

Versammelten sie ihr Heer, überfielen das Castrum des Magnus ... und ohne Menschen gefangen zu nehmen oder zu tödten oder anzuzünden, plünderten und nahmen sie Alles mit fort, Gold ... Silber.

Michael 300, 2.

S'avança avec ses troupes dans le pays des Grecs pour le saccager, s'emparant des trésors mais respectant la vie des habitants.

Tabula igitur omnium locorum est haec

Michael.	Ioannes.
p. 289,11—20	= VI 2
289,21—26	= ?
289,26—290,9	= VI 3
290, 9—291,3	= VI 4
291, 3—15	= VI 5
291,15—292,23	= VI 7
292,25—293,15	= III 2—5
294, 1—20	= VI 8
294,20—295,9	= VI 9
295,10—296,9	= VI 10
296,10—297,12	= III 44 et 84 (III 5)
p. 297,13—29	= III 7
297,30—298,3	= III 14 et 11
298,19—299,15	= VI 25,32
299,15—300,2	= III 40,41
300, 2—7	= III 42
300, 7—301,3	= III 54,55 56 et VI 41, 42 ?
301, 4—6	= III 16
301,11—14	= V 13,22, 23.

Non igitur prorsus recte iudicasse uidetur Land de ratione, quae intercedit inter Michaelem et Ioannem; iam luce clarius apparet Michaelem maxime expressisse Ioannem, quoniam permulti loci inueniuntur, qui ad uerbum fere apud utrumque congruunt. Inde primum quidem sequitur Michaelis rationem habendam non esse, ubi ipsa Ioannis uerba adhuc exstant; sed summi idem erit momenti, ubicumque illa Ioannis capita exscripsit, quorum summaria restant.

Michaele absoluto iam quaestionem instituamus de Bar-Hebraeo, quem summa doctrina triumque linguarum scientia exornatum fuisse uult Land l. l. p. 47 sqq. Cuius sane doctrinae in chronico praeclara apparent documenta, cum non solum auctores Graecos et Syros in iis, quae de imperio Tiberii exhibet, optimos adhibuisse uideatur nec temere compilatoribus quibusdam fidem habuerit, uerum etiam, si quid falsi apud primarios fontes inuenerit, quantum potuit, emendauerit.

Quomodo cohaereat Bar-Hebraeus cum Ioanne Ephesio pluribus quamquam explanare studuit Schoenfelder l. l. p. VII praefationis, attamen quaestionem non prorsus profligauit neque omnino inquisiuit, quomodo Bar-Hebraei chronicon ecclesiasticum penderet ex libris Ioannis. Itaque nostrum uidetur his de rebus disputare atque primum ostendere Bar-Hebraei chronicon rerum profanarum partim petitum esse ex Ioannis historia ecclesiastica. Cuius rei fidem facit hic locorum laterculus:

Bar-Hebraeus.		Ioannes.	Bar-Hebraeus.		Ioannes.
p. 86, 18—88, 10	=	VI 2, 5, 6, 7	p. 92,10—93,17	=	III 40, 41, 42, 43, 54, 56 et VI 41, 42
88, 13—17	=	III 4	93,17—94,2	=	VI 29
88, 17—90, 12	=	VI 8, 9	94, 3—5	=	VI 24, 25
90, 15—22	=	III 5, 6	94, 6—12	=	VI 13, 17
91, 7—92, 5	=	VI 22, 28 et III 7, 9	94, 16	=	III 47.

Inde facile cognosces tantum ex l. III et VI Ioannis Bar-Hebraeum sua prompsisse propterea quod hi inprimis ad res profanas spectant. Neque omittenda putaui c. 54, 56 (III) et 41, 42 (VI) quamquam nihil praeter eorum summaria reliquum est. Maxime autem mihi uidentur redolere dicendi rationem Ioannis quaecunque Bar-Hebraeus dicit de regno Arabum diuiso in 17 principes (Michael cur afferat 15 nescio) cum his de rebus optime

eruditum fuisse Ioannem constet; ut uero haec ascriberem Ioanni non minus commouerunt me Bar-Hebraei uerba p. 93 l. 14 'atque usque ad hodiernum diem orthodoxam fidem amplexi sunt'; noli enim putare hoc hodiernum spectare ad B. Hi tempora, immo referendum ad aetatem Ioannis nimis temere transscriptum est. Commemoratio praesentium temporum rursus occurrit VI 25: Und siehe bis auf den heutigen Tag, welches das Jahr 895 ist, et IV 41: anfänglich uud bis jetzt noch, welches das Jahr 896 ist.

Iam nixi ea re, quod Bar-Hebraeus Ioannis scrinia compilauit nonnullos locos B. Hi emendare possumus. Legimus apud B. Hum p. 87 Chosroem 492000 hominum in Persarum terram abduxisse, exstat apud Ioannem numerus 292000, qui uerus esse uidetur. Item p. 92, 11 pro: Monicus Caesar sine dubio scribendum est: Mauricius Caesar.

Difficilior existit quaestio de loco p. 87, 11 ubi B. H. haec dicit: Persae sublatis contra Romanos manibus occiderunt 150000 homines et in captiuitatem abduxerunt 100000, collegerunt circiter 200 talenta auri. Vt enim abstulisse Chosroem circiter 200 talenta auri apud Ioannem l. VI 5 legimus, ita apud eum omnino non exstat ille numerus captiuorum occisorumque. Dicit enim l. c. So brachte er viel Geld zusammen, wie man sagt, über 100 oder 200 Talente und es wurde vor ihm aufgehäuft. Wir aber, weil wir das nicht genau erfahren haben, wollen das Falsche nicht entscheiden, sondern bedecken das, was wir nicht genau wissen, mit Stillschweigen.' Quibus Ioannis uerbis commotum apparet auctorem se conuertisse hoc loco ad alium scriptorem, qui melius instructus his de rebus certum afferret numerum; neque uero, num recte se habeat ille numerus neque, quisnam ille auctor fuerit, dignoscere possumus.

Postquam haec de profano B. Hi chronico praemissa sunt, ad ecclesiasticum chronicon transgressum locorum tabellam componere me sinas, quo modo hoc B. Hi opus cum Ioanne cohaereat, ut melius dignoscas.

Bar-Hebraeus chron. eccles. ed. Abbeloos et Lamy.		Ioannes.	Bar-Hebraeus chron. eccles. ed. Abbeloos et Lamy.		Ioannes.
p. 230,17—234,9	=	l. IV 6 et 7	240, 5—28	=	IV 20
238,30—35	=	IV 15	240,28—242,12	=	IV 23—30
240, 1—4	=	IV 17—19	242,13—244,3	=	IV 31

Bar-Hebraeus chron. eccles. ed. Abbeloos et Lamy.		Ioannes.	Bar-Hebraeus chron. eccles. ed. Abbeloos et Lamy.		Ioannes.
244, 4—13	=	IV 32	252,11—16	=	IV 47 et 54
244,13—26	=	IV 33	252,17—23	=	IV 57 et 58
246, 5—16	=	IV 33	252,24—254,3	=	IV 60 et 59.
248, 6—250,10	=	IV 41			
250,10—17	=	IV 43			
250,17—22	=	IV 40			
250,23—252,10	=	IV 45			

Vides igitur in hoc opere conscribendo Ioannis quartum librum chronographo pleraque suppeditasse, quae ille in breuius contrahere quam ad uerbum transcribere maluit. Praeterea autem alium auctorem secutus esse uidetur B. H., quem ita adhibuisse uidetur, ut nonnunquam narrationem eius uerbis Ioanneis intertexeret. Exempli gratia p. 244, l. 20 asserit mortuum esse Ioannem episcopum coenobii Cartaminensis, uirum praecellentem, qui paci restituisset Edessenos de essentiarum dominatione disputantes, cum Ioannes Ephesius nomen illius uiri mittat.[1]) Simili modo p. 248, l. 6 Damianum narrat uenisse in Syriam fratrem suum Edessae praefectum inuisurum, cuius fratris Ioannes Ephesius nusquam mentionem facit. Eodem ex fonte fluxisse mihi uidetur et illa Damiani epistola quae paulo ante legitur (p. 246—248, 5) et pars quaedam narrationis de Petro patriarcha (252). Certe uerba l. 24—26 'Petrus, utpote qui tum facundus tum utriusque linguae (syriacae et graecae) peritus, tum moribus probus' non referenda sunt ad Ioannem. Quae inueniuntur p. 238, 30—35 attribuenda putauimus Ioannis l. IV c. 15, quamquam illo loco non expresse exstat rogatu Mundari Paulum exsulem a Iacobo sene susceptum esse; quod ex aliis capitibus (21, 36, 39, 40 l. IV) ubi exponitur, quam bene meritus sit regulus ille Arabum de reconciliandis animis aduersariorum, facillime addi poterat. Contra p. 246, l. 6 B. Hebraeus ita ab auctore suo Ioanne (l. IV 33) discrepat, ut intra decem dies Ioannem, Sergium, Iacobum morte abreptos esse dicat, cum Ioannes duodecim dierum numerum afferat. Quae discrepantia utrum orta sit neglegentia sectatoris an librariorum errore, uix diiudicauerim.

Fortasse denique miraris quod in tabulam recepi: 240, 28—

1) Cf. IV 33: So starb daselbst, wie man sagte, sogleich einer von den ihn begleitenden Bischöfen, Abt des Klosters von Cartamina . . .

242, 12 = IV 23—30 quamquam neque ipsa capita neque summaria ad nos peruenerunt. Sed cum et in iis, quae praecedunt et in iis, quae subsequuntur Ioannes Bar-Hebraei auctor exstiterit non est cur hoc loco alium fontem adhibitum esse sumamus.

Iam uenio ad profanum eiusdem scriptoris chronicon; neque in hoc opere omnia repetenda sunt a Ioanne, cum occurrant nonnulla, quae ut desiderantur apud Ioannem ita cum Michaelis uerbis adeo congruunt, ut uterque ex eodem quasi fonte hausisse putandus sit; nam quominus censeamus Bar-Hebraeum haec sumpsisse ex Michaele, impedit, quod inuenimus nonnulla apud Bar-Hebraeum, quae non exhibet Michael. Exempli gratia conferas:

Mich. p. 289, 1 seqq.

La huitième de son règue Iustinien déclara César son cousin Marcien et l'envoya contre Medzpin. Celui-ci s'étant rendu à Dara fit partir pour la Perse ses troupes, qui en revinrent chargées de butin. Comme les Perses redoutaient Marcien, le Marzban, qui occupait Medzpin, lui envoya des paroles de soumission et des présents et le retint à Dara, jusqu'à ce qu'il eut approvisionné la ville de vivres et qu'il en eût fait sortir les chrétiens.

B. H. p. 86, 9 seqq.

Anno eius octauo Marcianum filium sororis suae Caesarem renunciauit illumque cum exercitu Romano ad oppugnandam Nisibim misit. Postquam Daram oppidum uenerat, misit milites in terram Persarum, qui praedati redierunt. Dux Persicus, qui Nisibi erat strategemate excogitato ad Marcianum egressus est eumque quattuor menses detinuit, quasi regi suo consuleret, Nisibin ultro reddendi; alias enim bellum oriturum. Qua quidem arte commeatus Nisibin deportati sunt hortique circa urbem, quantum quis sagitta iaculetur, abrasi et Christiani ex ciuitate expulsi.

Vides igitur h. l. Bar-Hebraeum esse uerbosiorem et copiosiorem Michaele, qui neque de quattuor illis mensibus, per quos Marcianum ducem Persarum retinuisse B. H. affirmat, quidquam affert neque de hortis propter urbem uastatis. Aliis uero locis ipsum Michaelem inspexisse uidetur B. H., non communem illum fontem, sicut eo loco, quo tantam auctoritatem attribuit imperio Tiberii (cfr. B. H. 90, 24—91, 6 = M. 293, 17—30); noli uero ea re offendere quod B. H. addit uocem Romanorum et numerum annorum elapsorum inde ab interitu primi Graecorum imperii et exactius

seriem 38 regum[1]); quae facta temporum computatione facillime enucleare poterat. Idem iudicandum est de narratione p. 89, 12 de Arabum duabus partibus (M. p. 289); neque tollit nostram sententiam nomen Cabosi regis, quod B. H. praesumpsit ex Ioannis l. VI c. 3, cum in iis quae subsequuntur statim ad illud Ioannis caput se conuertat.

Eundem ad Michaelem (p. 298, 4—18) referam narrationem p. 92, 6—10 de reditu Alamundari in urbem ad Tiberium post Iustinum mortuum in breuissimum compressam.

His de Michaele Bar-Hebraei auctore expositis, quae appareant Graecorum auctorum uestigia in ea Bar-Hebraei chronographiae parte, quae spectat ad nostram quaestionem, iam consideremus.

Cedrenus 685, 7 Bonn.	**B. H. 85, 17.**
ἦν δὲ βασιλεὺς στυφόμενος τοὺς πόδας καὶ τὸ πλεῖον κατακείμενος.	Postea dolore pedum laborabat.

Aliam exscribendi rationem adhibitam esse cernimus p. 90 in afferenda ea oratione, quam Iustinus, cum Tiberium Caesarem nuncuparet, habuisse fertur, cum modo ad hunc modo ad illum Bar-Hebraeus se conuerterit auctorem.

B. H. 90, 11.	**Ioannes III, 5.**
Intellige, cui bono sis et cui ego bono fuerim. Honora matrem tuam, quae fuit domina tua hique omnes, qui adstant, filii tui sunt. Curam age militum, ne sanguinem fundere laeteris, ne malum retribuas pro malo, ne imponat tibi uestitus et ornatus splendidus regiae dignitatis, sicut etiam me deduxit.[2]) Profecto, si adhuc uixero, exuam illa, de quibus tecum locutus sum multaque horum similia.	Und nun Tiberins nimm dir an mir ein abschreckendes und warnendes Beispiel. **Cedr. p. 686.** *τὴν μητέρα σου τὴν ποτέ σου δέσποιναν γενομένην, σέβου καὶ τίμα, πάντες οὗτοι οἱ παριστάμενοι δοῦλοί εἰσι καὶ τέκνα σου. τῷ στρατῷ πρόσεσχε. μὴ ἐπιχαίρῃς αἵμασι, μὴ κοινῶν ειφόνοις, μὴ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδώσῃς.* Ioannes III 5. Sieh zu, dass diess Gewand und dieser kaiserliche Schmuck dich nicht verführe, wie er mich verführt hat und auch du deiner Herrschaft entkleidet und beraubt werdest wie ich an diesem Tage.

1) Fortasse numerus corruptus est. — 2) Non prorsus quadrant ad Ioannem quae inde a uoce 'profecto' usque ad finem sequuntur; sed B. H. compluria resecuisse uidetur.

Cedreno potissimum ut haec ascriberem, commotus sum uerbis Bar-Hebraei: qui adstant = παριστάμενοι Cedreni. Haec enim uox solum éxstat apud Leonem Grammaticum[1]), qui hanc orationem exscripsit ex Cedreno.

Sub finem orationis ad Ioannem regressus in sequentibus eius uestigia pressit.

B. H.	Ioannes III, 5.
Tiberius se prostrauit, plorauit pilumque scidit. Postquam (imperator) iusserat eum erigi ipse manibus suis uestimenta ei inducit coronatumque eum ornauit. Posthaec uixit adhuc nouem dies, obiit tandem oppressus dolore stranguriarum, qui tantus fuit, ut adstantes obsecraret gladium afferendi, quo eum interimerent.	Auch der edele Tiberius warf seinen Mantel ganz ab, stürzte sich mit dem Angesichte auf die Erde hin zu den Füssen des Kaisers und schrie ebenfalls ganz laut mit bitteren Thränen und Seufzern ... Zuletzt aber liess er ihn aufstellen ... hierauf bekleidete er ihn mit dem kaiserlichen Schmucke und Gewand. C. 6: Justinus aber lebte, nachdem er ihm die Krone aufgesetzt, noch 9 Tage ... Nächstdem, dass ihn unter Andern auch der Schmerz der Strangurie quälte ... rief er aus und beschwor: Bringt mir doch ein Schwert und tödtet mich.

Errauit autem satisque neglegenter auctorem tractauit B. H., cum narret Iustinum nouem dies post illam orationem habitam diem supremum obiisse. Luculenter enim Ioannes in eodem c. 6 tradit Tiberium Caesarem post illam orationem cum Iustino uixisse quattuor annos[2]) eamque orationem Iustini morbo impliciti in designando Caesare Tiberio non imperatore creando habitam esse. Iam prius p. 88 enuntiat Tiberium Caesarem proclamatum esse nulla illius orationis facta mentione. Conspirat in hac re prorsus cum chronographis Byzantinis, Cedreno, Leone Grammatico, Zonara, qui cuncti in uniuersum idem afferunt, quorum uero testimonium ad irritum redigitur grauissima auctoritate Ioannis (l. l.) Euagrii (V 11 et 23)

1) P. 185 Bonn. — 2) Nachdem nun der Kaiser Justinus den Tiberius zum Cäsar aufgestellt hatte, lebte er mit ihm noch vier Jahre ... cfr. et V 13 et III 7: Während dieser sämmtlichen 4 Jahre vor dem Tode Iustins, wo er als Cäsar regierte.

Theophylacti (III 11, 12, 16) Theophanis (p. 381—382 Bonn.), qui orationem falso loco refert. Et hic error ad Graecos illos auctores erit referendus et ea, quae B. H. p. 88, 10 inde a uerbis 'his auditis' usque ad l. 13: unius tantum anni memoriae traduntur. Neque enim haec insunt in Ioannis aut Michaelis libris. Graeci autem scriptores rem illam ita narrare solent, ut Iustinum terrore nuntii Apameae et Darae captae perculsum in dementiam incidisse putes (cfr. Euagr. 5, 11, Theophyl. p. 136 Bonn., Theophan. p. 381 Bonn., Cedr. p. 685 Bonn.). Zachariam cum pecuniis ad Persarum regem missum esse hoc ab uno Menandro confirmatur fr. 38 (Müller p. 240 uol. IV fr. hist. Graec.), ubi non ut apud B. H. 650 librae auri sed 45 milia nummorum enumerantur. Sed de his pluribus. Cum Iustinus méntis imbecillitate laboraret incertis Tiberio et Sophiae, quid de bello statuerent Persarum ipse rex Iacobo legato cum epistola contumeliarum et uerborum insolentium plena misso illam dubitationem exemit. Qua epistola lecta Zachariam inter imperatoris medicos ascriptum legatum ad Persas misit. Qui cum ad regem uenisset, ei XLV milia nummorum dedit induciasque annuas per orientem fecit; quo facto rediit Byzantium. Haec Menander satis fuse et exacte. Cui legationes omnino uberius referenti non est cur non crediderim, praesertim cum B. Hi narratio non ad eum redire uideatur.[1]) Quaesitanti autem cur ceteri scriptores, quamuis multa faciant uerba, nihil de pecuniis missis commemorent suspicio exorta est id de industria ab eis factum esse, quia a Romanorum dignitate alienum duxissent Persarum regi tributa pendere. Cum postea similia inueniantur, hoc tenendum neque neglegendum erit.

Haec fere ad Graecos auctores pertinere uidentur; quae restant pauca frustula B. H. ipse adiecisse putandus est, sicut p. 87, 22: etiamnunc duci populus occurrit albis uestibus indutus, p. 90, 23: Hinc incipit series nona.

Quomodo uersatus sit B. H. in conscribendo chronico iam intelleges atque inde concludes perraro ad eius auctoritatem recurrendum esse, cum nihil fere noui afferat sed paene omnia ex fontibus hodie integris hauserit. Sed caue ea neglegas, quae dicit de Alamundaro capto, cum in his non tam B. Hum, quam ipsum Ioannem Ephesium loquentem audiamus; qua in re infirmatur eius fides eo, quod copiosam Michaelis narrationem habemus.

1) Obstat enim uarius nummorum numerus ne eos inter se conexos esse existimemus.

Ad Byzantinos iamiam transgressi id moneamus concedas inter chronographiae compilatores distinguendum esse atque inter probos historicos sicut Euagrium scholasticum, Theophylactum, quorum opera ad hanc aetatem integra peruenerunt. Euagrii historiae ecclesiasticae libros sex ad cognoscendam illam aetatem summi momenti esse inde sequitur, quod liber V et VI non tam ad ecclesiasticam, quam ad profanam historiam spectant.[1] Quare antiquissimus editor, Valesius, uir doctissimus, maximopere Euagrium perstringit, qui non tantam diligentiam adhibuerit in conquirendis antiquitatis ecclesiasticae monumentis, quantam in legendis profanis scriptoribus; certe totum fere librum sextum consumi in belli Persici narratione (cfr. Migne 2412).

Theophylactus, quem scimus libris VIII condidisse res gestas Mauricii in l. III inde a. c. 9 etsi summatim, tamen, ut solet, satis accurate res ante Mauricium imperatorem in Persarum bello gestas perscribit. Ad hos rerum scriptores accedunt fragmenta Menandri Protectoris, Ioannis Epiphaniensis, Theophanis Byzantii gratissima. Menandrum quidem historiam Agathiae usque ad mortem Tiberii perduxisse docet Suidas s. u. = prooem. ad hist. fr. I apud Muell. Niebuhr. p. XXII; Ioannes Epiphaniensis autem de Chosrois iunioris ad Mauricium imperatorem fuga agens redit ad pristina Tiberii et Iustini tempora (cfr. Müll. l. l. p. 272). Cuius opus hodie fere totum periisse maxime dolendum est; ubi Menandri exstant 75 frgm., Ioannis unum restat (cfr. Müll. fr. hist. Graec. IV p. 201—269 et p. 273—276 = Hase, Paris 1819). Theophanis illius Byzantii ab eiusdem nominis chronographo secernendi, libros decem, quibus consignauit res Iustini et Tiberii incolumes si haberemus, res bene sese haberet. Sed ne unum quidem fragmentum ad nos peruenit, nisi forte aliquid tribuis excerpto illi Photii (cod. 64 Müll. l. l. p. 270). Quorum scriptorum, cum aequales Iustini, Tiberii, Mauricii imperatorum essent, excepto uno Theophylacto quem constat anno circiter 610 Heraclio imperante historiam conscripsisse, narratio est quasi testium oculatorum. Noli autem neglegere hic illic suspectam esse eorum fidem praesertim Persarum bellum enarrantium. Namque, ut unum afferam Menandrum, ea re ad historiam conscribendam commotus est ille, quod litteratos homines a Mauricio imperatore splendidissimis exornari praemiis uiderat (cfr. fr. I Müll. l. l. p. 201). Idem fere cadere uidetur in Euagrium, qui ob opus prius compositum a Tiberio et

1) Inter IIL capita illorum librorum XL fere ad res profanas referenda sunt.

Mauricio imperatoribus summis se auctum esse dignitatibus ipse testatur libri VI cap. extremo. Quam iniuste omnino de Romanorum aduersariis hi scriptores iudicauerint una ex re optime colligas: Graeci illi auctores (cfr. Men. fr. 55, Theophyl. 3, 16, Euagr. VI, 16) consentiunt fuisse Persarum regem uirum crudelissimum, cuius atrocitatem ne subditi quidem tolerassent.[1]) Quod de eo iudicium iniuste factum esse cum ultro intellegimus ex Tab. chr. p. 264 seqq., tum demonstrat Noeldeke l. l. in annotationibus.

De chronographis quid statuendum sit nullo labore efficies ex iis, quae ipse de suo opere p. 5 ed. Bonn. praemittit Theophanes: *πολλὰς γὰρ βιβλίους καὶ ἡμεῖς ἐκζητήσαντες κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν καὶ ἐρευνήσαντες ... συνεγραψάμεθα οὐδὲν ἐφ' ἑαυτῶν συντάξαντες, ἀλλὰ ἐκ τῶν ἀρχαίων ἱστοριογράφων τε καὶ λογογράφων ἀναλεξάμενοι ἐν τοῖς ἰδίοις τόποις τετάχαμεν· ἑκάστου χρόνου τὰς πράξεις ἀσυγχύτως κατατάττοντες, ἵνα εἰδέναι ἔχωσιν οἱ ἀναγιγνώσκοντες ἐν ποίῳ χρόνῳ ἑκάστου βασιλέως ποία πρᾶξις γέγονεν, εἴτε πολεμική, εἴτε δημώδης, εἴτε τις ἑτέρα.* En uides cur uaria rerum et ecclesiasticarum et profanarum nullo conexu ab illis afferantur. Idem cadit in alios eiusmodi compilatores Georgium Hamartolum, Cedrenum, Leonem Grammaticum, Zonaram. Persaepe autem haud facile est inuenire, quosnam exscripserint auctores, cum raro soleant fontes nominatim afferre ac plerumque non ipsos inspexerint sed alios epitomatores secuti sint. Quamuis autem talibus chronographis operam nauare pigeat taedeatque, tamen ob ipsam illam socordiam maximi sunt aestimandi, quoniam interdum optimos ad uerbum transcripserunt scriptores, quorum opera hodie desiderantur.

Sed haec hactenus; iam de singulis quaeramus. Atque Menander et Euagrius nullius alius pressisse uidentur uestigia, id est ita pressisse, ut quasi sectatores aliorum possint haberi. Agit autem Euagrius de Tiberio inde a c. 11 l. V. Quamquam non negandum est eum in uniuersum esse ueri studiosum, tamen nonnunquam non satis diligens esse uidetur. Velut c. 12 enarrat Chosroem Persarum regem, cum Iustinus in dementiam incidisset, epistola Sophiae, Iustini uxoris deplorantis et coniugis et regni Romani calamitatem, commotum esse, ut bello desisteret, cum alii tradant inducias factas esse, quia Romani Persis magnas pecunias donassent.

In c. 14 bellum cum Persis gestum uberius enarrans ne mentionem quidem facit urbis Theodosiopolis a Persis oppugnatae nec

1) Cfr. et Ioann. Ephes. VI 22.

Sebastae ab iisdem gladio et incendio uastatae, quamquam non minimi momenti hoc fuisse cognoscis ex Ioannis Ephesii l. VI c. 8 et 9.

Haud accurate et diligenter de iis rebus, quae capite 20 contineantur egisse Euagrium cum ex ipsis rebus comparatis cum aliorum, qui easdem tractant, tum ex ipsius auctoris uerbis: *καὶ ὅπως μὲν καὶ ὅτι καὶ ὅπῃ πέπρακται, ἄλλοι γραφόντων* concludi potest. Itaque hoc loco non multum fidei ei erit tribuendum. Atque dicit Euagrius Addarmanem et Tamchosroem coniunctos irrupisse in fines Romanorum, quod quidem a uero abhorret. Concedendum est Addarmanem quoque in fines Romanorum inuasisse, sed eum prius quam Tamchosroem et solum irruptionem fecisse disertissime tradit Ioannes Ephesius in l. VI c. 26 et 27. Praeterea autem Euagrius nos non facit certiores, quo loco illa pugna commissa sit, cum Menander et Ioannes in unum consentiant locum pugnae fuisse Telam uel alio nomine Constantinam.

Porro uerba facit de Tamchosrois morte, cecidisse eum non exercitus Romani fortitudine, sed ducis religione et fide Dei; quae quid ualeant, facile intellegas; conferas autem Men. Prot. p. 436 ed. Bonn. Ioannis Ephesii l. VI c. 26, Theophylact. l. III c. 18.

Difficilior existit quaestio in c. 23. Assignat enim Euagrius Iustino minori multo plures imperii annos, quam eum regnasse per alios scriptores et chronographos constat. Verba autem Euagrii sunt haec: *ὡς βεβασίλευκεν Ἰουστῖνος ὁ νέος καθ' ἑαυτὸν μὲν ἔτη δυοκαίδεκα πρὸς μησὶ δέκα καὶ ἥμισυ. σὺν Τιβερίῳ δὲ ἔτη τρία, μῆνας ἕνδεκα. Τὰ δὲ πάντα ἔτη ἓξ καὶ δέκα πρὸς μησὶν ἐννέα ἥμισυ.* Attribuit igitur Euagrius Iustino annos plures quam sedecim, quamquam omnes ceteri tradunt eum fere tredecim annos imperium tenuisse. Superuacaneum est singula afferre testimonia; quin rectum numerum afferant, dubitari nequit. Quae cum ita se habeant, fieri non potest, quin existimes Euagrium tam stultum fuisse, ut ne id quidem sciret, quot annos ipsius imperator et aequalis imperasset. Vides, quo deducaris. Res multo esse alia uidetur. Putauerim enim uerba inde a uoce *ὡς βεβασίλευκεν* usque ad uocem *μῆνας* auctoris esse, sequentem uero totam enuntiationem adiudicauerim nescio cui librario, qui antecedentia computauit, cum nesciret annis Iustini contineri annos Tiberii. Tum quidem omnia optime procedunt et Euagrii uerba sunt fere haec: Iustinus omnino (*καθ' ἑαυτὸν*) regnauit annos duodecim decem menses et dimidium, per tres autem huius temporis annos et menses undecim collega uel potius Caesare usus est Tiberio. Tum

quidem optime consentit cum Ioanne Ephesio l. V c. 13, quem testem grauissimum Valesius suo loco agens de illa difficultate afferre non potuit. Ioannis uerba sunt haec: Nach dem Hinscheiden des K. Justinianus am 14. November des J. 876, nachdem er 39 Jahre regiert hatte, regierte sein Schwestersohn Justin 13 Jahre weniger 40 Tage.

Iam uero quaerendum uidetur, num hauserit sua alio ex fonte an ipse composuerit. Mihi quidem iterum ac saepius pertractanti res ab illo traditas et cum aliorum libris comparanti uidetur neminem alium secutus esse. Aliter uero de hac re iudicauit Ludouicus Jeep in Museo Rhen. 1881 uol. 36 p. 358, ubi sententiam protulit, Euagrium adhibuisse Ioannis Epiphaniensis libros ineditos. Cum enim Ioannes et Euagrius ciues eiusdem urbis et cognati fuissent (cfr. Euagr. V 24) et ille, cum hic suum perfecisset opus, libros suos nondum in lucem edidisset facile fieri potuisse, ut Ioannes illi concederet suum inspicere opus et adhibere. Hanc Ieepii opinionem minime probandam censeo. Primum quidem non magnam habet ueritatis speciem statuere aliquem adhibere alius libros ineditos. Nonne meliore iure putas Ioannem adhibuisse Euagrii historiam editam?

Deinde uero, si eorum libros inter se comparaueris[1]), requires omnem et rerum et uerborum consensum, inueuies modo hunc modo illum esse uerbosiorem, utrumque uero res saepissime aliter tradere. Ac ne is quidem locus, quem ad fulciendam suam opinionem Ieepius ad uerbum affert, quadrare et quae debet, probare uidetur.

Ioannes 4 Müll. p. 275.	**Euagr. V 9.**
Τούτων δὲ οὕτω πραχθέντων βασιλεὺς Ἰουστῖνος Ἀκάκιον ἐκπέμψας (Ἀρχελάου δὲ τοῦτον Ῥωμαῖοι προσονομάζειν εἰώθεσαν) Μαρκιανὸν ἔτι Νίσιβιν πολιορκοῦντα παρέλυσε τῆς ἀρχῆς ὑποτοπήσας αὐτὸν ἐθελοκακεῖν ἐς τὴν τῆς πόλεως κατοχὴν οὐδενὸς γεγονότος.	*Ἐκπέμπει δὲ Ἀκάκιον ἀτάσθαλόν τινα καὶ ὑβριστὴν παρὰ Μαρκιανὸν ἐγκελευσάμενος καὶ ἐς θάτερον τοῖν ποδοῖν ὁ Μαρκιανὸς φθαίη τῇ πόλει πέμψας παραλῦσαι γε αὐτὸν τῆς ἀρχῆς.*

Omnino pluribus agit Euagrius et nulla alia re consentit cum Ioanne nisi quod bis eadem uoce utitur *ἐκπέμπειν* et *παραλῦσαι*

1) Succurrere Theophylactum, ubi deficiat Ioannes, postea demonstrabimus.

τῆς ἀρχῆς. Sed hac re minime commoueor ut eos conexu quodam inter se cohaerere existimem. An putas Ioannem quoque Ephesium cum illis conexum esse, cum idem fere usurpet in l. VI c. 2 p. 217 et 218: Er (Marcianus) war einer von den Anführern, die zu dieser Zeit nach dem Orient geschickt wurden .... paulo infra: siehe, da langte ein wilder Mann Namens Acacius Archelaus an, der vom Kaiser Justin an Marcianus ohne einen gerechten Grund gesandt worden war, um ihn seines Commandos zu entsetzen?

His expositis si tamen adseueras Euagrium et Ioannem Epiphaniensem quodammodo inter se cohaerere caue ne quid aliud inde efficias quam eos ex communi quasi fonte hausisse uideri. Sed ne hoc quidem concesserim.

P. 361 contendit Ieepius Theophanem p. 373, 18—21 eadem tradere atque Euagrium V 3; neque enim quemquam offendere, quod Theophanes exhibeat formam *Ἄβδιος* pro Addaeo Euagrii; statui igitur posse eos locos petitos esse ex Ioanne. At non eadem tradunt. Nusquam enim exstat apud Euagrium etiam medicum insidias fecisse imperatori Iustino. Ceterum eam rem attribuendam esse primo uel secundo anno Iustini facile efficias ex narratione cum Euagrii tum Theophanis. Itaque illa narratio non uidetur sumpta esse ex Ioannea historia, cum constet eum res inde a septimo Iustini anno bello Persarum gestas persequi.

De Theophylacto.

Theophylactum si attente perlegeris nescio an libros suos ipsum composuisse existimes praesertim cum ne Menandrum quidem in l. I c. 33 laudatum secutus esse uideatur. Primus, quantum equidem scio, hac de re dubitauit Hasius ed. Paris. 1819 in praefat. p. XIII seqq. coniecitque eum quaecunque haberet de Chosrois iunioris ad Mauricium imperatorem Romanorum fuga ex libris Ioannis illius Epiphaniensis exprompsisse, qui libellum conscripsit *περὶ τῆς τοῦ νέου Χοσρόου προσχωρήσεως πρὸς Μαυρίκιον τὸν Ῥωμαίων αὐτοκράτορα*. Sed haec mera erat sagacissimi uiri coniectura neque uno quidem argumento probata. Nuperrime in Mus. Rhen. a. 1881 uol. 36 p. 357 Ludouicus Jeep rectissime annotauit Theophylactum a Ioannis libris prorsus pendere, cum ad uerbum fere inter se conspirarent. Omittit autem hic diligentius in eam rem inquirere, ut nostrum putemus pluribus hanc quaestionem pertractare. Ieepii autem sententiam non modo amplectimur uerum etiam probare studebimus Theophylactum ea quoque, quae ad priora tempora belli

Persarum regressus summatim perscripserit, inde a c. 9 l. III usque ad eiusdem libri finem ex eodem Ioanne fere omnia transcripsisse[1]) ac nonnulla ex alio auctore addidisse. Exscribendi rationem, ut aliqua ex parte adumbremus, quemlibet Ioannis locum eligamus cap. II uel cap. V finem, unde si concesseris pendere Theophylactum, idem concedes illum in iis quoque expressisse Ioannem, quae nunc deperdita sunt.

Ioannes Epiph. c. 2 p. 274 ed. Müll.	Theophylact. III 9 p. 132 Bonn.
Ῥωμαῖοι μὲν χαλεπῶς φέροντες, ὅτι τοὺς Ὁμηρίτας (Ἰνδικὸν δὲ τὸ γένος καὶ σφίσιν αὐτοῖς σύμμαχόν τε καὶ ὑπήκοον) ἀποστῆναι Μῆδοι διενοήθησαν, μηδαμῶς δὲ ἑλομένων ἐκείνων, ἔφοδον κατ' αὐτῶν ἐποιήσαντο τοῦ χρόνου τῶν σπονδῶν ἐνισταμένου.	Καταιτιῶνται δὲ Ῥωμαῖοι τοὺς Πάρθους καὶ τοῦ πολέμου δημιουργοὺς ἀνεκήρυττον φάσκοντες τοὺς Ὁμηρίτας (Ἰνδικὸν δὲ τὸ γένος καὶ Ῥωμαίοις ὑπήκοον) πρὸς ἀπόστασιν ὑπ' αὐτῶν ὑποπείθεσθαι, εἶτα μὴ νενικημένους ἐκείνους ταῖς εἰσηγήσεσιν πάσχειν ὑπὸ Περσῶν δ' ἐφόδων ἀνήκεστα, τῆς εἰρήνης διακεχυμένης Πέρσαις τε καὶ τῷ Ῥωμαικῷ πολιτεύματι.
Τῆς νόσου δ' αὐτῷ παρενοχλούσης Τιβέριον, ὃς τῶν βασιλέως ἦρχε σωματοφυλάκων (κόμητα δὲ τοῦτον ἐξκουβιτόρων Ῥωμαῖοι καλοῦσι) υἱὸν ἀνειπὼν τῆς βασιλείας κοινωνὸν αἱρεῖται.	Τῆς νόσου δ' αὐτῷ ἐπιτιθεμένης λίαν ὡς ἔπος εἰπεῖν γεννικῶς, Τιβέριον υἱοθεσίᾳ κοσμήσας καὶ τῆς βασιλείας κοινωνὸν ποιησάμενος ἀνηγόρευσε Καίσαρα· ἡγεμὼν δ' οὗτος ἐτύγχανεν ὢν τῶν τοῦ βασιλέως σωματοφυλάκων καὶ ὑπασπιστῶν, ὃν κόμητα ἐξκουβιτόρων τῇ συνήθει φωνῇ ἔθος Ῥωμαίοις καλεῖν.
V. Οὕτω δὲ τούτων προϊόντων καὶ τοῦ καιροῦ τῆς ἐς ὀλίγον γεγενημένης ἀνακωχῆς περαιωθέντος, Πέρσαι μὲν κατὰ τὸ Δάρας ἑαυτοὺς συναγείραντες Κωνσταντίνης πόλεως ἀφικνοῦνται πλησίον, τοῦ	Ἐπεὶ δ' ὁ καιρὸς τῆς ἐκεχειρίας ἀνάλωτο καὶ ὁ τῆς ἀνακωχῆς ὅρος Ῥωμαίοις τε καὶ Πέρσαις διέσβεστο, ἀφικνεῖται τὸ Περσικὸν πρὸς ἐχόμενα τοῦ Δάρας ....

1) Minus recte autem Jeep l. l. contendisse uidetur fragmentum illud Ioannis esse excerptum historiae Ioanneae; namque si id uerum esset, sumamus oportet Theophylactum Ioannis libros excerptos adhibuisse; quod hanc ob causam minus probabile dixerim, quia fere aequales fuerunt Theophylactus et Ioannes.

Ioannes Epiph. c. 2 p. 274 ed. Müll.	Theophylact. III 9 p. 132 Bonn.
Δάρας ἀφεστώσης ἐς δυόμενον ἥλιον σταδίοις ἐνενήκοντα καὶ τετρακοσίοις.	

His igitur inter se collatis Theophylactum prorsus pendere ex Ioanne Epiphaniensi nemo negabit. Statim Theophylactum non modo sua ex Ioanne petiisse, sed etiam eodem fere ordine atque illum processisse uidebimus.

Proposuit enim sibi Ioannes agere de fuga illa Chosrois iunioris ad Mauricium, cum inter ea, quae audiuerit, maximum sit, regem ipsum Persarum profugum regnoque pulsum Romanorum se imperio commisisse (Io. 1, 7). Antequam autem ad ipsam rem accedat, quo melius procedat rerum causarumque conexus ad priora bella Persarum et Romanorum regressus ea leuiter pertractat. Similem ordinem deprehendimus in Theophylacti opere, qui postquam a Tiberii morte (I 1) et primo Mauricii anno exorsus rem eo deduxit, ut tertio libro perueniret ad seditionem Varami ducis illius Hormisdae regis (cfr. Theophylact. III 8) ad Iustini iunioris et Tiberii aetatem originis belli Persarum exponendae causa digreditur, quo magis possit intellegi, quomodo singula inter se cohaereant. Adeo igitur Theophylactus auctorem suum sectatur, ut rerum ordinem suo operi minus conuenientem ex eo desumat; nam quae addit de origine belli Persarum, ea addere aut omnino non necessarium fuit, aut, si fuit, sub initium totius operis collocanda erant. Sed hoc medii tertii libri loco quasi inuoluta interscindunt bene procedentis orationis filum, cum intento quasi cursu pergere ad sequentia auctorem exspectandum esset; sin uero erat deflectenda oratio, non de bellis Persarum et Romanorum referendum erat, sed de internis rebus Persicis, quo, quaenam fuissent motus causae, melius ac clarius cognosci posset. Ad Chosrois fugam delatus iam totus Ioannis auctoritati se addixit neque aptane essent necne ad suam narrationem discernere studuit, ut quodammodo non Theophylactus tractasse auctorem illum, sed ipse ab eo tractatus esse uideatur. Omnia, quae sub initium c. 2. Ioannes dicit de diuturnitate belli, quo anno geri coeptum et quo finitum sit, omisit prorsus Theophylactus, quippe qui ea huc non quadrare probe senserit, quoniam de compluribus belli annis in antecedentibus fusius actum est. Quam lacunam supplendam putauit additis nonnullis in uniuersum dictis de belli atrocitate.

Tum accedit Ioannes ad exponendas belli causas mutuas atque

cum eo Theophylactus. Studet ille eodem modo res exponere quo Ioannes sed nonnulla in breuius redigens, exempli gratia nomen Zemarchi illius legati, quem imperator cum Turcorum legatione proficisci iusserat, silentio praeteriit; contra pauca a Theophylacto adiecta esse apparet p. 132, 22—133, 2: *φιλαιτίως Ῥωμαῖοι τὸ πολεμεῖν ἀσμενίζοντες καὶ μικραῖς καὶ ἐξιτήλοις τισὶν ἀφορμαῖς μεγάλων προόδους, κακῶν σφίσιν αὐτοῖς σοφιστεύονται. οὐ γὰρ ὄνησιν αὐτοῖς τὸ φιλοπόλεμον προσεπόρισε.* Haec taliaque eiusmodi profert, quicunque multi temporis spatio a rebus gestis remotus cum animo suo reputauit bono malone fuisset illud bellum.

Alia est quaestio de iis, quae exstant apud Theophylactum p. 133, l. 11: *ὃ δὲ ἦν οὐ τοῦτο ἀλλ' ἐπὶ φρουρᾷ τῶν ὀχυρωμάτων ἐδίδοντο τῶν εἰς κοινὴν σύστασιν, φρουρουμένων ὅπως μὴ σχοίη τὴν εἰσροὴν τῶν ἀπείρων ἐθνῶν καὶ ὁμόρων ἡ ἀκατάσχετος δύναμις καὶ βασιλείας ἑκατέρας ἐπιγένηται λύσις.* Comparemus ea cum narratione Procopii (B. P. I 16 et 22). Cabades, qui ante Chosroem maiorem Persarum regnum obtinuerat, magno praesidio Portas Caspias occupauerat, ut Scytharum aliarumque gentium barbararum incursiones arceret, quod non solum Persis uerum etiam Romanis summo fuerat commodo. Itaque Persarum rex a Romanis petierat, ut ipsi auxilia mitterent aut certe Daram urbem contra Persas exstructam et munitam diruerent. Quam condicionem cum Romani respuissent, postremo inter Iustinianum et Chosroem conuenerat, ut Romani, cum nec copias praesidio darent, nec Daram delerent, magnam certe auri uim, Persis penderent cfr. Proc. l. c. 22: *ἕλκει δὲ λίτρας τὸ κεντηνάριον ἑκατόν .... τοῦτο δὲ οἱ δίδοσθαι τὸ χρυσίον ἠξίου, ὡς μήτε πόλιν Δάρας Ῥωμαῖοι καθελεῖν ἀναγκάζωνται μήτε φυλακτήριον τοῦ ἐν Πύλαις Κασπίαις μεταλαχεῖν Πέρσαις.* Haec prorsus aliter ab aliis traduntur. Ioannes quidem Epiphaniensis tantummodo dicit Persas eas pecunias ex pactis induciis accepisse neque commemorat adhibitas esse ad alenda praesidia castellorum in commune custodiendorum. Menander fr. 11 p. 208 Müll., ubi uberrime exponit pacis condiciones, maxime eam premit, qua ex foedere Romanis quotannis Persis tringinta milia aureorum persoluenda erant, ne illi bellum sibi inferrent: *Πέρσαι μὲν διηνεκεῖς ἠξίουν ἔσεσθαι τὰς σπονδὰς πρὸς δέ γε καὶ χρυσίον ῥητὸν ἐφ' ἑκάστῳ ἐνιαυτῷ ὑπὲρ τοῦ μὴ κεχρῆσθαι τοῖς ὅπλοις κομίζεσθαι ἀπὸ Ῥωμαίων.* Cum autem Menander Petri illius commentarios ipse adhibuerit, quem et foederi interfuisse et quaecunque Chosroes legatique di-

xissent uel audiissent omnia diligenter rettulisse docemur fragmento 12 (p. 217), non est cur de Menandri fide dubitemus; minor fides habenda est Procopio, quamuis aequali, sed ueritatis — ut anecdota demonstrant — minus quam decuit diligenti. Menandri narrationem quin minime ignorauerit Theophylactus non dubitauerim, cum alio loco (I 33) de Sirmio se non esse acturum dicat, propterea quod de illo oppido fusius disputasset Menander. Cum igitur Theophylacto aut Procopii aut Menandri et Ioannis Epiphaniensis relationem sequi liceret, maluit Procopium, quoniam molestissima Romanis erat eorum temporum recordatio, quibus ei Persarum regi, cuius nepotem e suis pulsum in regnum reduxissent, tributa pensitauerant. Qua re a nonnullis scriptoribus haec silentio praetermissa sunt; eodem silentio Euagrius et Ioannes Ephesius praetereunt, cum Iustinus in dementiam incidisset, Zachariam medicum cum pecuniis ad Chosroem missum esse, quamquam ex Menandro et Bar-Hebraeo compertum habemus ita rem se habere. Est igitur Theophylactus ob hanc rem uituperandus, quod Menandri non habita ratione minus ueram secutus est Procopii narrationem id potissimum agens, ut multitudinis et imperatoris Heraclii, quem in prooemio collaudat, studiis inseruiret.

In iis, quae deinceps sequuntur Theophylactus ad Ioannis rediit auctoritatem, quamquam non omnia ad uerbum transcripsit. Nomina illorum ducum (Theodori, Sergii, Iuuentini), quos Ioannes narrat cum tribus milibus militum grauis armaturae in Arzanenen missos esse, omittit, neque indicat, quot dies Romani castellum Thebethonem obsederint, cum Ioannes afferat numerum decem dierum. Quod uero Theophylactus dicit *Νίσιβιν τῆς Μυγδονίας* de urbe notissima hoc sane ipse adiecisse uidetur.

De morbo Iustini et de Tiberio Caesare designato, quae exstant, haec uno tenore deprompta sunt ex eodem Ioanne. Sed ea oratio, quam Iustinus in Tiberio Caesare renuntiando habuisse fertur, non exstat apud Ioannem. Vnde autem haec orta sit discrepantia quaerenti respondet ipse Theophylactus hisce uerbis: *παραθήσομαι δὲ καὶ τὰς ὑποθήκας τοῦ αὐτοκράτορος, ἃς Τιβερίῳ τῷ Καίσαρι κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναρρήσεως δημηγορῶν παραδέδωκεν.* Voluit igitur Theophylactus inserere praecepta Iustini Tiberio Caesari data, quae cum non exhiberet Ioannes conuertit se Theophylactus ad alium auctorem nobis quidem ignotum. Eiusdem scriptoris quem apparet elaboratissime et accuratissime his de rebus egisse uestigia infra iterum deprehendemus, ad eundem redit fortasse illa quoque oratio, quam Tiberium ex-

tremum spiritum ducentem per Ioannem quaestorem habuisse testis est Theophylactus I 1. Orationis ipsum contextum, quantopere apud Graecos Ioannemque Syriaca lingua usum conspiret, animaduertas.

Euagrius V 13.	Ioannes Ephesius l. III c. 5 p. 98.	Theophylactus p. 137, Bonn.
μὴ πλανάτω σε τῆς ἀμπεχόνης ἡ φαντασία μηδὲ τῶν ὁρωμένων ἡ σκιά, οἷς ὑπαχθεὶς ἔλαθον ἐμαυτὸν ταῖς ἐσχάταις ποιναῖς ὑπόδικος γενόμενος.	Siehe zu, dass dies Gewand und dieser kaiserliche Schmuck dich nicht verführe — wie er mich verführt hat — dich übermüthig mache, täusche und aufblähe und über dich den Zorn des Himmels bringe wie über mich.	*μὴ ὑπερηφανήσῃς καὶ οὐχ ἁμαρτάνεις.*
καὶ τοὺς ἄρχοντας δεικνὺς ἔλεγεν ἥκιστα χρῆναι τούτοις πείθεσθαι προθεὶς ὡς αὐτοί με ἐς ἅπερ ὁρᾷς ἤγαγον.	Sieh aber zu, dass du nicht bösen Menschen gehorchest, die dir Böses rathen und dich verführen, wie sie auch mich verführt haben, dass ich Gott durch alle meine Thaten erzürnte.	*μὴ συκοφάντας δέξῃ. ἐγὼ γὰρ ὡς ἄνθρωπος εἰσωδιάσθην (καὶ γὰρ πταιστὸς ἐγενόμην) καὶ ἀπέλαβον κατὰ τὰς ἁμαρτίας μου.*

Cedrenus[1]) p. 686 ed. Bonn.

μὴ ἐπαρθῇς ἐπὶ τιμῇ τῆς βασιλείας σου.

Quae cum ad uerbum fere inter se congruere uideas forsitan hos omnes inter se cohaerere concedes. Orationem sane utpote grauissimam et praeter omnium exspectationem habitam a multis litteris mandatam esse eodem capite testatur Ioannes[2]): Und unendlich viele andere Worte des Seufzens und der Trauer, welche daselbst gesprochen wurden, und die viele Tausende niedergeschrieben

1) Apud Cedrenum aliam exstare relationem quam apud Theophylactum eiusque sectatores recte contendit P. Sauerbrei: de fontibus Zonarae quaestiones selectae, Comm. phil. Ien. uol. I p. 52. — 2) Cfr. et Euagr. 5, 13: *τοιαῦτα κατὰ τὴν ἀνάρρησιν ἐπιφθεγξάμενος ἃ πᾶσαν ἐκβέβηκε παλαιά ντε καὶ νέαν ἱστορίαν.*

haben .... et paulo infra: Alles aber, was von ihm gesprochen wurde, ward von vielen sogleich mit Chiffern aufgenommen und in Schriften niedergelegt. Viele Notare nämlich erhoben sich und verfassten ein Protocoll.[1]) Inde colligendum est uariis a scriptoribus maxime ad uerum traditas esse eas res. Neque uero Theophylactus exscripta illa Iustini oratione eum, quem indicaui scriptorem, deseruit, sed ex eodem et subsequentia petita esse uidentur. Tum demum ad priorem auctorem reuersus rhetorum more hic illic nonnulla interiecit. Verba autem 138, 1—19 ad alium auctorem pertinere, quam ea quae sequantur uel inde cognosci poterit, quod bis una eademque res enarratur Tiberium multos coegisse milites eosque auro liberalissime distributo ad despicienda pericula excitasse: conf. Theoph. 138, 12—15.[2]) *ἐστρατολόγει δὲ καὶ πλήθη μαχίμων καὶ τῇ ῥύσει τῆς χρυσῆς διαδόσεως φιλοκινδύνους τὰς τῶν στρατολογουμένων ψυχὰς ἐτεκταίνενο, αἰδοῖ τοῦ μισθώματος τὸ θανατᾶν παρ' αὐτῶν ἐξωνούμενος* et 139, 1—5: *ὁ δ' αὐτοκράτωρ*[3]) *ἔτι δυνάμεις συνήθροιζε καὶ τὸ συμμαχικὸν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἠρανίζετο μεγάλαις χρημάτων ἀποβολαῖς τὰς ἐπιβολὰς τῆς παρατάξεως ἀνανταγωνίστους ἐμπορευόμενος. οἶδε γὰρ χρημάτων ὁλκὴ οἰκονουμένη μετὰ φρονήσεως καὶ τοῖς προσφαλεῖσι τὴν πρὸς τὸ κρεῖττον ἀνάζευξιν πραγματεύεσθαι.*

Quatenus Theophylactus expresserit Ioannem id pro certo enucleari non poterit; probabile est Theophylactum inde a l. III c. 9 usque ad l. V c. 15 (p. 131, 22—234, 2 Bonn.) prorsus pendere ex Ioanne. Primum quidem haud est ueri simile Theophylactum subito auctorem illum de Chosrois fuga uberrime[4]) agentem neglexisse; contra luce est clarius eum de hac re quantum posset usum esse Ioannis libris. Quaecunque enim legimus apud Theophylactum ea de re redolent plane *αὐτοψίαν*, ut hoc utar uerbo. Quisnam uero tantam ut omnium rerum ita condicionis regni morumque Persarum scientiam poterat adipisci, quantam hoc loco prae se fert Theophylactus praeter eum, qui et rebus gestis interfuerat et in colloquia uenerat cum Chosrois iunioris tum honestis-

1) Minus igitur probabilia uidentur quae de Iustini oratione protulit L. Ieep. l. l. — 2) P. 138, 9—41 *οὐδὲν* — *παρόδου* ipse adiecisse uidetur Theophylactus eodem modo, quo illa uerba de belli atrocitate ab ipso addita esse iudicauerim. — 3) Sensisse uidetur quam male se haberent eadem paulo post addita; inseruit igitur uocem *ἔτι*. — 4) Quin uberrime disputauerit Ioannes de illa fuga, ne minime quidem dubitari licet. Id inde concludimus quod de rebus ante fugam gestis satis multa fecit uerba quamquam hoc ad propositum non pertineat.

simi cuiusque Persarum eorumque ipse adierat terram? Ad Ioannem omnia haec quadrare ipsius uerba efficiunt 1, p. 273 *ἔπειτα δὲ καί τισι τῶν γεγενημένων παρατυχὼν αὐτῷ τε Χοσρόῃ τῷ νέῳ ἐς λόγους ἐλθὼν καὶ τῶν ἄλλων Μήδων τοῖς μάλιστα ἀξιολογωτάτοις (καὶ γάρ με συμβέβηκε πρότερον μὲν Γρηγορίῳ τῷ τῆς Ἀντιοχέων πόλεως ἀρχιερεῖ σύμβουλον ὄντα ἅμα αὐτῷ τὴν πρὸς ἐκείνους ὁμιλίαν πολλάκις ποιήσασθαι. χρόνῳ δὲ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ πολέμου τελευτὴν καὶ ἐς τὴν Περσῶν ἀφικέσθαι γῆν Γεωργίῳ συνεσβαλόντα τὴν τῶν γενομένων ὁμοφροσύνην ποιουμένῳ).*

Vides igitur quanta industria quanto studio adhibito ille suos composuerit libros.

Postquam deinde uno tenore de rebus Persicis actum est, sub initium p. 234 afferuntur haec: *καὶ οὕτω δῆτα ἐνδόξως ὁ μέγας τε καὶ Περσικὸς ἐκεῖνος Ῥωμαίοις κατεπέπαυτο πόλεμος.* Mihi quidem haec uerba iterum ac saepius consideranti uidentur ad finem alicuius operis de bello Persarum pertinere. Vt enim non nego ea bene quadrare hoc Theophylacteo loco ita concedes rectius et melius ea attribuenda esse fini librorum Ioannis, id quod totius orationis ratio et habitus efflagitat. Respiciunt enim sine dubio ea uerba ad id, quod Ioannes priusquam ipsam pertractaret Chosrois fugam, de bello Persarum, de eius diuturnitate et causis asseruerat.

Hoc loco monere me patiaris graui quadam re eas partes Theophylacti, quas Ioanni tribuimus differre a cetera eiusdem auctoris narratione: cum in ceteris libris nonnulla inserantur de portentis uaticinationibusque, in eis, quae Ioannea putauimus, haec futtilia atque commenticia non inueniuntur[1]; Theophylacteum autem esse intertexere narrationi eiusmodi historiunculas cognoscas ex l. V 15 p. 234. Hunc locum, quamuis agat de Chosroe iuniore, non adiunxerim Ioannis libris sed ea aliunde petita existimauerim, quoniam haec in medias res pertinentia inepte adiciuntur post finem totius enarrationis et incipiunt ab hisce uerbis: *οὐκ ἂν δὲ περιόψομαι καὶ ὅσα λέγεται ...* Videtur Theophylactus quasi cursu acerrimo eo orationis festinare, ubi exscriptis Ioanneis libris suis liceat indulgere studiis et transire ad describenda miracula. Fortasse haec sunt ea quae a senioribus audiisse se dicit.[2])

Quomodo ceterum auctores consuluerit Theophylactus ut allata

1) Conf. I 2, 11; II 4; V 16; VI 1, 2, 5; VII 12, 16; VIII 14; nam quae habes de matre illa Golinducha in isto genere non sunt numeranda (conf. V 12 et Euagr. VI 20). — 2) Cfr. 2, 17: *ὡς ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς πρεσβυτέρων ἔστι λαβεῖν.*

Ioannis narratione uidisti ita ostendit locus quidam p. 136 ed. Bonn. = III, 11: παραθήσομαι δὲ καὶ τὰς ὑποθήκας τοῦ αὐτοκράτορος, ἃς Τιβερίῳ τῷ Καίσαρι κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναρρήσεως δημηγορῶν παραδέδωκεν οὐ καλλύνων τὸ τῆς λέξεως ἀκαλλὲς οὐδέ τι μεταμορφῶν τὸ μὴ κεκαλλιεπημένον τῆς φράσεως, ἀλλά που γυμνὴν τὴν τῶν ῥημάτων ἔκθεσιν ὑποστορέσω τοῖς ἀφηγήμασιν, ἵνα τῷ ἀναμφιάστῳ καὶ ἀπαραχαράκτῳ τῆς λέξεως ὡς ἔχει φύσεως τὸ τῶν παρηκολουθηκότων προέλθοι ἀνόθευτον.

Itaque Theophylactus orationem illam ad uerbum exscripsit, in uniuersum autem auctorum, quos sequitur, narrationes non ad uerbum transscribere solet, sed narrationem aliunde petitam, si uidetur, in aliam commutare formam. Sed habes nonnulla exempla.

Ioannes.	Theophylactus.
διεδέξατο βασιλείαν	γίνεται τῆς τῶν πραγμάτων διάδοχος
ἐκποδὼν γενέσθαι	κωλύμην ἀποκληρώσασθαι
ὑποφόρους σφίσιν ὄντας	ἐν ὑπηκόων μοίρᾳ
στρατηγὸν ἐν τοῖς πατρικίοις τῆς συγκλήτου βουλῆς τεταγμένον αὐτῷ τε πρὸς γένος συνημμένον, τῶν δὲ πολεμικῶν κινδύνων οὐκ ἄπειρον	Πέρσαις τυγχάνοντας ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν πατρικίων ὄντα περίβλεπτον ἄνδρα οὐκ ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ βασιλείου τυγχάνοντα
Τίγριν ποταμὸν διαβὰς μηδενὸς οὖν εἰς χεῖρας ἰέναι τοῖς βαρβάροις θαρρήσαντος	Τίγριν διανηξάμενος ... οὐδενὸς δὲ τῇ Περσικῇ ἐνδημίᾳ ἀντιπεριισταμένου σοφίσματος
ἐξαπίνης	λαίλαπος δίκην.
Τιβέριον υἱὸν ἀνειπὼν κόμητα δὲ τοῦτον ἐξκουβιτόρων Ῥωμαῖοι καλοῦσι	υἱοθεσίᾳ κοσμήσας, ὃν κόμητα ἐξκουβιτόρων τῇ συνήθει φωνῇ ἔθος Ῥωμαίοις καλεῖν.
τοῦ καιροῦ τῆς ἐς ὀλίγον γεγενημένης ἀνακωχῆς περαιωθέντος	ἐπεὶ δ' ὁ καιρὸς τῆς ἐκεχειρίας ἀνάλωτο καὶ ὁ τῆς ἀνακωχῆς ὅρος Ῥωμαίοις τε καὶ Πέρσαις διέσβεστο.

Iam ipse cognosti, quanto studio uerba Ioannis commutandi atque perpoliendi Theophylactus indulserit. Porro exhibet

Ioannes.	Theophylactus.
Σαργαθών	Σαργαθόν
Θηβηθών	Θεβοθών

Ioannes.	Theophylactus.
Ἀμβαρών	Ἀβάρων
Ἀδααρμάνης	Ἀδορμαάνης
Ἀβόρραν	Ἀββορράν
Μάρδης	Μάρδες

Hominum discrepantia, qualis exstat, librorum condicioni haud scio an tribuenda sit; namque si Theophylactus de studio nomina commutasset, procul dubio forma elegantiore atque ad Graecum sermonem aptiore eos exornare studuisset; aliud est de nominibus Babyloniorum, Persarum, Medorum, quae Persis, de uariis nominibus Scytharum, Hunnorum, Turcorum, quae Auaris indidit. Namque Byzantinorum hoc est moris, ut barbararum gentium nomina uertant.

Non parui momenti erit Theophylactus compilator Ioannis contextum constituentibus, cum certam quandam emendandi praebeat ansam. Nonnullos igitur locos perstringamus.

I.

Legimus *πεντήκοντα πέντε πεποίητο*, qui annorum numerus num recte se haberet nemo adhuc quaesiuit. Delendam esse uocem *πέντε* ex uoce praecedente *πεντήκοντα* ortam, ut ex uerbis Theophylacteis *συνθῆκαι πεντηκοντούτιδες* apparet, ita inde sequitur, quod Menander, quem in his rebus fide dignissimum esse supra uidimus docet foedera illa in quinquaginta annos esse facta (conf. Men. fr. 11 Müll. p 208 *ἔδοξεν ὥστε ἐπὶ πεντήκοντα μὲν ἔτη ξυνεστάναι τὴν εἰρήνην* ... fr. 15 p. 220: *ἀλλ' αἱ μὲν πεντηκοντούτιδες σπονδαὶ ἦσαν* f. 36 p. 238 *ὅτι τοῦ δεκάτου ἔτους ἀνυσθέντος τῶν πεντηκοντουτίδων σπονδῶν*.

II.

ὅτι καὶ Τούρκων πρὸς Ῥωμαίους .... [*πρεσ* suppl. Hasius] *βευσαμένων*. Verba Theophylacti: *ὅτε γε πρὸς Ῥωμαίους Τούρκων πρεσβευσαμένων τότε νῦν πρῶτον* demonstrant et recte lacunam suppleuisse Hasium et addendum esse *τότε νῦν πρῶτον*.

III.

ἤδη τοῦ θέρους παρ[*ακμάσαντος* Hasius supplet] = c. 3 p. 274. Ad uerbum congruit Theophylactus: *ἤδη τοῦ θέρους παρηβηκότος καὶ παρακμάσαντος*. Suppleuit Hasius *παρακμάσαντος*; haud inepte. Equidem malim *παρηβηκότος*, cum propius accedat ad simpliciorem Ioannis dicendi rationem.

IV.

Κατὰ τάχος ἐκπέμπει (*τὴν Ῥωμαίων* suppl. Has.) *δῃώσοντα γῆν* = c. 4 p. 275 l. l. Recte adiecisse Hasium *τὴν Ῥωμαίων* ostendunt uerba Theophylacti 134, 23 Bonn: *ἐκπέμπει τὴν Ῥωμαίων ληισόμενον.*

V.

Paulo infra: *αὐτὸς δὲ τὸν Ἀβόρραν* (*παραμείβων ποταμὸν ἀπροσδοκήτως ἐπιστῆναι* mgo suppl.) *τοῖς τὴν Νίσιβιν πολιορκοῦσι Ῥωμαίοις ἠπείγετο.* Alteram manum haec recte suppleuisse cognosces ex simillimo Theophylacti loco: *παραμείβων τὸν Ἀββορὰν ποταμὸν ἐξαπιναίως ἐπιστῆναι τοῖς τὴν Νίσιβιν πολιορκοῦσι Ῥωμαίοις ἐπαλαμήσατο.*

VI.

In eodem capite: *τῶν δὲ πολιτῶν πρεσβευσαμένων καὶ* [*τὰ τῆς πόλεως λύτρα προτεινομένων ἀπάτῃ τοὺς ἄνδρας*] *περιελθὼν καὶ τὴν πόλιν* .... Haec a secunda manu in margine adscripta ut in textum recipienda censeamus commouent Theophylacti uerba 135, 8: *καὶ τῶν τῆς πόλεως πρεσβευσαμένων μετὰ δώρων λαμπρῶν λύτρα τε διωμολογηκότων ὁ μὲν βάρβαρος τῆς ὑποσχέσεως μόνης ἐπεκάμπτετο μέχρι, οἱ δὲ φενακίζονται ἐξαπατηθέντες δόλοις βαρβαρικοῖς.* Deinceps sequitur apud Theophylactum: *τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ τὴν πόλιν ἀνδραποδίζεται.* Vnde nouit Theophylactus urbem tertio die captam et direptam esse? In ceteris omnibus cum Ioannem ad uerbum transcribat nullo alio adhibito fonte, equidem non dubito, quin illa uox prius infuerit in Ioannis textu ac postea cum aliis interciderit. Fortasse collocanda est post uerbum *ἐγεγόνει.*

VII.

Magnam quandam lacunam cap. 5 p. 275 adhuc nemo explere conatus est. Traduntur uerba haec: *ἐξαπίνης* ..... *πολιορκίαν καθίστησιν ἑαυτὸν* .... *καὶ τὸ τῆς πόλεως ὕδωρ με* .... *φους τε μεγάλους παροικοδομήσας τῷ τείχει καὶ τοῖς ἐμβόλοις χρησάμενος μηχανήμασιν.* Respondet lacunoso huic loco Theophylactus p. 135, 21: *ὁ τοῦ Περσικοῦ βασιλεὺς λαίλαπος δίκην ἐς τὸ Δάρας γεγονὼς καὶ μῆνας ἓξ καταπολεμήσας τὸ πόλισμα, λόφους τε καὶ χάρακα τῇ πόλει περιγραψάμενος, τὸ δὲ ὕδωρ μετοχετεύσας τοῦ ἄστεος, πύργους τε ἀντιθέτους ἀντοικοδομήσας.* Omnia quamuis reponere non possimus, attamen alia uerba,

quorum singulae tantummodo restant syllabae iam reficere possumus, alia ad sensum quidem quadrantia ex Theophylacti contextu inserere licebit; tum sic fere euadet locus Ioannis: *ἐξαπίνης [πρὸς τὴν τοῦ Δάρας] πολιορκίαν καθίστησιν ἑαυτὸν [καὶ μῆνας ἓξ καταπολεμήσας τὸ πόλισμά τε] καὶ τὸ τῆς πόλεως ὕδωρ με. [τοχετεύσας καὶ χάρακα περιγραψάμενος λό]φους τε μεγάλους παροικοδομήσας ....*

VIII.

Eodem capite p. 276 alius inest locus, quem accersito Theophylacto sanare non possumus, cum hic ille deficiat. Verba codicum sunt haec: *Βουλευομένῳ δὲ Τιβερίῳ τὰ παρόντα ἐρρωμένως ἐδόκει τῶν πραγμάτων ἀντιλαβέσθαι μή καί τι ἕτερον ἀνήκεστον γένηται ..... σώζειν καὶ τὰς ὁρμάς ... ρξ .. δὲ ταύτῃ δοκούντων πρότερον ... εἰκὲς Θεόδωρον.* Scribendum esse censemus *μή καὶ τι ἕτερον ἀνήκεστον γένηται [τὰ καθεστῶτα] σώζειν καὶ τὰς ὁρμὰς τῶν βαρβάρων [ἀπεῖρξαι τούτων] δὲ ταύτῃ δοκούντων, πρότερον, ὡς ἦν ἐπιεικές.*

IX.

In c. I uox *Γεωργίῳ* est corrupta. Rectam scripturam ex uerbis supra positis elicimus, ubi legitur *Γρηγορίῳ* (cfr. Euagr. l. VI c. 18).

His propositis id lucrati sumus recte uideri Ioanneum textum ab altera manu emendatum esse, quae procul dubio alius scriptoris exemplaris auctoritate nitebatur. Quae cum in locis pertractatis recte in margine adnotasse uideatur nescio an iure meritoque uocem *τοῦτο* accipiamus quam in c. I p. 273 adscripsit. Non minus recte mihi supplesse uidetur Hasius in eodem capite uocabulum *ἐπιτηδεύσας:* Inter Dindorfii emendationes ea potissimum laudanda est, quae pro codicis scriptura *προειδομένων* ueram restituit *προϊδομένων* (cfr. Ioann. Epiph. ed. Dind. script. Byz. min. 378, 23).

De Ioannis contextu haec hactenus. Ad singulos chronographos iamiam transgressi quae proferant illi, quomodo inter se pendeant singula opuscula, exponamus.

A Theophane incepturi compluribus eum fontibus ut alicubi ita in enarrandis rebus usque ad Tiberii mortem (377, 1—388, 16) usum ess contendimus atque Byzantinorum illo more ea cum socordia usus est auctoribus, ut nulla conexus ratione habita, quaecunque inueniret, simpliciter adhiberet. Quae cum ita se habeant, non mirandum est saepius sibi ipsi contradicere compilatorem; quod

saepius fieri ubicunque duobus fontibus usus est Theophanes, ostendit I. V. Sarrazin in libello qui inscribitur: de Theodoro Lectore Theophanis fonte praecipuo (Lips. Teubn. 1881). Eiusmodi contradictionis uel repetitionis exempla sunt:

I.

P. 384, 2—4: *Τιβέριος δῶρα τοῖς ὑπηκόοις καὶ ὅσα ταῖς βασιλικαῖς ἀναγορεύσεσιν εἴθισται*, cum legatur paulo infra p. 385, 1: *καὶ ἔρριψεν ὑπατείαν πολλήν.*

II.

P. 373, 10—13 narrat Iustini pietatem exornasse ecclesias apostolorum, idem fere alium secutus auctorem iterum dicit p. 376, 15—16. Aliis locis, cum animaduertit se unam eandemque rem bis enuntiasse, uerba intertexit: *ὡς προλέλεκται* (cfr. p. 384, 7, ubi meminit se paulo supra commemorasse Tiberium coronatum esse ab Eutychio patriarcha).

Omnia quae Theophanes habet de Persarum bello satis copiose dicta ex Theophylacti III 9 seqq. manasse sole clarius est, quamquam Iacobus Goar in annotationibus ad Theophanem (Bonn 1841) p. 461 (ad 377, 1) et seqq. haec omnia attribuit Theophani illi Byzantio, a quo, ut ipsius Goari utar uerbis, Theophanem nostrum in sua scripta diuertisse plurima omnino indubium est. Conferas uelim locos nonnullos utriusque auctoris

Theophylactus.	**Theophanes.**
ἑβδόμῳ τοιγαροῦν ἐνιαυτῷ τῆς βασιλείας Ἰουστίνου τοῦ νέου ... αἱ δὲ συνθῆκαι ... τῇ μεγάλῃ τοῦ βασιλέως ἀνοίᾳ διαφθείρονταί τε καὶ παρατέμνονται .... φάσκοντες τοὺς Ὁμηρίτας (Ἰνδικὸν δὲ τὸ γένος καὶ Ῥωμαίοις ὑπήκοον), πρὸς ἀπόστασιν ὑπ' αὐτῶν ὑποπεῖσθεσθαι.	*Τούτῳ τῷ ἔτει Ῥωμαῖοί τε καὶ Πέρσαι τὴν εἰρήνην διέφθειραν.* ... *διὰ τὸ πρεσβεῦσαι τοὺς Ὁμηρίτας Ἰνδοὺς πρὸς Ῥωμαίους.*
133.	379.
πρὸς ἐπὶ τούτοις τὸ μὴ ἐθέλειν Ῥωμαίους ἀν' ἔτος ἕκαστον πεντακοσίας λίτρας χρυσίου κατὰ τὸ εἰωθὸς κατατίθεσθαι, ἃς Ἰουστι-	*ἐτέλει γὰρ ὁ βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων ἀνὰ ἔτος πεντακοσίας λίτρας χρυσίου, ὅπως τὰ πλησιάζοντα τοῦ τόπου φρούρια διαφυλάττωσι Πέρ-*

133.	379.
νιανὸς ὁ βασιλεὺς ταῖς συνθήκαις διωμολόγησεν, οἷά περ ἀπαξιοῦντας φορολογεῖσθαι ὑπὸ Περσῶν βασιλέως. ὃ δ' ἦν οὐ τοῦτο, ἀλλ' ἐπὶ φρουρᾷ τῶν ὀχυρωμάτων ἐδίδοντο τῶν εἰς κοινὴν σύστασιν φρουρουμένων, ὅπως μὴ σχοίη τὴν εἰσροὴν τῶν ἀπείρων ἐθνῶν καὶ ὁμόρων ἡ ἀκατάσχετος δύναμις καὶ βασιλείας ἑκατέρας ἐπιγένηται λύσις.	*σαι ἵνα μὴ εἰσβαλόντα τὰ ἔθνη ἑκατέραν διαλύσωσι πολιτείαν, καὶ κοινοῖς ἀναλώμασι τὰ φρούρια ἐφυλάττοντο.*
145.	386.
τῶν δὲ ἐλεφάντων κρατήσαντες ἅμα τοῖς σκύλοις τοῖς Περσικοῖς παραπέμπουσι πρὸς τὸν Καίσαρα.	*κρατοῦσι δὲ καὶ τῶν ἐλεφάντων οἱ Ῥωμαῖοι καὶ πρὸς Τιβέριον πέμπουσι τὰ ἐπίσημα ἐκεῖνα* (cfr. antecedentia) *καὶ βασιλικὰ λάφυρα.*

His ex locis euadit non Ioannem ipsum Epiphaniensem a Theophylacto adhibitum esse ut uoluit Jeep l. l. sed praecipuum eius sectatorem; ualidissimo documento est additamentum illud a Theophylacto de tributo Persis a Romanis pensitato intertextum. Ita autem Theophylacti uestigia Theophanes est secutus, ut omnia resecaret, alia aliunde petita cum narratione Theophylactea commisceret, alia prorsus inter se confunderet. Sic sub initium p. 377 satis absurde causis belli historiunculam illam subiungit de Iuliani legatione ad Aretham regem Aethiopum, quam ex Nonnosi scripto de legatione obita ad Homeritas aliasque gentes seu directa, ut aiunt, seu indirecta uia deprompsit (cfr. Müll. IV p. 178). Adnotat Müller falso dicere Theophanem nomen legati Iuliani. Quam sententiam improbat locus Ioannis Ephesii l. IV c. 6—8, ubi de illa gente — loquitur autem auctor de Nabadaeis — agitur. Idem Syriacus episcopus tradit eum legatum post reditum multa mira narrasse de illa gente (conf. IV 7 p. 142: Viel Wunderbares erzählte er von dem grossen Volke).

Paulo infra causas belli Persici expositurus duas inter se commiscuit Theophanes, legationem Turcorum ad Iustinum et seditionem Armeniorum contra Chosroem factam; atque nonnulla no-

mina non recte transscripsit. Exhibet Martini uocem pro Marciano (cfr. 379, 10; 381, 4 et 10) et Artabanis[1]) pro Adarmaane Theophylacteo (cfr. 380, 20).[2]) De Hormisdae regno p. 380, 15 tantopere a uero aberrauit, ut eum multo prius regnum occupasse dicat, quam id factum esse ab aliis accepimus. Inde sequitur Adarmanis illam expeditionem a Theophane Hormisdae ascribi imperio, quamquam Theophylactus eam susceptam esse Chosrois temporibus retulit (conf. Theophyl. p. 134, 21 l. III c. 10). Id autem in uniuersum dicendum uidetur Theophanis temporum rationem satis caute accipiendam esse.

Repetenda sunt eodem ex Theopylacto (l. III c. 10 et 11), quaecunque dicit Theophanes p. 381 de Marciano imperio priuato et Tiberio Caesare renunciato usque ad l. 18; illam Iustini orationem supra memoratam p. 382 et 383 non modo satis neglegenter exscripsit[3]), uerum etiam prorsus separauit a rerum conexu interiectis nonnullis de aedificiis.

Eundem usque sequitur Theophylactum p. 385, 9—387, 4. Mira quaedam est nominis Persarum ducis forma Mechosroes, cum apud Theophylactum et apud ceteros exstet *Ταμχοσρόης*. Sine dubio locus est corruptus, nomine illo uerbis *ὑπὸ τὰ μέρη Χοσχρόου γενομένης* contracto, quam scripturam praebent codices plerique. Si *Ταμχ.* in textum receperis, sibi ipse contradicet Theophanes, cum p. 380, 15 Hormisdam regnum occupasse annotauerit (cfr. 385 app. crit. l. III).

Item p. 385, 19 pro *τετραετῆ* scribendum esse *τριετῆ* ostendit idem Sauerbrei l. l. p. 54. Ceterum Theophanes etiam de pugna illa (cfr. Theophyl. c. 12, 13, 14) uberior est quam decet compilatorem, quamquam orationis ducis Romani mentione facta ipsa uerba non affert. Haec igitur certissime ad Theophylacti redeunt auctoritatem.

1) Cod. A praebet ubique lectionem *Ἀδαρβάνης*; fortasse librarii inest uitium. — 2) Contra Theophylactum prorsus secutus exhibet nomen *Σάργαθον* pro uoce Ioannea *Σαργαθών*. — 3) Vt alia mittam, scribit Theophanes p. 383, 11: *πρόσεσχε τῷ στρατιώτῃ σου, μὴ στρατιώτας δέξῃ*; quod textus uitium non postea librariorum errore ortum esse, sed iam apud Theophanem fuisse, sequitur ex Anastasii uersione p. 113: intende militi tuo, ne milites suscipias. Pro his uerbis ualde inter se pugnantibus cum Theophylacto scribendum esse *μὴ συκοφάντας δέξῃ*, confirmat etiam Ioannes Ephesius III 5 p. 99: Sieh aber zu, dass du nicht bösen Menschen gehorchest, die dir Böses rathen (cfr. P. Sauerbrei: de fontibus Zonarae p. 52).

Theophanes.		Theophylactus III c. 9.
377, 1—3	=	132, 12—18
378, 18—379, 12	=	132, 18—133, 19
380, 13—14	=	134, 6—9
380, 20—381, 18	=	134, 24—136, 9
382, 11—383, 19	=	136, 18—137, 21
385, 9—387, 4	=	138, 5—146, 10.

Praeter Theophylacti autem uestigia alia auctoris nunc deperditi comprehenduntur, qui quasi oppositus Theophylacti libris esse uel potius eos supplere uidetur. Cum enim Theophylactus res bello gestas persequatur, ille copiose ac bene agit de rebus domi gestis rerum bellicarum uix facta mentione. Quanta sit ignoti illius auctoris fides quaerenti respondebo multas res, quas ei debeamus, confirmari a teste grauissimo Ioanne Ephesio.

Sic ea, quae dicit Theophanes p. 387, 19 de Iustini morbo: *ἦν γὰρ ὁ βασιλεὺς στυφόμενος τοὺς πόδας καὶ τὸ πλεῖον κατακείμενος* eadem fere leguntur apud Ioannem Ephesium III 2—6 cfr. c. 3: Zuletzt aber machte man, um den Kaiser zu erheitern, seinen Verstand zu sammeln und ihn wieder zu sich zu bringen einen kleinen Wagen zu seinem Sitze und einen kleinen Thronsessel darauf. Dann setzten ihn die Cubiculare darauf und fuhren ihn bald da, bald dorthin eine lange Zeit. Vnde sequitur ex pedibus laborasse imperatorem nec curriculo uectum esse, ut laetaretur, sed quia corpus leuare non posset.[1])

Haesitanti autem, num uerum sit, quod Theophanes p. 384, 14 sqq. affert de studiis Sophiae in Tiberium, quomodo ab eo oppressa sint, iterum succurrit Ioannis testimonium, quo cuncta recte se habere confirmatur.

Summi uero ponderis esse uidentur uerba p. 385, 4—10, quae respiciunt ad illam Iustini orationem, qua Tiberium, ut con-

1) Ceterum eundem fontem secutus Theophanes p. 379, 15 loquitur de Baduario, fratre Iustini. Vocatur hic et apud Theophylactum l. VII 10 et apud Corippum de laud. Iust. min. II 1284 Baduarius. Itaque et apud Theophanem scribendum mihi uidetur *Βαδουάριος*. Praeterea autem annotauerim Corippum nominare Baduarium illum generum, Theophanem uero fratrem Iustini. Discedendum est in partes Theophanis, cum constet inter omnes Iustinum cum Sophia unum genuisse filium Iustum praematura morte abreptum (cfr. Theoph. p. 375, 7). Falso igitur Valesius in annot. ad Men. p. 110 uocat Baduarium Iustini generum. De morte Baduarii cfr. Ioannem Biclar. p. 865 patrol. ser. tom. 72. Abbas ille exhibet nomen Banduri; idem loquitur de genero.

sulat saluti Sophiae uxoris, hortatur; premenda autem maxime sunt uerba *κελεύσας τιμᾶσθαι αὐτὴν ὡς μητέρα αὐτοῦ*, quae procul dubio referenda sunt ad uerba orationis p. 382, 17: *τίμησον τὴν μητέρα τὴν πότε σου δέσποιναν γεναμένην* et cum iis artissimo cohaerent uinculo. Quae sententia, cui tam multa patrocinantur, si recta est, summo iure potest concludi haec omnia ex eodem fonte deperdito fluxisse atque orationem Iustini. Vnde sequitur Theophylactum quoque iam ad illum se conuertisse auctorem, cum illam orationem allaturus esset. Ad eundem scriptorem ignotum referam uerba p. 388, 6—16 quibus de Tiberio extremum spiritum ducente agitur. Denuo autem cognoscimus, quam bene auctor ille instructus fuerit, qui, ut ueram causam affert mortis, ita ad diem enumerat, quam diu Tiberius regnauerit, quo die mortem obierit. Quibuscum si comparaueris Ioannem Eph. l. V c. 13 p. 204 ne unius quidem diei spatio discrepare a Theophanis fonte inuenies.

Namque tradidit Theophanes Tiberium mortuum esse mensis Augusti die decimo quarto. Tempora Ioannis autem si computaueris ad eundem peruenies diem: Setzte gezwungen gleichfalls einen Cäsar ein, den Comes Mauricius, einen Cappadocier, am 5. August des Jahres 893. Paulo infra: Er lebte mit ihnen noch 8 Tage und da er sich gedrängt sah, setzte er einen Tag vor seinem Tode dem Mauricius die Krone des Kaiserthums auf. Fiunt autem quinque dies et octo et unus in uniuersum dies quattordecim, qui est numerus Theophaneus.

Ceterum totus ille locus similitudine quadam proxime accedit ad ea, quae Theophylactus in l. I c. 1 enarrat, ut suboriatur suspicio utrumque quodammodo inter se cohaerere; fortasse communi ex fonte repetendus erit ille consensus:

Theophylactus I 31, l. 6.	**Theophanes p. 388, 10.**
φοράδην γὰρ ἀχθείς	*ἀχθεὶς ἐν φορείῳ*
36, 6	**13**
ἐπεὶ δὲ ὁ μέγας οὗτος καὶ ὕστατος τοῦ βασιλέως σκοπὸς διανυθείς, ἐτετέλεστο, τά τε τῆς ἀναγορεύσεως ἔθη κατὰ τοὺς βασιλικοὺς θεσμοὺς ἐπεπλήρωτο, ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ κλίνην Τιβέριος ὁ αὐτοκράτωρ ἀνέζευξεν.	*πάντων δὲ εὐφημησάντων τὸν βασιλέως σκοπόν* *καὶ ὑποστρέψας Τιβέριος ἐν τῇ ἰδίᾳ κλίνῃ.*

Fonti illi ignoto ascripserim haec:

379, 14—380, 13
381, 19—20
384, 8—385, 9
388, 6—16.

Quisnam fuerit praeclarus ille scriptor ignotus, sagaciores enucleare studeant; neque uero reticendum est similitudinem quandam inter eum uideri intercedere et Ioannem Antiochenum, quem Heraclio imperante fuisse probabiliter collegit A. Köcher (de Ioannis Antiocheni aetate, fontibus, auctoritate p. 25 seqq.). Adeo fragmenta eius nuper inuenta et in lucem edita a Mommsenio cum illis Theophanis hic illic congruunt. Vnum ex illis fragmentis nouis accedit propius ad nostrum propositum, id est fragmentum de caede Iustini, quod quamuis breuiatum congruit cum Theophanis 376, 12—14.

Hermes VI 1872 p. 359.	Theophanes l. c.
ὅτι Ἰουστῖνος τὸν ἀνεψιὸν αὐτοῦ ἀπεκεφάλισεν ὡς ἐπιβουλευσάμενον αὐτῷ	*ἀκούσας δὲ Ἰουστῖνος ὁ βασιλεὺς περὶ τοῦ ἀνεψιοῦ αὐτοῦ, ὃν εἶχεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ αὐγουστάλιον, ὅτι συσκευὴν μελετᾷ κατὰ τοῦ βασιλέως πέμψας ἀπεκεφάλισεν αὐτόν.*

In sequentibus num aeque conspirent, non possumus probare. Conferas praeterea Ioannis (Hermes p. 361) et Theophanis p. 437 et pertractes Herm. p. 365, ubi plura de hac re a Mommsenio adlata sunt.

Iam quaeramus, unde haec, quae sunt p. 380, 16—20 de Tiberii clade, fluxisse uideantur aliaque quae ad nostram quaestionem pertineant. De Tiberii clade disserit fusius quam solet Euagrius l. V 11; plurimis uero de his attulisse Menandrum quae supersunt fragmenta (Müll. 31, 33, 34 p. 236 et 237)[2]) ostendunt. In re quidem cum ille prorsus consentiat cum Theophane, haud scio an Theophanes illa Menandri adhibuerit et in breuissimum redegerit, quamquam hoc non adseuerauerim. Jeep quidem l. c. contendit Euagrium 5, 11 et Theophanem p. 380, 16 utrumque sua petiisse ex libris Ioannis Epiphaniensis. Quod quale sit, ut intellegas, locos ad oculos tibi proponam

1) Hermae vol. VI a. 1872: Joannes von Antiochien und Malalas p. 323—383. — 2) Valde miror, quod Müll. l. l. fr. 31 non collocauit post 32.

Theophanes.

Τούτῳ τῷ ἔτει ἦλθον οἱ Ἀβάρεις εἰς τὰ μέρη τοῦ Δανουβίου καὶ μαθὼν ὁ βασιλεὺς ἀπέστειλεν Τιβέριον τὸν κόμητα τῶν ἐξκουβιτόρων κατ' αὐτῶν καὶ συμβαλὼν αὐτοῖς ἡττήθη αἰφνιασθεὶς ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀποβαλὼν πολλοὺς ὑπέστρεψεν.

Euagrius.

ὃν καὶ κατὰ τῶν Ἀβάρων πρώην ἐπεπόμφει πολὺ ἀγείρας πλῆθος στρατοῦ. ὃς καὶ μικροῦ ἑάλω τῶν στρατιωτῶν μηδὲ τὴν θέαν τῶν βαρβάρων ὑπενεγκάντων, εἰ μὴ θεία πρόνοια παραδόξως τοῦτον διέσωσε καὶ ἐς τὴν Ῥωμαίων βασιλείαν ἐφύλαξε, κινδυνεύσασαν τοῖς Ἰουστίνου παραλόγοις ἐγχειρήμασι σὺν καὶ τῷ ὅλῳ πολιτεύματι διαῤῥυῆναι καὶ βαρβάροις τῆς τοιαύτης ἀρχῆς ἐκστῆναι.

Iam facile intelleges requiri omnino illam consensionem, qua commouearis, ut ex uno eodemque scriptore haec fluxisse existimes. Contendit praeterea L. Jeep locos allatos prius infuisse Ioannis libris. Sed ne hoc quidem uerum esse putauerim. Ioannes enim c. I se in prooemio de iis rebus breuiter acturum dixit, quae ante Chosrois fugam factae essent, quo facilius res postea gestae possent intellegi. Ad eas res cognoscendas satis erat de rebus uel de bellis Persarum agere, Auari autem omnino mittendi erant. Idcirco initium capit Io. a septimo Iustini anno, quo ingens illud bellum exarsit. Si alia tractare uoluisset, certe non erat, cur ab hoc potissimum anno inciperet; dein si Ioannes uerba fecisset de illa Tiberii clade, exstarent ea apud Theophylactum, cum is omnia transcripserit.

Cui auctori ascribam Theophanis p. 387, 13—388, 5 nescire me profiteor, cum res satis mirae hoc loco tradantur, quarum nullum indicium est apud alios scriptores. Neque enim quidquam legimus apud ullum alium quo narratur Mauricium cum Narsete ad bellum profectum esse, quamuis bene has omnes res pertractent, nihil apud alios exstat de quindecim milibus seruorum armatorum, nihil de utroque et Germano et Mauricio Caesare designato. Itaque nixi argumento ex silentio, quod dicitur, nescio an illa omnia refutemus statuamusque illum scriptorem satis male de factis Tiberii instructum fuisse. Erui autem non poterit, quisnam ille fuerit rerum scriptor.

Cetera, quae reperiuntur praeter illa redolere mihi uidentur chronicon quoddam urbis Constantinopolis, in quo consignabantur incendia, terrae motus, aedificia, alia quae spectant ad res ecclesi-

asticas. Ad hoc igitur redire uelim quae legamus p. 382, 1—11; 384, 6—8; 387, 5—12. Inspexisse sane Theophanem chronicon Constantinopolitanum uel excerpta inde sumpta demonstrasse mihi uidentur Sauerbrei p. 25, Sarrazin p. 236 seqq.

De Georgio Hamartolo.

Paucissimis egit de imperatore Tiberio Georgius ille, qui non ita multo post Theophanem chronographum floruisse uidetur; neque noui quidquam profert, cum eius omnino uberiora occurrant apud Theophanem eius auctorem. Exempli gratia inter se conferas

Georgii Ham.		Theoph.
p. 551, 23—553, 7	=	p. 384, 8—18
553, 8—12	=	385, 4—9
553, 13—14	=	387, 4—6
553, 15—554, 3	=	387, 13—388, 16.

Aliter fortasse res se habet sub finem, ubi Georgius p. 554, 1 uocem addit *πεφαρμακωμένα*, qua docemur Tiberium ueneno necatum esse. In uniuersum monere me sinas. Georgium, quamuis cum Theophane partim ad uerbum conspiret omnia sua petiisse ex eius libris mihi non uideri. Nam aliter res Theophanes ordinauit atque disposuit, aliter Georgius. Ille quidem ita in conscribendo opere uersatus est, ut singulas res singulis tribueret annis et quot annos quisque regnasset imperator, sub finem adderet. Si igitur Georgius secutus esset Theophanem profecto idem consilium operis sectatus esset, cum tales compilatores etiam in hac re suos auctores diripere soleant. Accedit, quod Georgius Hamartolus bellum Persarum, de quo Theophanes secutus Theophylactum pluribus agit, uix taugit nisi forte putas respicienda esse p. 553, 15—17. Itaque nescio an recte contendatur ab opusculo Theophaneo non pendere Georgium; utriusque consensus ei rei attribuerim, quod ex eodem fonte uterque hausit. Contra nihil refert, quod pro uoce Theophanea p. 388, 6 *συκάμινα πρωϊνά*, exhibet Georgius p. 554, 1 *κώμωρα πρωϊμά*. Certissime reponendum esse *συκόμωρα* Leonis Grammatici (p. 138, 7) contextus demonstrat.

1) *συκάμινα* et *συκόμωρα* idem esse omnes botanici inter se consentiunt. Ceterum de hac fruge dicit Ioannes Leunis: Synopsis der Pflanzenkunde, Hannover 1877 p. 984 s. v.: Sie liefert die einzigen wohlschmeckenden Feigen. Die wallnussgrossen Früchte (ägypt. Feigen) schmecken sehr angenehm und werden sehr häufig gegessen und auch als Heilmittel benutzt.

De Cedreno.

Hic p. 3—5 (Bonn) aperte profitetur se alios exscripturum esse, inter quos Theophanem et Georgium monachum.[1]) De parte ea, quae inde ab a. 7 Iustini usque ad Tiberii obitum decurrit (p. 684, 12—691, 8) iudicandum est omnia partim ex Theophane partim ex Georgio ad uerbum transscripta esse nonnullis frustulis aliunde interpositis. Idem aliis partibus factum esse et Hirsch et Sarrazin passim enucleauerunt. Procul dubio ad Theophanem redeunt haec:

p. 684, 15—23
685, 5—8
685, 17—686, 19
689, 1—3
689, 7—690, 5
690, 10—691, 7.

Ad Georgium uero, quae respiciant, haec tabella docet

Cedrenus		Georgius
686, 23—688, 2	=	550, 18—551, 22
688, 8—19	=	551, 24—553, 12.

Attamen nonnunquam Cedrenum et Theophanem ex communi fonte hausisse, ex iis, quae de aedificiis afferuntur cognosci licet, cum Cedrenus, etsi ad uerbum ceteroquin congruit cum Theophane, his in rebus multo sit uberior; sic desideras apud Theophanem, quae exhibet Cedreuus p. 685, 10 et 12—16 et 690, 8. Eodem (ad chron. Constant.) pertinere puto, quae Cedrenus adiecit p. 686, 19—22 et p. 691, 7 de Iustini et Tiberii sepulcris.[2]) Tribuam ignoto cuidam fonti Theophani cum Cedreno communi — fortasse idem est ex quo aliis locis Eustathii excerpta deprompta esse coniecit Sarrazin (p. 238) — omnia illa, quae C. solus p. 688, 19—689, 1 affert de Tiberii edicto, quo is prohibere conatus est, ne pecunia intempestiue prodigeretur. Descriptio Tiberii, qua in re continuasse uidetur Cedrenus Ioannem Malalam, quo pertineat, nescio. Ipsam autem illam rationem eorum hominum, de quibus

1) Cfr. Hirsch: Byzant. Studien p. 8, Sarrazin l. l. p. 172 a. 5. — 2) Verba p. 686, 21 μετὰ Σοφίας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ fortasse ex prauo posterioris manus additamento orta sunt, quoniam Sophiam multo post Iustinum mortuam esse constat. De sepulcro Tiberii autem aliter tradit Ioannes Ephesius l. V p. 205; de Iustini et Sophiae sepulcris conf. Cod. de sep. imp. p. 205, 17—20.

agitur, formam et figuram depingendi, unde orta sit, exponit luculentissime Alfredus de Gutschmid.[1])

Quae legis p. 684, 23—685, 4 cum spectent ad res ecclesiasticas, referenda putauerim ad Constant. chron.

Iam restat locus p. 684, 3—6 sine ullo dubio ex Theophylacto I c. 2 compilatus, qui splendidis uerbis uocem diuinitus insonuisse auribus Tiberii narrat; namque p. 696, 9 Theophylactus nominatim affertur his uerbis: *ἀπὸ τῶν ἱστορικῶν τοῦ Σιμοκάτου λόγος*. Num uero ipse inspexerit libros Theophylacteos, ualde dubitauerim.

Quod denique Cedrenus 691, 2 exhibet *ὄψιμα* pro Theophanis 388, 7 *πρωϊνά* ab ipso Cedreno hanc uocem immutatam esse putauerim, quippe qui illam frugem mense Augusto non maturius sed serius carpi meminerit.

De Leone Grammatico.

Georgium Hamartolum simpliciter exscripsit ille chronographus re excepta, quod de Iustino minore partim Theophanem partim Cedrenum expilauit; praeter hos num alios inspexerit nescire me profiter. Quod iterum ac saepius contigisse uidimus id genus compilatoribus, ut easdem res e uariis scriptoribus petitas bis enarrarent, idem cadit in Leonem, qui Theophanem p. 373, 8 secutus p. 132, 6 Iustinum iuniorem appellat *μεγαλόδωρος τε ὢν καὶ φιλοκτίστης*; paulo infra ad Cedrenum conuersus accuratiusque de Iustini figura, moribus, uirtutibus agens iterum dicit *φιλοκτίστης μεγαλόδωρος*. Eandem uirtutem supra a se commemoratam esse non oblitus inserit Leo uerba *καὶ καθάπερ εἶπον*. Sicut Cedr. de aedificiis pauca attulit Theophani ignota, ita Leo nonnulla eiusmodi habet, quae ad eundem Theophanis et Cedreni fontem pertinere uidentur. Conferas uelim ea, quae exstant de Narsete, p. 133, 4 eiusque aedificiis. In honorem Probi, Tarachi, Andronici martyrum templum exstructum esse legimus apud Codinum p. 104, 17: *τὸν ἅγιον Πρόβον, Τάραχον καὶ Ἀνδρόνικον ὁ Ναρσῆς ἀνήγειρε*, quamquam pro certo affirmare non possumus, utrum Codinus haec prompserit ex Leone an aliunde.[2])

Quae solus de aedificiis habet Leo, sunt haec fere:

p. 132, 17: *ἐξαίσια καὶ λαμπρὰ καὶ ὑπερθαυμαστά*,
  132, 21: *ἐκ θεμελίων*,

1) Cfr. Grenzboten 1863 I p. 345. — 2) Idem Codinus p. 85, 9—11 in honorem S. Theclae templum amplificatum et exornatum esse testatur, quae res a Zonara quoque tradita est cfr. P. Sauerbrei p. 51 l. l.

p. 133, 6: ὃ καὶ ἀπέστειλε — 10 λέγεται,
133, 3: καλλωπίσας τῇ τῶν κιόνων καὶ μαρμάρων ποικιλίᾳ,
136, 20: λευκῇ,
137, 22—138, 1: οὗτος καὶ τὸν — ἐκ θεμελίων κτισθέντα.
Quoniam cetera ad uerbum transcripta sunt, compluribus locis uerborum textum restituere poterimus.

I.

P. 137, 1 scribendum esse *Τιβέριος ἐβασίλευσεν ἔτη τέτταρα* pro *πέντε* colligitur ex Georg. Ham. p. 551, 24.

II.

P. 138, 4: *ἐπὶ θυγατρὶ αὐτοῦ Κωνσταντίνᾳ* desiderantur apud Georg. Mon. p. 553, quamquam hoc loco ad uerbum descriptum. Fortasse hic uersus, qui apud Georgium librariorum incuria intercidit, in eius textum restituendus est.

III.

P. 138, 5 legimus: *ὡσαύτως καὶ Γερμανὸν πατρίκιον τὸν ἐν Ἀφρικῇ στατηγοῦντα.* Additamentum *ἐν Ἀφρικῇ*, quid sibi uelit, non facile demonstraueris. Scribendum est: *ἐν Ἀρμενίᾳ.* Ceterum etiam hic uersus apud Georgium excidisse uidetur.

De Zonara.

De eorum temporum, quae ad nostram pertinent disputatiunculam, fontibus Zonarae accuratius egit P. Sauerbrei p. 51—55, cui quamuis in uniuersum assentiar, non possum, quin paruulis in rebus contradicam. Atque primum quidem discrepantiam illam inter Theophanem et Zonaram exstantem de tempore redintegrati belli non probauerim. Zonaras enim (l. XVI c. 10 et 11 p. 288, 31 ed. Dind.) — quod maxime premendum est — non ex Theophane transcripsit pace illa trium annorum exemptam fuisse Armeniam. Si igitur his omissis Zonaras perrexisset sequenti anno denuo bellari coeptum esse neque quidquam addidisset de induciis ruptis — ruptae enim omnino non erant —, tum lector miratus esset, quod nulla demonstrata causa primo induciarum anno bellum iterum exarsisset. Cur autem silentio omnino praeterierit condicionem illam de Armenia latam cognitu non difficile est. Equidem Zonaram puto dubitasse, num recte Theophanes res enarrasset, arbitratum fieri non posse, ut illae induciae non ad omnem terram pertinerent atque hanc ipsam ob causam de industria addidisse: ἤδη δὲ τοῦ

τρίτου παραρρυισκομένου ἐνιαυτοῦ, quae uerba, ut artissime cohaerent cum antecedentibus *σπείσασθαι Ῥωμαίοις ἐπὶ τριετίᾳ*, ita iis maxime respondent. Accedit, quod Zonaras Theophanis rationem minime amplectitur singulas res singulis annis attribuentis.

Locus p. 290, 1—6, quem apud nullum alium scriptorem se repperisse profitetur Sauerbrei exstat apud Ioannem Ephes. VI 24 p. 254.

Haec habui, quae adderem de scriptoribus qui exstant de imperio Tiberii Constantini.

DE FIDE ET FONTIBVS POLYAENI

SCRIPSIT

OTTO KNOTT

ISENACENSIS

Ad nostram usque aetatem inter uiros doctos tanta fuit dissensio de Polyaeni fide et auctoritate ut quanta sit ei tribuenda adhuc uix satis constet. Nam cum extiterint qui nullam omnino ei habendam esse fidem contenderent neque defuerint, qui bono tantum ordine strategemata eius carere dicerent ut quantum ualerent ad rerum gestarum cognitionem appareret, alii sunt, qui medium inter eos obtinent locum et Polyaenum scriptorem haud quidem spernendum sed cautius tractandum esse arbitrantur.[1])

Quorum omnium hac aetate longissime est progressus Malina, qui discrepantibns Polyaeni narrationibus commotus haec de eo iudicauit[2]): 'Etenim Pharnabazum qui testibus Diodoro et Xenophonte quorum quidem de hac re narrationes paulum inter se differunt, a Lacedaemoniis stabat, in pugna Cyzicena Atheniensium socium fuisse siue mentitus siue quod ego quidem crediderim, alucinatus falso retulit'. Fontes enim Polyaeni fuisse statuit Herodotum, Xenophontem, Diodorum, Plutarchum, Frontinum, quos, cum saepius ab iis Polyaenus discrepet, mutatos et corruptos ab eo esse censet eaque sententia nisus Polyaenum scriptorem mendacem nullaque fide dignum esse explicare est conatus. Quod quidem prorsus recte eum fecisse certe omnibus non probabitur: nam cum ex iis tantum strategematis proficiscatur, quae ab aliorum scriptorum narrationibus discrepant neque omnino respiciat ea, quae consentiunt, idem nobis facere uidetur atque iudex qui accusatoribus tantum auditis reum

1) Ste.-Croix, examen critique des historiens d'Alexandre le Grand p. 128. Wolf, Vorlesungen üb. d. Geschichte d. griech. Literatur, p. 402. Haase, Blätter für liter. Unterhaltg. Januar 1838. n. 23. Reiske, ad Constant. Porphyrogenet. de caerimoniis, p. 236. Casaubonus, praef. ad Polyaenum, p. 3. Fabricius, biblioth. graeca, tom. V, p. 321. Schöll, Gesch. d. griech. Literat. II, p. 716. Nicolai, Gesch. d. gr. Lit. 2. Hälfte, 2. Heft, p. 521. Niebuhr, kl. hist. und philol. Schriften I 464 und Vorträge üb. alte Geschichte III, p. 8. 156. — 2) De fide Polyaeno strategematum scriptori habenda lucubrationes. Jahresbericht über d. königl. kathol. Gymnasium zu Braunsberg 1868/69, p. 7.

condemnat neque defensionis ei praebet potestatem. Accedit aliud. Cum enim quo magna pars strategematum recedat, nondum constet, dixerit fortasse quispiam strategemata illa quae falsa tradere Polyaenum Malina contendit, ex eodem fonte profecta esse atque illa, ita ut omnino discerni nequeat, Polyaenum ea quae tradita inuenerit in peiorem partem mutasse. Cui quamquam non prorsus consentimus, tamen hoc statuendum censemus esse Polyaenum potissimum ea adhibuisse opera ex quibus commode quae ad propositum suum spectabant sumere potuit, imprimis scilicet eorum qui magnum aut certum temporis spatium descripserunt, dein uero talia, quae ut ipsius opus certa rerum gestarum genera continebant, id quod iam Woelfflinus[1]) monuit.

Quae praefati in ipsam rem descendamus primumque perquiramus discrepantiarum Polyaeni naturam qua cognita concludere possimus num ipsi Polyaeno an auctori quo usus est imputandae sint.[2])

Antequam autem de ipsis discrepantiis agamus, nonnulla dicenda sunt de ratione quam Polyaenus in conscribendis strategematis secutus sit. Itaque imprimis respicienda sunt quae dicit in praefatione libri I '*ὅσα δὲ τὰ ἀπὸ τῆς ἱστορίας ἔργα στρατηγίας ἔχοντα κατὰ πολεμίων ἢ κατὰ ἐχθρῶν συνεξελεξάμην καὶ δὴ τούτων μεμνήσομαι σύντομον τὴν παρ' ἑκάστῳ μνήμην ποιούμενος* et libri II . . . *ἀφ' ὅσης ἱστορίας καὶ ὅσῳ πόνῳ τάδε συλλεξάμενος ὠφέλειαν σύντομον ὑμῖν δίδωμι*'.

Vtroque igitur loco uocem *σύντομον* premit, quo apparet eum si quid fusius traditum inuenerit in breuius contraxisse quo scilicet facile potuit fieri ut singula praetermitteret sententiarumque conexu perturbato res aliter atque traditae erant praeberet. Neque omittendum est Polyaenum non fuisse uirum otiosum, solo opere conficiendo occupatum, sed quantum temporis causae agendae reliquerint in colligendis strategematis eum consumpsisse sicut ipse affert in praefatione libri II '*καὶ ταῦτα σχολὴν οὐκ ἄγων ἀλλὰ καὶ δίκας ἐφ' ὑμῶν λέγων* et VIII *ὅτι προαιρέσει βίου καὶ λόγου δικανικοῦ χρώμενος οὐκ ἀμελῶ συγγράφειν*, ex quibus non solum cognosci potest Polyaenum intentum fuisse ad imperatorum quibus opus dedicauit, laudem, quod otium suum eo consumpsisset, ut illis bellum Parthicum gesturis adiumenta quaedam pararet, sed etiam cum bellum Parthicum non ita multo post quam Verus et Antoninus imperatores facti sunt oreretur, non nimia industria eum usum esse

1) In praefatione editionis p. XIII. — 2) Cf. Gutschmid, philologus 1856, p. 150 'Ex his de auctoritate Polyaeni indicari poterit quae tota pendet ex fontibus, quos ille in singulis operis sui partibus secutus est'.

in auctorum fide probanda sed quaecunque ad propositum suum spectabant collegisse. Inde multas discrepantias ortas esse putandum est, quae inter Polyaenum ceterosque scriptores intercedunt quarumque primum genus cognoscitur iis exemplis, in quibus aliorum scriptorum narrationes in breuius contractae inueniuntur; alterum constat ex iis quae singulis rebus omissis consentiunt cum iis locis, unde manauerunt. Extant autem permulta Polyaeni strategemata quae ita dissentiunt ab aliorum scriptorum narrationibus, nominibus numeris aliis additamentis adiectis, ut si communis fons statui non potest, Polyaenum aut proprium fontem adhibuisse aut ipsum mutasse censendum sit. Quo in tertio discrepantiarum genere apparebit quomodo accipienda sint quae leguntur in praefatione libri VI 'νυνὶ δὲ ὅσα θεράπειαν ὑμετέραν οὐκ ἔχει ἀλλὰ τῶν πάλαι γεγονότων ἀλήθειαν, προσθήσω' quibus legentibus imperatoribus persuadere uoluit, se nihil ad ipsorum gloriam augendam addidisse sed ita res tradidisse quales antiquitus essent factae. Atque maxime est dolendum, quod ne uno quidem loco, quibus auctoribus usus sit, commemorat, ut non eum mentitum esse omnibus probetur. At tamen ueremur, etsi fontes nobiscum communicasset, ut prorsus suspicione illa liberari possit. Omnia enim strategemata discrepantia cum non uerisimile sit fluxisse ex operibus nunc perditis neque quisquam sit quin Herodotum, Thucydidem potestate data adhibuisse Polyaenum concedat, praesertim cum non pauca extent strategemata quae prorsus cum illorum narrationibus consentiunt — etiam nobis Polyaenum traditas narrationes non semper integras seruasse persuasum est.

Causas dein mutationum quaerentibus nobis id imprimis respiciendum est non consulto Polyaenum res gestas falso rettulisse. An ducamus eum tam amentem, ut opere suo aliorum opera obscuratum iri posterosque solum Polyaenum uere res gestas tradere sibi persuasum habituros esse crediderit? Praeterea cum omnis operis condicio indicet scriptorem non diligentem, sed potius neglegentem, proxima quaeque colligentem, quod certo tempore opus conficiendum erat, non probabile uidetur additamentis adiciendis minus temporis eum consumpsisse quam accurate describendo. Itaque si grauiora additamenta inuenerimus non ficta a Polyaeno sed proprio ex fonte hausta censebimus ut mendacitatis opprobrium tollatur leuitatisque tantum remaneat.

Quam ad rem explicandam scriptores quos uiri docti adhibuisse Polyaenum statuerunt perlustremus primumque uideamus num recte censuerit Woelfflinus de Frontino et Suetonio Polyaeni auctoribus,

Dicit enim l. c. p. XIV 'Historiam Romanam quod uix XXX libri octaui capitibus absoluit, Fabricium mouit ut Polyaenum neque Frontini strategematicon libris usum esse neque adeo linguam latinam calluisse iudicaret. Sed ut mittamus causarum patronum linguae latinae ignarum ipse Suetonius locuples testis erit, Polyaenum latinos quoque auctores licet rarius euoluisse: nam Suetonio adeo se addixit ut XVI Caesaris et VI Augusti strategemata uel eodem ordine retulerit quo ille retulit. Quo comperto nolim ego negare ei Frontini opus ad manus fuisse praesertim collatis iis locis quos p. 358 s. u. Frontinus apposui ‚primos'. Abscessit etiam in Woelfflini sententiam Malina, cum l. c. p. 26 haec dicat: Cum Frontino quem auctorem, ut opinor, secutus est Polyaenus eqs.

Nos igitur quamquam sententiam suam uelut firmissimam Woelfflinus aperuit, Malina autem causas non attulit, hac in dissertationis parte inquirendum nobis proposuimus primum, num causae quibus nititur Woelfflinus probari possint, dein si non probantur, utrum omnino inueniantur exempla, quibus Polyaenum adhibuisse Frontinum aperte ostendatur an Woelfflinus et Malina errauerint.

Quam missam facit causam Woelfflinus quod Polyaenum Romae causidicum linguam latinam calluisse uerisimile sit ne nos quidem urgeamus, cum quamquam sermone latino uti debuisse Polyaenum ea re satis constet, tamen scriptores latinos eum adhibuisse nondum demonstretur. Quod autem Suetonium huius rei affert testem, cum XVI Caesaris et VI Augusti strategemata uel eodem ordine atque apud Polyaenum referantur indeque etiam Frontinum adhibitum esse concludit, minime probamus: ipse Frontinus solus nobis uidetur testis esse aduocandus, si quis Polyaenum eum secutum esse demonstrare conatur. Itaque V illa exempla quibus praecipue Woelfflinus nititur deinceps pertractabimus, quorum primum est

Frontin. I 11, 9.

'Archidamus Lacedaemonius aduersus Arcadas bellum gerens aram in castris statuit et circa eam duos duci equos noctu clam imperauit: quorum uestigia mane tanquam Castor et Pollux perequitassent obtendens adfuturos eosdem ipsis proeliantibus persuasit.'

Polyaen. I 41, 1.

Ἀρχίδαμος ἐν Ἀρκαδίᾳ μέλλων παρατάσσεσθαι τῇ ὑστεραίᾳ ἐπέρρωσε τοὺς Σπαρτιάτας διὰ νυκτὸς βωμὸν ἱδρυσάμενος καὶ κοσμήσας ὅπλοις λαμπροτάτοις καὶ ἵππους δύο περιαγαγών. Ἐπεὶ δὲ ἦν ἕως οἱ λοχαγοὶ καὶ οἱ ταξίαρχοι καινὰ ὅπλα καὶ δυοῖν ἵπποιν ἴχνη καὶ βωμὸν αὐτόματον ἰδόντες διήγγειλαν, ὡς οἱ Διόσκουροι συμμαχή-

Frontin. I 14, 9.	Polyaen. I 41, 1.
	σοντες ἤκοιεν. Οἱ στρατιῶται θαρρήσαντες καὶ τὰς γνώμας ἔνθεοι γενόμενοι γενναίως ἠγωνίσαντο καὶ τοὺς Ἀρκάδας ἐνίκησαν.

Offendit igitur primum quod Frontinus nihil dicit de armis quibus Polyaenus Archidamum aram adornasse bis commemorat (*κοσμήσας ὅπλοις λαμπροτάτοις — καινὰ ὅπλα ἰδόντες*); alterum quod Polyaenus aram noctu exstructam inscios milites praeter equorum uestigia admiratos esse tradit, Frontini autem uerbis aram iam interdiu exstructam esse apparet; tertium quod Frontinus narrat ipsum Archidamum mane militibus equorum uestigia ostendisse, Polyaenus contra exhibet *οἱ λοχαγοὶ καὶ οἱ ταξίαρχοι διήγγειλαν*; quartum denique quod Archidamum Arcades uicisse Frontinus omnino silentio praeterit.

Alterum sequitur exemplum

Frontin. I 12, 11.	Polyaen. III 10, 2.
'Timotheus Athenienses aduersus Corcyraeos nauali proelio decertaturus gubernatori suo qui proficiscenti iam classi signum receptui coeperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat, Miraris, inquit, ex tot militibus unum perfrixisse?'	*Τιμόθεος ἀνήγετο τῷ στόλῳ παντί. Πταρμὸς ἐγένετο. ὁ κυβερνήτης ἐπισχεῖν ἐκέλευσεν· οἱ ναῦται τῶν τριήρων ἐπιβαίνειν οὐκ ἐθάρρουν. Τιμόθεος μειδιάσας Ποῖον γάρ, ἔφη, γέγονεν οἰώνισμα εἰ τοσούτων περιεστηκότων εἷς ἔπταρεν; οἱ ναῦται γελάσαντες ἀνήχθησαν.*

Neque de hoc quidem strategemate Woelfflinus recte iudicasse nobis uidetur. Narrat enim Frontinus cum classis iam profectura fuisset, quendam sternutasse eaque de causa gubernatorem signum receptus dedisse, contra Polyaenus milites naues nondum conscendisse tradit cum omen illud accidisset. Accedit etiam quod Timothei dictum non idem traditur apud Frontinum et Polyaenum neque ridentes Frontinus milites profectos esse adicit.

Tertium affert exemplum

Frontin. II 1, 1.	Polyaen. VIII 16; 1.
'P. Scipio in Hispania cum comperisset Hasdrubalem Poenorum ducem ieiuno exercitu mane processisse in aciem, continuit in	*'Σκιπίων ἐν Ἰβηρίᾳ μαθὼν ὡς τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον ἄσιτον ἀφίκοιτο ἐς τὴν μάχην ἐμήκυνεν ἐξάγων καὶ παρατάσσων*

Frontin. I 1, 1.	Polyaen. VIII 16, 1.
horam septimam suos, quibus praeceperat, ut quiescerent et cibum caperent: cumque hostes inedia siti mora sub armis fatigati repetere castra coepissent, subito copias eduxit et commisso proelio uicit.'	*τὴν αὐτοῦ φάλαγγα. Ἀμφὶ δὲ ὥραν ἑβδόμην πιεζομένους ἤδη λιμῷ καὶ δίψει συμβαλὼν ῥᾳδίως ἐκράτησεν.'*

Discrepantia igitur modo in eo sita est, quod Frontinus Scipionem suos in castris retinuisse septemque horis intermissis cum hostes se recipere coepissent, copias eduxisse tradit; ex Polyaeni autem uerbis sequitur, Scipionem statim cum hostes appropinquarent castris egressum esse et septem horas manus conserere dubitasse.

Quartum est exemplum

Frontin. II 3, 13.	Polyaen. II 16.
'Gastron Lacedaemonius cum auxilio Aegyptiis adversus Persas uenisset et sciret firmiorem esse Graecum militem magisque a Persis timeri, commutatis armis Graecos in prima posuit acie et cum illi aequo Marte pugnarent, submisit Aegyptiorum manum. Persae cum Graecis quos Aegyptios opinabantur, restitissent, superueniente multitudine quam ut Graecorum expauerant, cesserunt.'	*Γάστρων Λακεδαιμόνιος μέλλων ἐν Αἰγύπτῳ συμβαλεῖν τοῖς Πέρσαις μετενέδυσε τὰς πανοπλίας καὶ τὰς μὲν τῶν Ἑλλήνων τοῖς Αἰγυπτίοις, τὰς δὲ τῶν Αἰγυπτίων τοῖς Ἕλλησι περιέθηκε. Κρύψας δὲ τοὺς Αἰγυπτίους ἐν τοῖς ἕλεσι παρατάξας προῆγε τοὺς Ἕλληνας. Τῶν δὲ οὐδὲν ἐνδιδόντων ἀλλ' εἰς τοὔμπροσθεν βιαζομένων καὶ προθύμως κινδυνευόντων ἐξανέστησε τοὺς Αἰγυπτίους ἐν τοῖς ὅπλοις τοῖς Ἑλληνικοῖς. Ἰδόντες δὲ οἱ Πέρσαι καὶ τοὺς Ἕλληνας ὑπονοήσαντες ἐπιέναι λύσαντες τὴν τάξιν ἔφευγον.*

Imprimis nobis agendum est de uoce *ἕλεσι* quam Woelfflinus a Wesselingio emendatam pro codicum lectione *Ἕλλησι* in textum recepit, idque recte nostra quidem sententia. Codicum enim lectionem si recte traditam statuimus idem a Polyaeno triplici modo dictum esse concedendum est. Primum enim dicit *μετενέδυσε τὰς πανοπλίας* h. e. Graeci et Aegyptii arma inter se mutauerunt; idem sequentia uerba exprimunt *καὶ τὰς μὲν — περιέθηκε*. Sequitur deinde *Κρύψας δὲ τοὺς Αἰγυπτίους ἐν τοῖς Ἕλλησι* quod iterum nihil aliud significare uidetur nisi Aegyptios quos minus fortes putabat Gastron, Graecorum armis occultos fuisse. Quod

cum iam antecedentibus satis appareat uox ἕλεσι h. e. paludibus aptissima uidetur esse qua omnis difficultas tollatur. Fulcitur etiam haec lectio uerbo ἐξανέστησε, quod duae praepositiones quibus est compositum optime quadrant in militum ascensum ex inferioribus locis factum. Adde quod cum modo dictum sit ἐν Ἕλλησι minus bene sequitur τοὺς Ἕλληνας, exspectatur potius τούτους. Quibus dictis cum emendatam lectionem satis confirmasse uideamur, Polyaenus ipso Frontino auctore usus esse non potest cum ille modo in prima acie positos fuisse Graecos commemoret neque quidquam ubi steterint Aegyptii afferat.

Quintum denique quo nititur Woelfflinus exemplum est

Frontin. III 11, 2.	**Polyaen. II 1, 16.**
'Agesilaus dux Lacedaemoniorum cum Phocenses obsideret et intellexisset eos qui tunc praesidio illis erant, iam grauari belli incommodo paullum regressus tamquam ad alios actus liberam recedendi occasionem his dedit. Non multo post milite reducto destitutos Phocenses superauit.'	Ἀγησίλαος ἐπολιόρκει Φωκαέας χρόνῳ μακρῷ καὶ οὔτε τὴν πόλιν ἑλεῖν ἴσχυεν καὶ τοῦ χρόνου τὴν τριβὴν οὐκ ἔφερε. Πολλῷ γε μὴν μᾶλλον ἐταλαιπώρουν οἱ τῶν Φωκαέων σύμμαχοι. Ὁ δὲ διαλύσας τὴν πολιορκίαν ἀνεχώρησεν· ἄσμενοι δὴ καὶ οἱ τῶν Φωκαέων σύμμαχοι τῶν πολεμίων ἀπελθόντων ἀπηλλάγησαν. Τότε Ἀγησίλαος ἐπιστρέφει καὶ συμμάχων ἔρημον τὸ Φωκαέων ἄστυ κατελάβετο.

Narrat igitur Frontinus Agesilaum Phocenses obsidentem ut eos qui praesidio illis erant remoueret faciliusque solos Phocenses superaret, castra mouisse praesidiariisque belli incommodis grauatis locum dedisse sese recipiendi, quo facto Phocenses esse uictos. Polyaenus autem ipsum Agesilaum longinquitate obsidionis laborasse neque urbem propter maiorem hostium numerum capere potuisse tradit. Offendit etiam quod si Polyaenum Frontino usum esse statuimus, non recte eum Frontini illud 'qui tunc praesidio illis erant' uertisse per 'οἱ τῶν Φωκαέων σύμμαχοι statuendum est cum potius οἱ ἐν φυλακῇ uel simile quid uertere debuerit. Cetera consentiunt. Sed cum ne hoc quidem exemplum discrepantia uacet male sententiam suam fulsit Woelfflinus cum quinque illis exemplis pertractatis ne unum quidem reppererimus, quo prorsus nobis Frontinum a Polyaeno adhibitum esse persuadeatur neque quidquam habeat, quo melius sententiam suam adiuuet; cetera enim exempla quinque illis laudatis minoris momenti esse ipse concedit.

Malina nisus Woelfflino (l. c. p. XIV) et Webero (De Latine scriptis quae Graeci ueteres in linguam suam transtulerunt, progr. Cassel 1835) Frontinum a Polyaeno adhibitum esse opinatus l. c. p. 26 mire adicit locum Polyaeni V 10, 4 quem discrepare a Frontini strategemate III 10, 5 ipse uidit, 'quod, ut eius uerbis utamur, scriptor Latinus Agrigentinos cum obortum a moenibus fumum conspexissent, incensam urbem suam existimasse eiusque defendendae causa a persequendis Poenis destitisse et recurrisse refert. Contra ea dicit Polyaenus Agrigentinos conspecto fumo a ciuibus suis hoc signo dato se reuocari ratos ad urbem se retulisse'. Quam uero discrepantiam recte Malinam statuisse negamus cum codicum lectionibus accuratius comparatis prorsus remoueatur. Exhibet enim cod. Monac. στρατιωτῶν corr. pr. m. πολιτῶν id quod etiam praebent cod. Paris., Darmariani, editiones; ἀνακάεσθαι cod. Monac. Paris. ἀνακαίεσθαι codd. Darmariani, ἀνακαλεῖσθαι coni. Casaubonus.[1]) Quibus allatis cum lectio ὑπὸ τῶν πολιτῶν ἀνακαλεῖσθαι quam secutus est Malina, nullius codicis auctoritate nitatur, minime retinenda nobis uidetur esse praesertim cum ex ipsa codicum scriptura iusta lectio restitui possit. Optimi enim codices Monacensis et Parisinus exhibent ἀνακάεσθαι, quae lectio fulcitur Darmarianis codicibus qui praebent ἀνακαίεσθαι. Itaque cum uerbum ἀνακάεσθαι retinendum esse satis constet sequitur, quoniam ab ipsis ciuibus urbem incendi Agrigentinos putasse non est uerisimile, ut uocem πολιτῶν mutemus in πολεμίων, quae mutatio ne minima quidem difficultate laborat, quam ob rem Woelfflinum rectam lectionem restituisse concedimus. Quibus igitur expositis ea quidem discrepantia quam statuendam censuit Malina euanescit, aliae uero quas praetermisit, remanent. Offendit enim primum quod Polyaenus dicit προῆλθε τῆς πόλεως στρατιὰ πολλή cum Frontinus modo exhibeat 'prima luce ad eliciendos hostes progressus' (scil. Himilco); magnum igitur oppidanorum exercitum in acie iam instructum Himilco certe non uidit. Narrat dein Frontinus Himilconem alteram copiarum partem in insidiis posuisse et cum altera ad eliciendos hostes progressum esse, Polyaenus autem rem contrariam tradit, Himilconem ad eam copiarum partem se contulisse quae prope urbem insidias structura erat. De ceteris nulla extat dissensio nisi quod Frontinus dicit, Agrigentinos fumo ad urbem animaduerso incensam eam ratos a sequendo destitisse et ab hostibus in insidias pulsos a fronte et a tergo pressos in medio trucidatos esse, cum

1) Cf. Woelfflin. edit. p. LXIV.

Polyaenus partim eos interfectos partim captos esse adiciat. Quae cum ita sint Malinae difficultate sublata alias extare ostendimus quae quominus Polyaeni strategema ducamus ad Frontinum satis sunt impedimento.

Itaque nunc quaestio oritur, num omnino Frontinus adhibitus sit a Polyaeno. Quam ad rem expediendam omnia strategemata quae apud Polyaenum et Frontinum similiter referuntur collecta iuxta posuimus, ut uideremus num aliis fortasse exemplis Woelfflini sententia fulciri possit; per se enim probabile uidetur esse opus quale est Frontini a Polyaeno non neglectum esse sed potius quam maxime adhibitum. Sunt autem quae comparari possunt exempla, haec:

Polyaen.		Frontin.			Polyaen.		Frontin.	
I	19	—	II	5, 44.	II	3, 12	—	I	11, 16.
	20, 2	—	IV	7, 44.		3, 14	—	II	2, 12.
	30, 4	—	II	6, 8.		4, 1	—	III	8, 2,
	30, 5	—	I	1, 10.		4, 2	—	I	5, 2.
	33	—	I	11, 7.		7	—	IV	7, 19.
	35, 1	—	II	4, 11.		10, 4	—	II	3, 12.
	35, 2	—	IV	7, 21.		16	—	II	3, 13.
	38, 2	—	I	5, 23.		29, 1	—	III	6, 7.
	40, 2	—	III	11, 3.		37	—	I	2, 8.
	40, 3	—	III	12, 1.	III	4, 1	—	III	11, 1.
	40, 5	—	III	6, 6.		9, 33	—	I	4, 7.
	40, 9	—	II	5, 44.		9, 44	—	II	5, 42.
	41, 1	—	I	11, 9.		9, 50	—	I	5, 24.
	43, 2	—	II	9, 7.				II	12, 4.
	45, 2	—	II	1, 18.		9, 52	—	II	1, 6.
	49, 4	—	I	4, 10.		9, 53	—	II	1, 5,
II	1, 5	—	II	6, 6.		9, 54	—	I	6, 3.
	1, 6	—	I	11, 17.		10, 2	—	I	12, 11.
	1, 9	—	I	8, 12.		10, 12	—	II	5, 47.
	1, 16	—	III	11, 2.	IV	2, 7	—	II	1, 9.
	1, 18	—	I	11, 5.		2, 8	—	I	4, 13.
	1, 24	—	I	4, 3.		2, 21	—	I	3, 4.
	1, 27	—	I	10, 3.		3, 9	—	I	4, 9.
	1, 30	—	I	4, 2.		3, 25	—	I	7, 7.
	2, 8	—	III	5, 1.		19	—	IV	7, 20.
	3, 9	—	II	5, 26.	V	2, 8	—	I	8, 11.
	3, 10	—	III	11, 5.		2, 9	—	III	4, 3. 4.

Polyaen.	Frontin.	Polyaen.	Frontin.
V 8, 1	— II 5, 11.	VII 21, 7	— II 7, 9.
10, 2	— I 1, 2.	27, 1	— I 4, 5.
10, 4	— III 10, 5.	44, 1	— II 4, 20.
16, 3	— III 2, 10.	VIII 5	— II 7, 1.
28, 1	— IV 1, 8.	6	— I 1, 4.
44, 2	— II 5, 18.	9, 2	— II 8, 12.
VI 6, 3	— II 6, 10.	11	— III 3, 2.
47	— III 15, 6.	16, 1	— II 1, 1.
VII 6, 5	— III 7, 4.	16, 6	— II 11, 5.
6, 6	— II 4, 12.	17	— I 1, 1.
6, 7	— I 11, 19.	21	— IV 7, 22.
6, 10	— III 8, 3.	22	— I 11, 13.
11, 4	— I 5, 25.	23, 4	— II 1, 16.
13	— III 3, 4.		

Quorum ex numero primum remouenda sunt strategemata quae iam tractauimus quinque Woelfflini unumque Malinae, dein sex quae respondent libri IV Frontini exemplis, quem spurium esse inter uiros doctos satis constat; ceterorum denique ea quae discrepant nominibus numeris aliis additamentis, tribus columnis inscripsimus eisque quae non una tantum ratione differunt circellum adiecimus.

I.

Polyaen.	Frontin.	Polyaen.	Frontin.
I 30, 4	— I 1, 10.	°III 9, 33	— I 4, 7.
°33	— I 11, 7.	9, 54	— I 6, 3.
°40, 5	— III 6, 6.	°10, 12	— II 5, 47.
°40, 9	— II 5, 44.	IV 2, 8	— I 4, 13.
°43, 2	— II 9, 7.	°V 8, 1	— II 5, 11.
II 1, 5	— II 6, 6.	°10, 2	— I 1, 2.
1, 9	— I 8, 12.	°16, 3	— III 2, 10.
1, 27	— I 10, 3.	°VI 47	— III 15, 6.
3, 9	— II 5, 26.	VIII 5	— II 7, 1.
°3, 14	— II 2, 12.	°11	— III 3, 2.
°29, 1	— III 6, 7.	°16, 6	— II 11, 5.
III 4, 1	— III 11, 1.	°22	— I 11, 13.

II.

°I 40, 3	— III 12, 1.	°II 1, 24	— I 4, 3.
°45, 2	— II 1, 18.	2, 8	— III 5, 1.
49, 4	— I 4, 10.	°3, 12	— I 11, 16.

Polyaen.	Frontin.	Polyaen.	Frontin.
°II 3, 14	II 2, 12.	V 2, 8	I 8, 11.
°4, 1	III 8, 2.	°VIII 17	I 1, 1.
°III 9, 33	I 4, 7.		

III.

Polyaen.	Frontin.	Polyaen.	Frontin.
I 19	II 5, 41.	III 9, 52	II 1, 6.
30, 5	I 1, 10.	°10, 12	II 5, 47.
°33	I 11, 7.	°IV 2, 8	I 4, 13.
35, 1	II 4, 11.	2, 21	I 3, 4.
38, 2	I 5, 23.	3, 9	I 4, 9.
40, 2	III 11, 3.	3, 25	I 7, 7.
°40, 3	III 12, 1.	V 2, 9	III 4, 4.
40, 5	III 6, 6.	°8, 1	II 5, 11.
°40, 9	II 5, 44.	°10, 2	I 1, 2.
°43, 2	II 9, 7.	°16, 3	III 2, 10.
°45, 2	II 1, 18.	44, 2	II 5, 18.
II 1, 6	I 11, 17.	VI 6, 3	II 6, 10.
°1, 9	I 8, 12.	°47	III 15, 6.
1, 18	I 11, 5.	VII 6, 5	III 7, 4.
°1, 24	I 4, 3.	6, 6	II 4, 12.
°1, 27	I 10, 3.	6, 7	I 11, 19.
1, 30	I 4, 2.	6, 10	III 8, 3.
°3, 10	III 11, 5.	11, 4	I 5, 25.
°3, 12	I 11, 16.	13	III 3, 4.
°4, 1	III 8, 2.	21, 7	II 7, 9.
4, 2	I 5, 2.	44, 1	II 4, 20.
10, 4	II 3, 12.	VIII 5	I 1, 4.
29, 1	III 6, 7.	°11	III 3, 2.
37	I 2, 8.	°16, 6	II 11, 5.
III 9, 44	II 5, 42.	°17	I 1, 1.
9, 50	I 5, 24.	°22	I 11, 13.
	II 12, 4.	23, 4	II 1, 16.

Restant denique duo Polyaeni strategemata, III 9, 53 et IV 2, 7 quae ita referuntur, ut ex Frontini exemplis II 1, 5 et II 1, 9 manauisse possint. Quoniam uero non est uerisimile, duo tantum exempla Polyaenum ex Frontino hausisse, si ad manus ei fuit, certe eorum numero adscribenda sunt quae cum Frontini strategematis ad eundem fontem recedunt.

Quibus expositis, cum iam appareat Frontinum a Polyaeno non

esse adhibitum tamen alio etiam modo Woelfflinum non recte iudicauisse demonstrare conabimur. Pleraque enim strategemata Frontini quae de eadem re agunt atque Polyaeni ita sunt conscripta ut si Polyaenum ea adhibuisse statuimus, Polyaenum quaedam addidisse concedendum sit. Quod uero quominus faciamus ipsius Polyaeni uerbis prohibemur, cum l. l. narrationes traditas contraxisse se dicat. Itaque si occurrimus strategematis quae illo modo a Frontini exemplis dissentiunt cum alius autem scriptoris narrationibus consentiunt certe hoc statuendum est, Polyaenum non Frontinum sed alium secutum esse. Quod ut exemplo probetur, conferas Polyaen. VIII 9, 2 cum Frontin. II 8, 12 et Plutarch. in uita Sullae cap. 21 quod strategema cum ipse Woelfflinus ad Plutarchum recedere iusserit, haud bene ipsius sententiae subuenire uidetur.

Polyaen.	Frontin.	Plutarch.
Σύλλας Ἀρχελάῳ τῷ Μιθριδάτου στρατηγῷ περὶ Ὀρχομενὸν παρετάσσετο. Ὁρῶν δὲ τοὺς Ῥωμαίους ἡττωμένους καὶ φεύγοντας, αὐτὸς ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου καὶ σημεῖον ἁρπάσας ὠθεῖτο διὰ τῶν φευγόντων ἐς τοὺς πολεμίους βοῶν, "Ἐμοὶ μὲν ἐνταῦθα καλὸν, ὦ Ῥωμαῖοι, τελευτᾶν· ὑμεῖς δὲ τοῖς πυνθανομένοις, Ποῦ προδεδώκατε Σύλλαν, μέμνησθε φράζειν, Ἐν Ὀρχομενῷ". Τοῦτον τὸν λόγον Ῥωμαῖοι καταιδεσθέντες ἀνέστρεψαν καὶ προθύμως ἐμβαλόντες ἐτρέψαντο τοὺς πολεμίους.	L. Sulla cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico ductu Archelai stricto gladio in primam aciem procucurrit adpellansque milites dixit: si quis quaesisset ubi imperatorem reliquissent, responderent pugnantem in Boeotia. Cuius rei pudore uniuersi eum secuti sunt.	. . . *Ἔνθα δὴ Σύλλας αὐτὸς ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου καὶ σημεῖον ἀναρπάσας ὠθεῖτο διὰ τῶν φευγόντων εἰς τοὺς πολεμίους βοῶν, Ἐμοὶ μὲν ἐνταῦθά που καλόν, ὦ Ῥωμαῖοι, τελευτᾶν, ὑμεῖς δὲ τοῖς πυνθανομένοις, ποῦ προδεδώκατε τὸν αὐτοκράτορα, μεμνήμενοι φράζειν, ὡς ἐν Ὀρχομενῷ. Τούτους τε δὴ τὸ ῥηθὲν ἐπέστρεψε καὶ τῶν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρως σπείρων δύο προσεβοήθησαν, ἃς ἐπαγαγὼν τρέπεται τοὺς πολεμίους.*

Quibus comparatis cum maior intercedat similitudo inter Polyaeni et Plutarchi narrationes Polyaeni strategema ex Frontino sumptum esse negandum est, qua re Woelfflini sententiae multum

probabilitatis detrahitur, quia quae ex Frontino haurire potuit Polyaenus alio ex scriptore mutuauit. Itaque quamquam Plutarchum ab eo non adhibitum esse in sequentibus exponemus tamen ab eius auctore Polyaeni strategema ortum ducere statuendum esse censemus.

Sed haec hactenus de Frontino; uideamus nunc quid de Suetonio, Polyaeni auctore iudicandum sit. Atque maximi momenti esse uoluit Woelfflinus[1]), quod sedecim Caesaris et sex Augusti strategemata eodem ordine apud Polyaenum et Suetonium referuntur. Cui rei ne nos quidem minimum tribuendum esse putamus, quamuis offendere possit, quod quae Suetonius tradit, apud Polyaenum saepius dilatata narrantur magisque Suetonii est quae fusius narrata erant, contrahere quam Polyaeni ea amplificare. Conferas enim

Sueton.	**Polyaen.**
Diu. Iulius 67. Nec milites eos pro contione sed blandiore nomine commilitones appellabat habebatque tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret simul et ad speciem et quo tenaciores eorum in proelio essent metu damni.	VIII 23, 20. *Καῖσαρ τοῖς στρατιώταις παρήγγειλεν ὅπλα ἔχειν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένα, μάλιστα μὲν κόσμου χάριν, οὐχ ἥκιστα δὲ ὅπως καὶ οἱ στρατιῶται τὰ πολύτιμα περιμάχητα ἡγοῖντο.*
	— 22. *Καῖσαρ τοὺς στρατιώτας ἐκάλει συστρατιώτας, ἐν ἰσοτίμῳ τοῦ ὀνόματος προθυμοτέρους ποιῶν ἐς τὰς μάχας.*
Ibid. cap. 75. Acie Pharsalica proclamauit, ut ciuibus parceretur deincepsque nemini non suorum quem uellet unum partis aduersae seruare concessit.	— 29. *Καῖσαρ ἐν Φαρσάλῳ Πομπήιον ἐνίκησε. Θεασάμενος τοὺς ἰδίους στρατιώτας ἀμέτρως τῇ νίκῃ χρωμένους ἀνέκραγε, Φείδεσθε τῶν πολιτῶν.*
	— 30. *Καῖσαρ τοὺς πολέμους ἅπαντας κατορθώσας ἑκάστῳ τῶν ἰδίων στρατιωτῶν ἐπέστρεψεν ἕνα ὃν ἂν βούληται τῶν πολεμίων διασώζειν. Οὕτω δὴ τοὺς ἀντιστασιώτας Ῥωμαίους ἅπαντας ἐκ τῆς φυγῆς ἀνακαλεσάμενος εὐνουστάτους ἑαυτῷ κατεσκεύασεν ἐν τῇ πόλει.*

1) L. c. p. XIV.

Sueton.	Polyaen.
Diu. Iulius cap. 77. Eoque arrogantiae progressus est, ut haruspice tristia et sine corde exta quondam nuntiante futura diceret laetiora cum uellet nec pro ostento ducendum si pecudi cor defuisset.	VIII 23, 32. *Καῖσαρ τοῦ θύτου λέγοντος, Ἀπαίσια τὰ ἱερά, καὶ μὴν ἀμείνω ἔφη γενήσεσθαι, ἐπειδὰν αὐτὸς ἐθελήσῃ· καὶ οὕτως ἐπέρρωσε τοὺς στρατιώτας.*
	— 33. *Καῖσαρ ἀκαρδίου θύματος εὑρεθέντος, Καὶ τί παράδοξον, ἔφη, εἰ ἄλογον ζῶον καρδίον οὐκ ἔχει; Οἱ στρατιῶται τοῦτ' ἀκούσαντες ἐθάρρησαν.*
Augustus cap. 24. Cohortes si quae cessissent loco decimatas hordeo pauit.	VIII 24, 1. *Σεβαστὸς τοὺς ἐν ταῖς μάχαις καθυφιεμένους οὐκ ἀνῄρει πάντας ἀλλ' ἐδεκάτευεν.* — 2. *Σεβαστὸς τοῖς διὰ δειλίαν ἀπολιπομένοις κριθὰς ἀντὶ πυρῶν ἐκέλευε μετρεῖσθαι.*

Attamen, quoniam nullus praeterea exstat locus (excepto Polyaen. VIII 23, 23 et Suet. Diu. Iul. 67. 25) unde Suetonium a Polyaeno neglectum esse plane ostendatur, in Woelfflini sententia acquiescimus. Sallustii uero, Caesaris, Liuii, Taciti quamquam nec uola nec uestigium exstat apud Polyaenum, tamen latinos scriptores eum adhibuisse prorsus negari posse non concedimus; similia enim opera atque Polyaeni, latine scripta exstitisse cum Frontinus satis testetur, nihil obstat quominus Polyaenum ea adhibuisse censeamus nisi ipsos scriptores, quorum ex operibus fuerant composita, eum inspexisse statuimus.[1])

Haec fere habuimus quae diceremus de Frontino et Suetonio, Polyaeni auctoribus; iam transeamus ad ea strategemata pertractanda quae ad Herodotum recedere feruntur quorumque haec cum eo consentiunt: Polyaen. I 14 (Herod. VI 77, 78); VII 11, 1 (IV 134) quibus cum non repugnent adseri possunt I 24 (V 35); I 26 (I 27); I 30, 1 (VII 142. 143); I 30, 2 (VII 141. 143); II 20 (VII 239); VI 18, 1. 2 (VIII 27. 28); VI 47 (I 19); VII 6, 6 (I 80); VII 6, 7 (I 126); VII 5 (I 190); VII 7 (I 123); VII 10 (III 85 sq.); VII 13

1) Nuperrime Gutschmidius quoque hac dissertatione iam confecta in mus. Rhen. XXXVII 4 p. 558 in Woelfflini sententiam abscessit (cf. edit. p. XIV), sed de Frontino Polyaeni auctore dubitare se adiecit.

(III 154); VII 24 (VII 107); VII 33, 1 (VIII 128); VII 33, 3 (IX 89). Grauiores discrepantias praebent

I 30, 7. Polyaenus solus omnium scriptorum, qui de eadem re agunt, Themistoclem ante pugnam ad Artemisium factam ipsis nauium lateribus inscripsisse tradit '"Ἄνδρες Ἴωνες, οὐ δίκαια ποιεῖτε στρατεύοντες ἐπὶ τοὺς πατέρας'. Herodotus enim VII 22, Plutarchus in uita Themistoclis cap. 9, Iustinus II 12, 3 in eo consentiunt, in saxa Themistoclem illa uerba inscripsisse. Nos itaque cum quo adductus sit Polyaenus ut ἐν τοῖσι λίθοισι uel κατὰ τῶν λίθων mutaret in ἐπὶ τοὺς τοίχους, non appareat proprio auctore eum usum esse arbitramur.

I 30, 3. 4. Ne haec quidem strategemata ad Herodotum aut sicut Woelfflinus facit, ad Plutarchum referenda esse censemus. Tradit enim Polyaenus in tertio strategemate haec: Themistocles cum Graecis persuadere non potuisset, ut pugnam committerent, Sicinnum ad regem misit qui ut Graecos adoreretur, illi suaderet. In sequente strategemate Themistocles post pugnam ad Salaminem commissam alterum eunuchum Arsacen ad regem misisse fertur, quocum Graecorum consilium pontis in Hellesponto facti rescindendi communicaret. Comparandi sunt Herodotus, Diodorus, Plutarchus, quorum quae huc spectant uerba haec sunt.

Polyaenus.	Herodotus.	Diodorus.	Plutarchus.
I 30, 3. ἦν αὐτῷ Σίκιννος εὐνοῦχος παιδαγωγὸς τοῖν παίδοιν.	VIII 75. Σίκιννος οἰκέτης δὲ καὶ παιδαγωγὸς ἦν τῶν Θεμιστοκλέους παίδων.	XI 17. ... ἔπεισέ τινα πρὸς τὸν Ξέρξην αὐτομολῆσαι κτλ.	Themist. 12. Ἦν δὲ τῷ μὲν γένει Πέρσης ὁ Σίκιννος αἰχμάλωτος, εὔνους δὲ τῷ Θεμιστοκλεῖ καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ παιδαγωγός.
I 30, 4. Πέμπει δὴ πάλιν ὡς βασιλέα εὐνοῦχον ἄλλον Ἀρσάκην.	VIII 110. ἄνδρας ἔπεμπε ... τῶν καὶ Σίκιννος ὁ οἰκέτης αὖτις ἐγένετο.	XI 19. τὸν παιδαγωγὸν τῶν ἰδίων υἱῶν ἀπέστειλε.	ibid. 16. πέμπει τινὰ τῶν βασιλικῶν εὐνούχων ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνευρὼν Ἀρνάκην ὄνομα.

Quae si inter se comparamus neque Herodotum neque Diodorum fontem Polyaeni fuisse apparet cum ille Sicinnum iterum ad Xerxem missum esse tradat hic nomina non afferat nuntiorum. Restat igitur ut quaeramus, num Plutarchum Polyaenus secutus sit.

Quod uero non concedamus, cum Plutarchus Sicinnum fuisse eunuchum non commemoret; quod enim nomen tradit Ἀρνάκην pro Ἀρσάκην minoris est momenti. Videtur potius communis Plutarchi et Polyaeni fons statuendus esse neque recte iudicasse Malina l. c. p. 9 mittendos esse Polyaeni eunuchos, quod et Cornelius Nepos, Themistocles 4 et Iustinus II 12. 13 seruum modo ad Xerxem misisse Themistoclem traderent. Arsacem enim eunuchum fuisse Plutarchus etiam in uita Aristidis cap. IX refert ubi haec sunt: πέμπει πάλιν Ἀρνάκην εὐνοῦχον ὁ Θεμιστοκλῆς κτλ. Quae cum ita sint Polyaenum etsi non ueram rei condicionem praebere tamen recte auctorem secutum esse censemus.

Commutationis exemplum existit VII 34. Herodotus enim IV 167 Aryandem Pheretimae exercitum dedisse eique Amasin praefecisse tradit. Strategema dein quod Polyaenus Aryandi tribuit, Herodotus recte affert Amasidis cum Aryandes bello omnino non interesset. Falso quoque Polyaenus VII 45 Samios et Milesios a Persis propter suspectam fidem ex acie remotos promuntoriaque tueri iussos esse refert, cum Herodotus IX 99 Samiis quidem arma sumpta sed Milesiis tantum promuntoria tuenda tradita esse narret, quod ne eorum quidem fides satis fuisset probata. Neque satis accurate VII 44 tradit, quae Herodotus IV 3 memoriae prodidit de Scythis, quos cum in Asiam expeditionem fecissent serui quominus in patriam redirent impediuerunt. Dicit enim, unum ex Scythis seruorum acie instructa ne cum desperantibus confligerent armis positis ut flagellis seruos repellerent, suasisse. Quod cum placuisset seruitutis memores in fugam eos se dedisse. Herodotus contra saepius pugnatum esse commemorat cumque superiores serui ex proeliis decessissent, tum denique ut flagellis in eos uterentur, quendam Scythas adhortatum esse. Prorsus inter se discrepant Poly. VIII 28 et Herod. I 211. Nam cum ille Tomyridem cum Massagetis in castra a Persis occupata irrupisse eosque uino epulisque deditos una cum Cyro oppressisse tradat, hic Persas in Massagetarum castra inuasisse multosque quorum in numero Spargapizes, Tomyridis filius fuisset, cepisse dicit. Quae cum ita se habeant hoc strategema non ex Herodoti opere descriptum uidetur esse sed quoniam quae Polyaenus tradit nusquam similiter narrata inueniuntur, ex memoria conscriptum, unde rerum peruersio facile potuit oriri.[1]) Quod uero de sequente strategemate (Poly. VIII 47, Herod. IV 162. 200sq.)

1) Fortasse in strategematis mulierum, quae in l. VIII adseruntur, ethnographica ratio cognosci potest; quam si Polyaenum ipsum non instituisse statuimus priora quattuor strategemata Semiramidis, Rodogunae,

non concesserimus. Exhibet enim Polyaenus haec: Arcesilaus, Cyrenaeorum rex, cum regno expulsus Graecis sociis sibi paratis regnum recuperasset, paulo post a finitimis barbaris est interfectus. Cuius mater, Pheretima ad Aryandem, Aegypto praefectum confugit exercituque ab eo impetrato Cyrenaeis bellum intulit quibus domitis (*ἀνυπόστατος ἐγένετο*) genti suae regnum recuperauit. Herodotus in capite quidem ducentesimo tertio Pheretimae expeditionem in Cyrenaeos factam breuiter commemorat, sed plurima facit uerba de interfectoribus Arcesilai punitis atque haec fere affert: Exercitus cum per urbem Cyrenaeorum esset profectus, Bares classi praefectus, urbem occupari iussit. Quod uero quominus fieret, Amasis qui exercitui pedestri praefuit, impediuit, haec obiciens '*ἐπὶ Βάρκην γὰρ ἀποσταλῆναι μούνην Ἑλληνίδα πόλιν*'. Iterum tamen urbem inuasuris ciues resistunt magnoque terrore militum animis iniecto sexaginta stadia recedunt. Consistentibus denique nuntius, ut statim domum redeant affertur, sed cum laborarent inopia uictus, antea ab ipsis Cyrenaeis, quos modo opprimere uoluerant, commeatum petierunt. Quo impetrato domum proficiscuntur multis in uia affecti iacturis cum Libyes latius ab agmine remotos caperent. Pheretimam denique modo expeditioni contra Barcen interfuisse Herodotus tradit neque regnum recuperasse sed potius misere periisse (*ἀπενόστησεν ἐς Αἴγυπτον, ἀπέθανε κακῶς*). Verba etiam, quae sub finem libri IV Herodotus adiecit *ἡ μὲν δὴ Φερετίμης τῆς Βάττου τοιαύτη τε καὶ τοσαύτη τιμωρίη ἐγένετο ἐς Βαρκαίους* luculenter docent expeditionem in Cyrenaeos tam bene factam qualem tradit Polyaenus, Herodoto fuisse ignotam. Quod uero ne Polyaenum finxisse credas, Pheretimam genti suae regnum recuperasse, uetat Heraclides Ponticus[1]) qui IV 3 haec dicit: *Βάττος δὲ ἐβασίλευσεν ὁ καλὸς καλούμενος, ἕβδομος ὢν ἀπὸ τοῦ πρώτου.* Fuerunt autem reges: 1) *Βάττος*, 2) *Ἀρκεσίλεως*, 3) *Βάττος ὁ εὐδαίμων*, 4) *Ἀρκεσίλεως* (*Λέαρχος*), 5) *Βάττος ὁ χωλός*, 6) *Ἀρκεσίλεως*, 7) *Βάττος ὁ καλός*. Itaque cum Pheretima mater esset Arcesilai, sexti regis, septimum successisse Battum, Pulchrum cognominatum satis constare uidetur.

Quibus tractatis exemplis cum tam multa Polyaeni strategemata cum Herodoto consentiant, eum Polyaeni auctorem fuisse satis pro certo haberi potest; in paucis tamen neglegentiam Macedonis cognouimus, alia autem ita discrepare uidimus, ut Polyaenum

Tomyridis, Nitetidis ad eundem fontem recedere neque VIII 28 ex Herodoto sed topographico quodam opere sumptum esse uerisimile est.

1) Müller, fr. h. gr. II p. 212.

tam ualde mutasse non concedendum sed alio fonte usum esse putandum sit. Transeamus nunc ad ea strategemata quae ducuntur ad Thucydidem. Quorum uacant discrepantiis Poly. I 30, 8 (Thucyd. I 137); I 36, 2 (II 13); I 38, 4 (IV 120); III 2 (III 34); III 6 (VIII 51); VI 19, 2 (III 22); VI 21 (VI 46); omisit quaedam Polyaenus VI 19, 1 (II 5) et VI 20 (IV 46).

De Poly. I 40, 4 et 5 quae strategemata Woelfflinus ad Thucydidem VI 42. 51 et VI 64 recedere iussit, postea uidebimus; hoc tantum afferre liceat, Polyaenum ea de causa Thucydidem in illis strategematis conscribendis adhibuisse non uideri, quod Frontinus III 6, 6 eundem errorem commisit neque uerisimile est, utrumque cum nulla inter eos intercedat ratio, sua sponte in eundem errorem incidisse.

III 1, 2 Polyaenus armatorum numerum quem adiecit Thucydides III 107 quadringentos mutauit in trecentos itemque VI 19, 3 ducentos Plataeensium Athenas fugisse narrat, cum Thucydides III 22 ducentos uiginti fuisse afferat. Quominus uero III 4, 3 fluxisse statuamus ex Thucydide II 91 complura obstare nobis uidentur. Hic enim neque Phormionem in naui fugiente neque *πάραλον* eam fuisse commemorat. Duas dein non solas naues Atticam persecutas esse sed complures, quarum una Leucadia celerrime sectata esset (*καὶ τὴν μίαν ναῦν τῶν Ἀθηναίων τὴν ὑπόλοιπον ἐδίωκε Λευκαδία ναῦς μία πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων*). Strategema Atticae nauis idem affert atque Polyaenus Phormionis, sed modo unam Leucadiam demersam esse reliquasque fugisse tradit, cum Polyaenus utramque nauem persequentem deinceps a Phormione demersam esse commemoret. Neque aliter rem se habere putamus collato Poly. VI 23 et Thucyd. VII 17. Ille enim Corinthios auxiliares copias in Siciliam misisse referens XXV naues longas in portu Panormi Achaicae contra Atticas collocasse adicit quas quominus auxiliares copias uexarent, prohiberent. Itaque cum in utroque strategemate nomina exhibeat Polyaenus quae apud Thucydidem non occurrunt neque uerisimile sit, ipsum Polyaenum ea finxisse, alio auctore eum usum esse statuerimus.

Quibus expositis Thucydidem a Polyaeno adhibitum esse satis constare uidetur. Atque nunc Xenophontis exempla comparantibus nobis id statim apparet ne unum quidem Polyaeni strategema prorsus cum Xenophonte consentire discrepantiasque tam graues existere, ut num Xenophontem omnino inspexerit Polyaenus iusta suspicio oriatur. Iam si perlustramus quae manasse dicuntur strategemata ex Xenophontis anabasi primum occurrit Poly. I 49.

De quattuor huius capitis strategematis iam uerba fecit Malina l. c. p. 4 uerisque Polyaenum falsa et aliena adfinxisse iudicauit. Quod uero nobis non probatur cum mutasse quidem Polyaenum concedamus additamenta eum adiecisse negemus. Itaque cum in primo huius capitis exemplo agat de Tissaphernis equitibus Xenophontis agmen uexantibus neque ipse Xenophon huius rei mentionem faciat non intellegimus qua re adductus Polyaenus equites attulerit. Xenophon enim III 2, 27 in contione militum, ut celerius progredi possent, plaustra omniaque quibus carere possent, comburenda esse ostendit. Nonne potuit haec eadem referre Polyaenus omissis Tissaphernis equitibus?

Quae in altero strategemate traduntur, respiciunt ad Xenophontem III 3, 16 unde illa sumpta esse nequaquam concesserimus, cum Xenophon modo colloquium praebeat cum Chirisopho habitum in quo funditoribus equitibusque, ut hostes arcere et persequi posset, opus sibi esse exponit. Quod cum placuisset eadem nocte ducenti funditores et quinquaginta equites ornantur quibus praefectus est Lycius Atheniensis. Contra Polyaenus exhibet haec: Barbari cum Graecos iter facientes uexarent, Xenophon eos qui sarcinas portabant in media acie posuit, in extremo agmine equites, hastisque et clipeis armatos collocauit, qui dum barbaros repellunt, ceteri tuti proficiscuntur.

Neque tertium strategema ita est institutum, ut ad Xenophontem redire possit. Narrat enim Polyaenus, barbari cum angustum locum cepissent quem Graeci transire debuissent, Xenophontem editiorem locum animaduertisse eoque clam occupato hostes in fugam se dedisse, ut Xenophon tutum agmen transduceret. Xenophon an. III 4, 37 angustum locum omnino non commemorat sed editiorem a barbaris occupatum subter quem Graecis fuisset proficiscendum. Itaque cum parte exercitus iugum montis occupare esset conatus quamquam barbari priores eo uenire tendissent, ipsum celeritate eos superasse.

Quartum denique strategema iam eo discrepat a Xenophonte IV 3, 20 quod initio haec leguntur 'τῶν Ἑλλήνων χιλίους ἐπιλέξας' cum Xenophon exhibeat 'τῶν ὀπισθοφυλάκων λαβὼν τοὺς εὐζωνοτάτους. Praeterea tota res apud Polyaenum aliter est narrata. Xenophontem enim mille illos homines ad alium fluminis transitum misisse tradit quod barbari contrariam ripam obtinuissent. Qui cum flumen transiissent barbarosque in fugam uertissent Xenophontem cum reliquis sine periculo secutum esse. Ipse autem Xenophon tradit, se ut hostium equites intercluderet iuxta fluuium esse

profectum hostesque cum id animaduertissent et Chirisophum transeuntem uidissent celeriter in fugam se dedisse, quo facto ipsum quoque transgressum esse.

Quod Iphicrati tribuit strategema III 9, 4 Xenophon an. II 2, 20 a Clearcho adhibitum esse refert, quam ob rem Xenophontem esse auctorem non concedimus. Ceterum haec res non ita premenda est, sicut facit Malina l. c. p. 5, cum sexcenties accidat, ut idem dictum uel factum compluribus hominibus attribuatur id quod ex Plutarchi ἀποφθεγμάτων libro percipi potest. Quae apud Polyaenum eiusmodi occurrunt statim hoc loco afferre liceat:

I 35, 1 Myronides	— V 7 Daphnaeus
I 36, 2 Archidamus	— II 10, 3 Cleandridas — IV 3, 5 Alexander.
II 1, 6 Agesilaus	— IV 14 Polysperchon.
II 1, 30 Agesilaus	— III 9, 62 Iphicrates.
II 3, 2 Epaminondas	— III 9, 27 Iphicrates.
II 6 Dercyllidas	— II 19 Thibro — III 2 Paches.
III 4 Phormio	— III 9, 36 Iphicrates.
III 9, 10 Iphicrates	— V 28 Theognis.
III 9, 53 Iphicrates	— VIII 16, 1 Scipio.
IV 2, 2 Stratocles	— VIII 40 Theagenes.
IV 7, 2 Demetrius	— V 10, 2 Himilco — V 2, 11 Dionysius.
VI 53 Agnon	— VII 43 Thraces.
VIII 9, 1 Sulla	— VIII 23, 21 Caesar.
VIII 9, 2 Sulla	— VIII 23, 16 Caesar.

Quibus dictis cum quantae extent discrepantiae appareat, Polyaenum Xenophontis anabasin inspexisse non est uerisimile. Restat igitur ut uideamus quid de iis strategematis quae ad eiusdem historiam graecam reuocantur statuendum sit. Quorum primum occurrit Poly. I 41, 4, ubi Archidamus cum Arcades superiores uidisset, mortuos colligi iussisse dicitur ne etiam reliqui perirent, quam rem Xenophon VII 4, 23 omnino silentio transit.

I 41, 5 Polyaenus multa facit uerba de Archidami expeditione contra Caryas urbem facta, cum Xenophon VII 1, 28 de ea nihil commemoret nisi haec "Ἀρχίδαμος μετὰ τῶν πολιτικῶν ἐστρατεύετο καὶ Καρύας μὲν αἱρεῖ κατὰ κράτος καὶ ὅσους ζῶντας ἔλαβεν, ἀπέσφαξεν, quibus ex uerbis Polyaenum magnum strategema composuisse nullo modo concedi potest.

I 48, 2 agitur de Conone, Atheniensium duce, qui cum in portu Mytilenes a Lacedaemoniis esset inclusus per dolum nuntium obsidionis Athenas referre est conatus. Atque Polyaenus duas naues celerrime uehentes optimis remigibus impleri et sub uesperum cum

hostes dispersos cenasque parantes uidisset, proficisci eum iussisse narrat. Quas contrarium cursum secutas, cum hostes alii aliis rebus occupati non statim subsequi potuissent, tutas Athenas peruenisse. Similiter Xenophon I 6, 20 sq. Cononem duas naues parasse, non uero sub uesperum sed meridie eas profectas esse dicit. Quarum alteram cum hostes Hellespontum uersus alteram in altum mare proficiscentem uidissent, hanc persequentes sub uesperum adsecutos proelio facto cepisse, illam autem incolumem nuntium Athenas attulisse. Maioris etiam momenti uidetur esse, quod Polyaenus I 44 strategema ita incipit: *Ἐτεόνικον Λάκωνα ἐν Μιτυλήνῃ Κόνων Ἀθηναῖος ἐπολιόρκει.* Qui fieri potuit, ut duo illa strategemata ex Xenophonte Polyaenus sumeret, quorum in altero Cononem a Lacedaemoniis obsessum esse, in altero Cononem Eteonicum Lacedaemonium Mytilenae obsedisse commemorat. Vtrumque strategema cum apud Xenophontem tam prope coniunctum sit, quomodo tanta rerum peruersitas oriri potuerit omnino non est in propatulo. Quam uero si non alienam esse a Polyaeno concedimus, nequaquam aliquid certi de fontibus eius statui potest neque operae esset pretium accuratius in eos inquirere. Certe scriptoris est ualde neglegentis sibi ipsi contradicere, sed cum Polyaenus sine iudicio quae hic illic occurrebant, colligeret, fieri potuisse intellegitur, ut fontes adhiberet contraria praebentes. Quae cum ita sint non Malinae sequimur sententiam (l. c. p. 10) cum uerborum quam premit consensio, tam magna non sit, ut ad Xenophontem auctorem duo illa strategemata reuocanda esse statuendum sit.

II 1, 1 potius ex opere quale est Plutarchi *ἀποφθεγμάτων* (cf. apophth. Agesil. XXII) ortum uidetur ducere quam a Xenophonte qui haec modo exhibet IV 6, 13 ... *ὅτι τὰ ἐναντία λέγοιεν τοῦ συμφέροντος· ἐγὼ μὲν γάρ, ἔφη, στρατεύσομαι πάλιν δεῦρο* quibus adiecisse Polyaenum statuendum esset '*εἰ δὲ εἰρήνης μὴ γλίχοιντο ἡμῖν ἄρα, ἔφη, εἶεν ἂν ἐσπαρκότες*'. Idem censendum nobis uidetur esse de quinto eiusdem capitis strategemate et octauo. Nam quod falso dicit '*Ἀγησίλαος ἐν Κορωνείᾳ Ἀθηναίους ἐνίκησεν*' pro *Θηβαίους* (cf. Diodor XIV 84, Plutarch, Ages. 18 sq., Pausanias III 9, 18; Cornel. Nepos, Ages. 4) aliaque Agesilai uerba affert quam Xenophon IV 3, 15, aliunde hausisse eum putamus. Agesilaum enim cum aliquis nuntiasset, hostes in templum fugere, dicentem facit '*ἐᾶν αὐτοὺς ἰέναι οἷ καὶ βούλοιντο ὡς ἄρα εἴη σφαλερὸν συμπλέκεσθαι τοῖς ἐξ ἀπονοίας ἀναμαχομένοις*', cum Xenophon haec tantum eum dixisse afferat: '*ἐᾶν δὲ ἀπιέναι ᾗ βούλοιντο ἐκέλευε καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴα.*

II 1, 18 quominus ad Xenophontem III 4, 5 ducamus complura sunt impedimento. Xenophon enim indutias trium mensium Agesilaum cum Tissapherne iniisse omisit. Verba dein quae Polyaenus militibus eum dixisse narrat Xenophon legatis Tissaphernis responsa tradit. Denique illa *Ἴωμεν δὴ θαρροῦντες ὡς μαχούμενοι μετὰ τηλικούτων συμμάχων* apud Xenophontem omnino non leguntur. Sequens strategema cur Woelfflinus non ad Xenophontem sed ad Plutarchum duxerit non perspicitur, cum quod antecedit et quae sequuntur strategemata apud Polyaenum similiter a Xenophonte referantur. Conferas enim

Poly. II 1, 9.	Xenophon III 4, 11.	Plutarch. Ages. 9. 10.
Ἀγησίλαος ἐπὶ Σάρδεις ἐλαύνων καθῆκε λογοποιοὺς ὡς ἐξαπατῶν Τισσαφέρνην, στέλλεται μὲν φανερῶς ἐπὶ Λυδίας, τρέπεται δὲ ἀφανῶς ἐπὶ Καρίας. Ἠγγέλη ταῦτα Τισσαφέρνῃ. Ὁ μὲν Πέρσης ὥρμησε Καρίαν φυλάττειν, ὁ δὲ Λάκων κατέδραμε Λυδίαν καὶ λείαν πολλὴν κατέσυρεν.	*. . . ταῖς πόλεσιν εἰς ἃς ἀνάγκη ἦν ἀφικνεῖσθαι στρατευομένῳ ἐπὶ Καρίαν προεῖπεν ἀγορὰν παρασκευάζειν. ὁ δὲ Τισσαφέρνης . . . . καὶ ὅτι ἡγεῖτο αὐτὸν ὀργίζεσθαι αὐτῷ διὰ τὴν ἀπάτην, τῷ ὄντι νομίσας ἐπὶ τὸν αὐτοῦ οἶκον εἰς Καρίαν αὐτὸν ὁρμήσειν, τὸ μὲν πεζὸν ἅπαν διεβίβασεν ἐκεῖσε . . . ὁ δ' Ἀγησίλαος ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἰέναι εὐθὺς τἀναντία ἀποστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο . . . . . καὶ τὰς πόλεις κατεστρέφετο καὶ ἐμβαλὼν ἀπροσδοκήτως παμπληθῆ χρήματα ἐλάμβανε.*	*Εὐθὺς οὖν ἀμυνόμενος ἀπάτῃ δικαίᾳ τὴν Τισσαφέρνους ἐπιορκίαν ἐπέδειξεν ὡς ἐπὶ Καρίαν προάξων. Ἐκεῖ δὲ τὴν δύναμιν τοῦ βαρβάρου συναθροίσαντος ἄρας εἰς Φρυγίαν ἐνέβαλε. καὶ πόλεις μὲν εἷλε συχνὰς καὶ χρημάτων ἀφθόνων ἐκυρίευσεν.*

Atque primum quidem neque Xenophon neque Plutarchus Agesilaum Sardes petiisse commemorant; dein uterque Agesilaum iter in Cariam simulantem cum Tissaphernes copias suas eo misisset, Phrygiam inuasisse indeque magnam praedam abstulisse narrat. Phrygiae autem apud Polyaenum mentio non fit sed potius in Lydia Agesilaum praedatum esse tradit. Quae cum ita sint, neque ex Xenophonte neque ex Plutarcho Polyaenum hoc strategema sumsisse

censemus. Neque etiam cum Malina faciamus, qui l. c. p. 12 Polyaenum quae Plutarchus cap. 9 et 10 tradidit, confudisse et Frontinum I 8, 12 praeterea adhibuisse arbitratur. Primum enim Frontino Polyaenum non usum esse in antecedentibus demonstratum est, dein non concedimus duorum scriptorum narrationes Polyaenum in unam contraxisse cum neque Malina huius rei exempla afferat neque ipsi similia inuenerimus. Quod uero Frontinus cum Polyaeno consentit, testimonio est, Polyaenum non quae Xenophon aut Plutarchus tradit, mutasse, sed — cum Frontino ut uidetur — ad proprium fontem recedere.

Quae iam sequuntur exempla ita inter se discrepant, ut quibus melius Xenophontem a Polyaeno non adhibitum esse exponatur, non habeamus. In decimo enim eiusdem capitis strategemate eadem fere narrantur atque apud Xenophontem IV 6, 5sq., ubi agitur de Agesilao Acarnanum fines deuastante. Qui cum in montes fugissent Agesilaumque breuibus itineribus progredientem uiderent ex montibus in urbes redierunt agrosque coluerunt. Agesilaus autem una nocte 160 stadia progressus sole oriente Acarnanes ex inopinato assecutus magnam hominum iumentorumque uim cepit. Sed offendit, quod cum Xenophon de uastatione agrorum modo dicat ‘*κόπτων συνεχῶς τὴν χώραν*’ Polyaenus bis commemorat arbores radicitus euulsas: *ἀλλ’ ἐς τὰ πλάγια τῆς χώρας διαπέμπων ἐκέλευσεν ἐκ ῥιζῶν ἀνασπᾶν τὰ δένδρα* et *οἱ δὲ Ἀκαρνᾶνες καταφρονήσαντες . . . τῆς περὶ τὰ δένδρα ἀσχολίας*. Nos quidem non uidemus, qua re adductus sit Polyaenus, ut hunc ipsum uastandi modum fingeret; certe non usitatum fuit radicitus arbores euellere neque ex eo quod Xenophon X uel XII tantum stadia singulis diebus progressum esse Agesilaum dicit, Polyaenus concludere potuit, illo modo Agesilaum tempus consumpsisse. Quam ob rem Polyaenum fonte usum esse censemus, in quo illud de arboribus iam erat commemoratum.

De Agesilao Thebanorum fines per dolum inuadente Xenophon V 4, 48 refert haec: Lacedaemonii cum praesidium Thebis collocare uellent, Agesilaum expeditioni praefecerunt. Qui antequam profectus est polemarchum Thespiis praefectum aditum Cithaeronis montis occupare iussit, donec ipse adesset. Quo facto cum Agesilaus saltum transiisset Thespias se profecturum esse simulans, Graecorum legationes Thespiis aduentum suum expectare iussit. Quo audito Thebani uiam Thespiensem occupauerunt, Agesilaus autem celeriter progressus angustias ad Scolum defensoribus nudatas inuehit Thebasque petiit. Polyaenus II 1, 11 statim ab initio ea de causa

dolum adhibuisse Agesilaum dicit, ut Thebanos ex angustiis apud Scolum sitis eliceret quas cum occupassent, Thebas capere non potuit. Xenophon autem illarum angustiarum uix facit mentionem, modo breuiter prius Agesilaum angustias transiisse quam Thebanos affert neque eas antea occupatas fuisse commemorat.

Sequens strategema quod Xenophon praecedenti adiunxit, etiam Casauboni emendatione (*Γραίας* pro librorum *῾Ρέας*) accepta non uidetur ad Xenophontem recedere. Locum enim ubi Thebani insidias struxerunt *Γραίας ἕδος* nominatum fuisse apparet ex Stephani Byzantii s. u. *Τάναγρα* uerbis: *τὴν δὲ Γραῖαν ἔνιοι λέγουσι τὸ νῦν τῆς Θηβαικῆς καλούμενον* [*῾Ρέας* suppl. Meinek.] *ἕδος, τίνες δὲ τὴν Ταναγραῖαν, ὧν εἷς ἐστι καὶ Καλλίμαχος.* Itaque si Polyaenum Xenophontem adhibuisse statuimus non uidetur, qua de causa scripserit *τὸ καλούμενον Γραίας ἕδος*, scribere potius debuit sicut Xenophon tradit *ἐπὶ Γραὸς στήθει*, nisi forte Polyaenum uerum nomen scientem Xenophontem emendare uoluisse arbitramur. Quam ob rem cum Casauboni coniectura difficultas non tollatur omnino ea opus esse nobis non uidetur, cum omnes libri praebeant *῾Ρέας ἕδος*, quare quidquam suspicionis huic lectioni inesse Meinekium recte negauisse concedimus, quo concesso nullam inter Polyaenum et Xenophontem extare rationem apparet. Atque cum omnino diuersas nominum formas eo plerumque nos adducere arbitremur, ut potius diuersum fontem quam mutationem statuamus, non probamus quae attulit Malina l. c. p. 5 de Polyaeni strategemate VII 18, ubi nouum nomen finxisse eum censet. Res enim ita se habet. Tissaphernem cum Clearcho paciscentem pellices assidentes ut ceteros quoque Graecorum duces arcesseret rogarunt. Inter quos fuit Agis Arcas (sic omnes libri exhibent); secuti sunt XX lochagi, militum CC quorum illos uinctos ad regem Tissaphernes misit, hos interfici iussit. Xenophon an. II 5, 31 de eadem re uerba facit omissis pellicibus, illius autem, quem diximus, ducis nomen non affert Agin sed Agiam. Qua de causa Malina Polyaenum falsum praebere nomen arbitratus pro *Ἆγις* legendum esse censet: *Ἀγίας*. Nobis uero Polyaeni lectio non mutanda uidetur esse, ne ipse Polyaenus emendetur ueritis praesertim cum haec non sola sit discrepantia sed etiam illud de pellicibus Polyaenus adiecerit, quod unde sumsit, etiam diuersa nominis forma orta esse potest. Quae cum ita sint Xenophontem a Polyaeno adhibitum esse negamus. Missum etsi facimus quod ne unum exemplum prorsus cum Xenophonte congruit, discrepantiae fere omnes tam graues sunt, ut si docuerimus quam ualde Polyaenus auctoris uestigia premat recte nos iudi-

casse probetur. Quod ut accuratius demonstremus, de iis agamus strategematis, quae ex Plutarchi libro de mulierum uirtutibus scripto sumpta esse feruntur. Antequam autem ipsam rem aggrediamur non omittenda uidentur esse iudicia quae de Polyaeno, illius libri excerptore, uiri docti fecerint. Dinse[1]) enim in commentatione de libello Plutarchi γυναικῶν ἀρεταί inscripto haec censuit 'Sumsit autem ita Polyaenus, ut uel primo conspectu excerptorem cuius sunt signa nusquam fallentia, agnoscas. In breuius enim contraxit sermonem libri excerpti, uerba reconditiora et quae indolem quandam auctoris et usum produnt in uerba uulgaria et communem uertit sermonem, denique omnes exempli res amputat quae uel πάρεργα et superuacanea uel ornandae orationi potius et rei explicandae quam simplici cognitioni eius inseruire uidentur'. Adiecit dein Cobeti uerba[2]) 'iuuenibus suaserim elegantem librum ita comparare cum Polyaeno in libro VIII, ut quid uir uiro praestet intelligere et sentire discant; uidebunt enim multa apud scriptorem antiquiorem recte et uenuste dicta a militari uiro et scribendi imperito subinepte et perperam reficta esse'. Atque si respicimus seriem exemplorum apud Plutarchum et apud Polyaenum, maxime offendit, quod Polyaenus ordinem eorum tam male seruauit ut inter se respondeant:

Plutarch.	—	Polyaen.	Plutarch.	—	Polyaen.
1	—	VIII 25, 2.	14	—	VIII 31.
2	—	65.	16	—	35.
3	—	66.	17	—	36.
4	—	33.	18	—	37.
5	—	VII 45, 2.	19	—	38.
6	—	50.	20	—	39.
7	—	VIII 64.	24	—	40.
8	—	VII 49.	25	—	41.
10	—	48.	27	—	42.
11	—	VIII 63.			

Quaerentibus igitur nobis, num recte iudicauerint Cobetus et Dinse id primum agendum est ut uideamus, quaenam extiterint causae quibus permotus Polyaenus traditum exemplorum ordinem perturbauerit. Quae quidem nec patent nec patebunt cum quaecunque hac de re proferuntur, dubia sint atque lubrica. Accedit quod complura Plutarchi exempla Polyaenus praeteriit eisque quae

1) Programm des Berl. Gymn. z. grauen Kloster 1863. — 2) Mnemosyne IV 240 sq.

respondent ceteris eiusdem strategematis permulta addidit, quae quo recedant nondum satis constat. Quae cum ita sint per se intellegitur, Polyaenum praeter Plutarchum alium siue alios adhibuisse fontes quo concesso alia mouetur quaestio, num certe diiudicari possit ea strategemata, quae similiter referuntur apud Plutarchum, recte ad eum reuocari an potius ad alium auctorem. Cobetus et Dinse cum eo maxime nisi, quod saepius iisdem fere uerbis Polyaenus eadem quae Plutarchus tradit interdumque rerum praebet diuersitates, scriptorem eum censeant subinepte refingentem, nos ex iisdem rebus profecti Polyaenum et Plutarchum ad communem auctorem recedere, qui uarias eiusdem narrationis rationes praebebat statuerimus; facile enim tum fieri potuit, ut cum alter alteram praeferret narrationem, discrepantia oreretur. Quod ita factum esse sequi uidetur si comparamus Plutarchi exemplum IV et Polyaen. VIII 33 ubi haec sunt:

Plutarch.

Ἐπεὶ δὲ Κλεομένης ὁ βασιλεὺς τῶν Σπαρτιατῶν πολλοὺς (οὐ μὴν ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσιν ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα καὶ ἑπτακοσίους πρὸς ἑπτακισχιλίους) ἐβάδιζε πρὸς τὴν πόλιν . . .

Ἡγουμένης δὲ τῆς Τελεσίλλης (uaticinam eam fuisse supra dictum est) *ὅπλα λαμβάνουσι καὶ παρ' ἔπαλξιν ἱστάμεναι κύκλῳ τὰ τείχη περιέστεψαν . . . Τὸν μὲν οὖν Κλεομένην πολλῶν πεσόντων ἀπεκρούσαντο· τὸν δὲ ἕτερον βασιλέα Δημάρατον, ὥς Σωκράτης φησίν, ἐντὸς γενόμενον καὶ κατασχόντα τὸ Παμφυλιακὸν ἐξέωσαν . . . Τὴν δὲ μάχην οἱ μὲν ἑβδόμῃ λέγουσιν ἱσταμένου μηνός, οἱ δὲ νουμηνίᾳ γενέσθαι τοῦ νῦν μὲν τετάρτου, πάλαι δὲ Ἑρμαίου παρ' Ἀργείοις . . . γυναῖκας μὲν ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσιν, ἄνδρας δὲ πέπλοις γυναικῶν καὶ καλύπτραις ἀμφιεννύντες.*

Polyaen.

Κλεομένης Σπαρτιατῶν βασιλεὺς κτείνας ἐν παρατάξει Ἀργείων ἑπτακισχιλίους ἑπτακοσίους ἑβδομήκοντα ἑπτά, ἐβάδιζεν ἐπὶ τὸ Ἄργος ὡς κατὰ κράτος αἱρήσων τὴν πόλιν.

Τελέσιλλα ἡ μουσικὴ τὰς Ἀργείας ὁπλίσασα προήγαγεν εἰς μάχην. Αἱ δὲ ἔνοπλοι παρὰ ἔπαλξιν ἱστάμεναι κύκλῳ τὰ τείχη φραξάμεναι Κλεομένη μὲν ἀπεκρούσαντο, Δημάρατον δὲ τὸν ἕτερον βασιλέα ἐξώσαντο καὶ τὴν πόλιν ἁλῶναι κινδυνεύουσαν ἀνέσωσαν.

Τοῦτο τὸ στρατήγημα τῶν γυναικῶν μέχρι νῦν Ἀργεῖοι τιμῶσι, νουμηνίᾳ μηνὸς Ἑρμαίου τὰς μὲν γυναῖκας ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσι, τοὺς δὲ ἄνδρας πέπλοις γυναικείοις ἀμφιεννύντες.

Videmus igitur, Polyaenum quem adiecit numerum interfectorum non finxisse sed ex fonte quodam hausisse (cf. Plutarchi uerba 'οὐ μὴν ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσιν' unde alios scriptores numerum illum praebuisse satis elucet). Certe ipse numerus suspectus est quapropter nisi Plutarchus eundem commemorasset fortasse extitissent qui Polyaenum sua sponte eum addidisse contendissent. Alia huius rei exempla, uario modo historiunculas referri apud Plutarchum hoc in libello inueniuntur: XIV εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες et sub finem τοῦτο ποιοῦνται σημεῖον οἱ πολλοὶ τοῦ τὴν Κλοιλίαν ἵππου διεξελάσαι τὸν ποταμόν· οἱ δὲ οὔ φασιν κτλ.; XVII οὕτω μὲν οἱ Ναξίων συγγραφεῖς ἱστοροῦσιν, ὁ δὲ Ἀριστοτέλης φησίν κτλ. Iam ut exemplum afferamus maximae uerborum congruentiae coniunctae cum discrepante rerum narratione comparabimus

Plutarch. XX.	Polyaen. VIII 39.
Ἦσαν ἐν Γαλατίᾳ δυνατώτατοι τῶν τετραρχῶν . . . Σινάτος καὶ Σινόριξ.	Τῶν ἐν Γαλατίᾳ τετραρχῶν ἦσαν Σινόριξ καὶ Σινάτος.
Ὧν ὁ Σινάτος γυναῖκα παρθένον ἔσχε Κάμμαν ὄνομα . . . . ἐπιφανεστέραν δ' αὐτὴν ἐποίει καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱέρειαν εἶναι, ἣν μάλιστα Γαλάται σέβουσιν, περὶ δὲ πομπὰς ἀεὶ καὶ θυσίας κεκοσμημένην ὁρᾶσθαι μεγαλοπρεπῶς.	Τοῦ Σινάτου γυνή, κάλλει σώματος καὶ ἀρετῇ ψυχῆς εὐκλεεστάτη, Κάμμα· καὶ γὰρ ἦν Ἀρτέμιδος ἱέρεια ἣν μάλιστα Γαλάται σέβουσι· καὶ ἦν ἔν τε πομπαῖς καὶ θυσίαις ἀεὶ μεγαλοπρεπῶς καὶ σεμνῶς κεκοσμημένη.
Ἐρασθεὶς οὖν αὐτῆς ὁ Σινόριξ καὶ μήτε παῦσαι μήτε βιάσασθαι ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς δυνατὸς ὢν ἔργον εἰργάσατο δεινόν. ἀπέκτεινε γὰρ δόλῳ τὸν Σινάτον καὶ χρόνον οὐ πολὺν διαλιπὼν ἐμνᾶτο τὴν Κάμμαν	Ταύτης ἐρᾷ Σινόριξ· καὶ ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς οὔτε πείσειν ἐλπίζων οὔτε βιάσεσθαι τὸν Σινάτον ἐδολοφόνησεν· οὐκ εἰς μακρὰν δὲ Κάμμαν ἐμνᾶτο.
Ἦσαν οὖν τοπρῶτον ἀρνήσεις οὐκ ἄγαν ἀπηνεῖς τῆς γυναικὸς	Ἡ δὲ ἐπὶ πλεῖστον μὲν ἀντέλεγεν.
εἶτα κατὰ μικρὸν ἐδόκει μαλάσσεσθαι· καὶ γὰρ οἰκεῖοι καὶ φίλοι προσέκειντο θεραπείᾳ καὶ χάριτι τοῦ Σινόριγος μέγιστον δυναμένου πείθοντες αὐτὴν καὶ καταβιαζόμενοι. τέλος δὲ συνεχώρει καὶ μετεπέμπετο πρὸς ἑαυτὴν ἐκεῖνον,	οἰκείων δὲ καὶ φίλων ἐγκειμένων καὶ λιπαρῶς θεραπευόντων ὑπεκρίνατο συγκατατίθεσθαι. Καὶ δὴ συνέθεντο. Ἡκέτω Σινόριξ εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος καὶ παρὰ τῇ

Plutarch. XX.

ὡς παρὰ τῇ θεῷ τῆς συναίσεως καὶ καταπιστώσεως γενησομένης.

Ἐλθόντα δὲ δεξαμένη φιλοφρόνως καὶ προσαγαγοῦσα τῷ βωμῷ κατέσπεισεν ἐκ φιάλης καὶ τὸ μὲν ἐξέπιεν αὐτή, τὸ δὲ ἐκεῖνον ἐκέλευσεν.

ἦν δὲ πεφαρμαγμένον μελίκρατον.

Ὡς δ' εἶδε πεπωκότα λαμπρὸν ἀνωλόλυξε καὶ τὴν θεὸν προσκυνήσασα

Μαρτύρομαί σε, εἶπεν, ὦ πολυτίμητε δαῖμον, ὅτι ταύτης ἕνεκα τῆς ἡμέρας ἐπέζησα τῷ Σινάτου φόνῳ, χρόνον τοσοῦτον οὐδὲν ἀπολαβοῦσα βίου χρηστὸν . . . .

Ταῦτα δ' ἀκούσας ὁ Γαλάτης καὶ τοῦ φαρμάκου δρῶντος ἤδη καὶ διακινοῦντος τὸ σῶμα συναισθόμενος ἐπέβη μὲν ὀχήματος, ὡς σάλῳ καὶ τιναγμῷ χρησόμενος, ἐξέστη δὲ παραχρῆμα καὶ μεταβὰς εἰς φορεῖον, ἑσπέρας ἀπέθανεν. Ἡ δὲ Κάμμα διενεγκοῦσα τὴν νύκτα καὶ πυθομένη τέλος ἔχειν ἐκεῖνον, εὐθύμως καὶ ἱλαρῶς κατέστρεψεν.

Polyaen. VIII 39.

θεῷ συνθήκας τοῦ γάμου ποιησώμεθα.

Ἧκε Σινόριξ καὶ σὺν αὐτῷ πάντες ὅσοι Γαλατῶν ἐντελεῖς ἄνδρες καὶ γυναῖκες.

Ἡ δὲ φιλοφρόνως αὐτὸν δεξαμένη προσάγει τῷ βωμῷ καὶ ἀπὸ χρυσῆς φιάλης ἔσπεισε καὶ τὸ μὲν ἐξέπιεν αὐτή, τὸ δὲ ἐκεῖνον ἐκέλευσεν πιεῖν.

Ὁ δὲ οἷα δὴ νύμφιος παρὰ νύμφης λαβὼν ἡδέως πίνει.

τὸ δὲ ποτὸν ἄρα ἦν μελίκρατον πεφαρμαγμένον.

Ἡ δὲ πεπωκότα ὡς εἶδεν λαμπρὸν ἀνωλόλυξε καὶ τὴν θεὸν προσεκύνησεν εἰποῦσα

Χάριν οἶδά σοι, ὦ πολυτίμητε Ἄρτεμι, ὅτι μοι παρέσχες ἐν τῷ σῷ ἱερῷ δίκας ὑπὲρ τοῦ ἀνδρὸς λαβεῖν ἀδίκως δι' ἐμὲ ἀναιρεθέντος.

Ταῦτα εἰποῦσα παραχρῆμα αὐτή τε ἀπέθνησκε καὶ ὁ νύμφιος αὐτῇ συναπέθνησκε παρὰ τῷ βωμῷ τῆς θεοῦ.

Vtriusque igitur uerba cum quantopere inter se consentiant nemo non uideat (nisi offendit quod Polyaenus adiecit *ἧκε Σινόριξ κτλ.* et *ὁ δὲ οἷα δὴ νύμφιος κτλ.*) a plerisque hoc stategema ad Plutarchum refertur. Quod tamen recte fieri negamus. Si enim ita Polyaenum auctoris uestigia prementem uidemus, ut ad uerbum rei narrationem describat, sub finem subito ipsam rem

eum mutasse non concedamus sed aut Plutarchum et Polyaenum fontem adhibuisse in quo duae narrationes continebantur aut proprium utrumque auctorem secutum esse censemus.

Polyaen. VIII 63 eo dissentit a Plutarcho XI quod non uirum sed mulierem legem tulisse narrat qua uirginum furor sese strangulandi tolleretur. Facillime fieri potuisse arbitramur, ut auctor quo uterque est usus, traderet esse qui uirum et qui mulierem legem illam tulisse dicerent. Idem statuendum uidetur esse collatis Polyaen. VIII 65 et Plutarch. II. Hic enim narrat Thessali cum Phocensium fines inuasissent neque cuiquam parcere uoluissent Daiphantum ciuibus suis persuasisse, ut in unum locum mulieres liberosque ducerent ipsique hostibus obuiam irent. Aduersa fortuna si uterentur, mulieres et liberos rogo circum eos exstructo custodes comburerent ne in hostium potestatem uenirent. Quod uero tum modo fieret si ipsis mulieribus idem placuisset. Quo comperto illas conuenisse gratiasque egisse Daiphanto quod tam bene omnium saluti consuluisset. Polyaenus Daiphanti mentionem non fecit sed sua sponte mulieres illud consilium cepisse narrat.

VII 45, 2 non manare potuisse ex Plutarchi exemplo quinto iam eo apparet quod Polyaenus Oebarem commemorat quem Plutarchus prorsus omisit.

VIII 38 Polyaeni leuitatis praebet exemplum. Tradit enim Plutarchus XIX Nicocratem Cyrenaeorum tyrannum et Melanippum Apollinis sacerdotem et Phaedimum, Aretaphilae coniugem interfecisse, Polyaenus contra Phaedimo prorsus omisso Aretaphilam Melanippi uxorem fuisse dicit. Num item res se habeat in strategemate 42 diiudicari non potest. Polyaenus enim Pythis uxorem Pythopolim nominatam fuisse affert, cuius nomen Plutarchus XXVII omnino omittit, sub finem autem Pythopolitem fluuium commemorat. Ex quo quamquam nomine Pythopolim ortum esse non abest suspicio tamen re uera mulier ita nominata fuisse potest cum simile nomen Polyaenus exhibeat VIII 58 *Κρατησίπολις*. Ceterum urbem ita appellatam extitisse docet Stephanus Byzantius s. u. '*Πυθόπολις Καρίας πόλις ἡ μετὰ ταῦτα κληθεῖσα Νῦσα ἀπὸ Πυθοῦ . . . ὁ δὲ Πυθῆς τοσοῦτον πλουσιώτατος ἦν ὥστε τὸν Ξέρξην κτλ.* Neque prorsus consentiunt Polyaen. VIII 31 et Plutarch. XIV; nam cum ille nobilissimorum uirorum filias Porsenae obsides datas esse dicat Plutarchus decem adulescentes totidemque uirgines ad Tyrrhenos missos esse tradit. Quod Polyaenus fluuii, ad quem lauatum uirgines abierunt nomen affert non grauioris est momenti cum Cloeliae facinus omnibus notum fuerit neque aliter Plutarchi

illud ἐπὶ τὸν ποταμὸν quam ἐπὶ τὸν Θύβριν intellegi potuerit. Sed cum ipse Plutarchus diuersas huius rei narrationes extare adiciat non modo hoc strategema sed etiam VIII 40 cum Plutarcho XXIV ad communem fontem recedere uidetur. Hic enim exhibet 'Θεαγένης ὁ Θηβαῖος . . . ἔπταισε περὶ τὴν κοινὴν τύχην τῆς Ἑλλάδος ἐν Χαιρωνείᾳ', quae ita aucta praebet Polyaenus Τιμόκλεια Θηβαία Θεαγένους ἀδελφὴ τοῦ παραταξαμένου Φιλίππῳ περὶ Χαιρωνείαν κτλ. Sub finem discrepant Polyaen. VII 48 et Plutarch. X.

Sunt enim Polyaeni uerba ''Αννίβας τὴν ἀνδρίαν τῶν γυναικῶν θαυμάσας ἀπέδωκε δι' αὐτὰς τοῖς ἀνδράσιν αὐτῶν τήν τε πατρίδα καὶ τὰ χρήματα'.

et Plutarchi 'Πυθόμενος δὲ ὁ Ἀννίβας καὶ διώξας τοὺς μὲν καταλειφθέντας εἷλεν· οἱ δὲ τῶν ὀρῶν ἐπιλαβόμενοι παραχρῆμα μὲν διέφυγον, ὕστερον δὲ πέμψαντες ἱκετηρίαν εἰς τὴν πόλιν ὑπ' αὐτοῦ κατήχθησαν ἀδείας καὶ φιλανθρωπίας τυχόντες.'

VII 49 denique Polyaenus προιούσης ἑσπέρας Tyrrhenos mulierum uestibus indutos e custodia fugisse dicit quod Plutarchus in capite VIII non commemorat.

Restant denique octo Plutarchi exempla quae prorsus cum Polyaeno consentiunt atque quaestio nunc est expedienda num omnino Polyaenus Plutarchi de mulierum uirtutibus libellum adhibuerit; qua in re inquirenda exemplorum ordo perturbatus, strategemata omissa et addita respicienda sunt. Denique cum ne pauca quidem strategemata, quorum ordo idem est apud Plutarchum et Polyaenum, discrepantiis uacent multisque locis iam uiderimus Polyaenum ipsum Plutarchum non adhibuisse, etiam octo illa strategemata quae consentiunt, non ex ipso Plutarcho sumpta esse sed ad communem fontem recedere arbitramur.

Quibus explicatis restat ut reliquis Polyaeni strategematis quae reuocantur ad Plutarchum comparatis, num re uera eum Polyaenus secutus sit, uideamus. Atque primum quidem cetera mulierum strategemata comparantibus nobis occurrit Polyaen. VIII 49, quod non sumptum esse ex Plutarcho (Pyrrhus 27) iam eo apparet, quia Polyaenus pro Plutarchi Archidamiam Archidamidem commemorat eamque Cleadae regis filiam fuisse adicit, de quo additamento pauca nobis dicenda sunt. Cleadam enim regem Lacedaemoniorum fuisse cum nusquam traditum sit, Manso[1]) et Droysenus pro Κλεάδα

1) Sparta. Ein Versuch zur Aufklärung der Geschichte und Verfassung dieses Staates, Leipzig 1805, p. 254.

scribendum esse censuerunt *Κλεομένους*. Quod uero recte eos censuisse duabus de causis non concedimus, primum quod quomodo notissimum nomen *Κλεομένης* mutatum sit in ignotissimum *Κλεάδας* non perspicitur, dein quod iisdem temporibus fuit Archidamia, Agidis auia a. 244 interfecta, neque uerisimile est — Cleomenes enim ortus erat e gente Agidarum — simul in utraque gente regia claram mulierem pariter nominatam exstitisse. Itaque num quae Plutarchus de Archidamia illa commemorat, in Archidamidem Cleadae filiam quadrent, in sequentibus inquiramus. Quae cum a. 244 aetate prouecta (Plut. Agis XX *Ἀρχιδαμίαν ἤδη σφόδρα πρεσβῦτιν οὖσαν καὶ καταγεγηρακυῖαν ἐν ἀξιώματι μεγίστῳ τῶν πολιτίδων*) interfecta sit circa annum 324 nata est, si octoginta annos eam natam fuisse statuimus. Inde sequitur anno 272 cum Pyrrhus Lacedaemonem inuaderet, mulierem eam fuisse circiter 42 annorum, quod optime in Polyaeni strategema quadrat. Accedit etiam quod si Archidamidem Cleomenis filiam fuisse statuimus, in fratrem eam Lacedaemonios sollicitasse et a Leonida fratris filio interfectam esse concedendum est, quod tamen minus probabile uidetur esse; multo maiorem prae se fert speciem probabilitatis, si Polyaeni Archidamidem et Plutarchi Archidamiam eandem et ex Eurypontidarum genere ortam esse statuimus. Iam uero qui pater eius fuerit, quaestio oritur, quae ut planius demonstretur, tabulam genealogicam adscribemus.

Archidamus † 338

Eudamidas uiuus adhuc 324	Agis † 331	(Cleadas)
Archidamus iam rex 296	— Archidamia	
Eudamidas	— Agesistrata.	

Quibus expositis hanc ratiocinationem proponemus: Agidi a. 331 mortuo successit Eudamidas quem etiam a. 324 regnauisse constat. Quo anno uita decesserit cum non tradatur, filium autem a. 296 regem fuisse commemoretur, fieri optime potuit, ut Eudamidas antequam Archidamus suae potestatis esset moreretur alterque Eudamidae, quem supponimus, frater Cleadas pro puero regnum susciperet. Quod rex a Polyaeno appellatur, in eo nihil inest offensionis; nam Pausaniam quoque, tutorem Plistarchi, regem nominatum esse

constat.[1]) Quae quidem ratiocinatio quam lubrica sit, quamuis non ignoremus tamen Polyaeni Ἀρχίδαμις Κλεάδα βασιλέως θυγάτηρ retinenda nobis uidetur esse, quod coniectura aliqua probata ueremur, ne codicum consensu neglecto non eorum lectio sed ipse Polyaenus emendetur et quod multa apud Polyaenum leguntur, quae alii scriptores non tradiderunt quaeque origine cognita satis apta erunt ampliori rerum gestarum cognitioni. Sed haec hactenus; transeamus ad alia.

VIII 32 Polyaenus Porciam cognita Bruti morte carbónibus candescentibus deuoratis mortuam esse narrat. Quod strategema non sumptum esse ex Plutarcho (Brutus 53) ipse Plutarchus testis est cum Nicolaum Damascenum qui eandem Porciae mortem atque Polyaenus tradit, non recte rem narrasse contendat.

VIII 30 (Plut. Romulus 29) unicum ex horum exemplorum numero prorsus cum Plutarcho consentit. Quibus explicatis cum non probabile sit Polyaenum quae exhibet strategemata mulierum ex Plutarcho sumpsisse, num omnino Plutarchus sit adhibitus dubitatio mouetur. Si enim librum neglexisse Polyaenum statuimus ex quo quam commodissime narrationes colligere potuit, ne hoc quidem concedamus reliqua eiusdem scriptoris opera eum inspexisse, praesertim cum omnibus ceteris collatis exemplis id demonstrari possit, pro magno illorum numero pauca tantum extare quae ita sunt instituta ut ex ipso Plutarcho manasse possint. Consentiunt enim Polyaen. I 16, 2. 3. (Plut. Lycurgi apophthegm. 11 et Agesil. 26); I 20, 2 (Solon 8); I 30, 6 (Themistocles 4); I 34, 2 (Cimon 9); I 41, 3 (Cimon 16); I 45, 3 (Lysander 8); II 1, 7 (apophth. Agesilai 72); III 12, 1. 2 (Phocion 23. 24); V 12, 1 (Timoleon 26); VI 4, 3 (Philop. 9); VII 6 (Publicola 17); VIII 9, 1. 2 (Sulla 6. 21); VIII 14, 3 (Fabius 21); VIII 16, 5 (apophth. Scipionis min. 22); VIII 23, 25 (Caesar 45); VIII 10, 1 (Marius 16). Consentiunt additamentis adiectis I 4 (Theseus 5); I 39, 3 (Nicias 18); I 20, 1 (Solon 8); II 1, 6 (Agesilaus 9); II 1, 13 (Agesilaus 30); III 9, 11. 17 (apophth. Iphicratis 2); IV 6, 1 (Arat. 17); VI 5 (Arat. 18 sq.); VII 11, 3 (apophth. Darii 2); VII 41 (Crassus 30—33); VIII 7, 1 (Camillus 10); VIII 7, 2 (Camillus 40); VIII 16, 2 (apophth. Scip. min. 16); VIII 16, 3 (ibid. 19); VIII 16, 4 (ibid. 18); VIII 22 (Sertorius 11. 20); VIII 3, 1 (Romulus 14); VIII 16, 2 (Marius 20 sq.); VIII 10, 3 (Marius 26). Reliqua discrepant: I 21, 3 (Solon 29. 30); I 30, 3. 4 (Themistocles 12. 16); I 30, 5 (ibid. 19); I 43, 2 (Nicias 26); I 45, 1 (Lysander 8); I 45, 2 (ibid. 11); II 1, 3 (Age-

1) Clinton, fasti Hellenici p. 228 de Pausania.

silaus 17); II 1, 4 (apophth. Agidis 12); II 1, 9 (Agesilaus 9. 10); II 1, 14 (ibid. 32); II 1, 22 (ibid. 39); IV 8, 5 (Eumenes 9); V 2, 3 (apophth. Dionysii mai. 8); II 3, 4 (apophth. Epaminondae 9); III 9, 25 (apophth. Iphicratis 3); V 12, 2 (Timoleon 34); VIII 11 (Marcellus 18).

Quae cum ita sint fere duplex est numerus eorum strategematum quae aut discrepant aut adiectis additamentis ad eundem fontem recedere uidentur, quam eorum quae prorsus consentiunt. Quam ab rem id statuendum censemus esse, Plutarchum a Polyaeno omnino non esse adhibitum, quae autem apud utrumque pariter referuntur strategemata, ad communem auctorem recedere.

Restat denique ut uideamus quid de iis censendum sit strategematis quae a Diodoro profecta esse feruntur. Iam uero si perspicimus paruum numerum eorum, quae Woelfflinus l. c. p. 358 ad eum referri iussit, num omnino Diodori bibliotheca Polyaeno ad manus fuerit dubitari poterit, praesertim cum alia exempla prorsus discrepent alia ita sint instituta ut potius ex communi fonte sumpta uideantur esse. Accedit denique, quod Diodorus id genus historiae conscribendae, cui soli Polyaenus operam nauauit, prorsus fere neglexit. Attamen strategemata quae ex Diodoro sumpta esse Woelfflinus pro certo statuit, pertractabimus, ut, num recte uir doctus iudicauerit, probemus. Atque primum quidem exemplum occurrit Polyaen. III 3, quocum Diodor. XI 84 plane consentit; alterum Polyaen. I 40, 9 causam praebuit Malinae quapropter Polyaenum mentitum siue halucinatum falso rem rettulisse obiceret. Diodorus enim XIII 50 eandem rem atque Polyaenus iisdem fere uerbis tradit, sed Pharnabazum non a partibus Atheniensium sed Lacedaemoniorum stetisse addit, quod recte eum tradere testantur Xenophon h. gr. I 1, 16 et Plutarchus, Alcib. 28. Qui quamquam error concedendus est tamen ipsi Polyaeno eum imputare dubitamus cum Diodorum ab eo non adhibitum esse docturis nobis id potius constet, turbulento ex fonte eum hausisse. Tertium quod affert Woelfflinus exemplum Polyaen. I 48, 2 non discrepat a Diod. XIII 97, sed quae praeterea adnotat strategemata cum Diodoro conferenda ipse num re uera ex eo sumpta sint, pro certo affirmare non ausus est. Vnum tantum exemplum idemque non discrepans a Diodoro uirum doctum fugit Polyaen. I 3, 1, Diod. IV 12.

Ex ceterorum strategematum numero, quae cum Diodoro conferri possunt, adiectis additamentis consentiunt Polyaen. I 1 et 2 (Diod. II 38); I 30, 5 (XI 40); I 32, 1 (XI 6); I 33 (XI 34); I 35, 2 (XI 83); I 36, 1 (XII 42); I 37 (XII 73); I 38, 3 (XII 68);

I 39, 1 (XII 65); I 40, 6 (XIII 5); I 41, 3 (XI 63); I 45, 3 (X 9); I 47, 2 (XIII 67); I 48, 3 (XIV 81. 82. 86); I 48, 4 (XIII 79); II 1, 2 (XV 32); II 1, 3 (XIV 83); II 21 (XIV 38); II 38, 2 (XVI 35); III 10, 12 (XV 36); III 11, 11 (XV 34); IV 3, 22 (XVII 87); IV 6, 10 (XIX 32); IV 6, 11 (XIX 37); IV 6, 13 (XIX 42); IV 6, 14 (XIX 46); IV 6, 15 (XIX 48); IV 8, 2 (XVIII 59 sq.); IV 8, 3 (XIX 23); V 2, 6 (XIV 50); V 2, 8 (XIV 54); V 2, 13 (XIV 64); V 2, 20 (XV 14); V 3, 4 (XX 42); V 3, 5 (XX 7); V 3, 8 (XIX 6); V 4 (XVI 36); V 7 (XIII 86); V 9 (XXIII 8); V 11 (XIII 43. XVI 81); V 12, 1 (XVI 79); VI 11 (XIV 103); VI 21 (XII 83). Reliqua inter se discrepant aut repugnant: I 3, 2 (IV 12); I 3, 5 (IV 32); I 27, 1 (XI 26); I 27, 2 (XI 21. 22); I 30, 3. 4 (XI 17. 19); I 30, 6 (XI 43); I 34, 1 (XI 61); I 39, 2 (XIII 7); I 40, 4 (XIII 4); I 40, 5 (XIII 6); I 40, 9 (XIII 50); I 47, 2 (XIII 67); II 3, 1 (XV 33); III 4, 2 (XII 48); III 9, 29 (XVI 21); V 2, 1 (XIII 96); V 2, 2 (XIII 95. 96); V 2, 5 (XIV 15); V 2, 7 (XVI 13); V 10, 1 (XX 60); V 10, 2 (XIV 55); V 12, 2 (XVI 69); V 13, 2 (XIII 10); VIII 26 (II 13 sq.). Quae cum ita sint cum plerique quos attulimus locorum Diodori ita sint instituti, ut ipsis strategematis omissis modo qui ea adhibuerunt commemorentur, Diodori bibliothecam Polyaenum inspexisse negamus.

Quibus pertractatis cum ostendere conati simus quos auctores Polyaenus non adhibuerit, nunc inquirendum nobis proposuimus, quales fuerint auctores, quibus Polyaenus in colligendis strategematis usus sit, quoniam multarum rerum Polyaenus solus auctor existit ideoque satis multum interest, quantum auctoritatis ei habendum sit. Quae quidem quaestio maxime est lubrica neque omnino prorsus expediri posse uidetur cum fontes, ut ita dicamus, primarii saepius quidem cognosci possint, non autem unde ipse Polyaenus strategemata hic illic mutata sumpserit. Quae enim si cuiusdam scriptoris auctor indagatur, maximo sunt adiumento, ingenium, mores, patria, in Polyaeni auctoribus inquirendis omnino nihil ualent propterea quod strategemata hinc illinc desumpta inter se non coniuncta sunt neque satis discerni potest a quonam scriptore ortum ducant quoniam saepius complures scriptores idem temporis spatium describendum sibi proposuerunt. Accedit etiam quod Polyaenus proprium dicendi genus sibi finxit neque auctoris cuius uestigia premit, stilum seruauit (cuius rei testimonia collegit Malina[1]), ita ut quod maximum fere ualet argumentum quo quid

1) De dictione Polyaenea, Berol. 1854.

de auctore potest concludi, tollatur. Quin etiam in singulis strategematis tam neglegentem se praestitit, ut diuersarum dialectorum formas adhiberet. Cf. I 1, 2 κληΐζεται — ἐκάλεσε; I 13 Μενέλαος — Μενέλεως; I 28, 1 παρετάσσετο — 2 πράττειν.[1]) Alia uide apud Malinam. Quae cum ita sint nullum restat argumentum quo niti possimus, nisi uerborum congruentia. Sed ne ea quidem satis adiuuamur; nam cum Frontinus solus nonnumquam easdem atque Polyaenus praebeat discrepantias neque quo Frontini exempla recedant, satis constet, id tantum ea re colligi potest utrumque communem auctorem adhibuisse neque Polyaenum mendacitatis esse arguendum.

Quibus expositis iam accedamus ad quaestionem expediendam quales fuerint auctores quos Polyaenus adhibuit. Qua in re magni momenti est Polyaenum saepius eandem rem a duobus uel tribus hominibus gestam affere, cuius rei iam supra exempla attulimus, idemque factum uario modo repetere. Itaque etiamsi dubitari nequit, quin duo idem facere potuerint, tamen uerisimile est — id quod etiam nostris temporibus accidit — quandam rem gestam qua auctor gloriam uel infamiam adeptus est, temporis spatio intermisso alii cuidam populi studio uel odio uso attributam esse qua celebritas aut infamia augeretur. Inde sequitur, eiusmodi narrationibus haud ita multum tribuendum esse, praesertim cum omnino dubium sit, num quod aliquis adhibuisse fertur strategema pro uero an ficto sit habendum. Aliud est si eadem res uario modo narratur; nam cum uno tantum modo gesta esse possit alterum modum refictum esse apparet quique eum tradit, non dignus est cui multum fidei habeatur. Quod quantum ualeat in Polyaenum in sequentibus exponemus ea perlustrantes strategemata quae prioribus tribus libris continentur.

I 38, 1 Brasidas proditione Amphipolim cepisse dicitur cum in tertio eiusdem capitis strategemate ex consensu ciuium urbem deditam esse narretur, quod ita factum esse et Thucydides IV 105 et Diodorus XII 68 confirmant. Quae cum ita sint, cum Thucydides

1) Id sane uerisimile est, ionicas formas Polyaenum non addidisse sed ab auctore mutuatum esse, quo firmatur quod iam Woelfflino uisum est, strategemata Bacchi et Herculis (I 1, 1. 2 et I 3, 4) recedere ad Megasthenis Indica quem ionica dialecto usum fuisse ex Arriani Indicis sequi uidetur; ubi quamquam cap. I eadem uox κληΐζεται occurrit atque in Polyaeni strategemate tamen hic propter ampliorem narrationem Arrianum secutus esse non potest, sed quo ille usus est auctore, Megasthenes hoc strategema Polyaeno tradidisse putandus est. Cf. etiam Schneider, De Diodori fontibus (I—IV) Berol. 1881 p. 45.

qui ipse Amphipolis liberandae causa ab Atheniensibus missus et Diodorus qui Ephorum scriptorem maximae fidei et auctoritatis secutus est, omnino dubium esse non potest quin quae in paragrapho prima de proditione narrantur, pro falsis habenda sint. Iam si quaerimus unde haec narratio orta sit satis constare uidetur, Lacedaemoniorum inimicos qui audaci eorum duci successum inuidebant, eam inuenisse qua illius gloria minueretur.

I 48, 4 agitur de Conone Mitylenae a Lacedaemoniis obsesso quem ab hostibus inclusum fuisse et Xenophon h. gr. I 6, 20 et Diodorus XIII 79 testantur. Itaque in eis quae I 44 Polyaenus tradit Cononem Eteonicum Lacedaemoniorum ducem Mitylenae inclusum tenuisse rem plane peruersam praeberi apparet, praesertim cum Xenophon l. c. I 6, 35 sq. ueram rei condicionem satis accurate explicet.

I 47, 2 simul tractandum est cum I 40, 2. Illic enim inimicam urbem quam cepit Alcibiades Byzantium intellegendum esse sequitur ex Frontino III 11, 3 qui cum Polyaenus (I 40, 2) Alcibiadem urbi appropinquantem militibus in insidiis collocatis tentoriisque incensis profectum esse et reuersum ex inopinato urbem occupasse referat, Byzantium eodem modo ab Alcibiade captum esse tradit. Itaque cum I 47, 2 Polyaenus dicat *'Θράσυλος καὶ οἱ περὶ αὐτὸν στρατηγοὶ Βυζαντίοις ἐπέκειντο'* quaeritur num Alcibiades an Thrasylus et qui circa eum fuerunt duces, Byzantium oppugnauerint. Qua in re expedienda non omittenda sunt quae tradit Diodorus XIII 66 *οἱ δὲ περὶ τὸν Θηραμένην ὁμολογίαν ἐποιήσαντο πρὸς Καλχηδονίους... ἐντεῦθεν δὲ τὰς δυνάμεις ἀπαγαγόντες πρὸς Βυζάντιον ἐπολιόρκουν τὴν πόλιν καὶ μετὰ πολλῆς σπουδῆς ἀποτειχίζειν ἐπεχείρισαν. Ἀλκιβιάδης δὲ ἀθροίσας χρήματα . . . διὰ τάχους ἧκε πρὸς τοὺς περὶ Θηραμένην εἰς Βυζάντιον.* Alcibiade igitur absente Theramenes et Thrasylus urbem oppugnare coepisse eosque Alcibiades reuersus adiuuisse dicitur. Plutarchus, Alcib. 31 de absentia Alcibiadis nihil commemorat, sed potius eum ipsum urbem obsedisse proelioque facto una cum Theramene Byzantios uicisse (*Γενομένων δὲ τῶν ὅρκων ἐπὶ Βυζαντίους ἀφεστῶτας ἦλθε* [scil. *Ἀλκιβιάδης*] *καὶ περιετείχιζε τὴν πόλιν . . . Καρτερᾶς δὲ μάχης γενομένης ἐνίκησεν Ἀλκιβιάδης τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων, Θηραμένης δὲ τὸ εὐώνυμον*). Xenophon h. gr. I 3, 16 sq. Theramenis omnino non facit mentionem, sed in uniuersum narrat de Atheniensibus Byzantium obsidentibus sub finem capitis haec addens *'νυκτὸς ἀνοίξαντες* (scil. *Βυζάντιοι*) *τὰς πύλας . . . . εἰσήγαγον τὸ στράτευμα καὶ τὸν Ἀλ-*

κιβιάδην'. Quibus igitur locis satis constat Alcibiadem et Theramenem et Thrasylum obsidioni Byzantii interfuisse neque diiudicari potest, utrum Polyaenus duo iam inuenerit strategemata an ipse, ut et Alcibiadis et Thrasyli strategema afferret, narrationem disiunxerit.

II 3, 8 Epaminondas contra quadraginta milia Lacedaemoniorum profectus duobus strategematis militum animos erexisse traditur. Quibus enim urbe exeuntibus quendam obuiam uenire iussit simulantem, Trophonium se misisse ut uictoriam adepturos esse Thebanos nuntiaret; quo facto milites ut templum Herculis adorandi causa adirent adhortatus est. Sed cum antea sacerdoti mandasset ut arma polita ante deum poneret, fanoque aperto ipse cum aedituis abscederet, milites rei nouitate obstupefacti ipsum Herculem se ducem sibi praebiturum arbitrati fortiter pugnauerunt hostesque deuicerunt. Cf. Diod. XV 53, Xenophon. h. gr. VI 4, 7. Aliter res narratur in strategemate XII: Thebis cum esset Mineruae simulacrum, quae dextra hastam tenebat clipeumque ante genua positum noctu artificem Epaminondas adduxit, qui deae habitum mutaret. Cum autem tempus exeundi adesset, templa sacrificandi causa aperiri iussit militesque deam ipsam sese ornasse rati laetiore animo egressi quadraginta milia Lacedaemoniorum fugauerunt. Cf. Frontin. I 11, 16.

Quarum narrationum etsi priori plus tribuimus quod Xenophon et Diodorus similiter rem tradunt, tamen numerus quem Lacedaemoniorum eorumque sociorum affert Polyaenus satis suspectus est. Plutarchus enim Pelop. 20 haec tradit '*ἐνεβεβλήκει δὲ Κλεόμβροτος ὁ βασιλεὺς ἄγων ὁπλίτας μυρίους, ἵππεις δὲ χιλίους*' et Xenophon l. c. VI 4, 15 '*οἱ δὲ πολέμαρχοι ὁρῶντες μὲν τῶν συμπάντων Λακεδαιμονίων τεθνεῶτας ἐγγὺς χιλίους, ὁρῶντες δ' αὐτῶν Σπαρτιατῶν ὄντων τῶν ἐκεῖ ὡς ἑπτακοσίων, τεθνηκότας περὶ τριακοσίους κτλ.*' itemque Plutarchus, Agesil. 28, mille Lacedaemoniorum cecidisse commemorat. Itaque si omnino DCC Spartiatae proelio interfuerunt triginta nouem milia et trecentos socios auxilio eis uenisse credendum est. Quod quidem iam per se non est uerisimile, praesertim cum omnino mille et quadringentos cecidisse Xenophon tradat. Atque si Xenophontem Lacedaemoniis amicum minorem mortuorum numerum afferre putamus, ne is quidem quem affert Diodorus XV 56, quattuor milia, satis sufficit, cum trecentos tantum Boeotorum quorum omnino fuerunt sex milia (cf. Diodor. XV 52) periisse referat.

II 3, 1 et II 4, 3 agunt de Phoebidae morte, quem quidem in altero strategemate Polyaenus nominatim non affert, sed alius quidam arci Cadmeae praefectus intellegi non potest; in priore stra-

tegemate Phoebiadam eum appellat neque hoc nomine alium quam Phoebidam intellegendum esse apparet. Hunc igitur Epaminondae uxorem adamasse Polyaenus dicit eamque marito rem aperuisse. Quicum uxorem adhortatus esset ut amorem Phoebidae simularet aliasque mulieres amicis illius adduceret statuta nocte ad conuiuium eas uenisse cumque sacrificio simulato abscessissent, iuuenes earum uestibus indutos una ex illis duce Phoebidam et, qui apud eum fuissent, oppressisse. In altero strategemate de adulterio Phoebidae nihil commemoratur, sed et mulières in honorem Veneris diem festum egisse et uiros interfuisse. Dein cum praefectus arci ut et ipse deam coleret meretrices arcessiuisset Pelopidam cum iis arcem ingressum pugione quem sub ueste abditum habuisset illum interfecisse. Quibus strategematis si quantum tribuendum sit quaerimus, maximo sunt momento quae ceteri scriptores de morte Phoebidae memoriae prodiderunt. Atque Xenophon h. gr. V 4, 45 haec exhibet '*καὶ ὁ μὲν δὴ Φοιβίδας καὶ δύο ἢ τρεῖς μετ' αὐτοῦ μαχόμενοι ἀπέθανον*'; Diodorus XV 33 '*αὐτὸς δὲ* (scil. *Φοιβίδας*) *λαμπρῶς ἀγωνισάμενος καὶ πολλοῖς ἐναντίοις τραύμασι περιπεσὼν ἡρωικῶς κατέστρεψε τὸν βίον*'; Plutarchus denique Pelop. 15 '*ἐγένοντο μὲν οὖν καὶ περὶ Πλαταιὰς καὶ Θεσπιὰς ἧτται καὶ φυγαὶ τῶν Λακεδαιμονίων, ὅπου καὶ Φοιβίδας ὁ τὴν Καδμείαν καταλαβὼν ἀπέθανε*'. Omnes igitur cum in eo consentiant, Phoebidam fortiter pugnantem cecidisse, sequitur ut quae tradit Polyaenus, pro fictis habeamus. Accedit etiam aliud. Cornelius Nepos enim in uita Epaminondae cap. V Meneclidam obtrectatorem fuisse Epaminondae refert illique obiecisse 'quod liberos non haberet neque uxorem duxisset'. Itaque cum Epaminondam nunquam matrimonium iniisse satis constet, omnino nihil Polyaeni narrationi tribuendum est, quam ortam esse ex confusione caedis optimatium et mortis Phoebidae potius conicere licet.

III 9, 29 Polyaenus tradit Aristophontem et Charetem proditionis accusauisse Iphicratem quod cum apud Embata hostes opprimere potuisset proelium non commisisset. In iudicium cum esset uocatus uelut inconsulto iudicibus gladium eum ostendisse ut illi ueriti, ne curia armatis cincta ipsos tolleret, crimine eum absoluerent.

III 9, 15 quoque Iphicratem absolutum esse Polyaenus affirmat, quod iuuenes armati circum curiam positi iudicibus metum iniecissent. Quibus narrationibus quamquam repugnant quae tradit Diodorus XVI 21 Iphicratem et Timotheum multis talentis multatos et mperio priuatos esse, tamen duo accedunt argumenta quibus Poyaenum recte rem tradere fit uerisimile. Cornelius Nepos enim —

Theopompum ut uidetur secutus — in uita Iphicratis cap. III 3 haec exhibet: 'Causam capitis semel dixit (scil. Iphicrates) bello sociali simul cum Timotheo eoque iudicio est absolutus' itemque Isocrates, *περὶ ἀντιδόσεως* 129 (ed. Blass II p. 132) Timotheum quidem inaudita multa affectum, sed Iphicratem absolutum esse tradit.

His igitur allatis exemplis cum Polyaenum sibi ipsi simulque ceteris scriptoribus repugnantem ostenderimus, nunc transeamus ad ea perlustranda strategemata, quae inter se quidem discrepant, uerum tamen nihil praebent offensionis. Atque primum quidem Polyaenus I 6 Heraclidas Peloponnesum ita inter se dispertitos esse tradit, ut Cresphontes Messeniam, Temenus Argos, Aristodemi filii Spartam acciperent, quod item tradit Ephorus apud Strabonem C 597 (Müller fr. h. gr. I p. 237 fr. 16). Quod igitur strategema cum auctoritate satis magna nitatur, tamen Wachsmuthius[1]) I 1, 10 illi strategemati praeferendum esse ostendit. Incipit enim *Προκλῆς καὶ Τήμενος Ἡρακλεῖδαι Εὐρυσθείδαις κατέχουσι τὴν Σπάρτην ἐπολέμουν*, ut qui legit offendat quod Temenus, quem paulo antea Argos sortitum esse Polyaenus commemorauit, non uero Eurysthenes, id quod expectatur, fratri bellanti subuenit. Qua re maxime nisus Wachsmuthius exponere est conatus unde factum sit ut duo essent Spartae reges aliisque allatis argumentis rem satis probasse uidetur. Quamquam autem hoc loco Polyaenum aliquid tradere concedimus, quod uerae rerum cognitioni inseruit, tamen quod uir ille doctissimus ipse intellexit, nisi alia accedunt argumenta cauendum est, ne nimium soli Polyaeni auctoritati tribuamus. Quem cum quaecunque occurrebant collegisse ex antecedentibus satis iam appareat non omittamus ea adicere exempla quae bis uel ter similiter de eodem narrata inueniuntur.

III 9, 11 et 17 uario modo prudentia Iphicratis laudatur qui ubicunque fuit, castra muniuit neque boni ducis esse censuit dicere 'Non expectabam hoc esse euenturum'.

III 10, 12 Timotheus contra Nicolochum, Lacedaemoniorum ducem proelio nauali apud Leucadem decertaturus plurimarum nauium remiges in ora acquiescere iussisse traditur et uiginti nauibus celerrime uehentibus profectus trierarchis manus conserere uetitis sponte ut fugerent imperasse, ut hostes persequendo defatigarentur. Quo facto signum proelii eum dedisse recentibusque militibus defatigatos adortum uictoriam reportasse. Idem fere traditur III 10, 6 et 16. Cf. etiam Xenophon h. gr. V 4, 6.

1) Fleckeiseni ann. 1868 tom. 97 p. 1 sq.

III 10, 13 et 17 idem narratur de Timotheo. Qui cum Lacedaemonios deuicisset ueritus ne hostium naues, quas illorum dux ad commeatum arcessendum dimiserat, ipsum aggrederentur, trierarchos quem quisque obtinuisset locum seruare iussit, ne dispersas naues hostes adorerentur. Nauibus igitur in semicirculo positis retro uectus hostium impetum uitauit. Cf. Diodor. XV 36.

Quae cum ita sint qua industria usus sit Polyaenus in colligendis strategematis non iam dubium esse potest. Certe quae bis narrauit, duobus ab auctoribus profecta sunt neque dubitamus quin ipse Polyaenus eandem narrationem repetere se animaduerterit, sed potius de industria alteram narrationem, si forte extitit, adiecerit, ut quam maximum strategematum numerum complecteretur (cf. praef. l. I sub fin. Ἔστι δὲ ἡ πᾶσα σύνταξις βιβλία ὀκτὼ στρατηγημάτων ἐνναχοσίων).

III 9, 36 enim ubi tradit, Iphicratem Samum insulam obsidentem abscessisse et cum incolas ex urbe in agros se contulisse putaret reuersum ex inopinato eos adortum esse magnamque praedam abstulisse, haec addit: Τοῦτο καὶ ὁ Φορμίων πρότερος ἐποίησε Χαλκιδεῦσιν (cf. III 4, 1), unde concludi potest etiam ceteras narrationes quas easdem duobus uiris attribuit uel bis de eadem re inseruit, non inscium eum collegisse.

Quibus explicatis quales auctores Polyaeno materiam attulerint, pro certo constare uidetur; nam si ea quoque strategemata respicimus quae contra aliorum scriptorum narrationes facere supra demonstratum est, longe plurima Polyaeni strategemata, scilicet eorum quae apud alios similiter narrata occurrunt, grauioribus discrepantiis laborare cognoscemus, unde fontium condicionem haud optimam fuisse apparet. Chronologici enim ordinis cum in primo libro fere semper ratio habeatur, tamen quae cap. 21 de Pisistrato narrantur prorsus confunduntur (cf. Herodot I 59—64). Neque quae legimus de Agesilao II 1, 22 omni carent difficultate. Plutarchus enim, Agesil. 38, cum idem tradat atque Polyaenus, pro eius Νεκτανεβώς exhibet Νεκτάναβις quod idem nomen praebet Cornelius Nepos, Agesil. VIII 6. Itaque Dellios[1]) conclusit hanc nominis formam esse Theopompeam Polyaenique de quo agitur strategema obstante quamuis nomine et III 11, 5 mutato Θαμῷ in Θακῷ[2]) profecta esse ex Theopompo. Quem uero etsi ipsum Polyaenum inspexisse ualde dubium uidetur esse, tamen illa strategemata re-

1) Zur Kritik des Geschichtsschreibers Theopompos, Jena 1880, pg. 15. — 2) Cf. Gutschmid. Philol. X p. 148.

cedere ad Theopompum non negauerimus quamquam res mira restat, Polyaenum narrationem exhibere Theopompeam, nominis autem formam qualis occurrit apud Diodorum XV 93 h. e. apud Ephorum.[1])

Quaerentibus igitur nobis qui fuerint Polyaeni auctores non omittendum est iam antiquitus extitisse qui item atque Polyaenus res memorabiles ex scriptorum operibus colligerent, quorum satis magnum numerum affert Westermann.[2]) Talium enim scriptorum opera cum Polyaeno et Frontino commodissimam praebere possent materiam, constare uidetur[3]) non magnum eos subiisse laborem ipsaque scriptorum uolumina uoluisse, sed potius commodissimam ingressos esse uiam minime curantes unde quae describebant sumpta essent quaque auctoritate niterentur nec qua diligentia auctoris fides seruaretur. Atque cum non solum propter commoditatem Polyaenus tales auctores uideatur adhibuisse, uerum etiam quod *τῶν πάλαι γεγονότων ἀλήθειαν* (praef. l. VI) praebere eos putat, quantum ipsi fidei habendum sit nihili aestimandum est omnisque quae ei tribuitur auctoritas pendet ex fontibus quos adhibuit (cf. Gutschmid. l. c.) aut sicut supra dictum est ex aliorum scriptorum testimoniis, ipseque hominem se praestitit in historiae studio non uersatum iudicioque carentem.

Attamen cum quasdam Polyaenum exhibere narrationes quibus fides historica abiudicari nequit, iam illo exemplo quod laudauit Wachsmuthius iisque quae cum aliorum scriptorum narrationibus consentire supra exposuimus, intellegi possit, iam restat ut uideamus num praeterea extent in prioribus III libris strategemata quae rerum scriptori usui esse possint.

Cum Ephori fragmento XVI (Müller, fr. h. gr. I) consentit Polyaen. I 19 de Apaturiorum origine; itemque Iustinus Ephorum secutus III 7, 5 sq. ad uerbum fere eadem atque Polyaenus I 36, 1 et 2 de Atheniensibus Peloponnesi oras uastantibus et de Pericle agros suos ciuitati donante tradit.

Vnde factum sit ut duellum commissuri retia gererent I 25 eodem modo exponitur atque a Strabone VII 600 C qui idem VI 280 C de Partheniarum seditione cum Polyaen. II 14, 2 consentit. Quo tempore pugna apud Naxum facta sit recte tradere Polyaenum III 11, 2 aliis locis satis probatur. Narrat enim Chabriam cum proelium fuisset commissurus, sextum decimum Boedromionis diem quo pugnaret elegisse, quod festus esset mysteriorum. Numerus

1) Volquardsen l. c. p. 70 sq. — 2) Scriptores rerum memorabilium graeci, Londini 1839. — 3) Ad. Schmidt, Pericl. Zeitalter, Jena 1877. II p. 120.

qui legitur ἕκτῃ ἐπὶ δέκα in codicibus non extat sed ἕκτῃ ἐπεὶ δὲ κατ' αὐτὴν unde sagacissime coniecit Casaubonus ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, ταύτην quod non solum palaeographica ratione sed etiam loco Plutarchi (Phocion 6 ἐνίκων μεγάλοις μυστηρίοις τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος), probatur. Mysteria autem cum celebrarentur[1]) inde a die V usque ad XXIII Boedromionis eodem modo Chabriam adiuuerunt quo Themistoclem cum ad Salaminem Persas deuicit.

Quam pugnam re uera mysteriorum tempore factam esse testatur Herodotus VIII 65, maiore autem est momento Plutarchus, Camilli cap. XIX 'οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον, ἐν δὲ Σαλαμῖνι περὶ τὰς εἰκάδας κτλ.', cum mensis Atticus lunarius eaque de causa plenilunium in diem mensis XVI cadere necesse esset. Quod autem dicit Polyaenus Ἀλλὰ οἱ μὲν περὶ Θεμιστοκλέα σύμμαχον ἔσχον τὸν Ἴακχον optime quadrare in diem Boedromionis uigesimum ex eodem Plutarchi capite elucet ubi leguntur . . . περὶ αὐτὴν τὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν unde colligitur, diem illum Iaccho fuisse sacrum. Ceterum uerba οὕτω γέ τοι sq. rhetoricam sapiunt originem, ut unde hoc strategema ortum ducat, facile conici possit, quoniam hic particularum usus a Polyaeni genere dicendi abhorret. Quae I 23, 2 Polyaenus tradit de Polycrate quomodo fratribus adiuuantibus tyrannidem occupauerit firmare uidetur Herodotus III 39 ubi Polycrates initio Samum insulam in tres partes dispertitus cuique fratrum unam dedisse dicitur. Quo enim adductum censeamus esse Polycratem, ut tyrannide occupata fratres regni faceret participes nisi maxime illos adiuuisse eum putamus?

Sed haec hactenus de fide Polyaeno habenda; uideamus denique unde primum strategemata quae tractauimus, profecta sint. Qua in re expedienda maximo est momento quod cum in libro primo inde a capite VI agatur de Heraclidarum inuasione in Peloponnesum facta et de Lacedaemoniorum bellis cum finitimis gestis, capp. XVI—XXIII spectant ad Athenienses, XXIV—XXIX ad Samum insulam, Ioniam, Siciliam, denique quae continentur capp. XXX—IL ad eas res pertinent quae inter annos 480 et 400 a. Chr. n. ab Atheniensibus et Lacedaemoniis gestae sunt. Quae cum ita sint huic rei satis multum tribuendum esse arbitramur cum ceteris in libris (exceptis IV, VII, VIII) res ordine peruerso enarrentur,

1) Clinton, l. c. p. 339.

in hoc autem libro strategemata ita subsequuntur, ut pleraque ex eodem scriptore profecta esse putari possit. Itaque argumenta scriptorum qui de illis rebus scripserunt, perlustrantibus nobis permulta optime quadrare in Ephorum apparebit. Qui cum in primo libro egisset de Heraclidarum descensu et de Peloponnesiacarum ciuitatum partitione in altero libro facit uerba de Boeotis, Acarnanibus, Atticis, Thessalis. Tertio in libro agit de coloniis Ionicis, in quarto et quinto de rebus geographicis, de moribus et institutis populorum, in sexto de Lacedaemoniorum bellis cum finitimis gestis. Libri VII—X Aegyptiorum, Medorum, Persarum res gestas continuerunt, quas cum singulari libro (VII) complecti uellet Polyaenus, in primo libro praetermisit. Denique quae Ephorus inde a libro XII tradit eodem ordine a Polyaeno referuntur. Agit enim ille in libro XII et XIII de pugna Salaminia et de rebus Siculis, in libro XIV de bello Peloponnesiaco; quae in libris XV et XVI de Siculis tradit Polyaenus in primo libro non commemorauit contra quae in libro XVII referuntur de Lacedaemoniorum bellis et expeditione Cyri quadrant in extrema primi Polyaenei libri strategemata. Itaque cum in uniuersum magnam prae se ferat speciem ueritatis inter Ephorum et Polyaenum affinitatem quandam intercedere, singula quae hanc nostram opinionem firmare possint strategemata colligamus, quorum imprimis enumeranda sunt quae ab ipso Ephoro similiter narrantur, dein ea quae exstant apud eos scriptores quos Ephorum adhibuisse constat.

I 6 — Ephorus apud Strabonem C 389 (Müller fr. h. gr. p. 237 fr. 16). Inde conici licet cetera etiam quae Heraclidarum strategemata affert Polyaenus ad Ephorum recedere, quod iam statuit Fluegelius de capp. VI, VII, IX, X(?) in libro 'Die Quellen in Plutarchs Lycurgos', Marburg 1870 p. 32.

I 16, 1 — Ephorus ap. Müll. fr. 64. Nicolaus Dam. ibid. III p. 391. Iustin. III 3, 10. Neque § 2 et 3 Fluegelium l. c. p. 19 iure ad Ephorum ducere negamus.

De eis scriptoribus qui Ephorum secuti sunt cf. Volquardsen, Untersuchungen über die Quellen der griech. und sicil. Geschichten bei Diodor XI—XVI, Kiel 1868 p. 47 sq. et Holzapfel, Untersuchungen über die Darstellung der griech. Geschichte von 489 bis 413 bei Ephoros, Theopompos und anderen Autoren, Leipzig 1879. Inde conferre licet

I 27, 1 — Diodor. XI 26.

30, 5 — „ XI 40.[1])

32, 1 — „ XI 6.

33 — „ XI 34. 35.

34, 1 — „ XI 61.

34, 2 — Plutarch. Cimon 9 ex Ione, quem Ephorum adhibuisse uerisimile est praesertim cum Diodor. XI 60 Cimonis expeditionem in Byzantios factam commemoret.

35, 2 — Diodor. XI 83 strategemate omisso Myronidem cum Boeotis uictis in Locrorum et Phocensium fines profectum esse tradat etiam antecedens strategema a Diodori auctore narratum uidetur esse.

36, 1 — Diodor. XII 42 — Iustin. III 7, 5.

36, 2 — Iustin. III 7, 8 sq.

37 — Diodor. XII 73.

38, 3 — „ XII 68.

40, 4 — „ XIII 4 (Thucyd. VI 51).

40, 5 — „ XIII 6 („ VI 64).

40, 6 — „ XIII 5.

40, 9 — „ XIII 50 (Xenophon h. gr. I 1, 16; Plutarch. Alcib. 28). Cf. Fricke, Untersuchungen über die Quellen des Plutarch. im Nicias und Alcibiades, Leipzig 1869 p. 69 sq. Büchsenschütz, Xenophons Hellenika und Plutarchos in Fleckeis. ann. 1871 tom. 103 p. 223 sq.

41, 3 — Diodor. XI 63 — Plutarch. Cimon XVI. Cf. Rühl, Die Quellen Plutarchs im Leben des Cimon, Marburg 1867 p. 9.

45, 1—3 — Plutarch. Lysander VIII. IX. Cf. Fricke l. c. p. 92 sq. Xenophon h. gr. II 1, 28, Diod. XIII 106, Iustin. V 6, 10.

47, 2 } — Xenophon h. gr. I 3, 14. Diodor. XIII 67.
40, 2 } — Plutarch. Alcib. 31. Cf. Fricke l. c. p. 75. Büchsenschütz l. c. p. 228 sq.

48, 2 — Diodor. XIII 77.

48, 3 — „ XII 81, 4. 5. 6; 82, 2; 83, 1; 86, 6.

Liber alter et tertius pauca tantum exempla praebent quibus de Ephoro aliquid statui potest; omnino plurima strategemata apud unum Polyaenum occurrunt, ita ut quo recedant uix quisquam expediat. Quae in nostram sententiam quadrare uidentur haec fere sunt:

1) I 30, 6 cfr. Th. Bergk: Mus. Rhen. XXXVI p. 107.

II 1, 1 — Xenophon h. gr. IV 6, 13. — Plutarch. Agesil. 22.
1, 2 — Diodor. XV 32.
1, 3 — Diodor. XIV 83, Plutarch. Agesil. 17.
1, 4 / 1, 7 — Plutarch. Agesil. 26.
1, 9 — Xenophon h. gr. III 4, 12. Plutarch. Agesil. 9. 10.
1, 22 — Diodor. XV 93 — Plutarch. Agesil. 39.
14, 2 — Ephorus apud Strabonem C 279 (Müller l. c. I p. 247 fr. 53) unde etiam antecedens strategema (cf. Xenophon h. gr. III 3, 4) profectum esse uidetur.
21 — Diodor. XIV 38.
38, 2 — „ XVI 35. Ephorus fr. 153. 154. Certe II 38, 1 eodem recedit.
III 3 — Diodor XI 84.

Haec fere habemus quae afferamus de Ephoro, strategematum Polyaeneorum auctore. Iam de paucis agamus exemplis quibus Theopompi uestigia possunt cognosci, quorum imprimis ea enumeranda esse uidentur quae contra Diodorum cum Cornelio Nepote consentiunt, Polyaen. III 9, 15, Corn. Nep. Iphicrates III 3 de quo iam supra uerba fecimus; Polyaen. I 30, 6 Corn. Nep. Themist. II 2. Agit enim Polyaenus de Themistocle classis Atheniensium auctore ante bellum contra Aeginetas ortum. Plutarchus in uita Themistoclis cap. IV eandem rem commemorat, omisit autem locupletissimo cuique ciuium talentum datum esse ut nauem exstrueret. Offendit sane quod Plutarchus huius rei mentionem non facit, attamen cum quae sub finem strategematis adiciuntur, apud Plutarchum quoque legantur, uterque ad eundem scriptorem, h. e. Theopompum recedere uidetur. Ephorum enim hoc loco Plutarchus secutus esse non potest quod Diodorus, ut Albrachtii[1]) uerbis utamur, qui in libro XI meram Ephori narrationem nobis seruauit, hoc loco (cap. 1—15) uti debebat classis aedificatae mentionem non fecit sed postea demum (XI 43) Ephorum secutus aliter hanc rem descripsit et quod Plutarchus cap. XIX iterum de Themistoclis rei publicae gerendae uia ac ratione fusius disputat, ita uero ut utroque loco eum ex Ephoro hausisse cogitari nequeat. Eandem sententiam tutatur Holzapfel., l. c. p. 81 eo usus argumento quod Iustinus II 12, 12 Ephorum secutus CC naues extructas esse dicit et Cornelius Nepos, Themist. II 2 sicut Polyaenus C naues factas esse refert. Quae cum ita sint cum Holzapfelio facimus et

1) De Themistoclis Plutarchei fontibus, Gottingae 1875.

Theopompum strategematis de quo agitur, auctorem esse arbitramur. Inter ipsa denique Theopompi fragmenta quadragesimum primum consentit cum Polyaen. VII 42 nisi quod apud illum commemorantur Ariaei, apud Polyaenum autem Autariatae. Sed cum Ariaei nusquam inueniantur Casaubonus et Schweighaeuser (cf. Mueller, l. c. III p. 284) legendum censuerunt Ἀρδιαῖοι Strabonis locis adducti C 315 Ἰλλυριῶν δὲ Αὐταριᾶται καὶ Ἀρδιαῖοι καὶ Δαρδανίοι et 329 πρὸς νότον δὲ τοῖς Αὐταριάταις καὶ Δαρδανίοις καὶ Ἀρδιαίοις ὁμορεῖ. Fieri igitur potuit ut quidam uel ipse Polyaenus, cui minus noti erant Ardiaei, Autariatis alteri Illyriorum genti, strategema attribueret.

Qualis denique intercedat ratio inter Polyaenum et Nicolaum Damascenum, utrum ipsum inspexerit Polyaenus an aliorum excerpta adhibuerit pro certo diiudicare non possumus. Duo tantum strategemata VII 45, 2 de Persarum mulieribus et VIII 32 de Porcia apud Nicolaum similiter narrata occurrunt (Mueller, fr. h. gr. III fr. 66 et 90), unde conici licet complura alia strategemata ex Nicolai communi historia profecta esse, certa uero argumenta quibus nitamur, non existunt.

Eadem re quominus aliquid statuamus de iis strategematis quae recedere uidentur ad Dinonem, Hieronymum Cardianum, alios quos attulit Woelfflinus in editionis praefatione p. XII sq impedimur neque donec noua indicia proferantur de multorum strategematum origine quidquam iudicari posse uidetur nisi non liquere.

DE CICERONIS EPISTOLIS AD FAMILIARES EMENDANDIS

SCRIPSIT

OSCARIVS STREICHER

Prooemium.

§ 1. In M. Tullii Ciceronis epistolis, quae ad Familiares feruntur, recensendis qua sit utendum uia ac ratione, et cui codici manuscripto summa fides habenda, postquam magna fuit per multum temporis omnium uirorum doctorum dissensio, cum aut suum quisque librum praedicaret uetustissimum atque integerrimum aut magis indulgeret ingenio arbitrioque suo, quam pareret codicum auctoritati, Io. Casp. Orellius primus quidem nouis codicibus adhibitis comparatisque[1]) atque re diligentissime et accuratissime perquisita, quam antea iam Petrus Victorius, 'princeps ille', ut Io. Georgii Graevii utar uerbis, 'ingeniorum sui temporis' secutus erat sententiam, in eandem iterum degressus praecepit praeter unam palimpsesti Taurinensis paginam[2]) unicam esse auctoritatem Cd. Medicei Saec. XI, Plut. XLIX, Cd. IX, quippe cum omnes, qui ubique essent, post Petrarchae demum tempora ex uno illo fluxissent aut ex ipso descripti, aut ex aliis eiusdem apographis ducti.

Aduersabatur autem Orellius illa professus imprimis Eduardo Wunder, qui paucis ante annis cum codicem Hittorpianum sextumque Palatinum tum Erfurtensem XIV saeculo conscriptum[3]), etsi multum cederent praestantissimo illi bibliothecae Laurentianae exemplari, tamen ex illo descriptos esse negauerat. Quod etsi certissimis argumentis comprobari non posset, tamen una re fieri sane quam probabile. Esse enim in illis codicibus libri XV epistolam

1) Conf. 'Historia critica epistolarum Ciceronis ad Familiares' pag. XVI. — 2) Anticam interea paginam Paulus Krueger expediuit et una cum aduersa publici iuris fecit: Hermae uol. V pag. 147—149. 1871. — 3) Variae lectiones librorum aliquot M. Tullii Ciceronis ex codice Erfurtensi enotatae ab Eduardo Wundero. Lipsiae 1827. pag. XCIV—CX et 125—137. Codex, ut ex singulis libris mss. congestus ac quasi collecticius permulta Ciceronis scripta continet (uide pag. X et XV), non omnibus partibus eadem fide est. Epistolae insunt libri XII 29 (ex parte), 21; l. XIII, 78, 79; l. XIV omnes, item ll. XV et XVI ordine item perturbato ut in Mediceo: cf. Baiteri Adnot. crit. pag. LX et LXIII.

alteram quattuor uerbis auctam, quae cum non modo speciem interpolationis recusarent, uerum etiam necessaria uiderentur, haud dubie genuina haberi oporteret.[1]) Codices autem, a quibus quae in ceteris desiderarentur essent conseruata, ex iis nulla ratione deriuatos esse posse. Atque quamquam Orellius haec uerba ut minime apta glossematis loco ducenda esse neque ullam habere demonstrandi uim explicatius docere studuit[2]), equidem tamen prospere ei cessisse, ut Wunderi argumentationem refelleret, concedere nolim. Neque huius uiri de codice Erfurtensi sententiae mihi quoque ualde probatae obest, quod hunc librum — nunc Berolinensem ms. lat. fol. n. 252 — non saeculo XIV, ut Wunderus erat opinatus, sed undecimo exeunti aut certe ineunti duodecimo Gustauus Meynckius[3]) assignandum censuit.

Iam Theodorus Oehler in epistola anno 1839 scripta codicem Harleianum 2682 — libros ad fam. IX—XVI complectentem iisque ipsis uerbis a Mediceo alienis exornatum, quibus Erfurtensis — itemque alterum Harleianum 2773 — libros priores continentem — ductos ex Mediceo eiusue aliquo apographo cum negaret, propria esse auctoritate Orellio persuadere conatus est.[4])

At tamen quicumque inde ab Orellio usque ad nostram aetatem Ciceronianis ad Familiares epistolis omnibus siue edendis siue emendandis operam nauarunt, et Baiterus, qui postquam illum in altera editione curanda adiuuit, ipse propriam instituit, et Wesenbergius, cuius cum editione tum emendationum duabus particulis permulta ad illos libros restituendos ingeniose sunt prolata, et Reinholdus Klotz, a quo bis epistolae recognitae sunt: omnes ab Orellii partibus steterunt.

Denuo autem illud de codicum auctoritate iudicium tentauit atque ita prostrauit, ut plane corrueret Carolus Thurot, qui codicem quendam Turonensem in lucem protractum ex Mediceo emanasse firmissimis argumentis refutauit.[5]) Cui uiro adeo nemo adhuc oblocutus est, ut eum et Iwanus Mueller[6]) id, quod uoluisset, satis luculenter demonstrasse iudicaret, et Henricus Weil[7]) illum libellum cum laude commemoraret uiros doctos ad legendum inuitans inci-

1) L. c. pag. XCV. — 2) Hist. crit. pag. XXV et XXVI. — 3) Quinti Ciceronis reliquiae. Recogn. Fr. Buecheler. pag. 11. — 4) Praefatio Baiteri pag. V. — 5) Cicéron, Epistolae ad Familiares. Notice sur un manuscrit du XIIe siècle par Charles Thurot, membre de l'Institut, directeur de la Conférence de philologie à l'Ecole pratique de philologie et d'histoire. Paris 1874. — 6) Bursian, Jahresber. III pag. 704. — 7) Fleckeis. Jahrb. CIX pag. 754—755.

tansque. Accessit ut eodem fere tempore Franciscus Ruehl et codicem Harleianum 2682 — redintegrata quodammodo Wunderi et Oehleri sententia — à Mediceo esse secernendum censeret atque permultis locis allatis comprobaret et alterum cum codice Turonensi fortasse una ex familia oriundum suspicaretur.[1]) Ac ne ei quidem qui aduersaretur exstitit. Immo uero Georgius Andresen, qui in delectus epistolarum Ciceronianarum ab Hofmanno instituti altero tomo recensendo praeter codicem Mediceum et Turonensem et Harleianum priorem adhibuit, et Iwano Muellero[2]) et anonymo cuidam[3]) et hac quidem in re I. H. Schmalzio[4]) probatus est.

Quae cum ita essent, num recte Franciscus Ruehl coniecerit de codicum Turonensis et Harleiani alterius affinitate, res haud indigna mihi uisa est, in quam diligentius inquirerem. Atque cum a uiro illo doctissimo petiuissem, ut singula quaedam de hoc libro mecum communicaret, ille liberalitate et facilitate summa id, quod cupieram, tanto superauit, ut non Harleiani II solum integram collationem subtilissime confectam mihi committeret, sed alius etiam codicis ex bibliotheca Parisina sumpti[5]) scripturas suppeditaret.

Quibus instructus subsidiis, quae tota quaestione diligenter pertractata mihi indagasse uisus sum, nunc explicare conabor.

De codice Turonensi.

§ 2. Codex Turonensis auctore L. Delislio saeculo aut XII — id quod uerisimilius est — exeunte, aut ineunte XIII in monasterio Francogalliae septentrionalis exaratus complectitur cum pauca quaedam Ciceronis opera philosophica, tum epistolas ad Familiares inde ab libro I usque ad VII 32, 1 uerba '*me conferri*' omissis tamen omnibus, quae intercedunt inter II 16, 4 uerba '*quae non omnibus*' et IV 3, 4 '*(co)lat et obseruet*'.

Correctionibus paene caret, nisi quod ipse librarius ab exemplaris contextu se delapsum ubi animaduerterat, litteris falsis expunctis ueras superscribebat. Sed id quoque perraro factum est. Ab alia manu neque coniecturae neque adnotationis quidquam inter uersus aut in margine adspersum est.[6])

1) Rhein. Mus. 1875. XXX, pag. 26—32: 'Zur Handschriftenkunde von Ciceros Briefen'. — 2) Bursian, Jahresber. XIV, pag. 235 sq. — 3) Lit. Centralbl. 1878. n. 42, pag. 1381—82. — 4) Fleckeis. Jahrb. CXXII, pag. 45 sq. — 5) Quo usus iam est Hofmannus ex Mommseni collatione. — 6) De duabus epistolis de ceterisque rebus ad hunc codicem spectantibus qui plura cognoscere uelit, adeat Thuroti libellum.

§ 3. Contextus etiamsi codicis Medicei ut multo uetustioris[1]) praestantiam non modo non superet sed ne adaequet quidem, tamen nec paucis locis uitiosis ita abhorret a Mediceo[2]) et permultis in illo minus magisue inquinatis eam prae se fert integritatem, ut ex Mediceo eiusque apographo nulla ratione descriptus esse possit.

Colligitur autem ex errorum haud exiguo numero, quorum uterque liber particeps est, duos codices — licet alii interpositi sint — ad unum archetypum esse referendos.

At putarit quis interpolatoris alicuius diligentiae deberi quidquid boni codex ille exhibeat. Multi autem loci, quibus praestat Mediceo, uix quemquam excitabant ad coniecturam periclitandam aut coniecturae tanta egebant non modo diligentia sed etiam prudentia scientiaque, quantam illius aetatis homines ad libros describendos non conferebant. Ac ne prius quidem exemplar medium inter archetypum communem ipsumque Turonensem a uiro docto ipsius ex arbitrio emendatum fuisse uel inde elucet, quod inter errores ex archetypo etiam a Turonensi retentos permulti sunt, quos quicunque tiro tantum elementa linguae Latinae attigisset, si uoluisset, certe minima usus diligentia correcturus fuerit. Ad eandem quaestionem pertinere uidetur, quod per totum uolumen uno

1) Dissentiunt de Medicei aetate ualde uiri docti. Atque eum A. Zacharia in excursibus suis litterariis per Italiam (I, pag. 219) octaui saeculi esse censuit, Iaffeius et Ruehlius tribuerunt nono, Mendelssohnus decimo, Bandinius denique Orellio, Baitero, Hofmanno probantibus usque ad undecimum saeculum processerunt. Haec rettuli ex Fleckeis. annal. 1880 uol. CXXI, pag. 864 et Mus. Rhen. uol. XXXVI, pag. 25. — 2) Quod Thurotus (pag. 4) ex erroribus propriis argumentum, quo codicem alium ex alio pendere aut demonstretur aut refutetur, peti posse negat, de plerisque ille quidem rectissime iudicat nec tamen de omnibus. Vnum mihi liceat exemplum afferre, ex quo nisi mirabilissimo quodam casu factum statuamus, certissime efficitur codicem Turonensem non ex Mediceo sed ex communi cum illo archetypo fluxisse atque ita ut neque hic ex ipso archetypo communi evaderet neque Turonensis. Locus est I 9, 18 ubi Mediceus exhibet: '*(aucto)remque or(tatum)*'; Turonensis: *(opta)rem te hor(tatum)*, de quo quia infra agam, nunc satis est dicere genuinam esse scripturam: '*(aucto)rem sequor (tantum)*'. Ex qua quomodo utriusque codicis scriptura mutila — meo quidem iudicio — nata sit hoc quasi stemma illustret:

Codex archetypus communis: — *remqor* — (supra: *se*)

— *remqor* — | — *rem se or* —

codex Mediceus: — *rem que or* — | codex Turonensis: — *rem te hor* —

tantum aut summum duobus locis glossemata in textum recepta deprehenduntur.[1])

§ 4. At Orellius, qui quibus de causis unicum putet Mediceum ceterorum codicum fontem, in historia critica exponit, priusquam uarietates ceterorum librorum ullas esse negat nisi uel errore uel consilio effectas, alia tria iudicia esse statuit, quibus suo quidem arbitrio quemque librum ex Mediceo effluxisse cognoscatur. Ac ne ea quidem, etsi Thurotus indigna putauit, in quae inquireret, ego

1) I 5a, 3 neque *nomen proprium* silitio; II 6, 3 in suffragiis *posita* studia, nisi *posita* ex uerbis antecentibus: 'mea *posita* esse' falso est repetitum.

Errauit, ut ego arbitror, Thurotus paucos locos coniecturis quamuis peruersis affectos esse suspicatus. Nam primum librarium linguae Latinae ignarum fuisse intellegimus ex locis plurimis ita corruptis ut omnis sententia expelleretur. Quarum paucissimos apponere liceat: I 7, 2 'unde illud' pro 'unum i.'; 7, 4 et 8 'parte' pro 'per te'; 8, 1 'communionum'. II 10, 3 'a gregibus' pro 'aggeribus'; 16, 1 'depulsisset'. IV 8, 2 'coniuncti omni' pro 'coniunctioni'; 14, 2 'etias res' pro 'etiam r.'. VI 6, 9 'nasci' pro 'irasci'; 11, 2 'graue aque re' pro 'grata est eaque te'.

Deinde autem librarius in describendo tanta uidetur fuisse religione, ut omnia ex fonte suo diligenter transferenda putaret nihil de sua sententia ausus conicere. Atque illud non modo ex scribendi genere formosissimo — Thurotum testor, neque enim ipse librum inspexi — colligendum existimo, sed etiam ipse perspexi ex anxia cura, qua ille uerba Graeca passim inserta, etsi ipsarum litterarum ignarus, tamen ex parte Latinis signis adhibitis depinxit, semel (VII 12, 2) etiam saniorem formam (πολιτευεσθαι) conseruans quam Mediceus (πολιτευεσαι). Hoc autem — nihil de sua coniectura librarium scripsisse — uel ea re doceri puto, quod saepius ille ubi aliquid omisit, aptum fere spatium uacuum reliquit. Atque sic omissa uidemus non modo nomina propria insolentiora ut I 9, 7 '*Vatinius me*'; II 10, 3 '*Pindenissum*'; IV 12, 2 '*Magium*'; V 11, 2 '*Cum Sura*' aut uocabula ab usu remotiora ut VII 10, 2 '*essedarios*', sed tritissimas etiam uoces, ad quarum uestigia detegenda et supplenda sententiarum conexus peritum librarium facillime potuit perducere; sic omittuntur: I 2, 1 '(commemor)*atione*'; 7, 1 '*dem*'; 9, 11 '*ullis*'; 9, 18 '*uidisset*'. II 6, 2 *ingenui*; 7, 2 '*incideris*' et '*ipsum*'. IV 4, 1 '*tu per io*(cum)'; 10, 2 '*uelim*'; 12, 1 '*uisum*'. V 2, 5 '*cur re*(conciliatam)'; 3, 2 '*et commone*(faceret)'; 9, 1 '*uincere*', '*non prosternat . . . muneris*' (duo uersus uacui uerbis erasis); 20, 7 '*deferendos*'. VI 4, 2 '(fe)*rendum*'; 6, 5 '(que)*relarum*'; 7, 1 '*cum mendum*'; 10, 5 '*quotidie*'; 19, 2 '*intimorum*'. VII, 1, 4 '*beatus*'; 8, 1 '*cognoui praeproperam*'; 14, 1 '*lautus es*'; 24, 1 '(qui)*d succenseat*'; 28, 2 '*licebat*'; '*nos dedimus*'; 29, 1 '*at ver lubentes*'.

Cuius rationis ego quidem aliam causam excogitare nequeo, nisi quod ille librarius uestigia archetypi cum explorare non posset, quid in litteris cognitu difficilibus lateret neque hallucinari uoluit neque potuit excogitare.

quidem alto silentio praetereunda iudico. Etenim quicunque codices manuscripti siue eandem ostendant epistolarum libri VIII confusionem Medicei conglutinatoris incuria ortam, siue eadem libri XI epistola priuati sint, siue easdem epistolas titulis omissis inter se coniungant atque Mediceus, eos omnes ex illo originem ducere Orellius contendit.

Quarum rerum in codicem Turonensem neque VIII librum neque XI continentem, cum prima[1]) quidem et altera[2]) non pertineant, de tertia tamen paucis uerbis opus est. Ac titulos cum nullos deesse uideamus nisi complurium epistolarum communes, non incuria fortuito esse neglectos sed certa ratione — scilicet quod tempori, spatio, labori librarius parcere uellet — omissos statim perspicimus. Atqui pauca inueniuntur huius rei exempla. Continuantur enim in libris a Turonensi asseruatis ab utroque codice I 1—8, IV 14—15 (Turonensis inscriptione non repetita finem epistolae 14 insignius notat uerbo '*vale*' addito); XII 22—30. Huc accedunt nullo omnino discrimine ab utroque codice in unum confusae I 5a—5b; V 10a—10b; VI 10a—10b praeterea a Mediceo solo (III 3—4); XIII 6a—6b, 28a—28b. Contra eisdem titulis inscriptae epistolae et a Mediceo et a Turonensi clare secernuntur II 1—5, 11—15; IV 7—9; V 19—20; VI 1—4, 5—6, 10—11, 13—14, 18—19; VII 1—4, 6—22, 23—27, 30—31; a Mediceo III 5—7 (quod eo plus habet miri, quia eiusdem nominis epistolae 3—4 continuantur); IV 1—4; VIII 1—17; IX 1—8, 9—14, 15—26; X 1—20, 22—30; XIII 18—28, 30—39.

1) Vt ex Politiani epistola (Orellii hist. crit. pag. XIV) compertum habemus, ordo perturbatus est paginarum quamuis numeris recte significatarum libri VIII decuria falsum in locum transposita. Ac qui codices eodem uitio deformati sint, eos Orellius suo iure concludere mihi uidetur ex Mediceo esse deriuatos. Quod in eos etiam pertinere, qui hunc librum aut alio ac Mediceus loco exhibeant, aut plane omittant, assentiri nequeo. — 2) Indices et codici Mediceo et Dresdensi I praemissi post libri XI epistolam 13 aliam D. Bruti collocant uerbis: '*Parmenses miserrimos*' incipientem. Sed illa epistola aut in priore exemplari perisse potest aut nunquam omnino missa est illaque uerba errore nescio quo in Medicei indicem (et inde in Dresdensem) uenerunt. Etsi enim X 33 Cicero a Pollione certior factus de Parma ab Antonii militibus direpta Antonium eius rei uehementer accusat (Phil. XIV 3), ut Parmenses miserrimos merito dicere posset, tamen cum neque ipsorum neque eorum calamitatis in ulla aut Ciceronis aut Bruti mutua epistola mentio fiat, quaeri potest, num re uera Brutus epistolam scripserit uerbis maximam animi perturbationem misericordiamque indicantibus, cui Cicero ne uno quidem uerbo uel commiserationis uel consolationis responderet.

Vides igitur quam raro — etiam in Mediceo — haec ratio obuia sit, quam si huius ipse demum librarius excogitasset ac de suo arbitrio instituisset, futurum fuisse ut, si non ad omnes locos at certe ad plerosque adhiberetur putaueris. Sed titulos ab initio singulis epistolis etsi ad eundem missis praepositos fuisse cum appareat, postea a quopiam semel tantum toti seriei praefixos paulatim a diligentioribus librariis, ne in unum confluerent epistolae ueritis iterum ibi adiectos esse conicere in promptu est, ubi aliae discriminis notae aut deperditae essent aut minus insignes uiderentur. Sed, utut id est, id quidem constat huius rei primordia facta esse multo ante codicis Medicei tempora, qui ipse fortasse in hac re archetypi simillimus est. Quare etiamsi plane Turonensis cum illo consentiret, inde argumentum peti non posset, quo ex illo pendere demonstraretur.

Quam uero consensionem haud magnam esse nunc uidebimus. Codices enim cum epistolarum libri I 2—8 titulos uterque omittat, tamen diuersa in singulis discernendis ratione utuntur. Nam cum librarius Medicei epistolarum 2, 4, 5, 6, 7, 8 initia rubro colore accurate notauerit atque omnino distinctionem non omiserit nisi epistolae 3, Turonensis paragraphi (§) q. d. signa praefixit epistolis 4 (§ II), 5 (§ III), 6 (§ V), littera capitali notauit epistolam 7, octauam spatio interposito a septima seiunxit.

Et auget etiam alia res codicum differentiam. Desideratur enim signum §. IV atque utrum ab initio praeteritum sit an a librariis suo loco postea neglectum quaeritur.[1]) Illi autem rei explicandae rationi duae obsunt causae, altera quod § III signum minore spatio antecedit — ante epistolam 5 —, quam ut librarius usque ad quem numerum processisset in sexta ineunte iam oblitus esse potuerit; altera quod qui epistolas hoc modo disponere atque enumerare ipse sua ex deliberatione constituisset, eundem in eum errorem cecidisse, ut unum numerum quasi transiliret, prorsus non uidetur uerisimile. Ex quo efficitur primum illo epistolarum ordine iam exemplar codicis Turonensis usum esse, deinde, quoniam alio loco signum § IV fuisse non potest, eam epistolam, quam nos quintam numeramus, in illo archetypo communi recte diuisam fuisse.

Denique si addimus in Turonensi nonam quoque libri I epistolam esse dispertitam, cum uerbi '*Certiorem*' (§ 4) prima littera capitalis sit, nullam paene in hac re inter Mediceum et Turonensem

1) Neque enim numerorum signa ut dissimiliora inter se permutata statui licet; sic enim IIII scribit Turonensis VII 29, cf. Thur. pag. 45.

consensionem intercedere uidemus argumentumque illud ab Orellio prolatum, quam de codicis Turonensis auctoritate concepimus sententiam frangere non modo non posse, sed, si modo egeat confirmatione, etiam firmare.

De codice Parisino.

§ 5. Codex Parisinus Latinus 178^{12} (Fonds de Notre Dame 178) membranaceus binis columnis exaratus Ruehlio auctore tribuendus est saeculo XII exeunti, eidem igitur tempori ac Turonensis. Constat foliis 102, quorum in primo incipit 'Dialogus tullii ad ortensium. liber .1⁹. | Magnum ingenium lucii luculli' etc., 46^v. 'Explicit lib̄ III⁹ de n̊ dō4. Incip̄ Tullij de fato lib̄ unus. Quia pertinet ad mores' etc., quo finito fol. 51^r—91^v sequuntur quaternionibus separatim numeratis epistolae Ciceronis ad Familiares ab alia eiusdem aetatis manu conscriptae, deinde fol. 92^r a recentiore: 'Dares Phrygius', denique fol. 98^r—102 quattuor documenta q. d. a glutinatore adiunctae.

Epistolarum ad familiares continet libros I — VIII, cuius ep. 8, 6 abrumpitur post.uerba '*intercedendi impediendi moram*', folii 91^v altera columna ex parte, altera tota uacua. Tituli primum atramento additi postea rubro colore scripti sunt, epistolarumque initia litterae capitales in spatio relicto uariis coloribus depictae significant.

Correctiones per totum librum ab ipso librario non paucae, plures ab altera eiusdem aetatis manu adiectae sunt.

§ 6. Iam si codicem Parisinum cum Turonensi comparamus maxima cernitur in omnibus partibus omnibusque rebus similitudo. Quare quoniam in magna omnis generis argumentorum exemplorumque copia simpliciora omnia aut aliquot afferre non necesse habeo, insignia tantum ac speciosa subiciam. Sed ne postea, cum ad rem criticam accedamus, commemorata iam iterari opus sit, nunc erroribus solis uti placet.

Atque in utroque codice moleste sunt corrupta: VII 13, 2 'manum consenserunt' pro 'manum consertum'; 14, 2 'perhibentur' pro 'perlibenter'; V 8, 1 'eiusmodi consilio posset' pro 'e. m. quod silentio p.';

uerbis singulis pluribusue male repetitis genuina loco suo expulsa: I 7, 4 'uideatur te uideatur posse' pro 'u. t. perspicere p.'; 9, 6 'amore etiam et perpetuo quodam amore' pro 'a. e. e. p. q. iudicio'; IV 7, 3 'animi duceres illud pertinacis. Fateor . . . .

animi duceres illud pertinacis ratio' pro 'a. d. i. p. F . . . . a. indicatum. Sed habet ista ratio';

mirabiliore etiam consensu: I 9, 16 'non solum' pro 'non modo'; 9, 17 'mente' pro 'fronte', cuius erroris antecedens 'solum' fons fuisse uidetur; V 16, 1 'dolore' pro 'maerore'; 16, 3 'receperunt' pro 'susceperunt';

ordo uerborum non raro commutatus: IV 7, 1 'consilio adhuc'; 9, 1 'tuus libertus'; 9, 3 'minus diligere'; V 8, 5 'gratia auctoritate'; VI 22, 1 omnibus rebus'; VII 5, 1 'quidam mirificus'; 31, 1 'dare meas' pro 'meas dari' — VI 6, 8 'querelarum tuarum libro' pro 'l. q. t.'; IV 9, 2 'censemus communem magis' pro 'm. com. cens.'; II 9, 1 'et propter latrocinia et propter longinquitatem' pro 'e. p. long. e. p. latr.'; uerba inde ab I 9, 7 idque [id quod: T] non solum — § 19 'Par pro pari'[1]) transposita inter libri II 10, 2 uerba 'qui mons' — 'mihi cum Bibulo';

omissa uerba similibus insequentibus[2]): IV 7, 3 'uideo *induo'*; 12, 1 'quo *quo*'; VI 1, 5 'dicebam *diuinabam*;

IV 9, 4 sit *ne tutior non sit*'; V 17, 5 pendimus *semperque pendemus*'; VII 1, 3 'bestia *laniatur aut praeclara bestia*'; 2, 3 hunc *quam* . . *hunc*'; 10, 4 aut *consilio aut*'; — I 5a, 3 'neque siquid obtineri poterit, non contendemus *nec si quid* . . *uideamur*'; IV, 13, 7 optime *et quae* . . *optime*'; 9, 1 'litteris *eum* . . *litteris;*

idem accidit uerbis similiter uel incipientibus uel terminantibus: I 5a, 1 *mihi* nihil; IV 4, 4 '*Caesari* gratias'; VI 2, 1 '*absim* ab'; — IV 9, 3 'ut *etiamsi* — *necessitate* esse'; V 21, 2 'sensi quam *illum* . . *qua*uis'; VI 1, 1 'est *quin* . . *esse* miserrimum'; — I 2, 3 '*id* quod'; 9, 1 '*ipsum* grauissimum'; 9, 2 'tuis *maximis* beneficiis'; IV 14, 3 'meliores *res*'; VII 17, 2 'te *forte*'; 18, 2 'uerecundiam *tecum*' — IV 8, 2 'monuisse *uel censuisse*'; V 8, 2 'meis *consiliis monitis* studiis'; VI 12, 4 'fortem uirum *atque sapientem*'; — I 2, 2 'neque concedebant *neque ualde repugnabant* . . *ualebant*'; VII 5, 1 'impedire *profectionem* . . *tardare* uide';

desunt multa nulla omissionis causa perspicua: I 2, 4 'quid *agi* cum'; 8, 6 ita *per*suadeas'; 9, 2 'rescribam *tibi* ad'; IV 4, 3 'fecerat *autem* hoc'; VI 22, 1 'ipsi *consilium* deesset'; VII 3, 5 culpa *tantum* ualeret'; — I 9, 10 'quidem *ut mihi* stomachum'; V 2, 6 'oppugnatum uehementer' pro 'oppugnari primum . . .

1) Locus in Par. decurtatus est. Vid. pag. 109. — 2) Et omissa et addita *inclinatis* litteris describuntur.

tuum uehementer'; 8, 3 'uiolata *ea cum* fuerint'; V 10a, 2 'est? *faciam omnia* sedulo'; VI 10, 1 'quantique *me a te fieri* intellexerim'; VII 18, 3 cuim *maximam nanunculorum se* commosse';

male additum: I 8, 5 iu*di*cundum'.

uel ex antecedentibus praue repetita uel ex sequentibus sumpta[1]): 5a, 1 'summo *studio* dolore' ex prioris epistolae fine: 'summo **studio**' etc.; 7, 2 'fortasse*que* plerisque'; 9, 13 'pertimuerunt magis etiam *per*reprehendendi'; 9, 20 'fructum cepisse... tum *cepiss*(*e*)'; IV 9, 3 'esse cogantur . . . tu *esse* non'; ibid. 'nec eam **diligere**[2]) . . . nec eam *diligere*'; VI 10, 1 'me *tibi* patefeci' ex sequentibus 'me **tibi** et'; 18, 5 '**arbitror** *ubi* prius';

ex dittographia orta: I 9, 23 'pertimes**cas** *ea* scripsi'; V 7, 1 'sem**per** *pro* omnibus'; VI 16, 2 '**ut** *in* omnibus'[3]).

Sed satis sit exemplorum ad summam codicum consensionem illustrandam.

§ 7. Nunc est quaerendum utrum alter liber ab altero pendeat necne. Quod facile est diiudicatu, neque enim desunt loci, quibus alter alterius grauioribus uitiis caret. Atque exempla congesturus ita rem instituam, ut priore semper loco Parisini solius errores ponam, altero Turonensis. Incipiamus a simplicioribus.

Peruerse scribit Parisinus: I 2, 3 'iam pridie' pro 'i. pridem'; 7, 2 'maiorum' pro 'maiorem'; 7, 9 'sepasti (= separasti) pro 'sperasti'; 9, 16 'T. r. p. L.' pro 'tribuni plebis'; 9, 18 'nuari' (= nuerari) pro 'numerari'; 9, 21 'patior ita' pro 'p. ea'; 9, 22 'tempantiam'; II 15, 4 'aĩm' (= animum) pro 'annum'; V 7, 3 'ut m (= mihi) pro 'u. tibi'; 12, 2 'scribam' pro 'scribebam'; ibid. 'honeribus premere' pro 'oneribus premerere'; ibid. 'institurarum'; ibid. 'intereffe'; ibid. 'occupo' pro 'occupatio'; 12, 5 'epamōdas'; 16, 5 'commutabitur' pro 'communicabitur'; 19, 1 'forte' pro 'fore'; 20, 4 'mai⁹' (= maius) pro 'mauis'; VI 1, 5 'p(= per)mitendum' pro 'promittendum'; 6, 2 'quida' pro 'qui ad'; 14, 2 'perdidissem' pro 'pertulissem'[4]);

Turonensis, qui abundat eius generis erroribus: I 2, 3 'ad Pompeium' pro 'apud P.'; 4, 2 'sicce religionis' pro 'fictae r.'; 7, 2 'unde illud' pro 'unum illud'; 7, 3 'litterae uestrae' pro

1) Fontem erroris pinguibus litteris significaui. — 2) Cf. pag. 107. — 3) Addi potest eadem glossemata — si modo sunt — in cod. Par. reperiri atque in Tur. cf. pag. 103, adn. 1. — 4) Addi potest codicem Par. ceteris locis in epistolis discernendis cum Tur. congruentem I 9, 23 in uerbo '*Quod*' et VII 18, 4 in '*Epistolam*' littera grandi uti, quasi nouarum epistolarum initia sint.

'l. tuae'; ibid. 'illius epistola' pro 'illa e.'; 7, 5 'ad terram laudem' pro 'a. certam l.'; V 13, 5 sedere res' pro 'secundae r.'; 16, 4 'uidetur' pro 'uideri';

transponit Parisinus: V 12, 8 'uoce magna'; VI, 4, 1 'res est'; 4, 5 'beneuolentiam faciam'; VII, 1, 3 'plus quam paullo' pro 'paullo plus quam'; 12, 2 'erit illa'; 30, 1 'ante multo'.

Turonensis: I 8, 4 'totius rei'; V 13, 2 'sepius hoc'; 16, 2 'peruulgata consolatio';

desiderantur in Parisino: I 9, 20 'testa*ta*'; 9, 21 'dictum *est* cum'; 9, 26 'quibus rebus. *possis*'; IV 4, 2 'sit *et sibi* quisque ('sit sibi quisque': Tur.); 5, 5 'quid *est* quod'; 7, 3 '*esse* patiare'; VI 6, 4 *ni uererer* ne'; 6, 5 'praeterea prouiderim *praetereo*'; 9, 1 'solum *officiis*'; 12, 2 'ut *cum* ab'; 14, 3 'fortique *sis* et si'; VII 31, 2 '*gloriam* antiquam'; — I 9, 19 'haec *Illius formam . . . pari*'; II 16, 4 'fidelissime *atque amantissime*'; VI 8, 1 quod *eorum animos non offenderet* aut[1]);

in Turonensi: I 4, 3 'et senatus *et*'; 5a, 1 '*ex*orta'; 5b, 1 'senatu*que*'; 7, 5 'sit *posse* te'; ibid. '*interpositam* auctoritatem'; 8, 2 *illi* utilia'; 8, 6 'quae ad te pertineant *quae*'; 9, 1 'sanctissimum *nomen*'; 9, 5 '*haec* accidebant'; 9, 9 integrum *mihi*'; 9, 15 'poenas *a seditioso*' ('asseditioso': Par.); 9, 19 '*senatu* sententiis'; II 1, 2 potuisse *consequi*'; V 2, 6 rebus *perspexeram*'; VII 13, 1 'tua *gloria*'; 22 'furti *recte* agere'; 25, 1 'habuerimus *rideamus*'; — I 9, 7 'introisset *in urbem* dixisset'; 9, 11 'inimicum *unum . . . inimicum*'; II 7, 2 'rerum *contulisti . . . rerum*'; 16, 2 'Italiae *latebris . . . haec* nostra'; IV 5, 1/2 'minus *ea . . . minus*'; 5, 5 digna *tua persona*' ('digna persona': Par.); V 5, 3 'existimant. *ego . . . ad*ductus'; 16, 5 'si *tibi unum hoc* detrahi' (P^2); 20, 8 quibus *epistolae per* haec'; VI 12, 3 'tuae *lacrimaeque . . . tuae*'; VII 5, 1 'quae *ad me . . . quae* ad meos'; 27, 1 'dicis *sed . . . dicis*'.[2])

Apparet ex eodem archetypo — quem Z nominemus — et Turonensem et Parisinum esse ductum. Itaque iam quaeritur qua fide illi libri exemplaris sui archetypi scripturas conseruasse cognoscantur. Et testimonia codicum uel congruentium uel discrepantium supra enotata ne quem propter aequum fere utriusque

1) Cf. quae infra dicam. — 2) Eodem pertinent magnae lacunae II 16, 4 *hac orbis terrarum* — IV 3, 4 *appareat cum me co* et VII 32, 1 *me conferri* — ? quarum illam Parisinus non habet, hanc minorem.

generis numerum in falsam opinionem adducant, nunc id adiungere oportet congruentiam differentia multo esse et ampliorem et frequentiorem. Longe enim plerisque in erratis etsi lenissimis omnem tamen sententiam saepe ita exturbantibus, ut ad emendandum non iudicii subtilitate aut ingenii acie, sed exigua linguae Latinae scientia studioque corrigendi paruo opus sit, codex Turonensis Parisinum habet sibi affixum. Quin etiam in minimis rebus codices mirum quantum inter se conspirant. Vnum exemplum quin adscribam facere non possum. Siue enim I 1, 2 codicis Z scriptura minus erat clara, siue ipsa iam correcta, et in Turonensi et in Parisino exhibetur 'accepimus' in 'accipimus' immutatum.

§ 8. Ex hac maxima consensione parem in utroque apographo conficiendo positam esse curam ac diligentiam paremque emendandi aut immutandi uel inertiam uel pudorem collocatum facile intellegitur. Neque bene Thurotus fecit, qui Turonensem coniciendi inani conatu studioque uano non uno loco deformatum censeret.[1]) Ad hanc sententiam comprobandam quae affert exempla, multo facilius omnia ex errore quam ex peruersa emendatione nasci potuerunt. Nam II 2, 1 '*frequenter* que *sierunt*' ('*fr. sierunt*' Mediceus) que simpliciter est repetitum; II 12, 2 quod '*ambulat ungula*' scribitur pro '*ambulatiuncula*', neque '*i*' post '*t*' omissum, neque '*g*' pro '*c*' substitutum, neque falsa uerborum distractio coniecturam indicat, idemque cadit in III 3, 1 '*confluit*' pro '*consul fuit*', quem praesertim locum iam prioribus in libris esse corruptum ex Mediceo ('*cosi fuit*') pateat; de IV 12, 1 '*supra kalendas maias*' cf. infra scripta; quod denique V 9, 2 '*ante annos III*' est pro '*anagnostes*', eiusmodi error in uocis insolentia nihil habet miri neque adeo distat scriptura ab '*an̄ annos tres*'. — Ceterum nullus est ex his erroribus in Turonensi demum commissus, sed omnes, ut ex Parisino uidemus, ex codice Z translati. Nec non alios locos, qui suspecti Thuroto fuisse uidentur[2]), codicis Turonensis cum Parisino communes esse supra ostendimus simul errandi causam explicare conati. Duo ex iis relinquuntur alienis uerbis aucti IV 9, 3 '*nostra aetas non saepe*' et 12, 4 '*nostri et uarietatem*', quorum in altero '*non*' ex '*nostro*' male repetitum, in altero '*et*' ex '*uarietate*' prouenisse uidetur.

At alii pauci in uno Turonensi loci mirum in modum de-

1) Conf. l. c. pag. 26. — 2) Cf. l. c. pag. 25. Loci sunt hi: I 5a, 1 '*summo* studio *dolore*'; 7, 2 '*fortasse*que *plerisque*'; 9, 23 '*pertimescas* ea *scripsi*'; (II 6, 3 '*suffragiis* posita *studia*'); VI 10, 1 '*me* tibi *patefeci*', 18, 5 '*arbitror* ubi *prius*'. Vid. pag. 108.

prauati a Thuroto non prolati cuipiam suspicionem moueant. Legitur enim I 9, 12 '*qu(a)e mihi uidebatur contentionem*que *maximis*' pro '*q. m. u. c.* praesertim *m.*' et VI 1, 5 '*propterea*' pro '*praesertim*'. Verum illic '*quae*' ex superiore repetitum est uoce 'praesertim' exturbata; hic '*propterea*' neglegenter corruptum fortasse in errorem alliciente sequenti 'pro*mittendum*'. Quod autem 10, 4, 2 '*quod etiam*' exstat pro '*q. aliter*' et I 5a, 1 '*gratissimus igitur te*' pro '*g. erga t.*'[1]) me fontem erroris extricare non potuisse confitens tamen has etiam lectiones ex difficultatibus archetypi nescio quibus a librario cod. Par. felicius euitatis uel sollertius expeditis esse profectas existimo.

§ 9. In Parisino duos tantum locos repperi ad hanc quaestionem aliquo modo pertinentes. Est enim II 13, 2 '*mea ent*' pro '*m. uero*' et VII 25, 1 '*Vereor, ne in catomum* (pro '*catonium*') uel in *Catoninos*' uerbis '*uel in*' superuacuis. Sed haec quoque etsi primum interpolatoris prudentiam redolere uidentur, tamen errori librarii ad praecedentia aberrantis assignare non dubito, quod qui sexcentis locis ad corrigendum facilioribus artem suam expertus non esset, unum uel duos eosque integros tentasse non est putandus.

§ 10. Correctiones Parisino et ipsum librarium et alteram manum intulisse multas suo loco iam commemoraui. Atque ille quidquid aut expunxit aut restituit aut suppleuit ita omnibus fere locis[2]) fecit, ut plana cum Turonensi efficiatur consensio. Is igitur omnia ex codice archetypo hausisse, cum quo quam maxime suum exemplar adaequaret, neque ex suo arbitrio quidquam assumpsisse censendus est.

Idem uero cadit in eum qui postea eximia cum diligentia saepissime minimos quosque errores remouit, omissaque multa aut in margine adiecit aut inter uersus adscripsit.

§ 11. Quod si quae usque adhuc explanasse et certis firmisque rationibus comprobasse mihi uideor, paucis uerbis comprehendo, codices Turonensem et Parisinum ex uno archetypo descriptos esse statuo utrumque satis magna diligentia exaratum, nullo emendatum arbitrio, nullo fere glossemate deformatum.[3])

1) Nisi forte quis '*erga*' pro '*ergo*' acceptum in '*igitur*' commutauit quin ipse uellet. — 2) Exceptis paucissimis, ut I 9, 16 ('*ob id ipsum*') '*id*', IV 4, 2 '*quod tu*' supra uersum addidit in Turonensi omissa, VI 14, 1 'petitur' (quod est in Tur.) recte permutat in 'patitur'. — 3) Nam ne quid suppressisse uidear in Parisino quoque glossematis illapsi uestigium inueni qui I 8, 3 post uerba '*re p. capessenda*' insertum habet: '*pm̃enda*' postea deletum.

pro 'commenda'; 30, 1 'nec tu' pro 'nae tu'; VIII 1, 1 'nr̄i' HP[1]) pro 'nosti'; 'nec si quid uis' ('ius': H)' pro 'nescio cuius' ('quoins': M); 1, 2 'quod isti' (P: ex corr.) pro 'quod ipsi'; 4, 3 'dilatiores' pro 'dilationes'; 'agitas' H, 'faligas': P pro 'flagitare'; 8, 1 'sit' pro 'scito';

iam grauior est consensio locis his: I 7, 1 'minus' pro 'rarius'; 9, 16 'recipere curasset' ('recipere licuisset': H) pro 'reciperauisset'; II 6, 3 'debere inquirere' pro 'debere quaerere'; III 7, 5 'aut': HP.[2]) pro 'homo'; IV 4, 1 'adeo': H, 'adō': P. pro 'admodum'; 5, 6 'adipisci' pro 'apisci'[3]); V 10a, 1 'ea peragite' pro 'apage te'; 12, 3 'demonstramus' pro 'demonstras' (-ans: M)'; 12, 8 'multi etiam' (ex superioribus repetitum) pro 'multi denique'; 16, 4 'aut assiduarum' pro 'aut si tu- (du-: M) -arum'; 20, 2 'ita me': H, 'ita': PT pro 'tamen'; VII 24, 2 'sacerdos' pro 'Sardos'; VIII 6, 4, 'putauit': HP pro 'potuit';

in Harleiano nec minus in illis libris mss. uerba eadem singulis pluribusue litteris[4]) aut priuantur: I 1, 4 'ex*s*tinguit'; 'debeba*t*'; 2, 4 *scr*ipsi; 7, 6 'place*b*at'; 7, 7 nos*trae*'; 9, 1 'iuncti': HP, 'uicti': T pro 'diiuncti'; 9, 13 '*senatus* ('&') incredibilis'; II 4, 1 'ui intelligat cerne'; H, 'intelli-(e: PH)-gat cerne': Z pro 'intellego. iocerne' ('intelligat iocerne': M); 11, 1 'uel qui*a*'; 16 'uo*cu*las'; III 2, 2 'pot*u*eris' (HP); 7, 5 'tu *h*as'; IV 5, 1 '*per*scribere'; 7, 3 (uictori sese) 'uicto*r*e*s* se esse'; 9, 4 'uide*a*tur'; V 8, 3 re*i*p(ublicae); VI 3, 4 'du*m*e*ro'; 7, 3 'paene *re*fugiens'; 12, 2 '*B*albus'; 22, 1 'nec quid' (bis); 22, 2 'potuisse*s*; par*i*te; VII 1, 5 'lect*ic*ula'; 4 '*ex*specta'; 5, 1 '*ex*spectare'; 16, 1 '*s*at'; 21 ex *e*dicto; 26, 2 'i*u*stam'; VIII 4 'amicitia*m*': HP; 6, 5 'u*i*ariam';

aut augentur: I 5a, 4 'grauitate *se*positam'; 7, 1 'di*s*iuncti'; 7, 6 'qui *su*per'; 9, 2 'per*h*ennis'; 9, 3 cogno*ue*ram'; 9, 9 'me *pr*ecepisset'; II 6, 1 'inte*r*essent'; 11, 2 'cogno*ue*ro'; III 8, 9 'honoris': HP pro 'oneris'; 10, 7 'onera*ue*runt'; V 2, 3 'con*ten*tione'; 16, 4 a*b* diis; VI 7, 5 'uide*as*'; 8, 1 'cogno*ui*sti'; 8, 2 'subside*as*'; 9, 2 'cogno*ue*rim'; 20, 2 quo*d* ad; VII 3, 2 'locorum' pro 'loquor'; 6, 1 'patria*m* procul'; 18, 4 'con*di*tione'; 19 'uel am' pro 'Velia'; 'per*i*te'; 23, 4 '*a*ut non modo'; VIII 1, 4 'ad *e*os': HP; 5, 1 'animi*s*';

1) Turonensis explicit. — 2) Turonensis deficit usque ad IV 3, 4. — 3) Quod a Sulpicio scriptum esse contendit I. H. Schmalzius in commentatione sua optima: 'Über den Sprachgebrauch der nicht ciceronianischen Briefe' (pag. 104) quae est in Zeitschrift für das Gymnasialwesen uol. XXXV, pag. 87 sq. — 4) Quas *inclinate* describi uolui.

singula pluraue uerba desiderantur: I 7, 8 'dignitatique *fauisti*'; 9, 4 'ad*scribis*'; 9, 9 'Caesaris *egisse*' ('egisset': M); '*cuius* causam'; 9, 11 'me*que* optime'; II 3, 2 'omnem *hanc*'; 4, 2 *sententiam* scriberem'; 6, 4 '*me* memorem'; 12, 2 '*in* ista'; 13, 2 'tu *es* testis'; 14 'cum *propter* summum'; 18, 2 'Aristoni *nostro*'; III 3, 1 '*enim* omnes': HP[1]); 8, 2 '*in* conuiuiis'; 10, 7 'perfidiosum *et insidiosum*'; 11, 4 'rempublicam Quam' pro 'remp. mirificamque'; 12, 4 'ante *diem*'; IV 10, 2 'sensum *nisi*'; 13, 2 '*nec* audio'; V 2, 2 '*hoc* in sermone'; 2, 4 'omnibus *rebus*'; 7, 3 '*et* nostrae'; 10a, 2 'Appii *os*'; 12, 3 ut *et* ornes'; 12, 4 'doloris *secura* recordatio'; 19, 1 'posset *tuum*'; 20, 2 'eosdem*que*'; 20, 6 'sed *si*quid'; 20, 8 'quod *iam*'; 'neque *tum* me'; VI 1, 6 urbe *ea* es'; 1, 7 '*ego* habebo'; 3, 2 '*vel* haec vel'; 4, 4 cursu *suo*'; 6, 1 'quas *tibi*'; 18, 2 'fratrē *eius* iussu'; 18, 3 '*de* tuo'; 20, 3 'timendum *sit*'; VII 1, 4 'eum *et* aetas'; 3, 1 'una *quin* etiam'; 'optimum *factu*'; 3, 3 '*iis* quae'; 4 'ante *te*'; 13, 1 'alia *ulla*'; 17, 1 'attulisses *sic*'; 28, 3 'ad prima *redeo*'; VIII 1, 1 'sunt *ibi*': HP[2]); 1, 4 'cum *manus*'; 2, 1 'ita*que* relictus'; 5, 1 '*tu* cura'; 8, 4 'nihil *est*'; — I 7, 3 'etiam *sua* .. *senatu*'; 7, 4 'restituatur *quem admodum* .. *reducatur*'; 9, 13 'excitar(e) p*otuissent* .. *sed* etiam' ('*etiam*' om: T); 9, 14 'restituendo *quam* .. *simul* cum *salute mea*'; III 1, 1 'res p(ublica) *tibi narrare posset* quomodo': HP[1]); 6, 2 'libentius *quam si illud* esset'; 6, 5 'essem ('sim': HP) *itaque uirum* fortem'; 8, 3 'laudandi *aut* .. *mihi* earum'; 8, 4 'non priuato *et pro re non priuata* .. *priuato* sed'; 8, 6 'semper *defenderim* .. *absens*'; IV 5, 4 'Aegina Me*garam uersus naui*garem'; 11, 1 'Res *quemadmodum* .. *gratulatio*'; VI 1, 2 'ab *altera* .. *ab* altera'; 4, 4 'ea' pro 'acta iam'; 10, 6 'habere *quam* .. *intellegere*'; VII 3, 6 'uerbosiorem *fortasse* .. *longiorem*'; 4 'igitur *ut ualeas* et'; VIII 3, 1 'otiosus sum *plane* .. *otiolum* meum' HP; 8, 4/5 'senatus *consultum* .. *S. C.* auctoritas'; 8, 5 'ii *non* .. *ferrent.* I. N.'.

singula uocabula superuacanea: I 2, 1 'frequenter *que*sierunt'; II 16, 7 'nos *tamen* nihil': HP; III 6, 5 'autem *per*-(*p*)fero'; V 15, 2 'et *per* maxime'[3]); VII 17, 1 '*ut* pace tua'; VII 31, 2 'multum *tibi* opus'; VIII 3, 3 'quod *in* nostra': HP;

1) Turonenis deficit usque ad IV 3, 4. — 2) Turonensis explicit VII 32, 1. — 3) Thurotus an esset archetypi scriptura in cod. T seruata dubitauit familiari sermoni concedendam ac quasi condonandam hanc formam arbitratus, quam tamen neque '*perpolitissimus*' (Cornif. IV 32, 44) neque '*peruolgatissimus*' (ibid. IV 8, 11) neque '*peruagatissimus*' (Cic. orat. 53, 147) tueri possunt (conf. Wölfflin, Latein. u. roman. Komparat., pag. 47 et Draeger, hist. Syntax I² pag. 43).

denique uerbis transpositis eisdem saepius laborat Harleianus atque Tur. et Par.: IV 1, 1 'tum (certe pro 'tuum') cum consilium': P; 'tum cum consilium tuum': H pro 'cum consilium tuum'; 2, 1 'litteras tuas' (ut Ernestius edidit); 3, 1 'ante prospexi tanquam ex aliqua specula' pro 'a. t. e. a. sp. prospexi'; 7, 2 'te eum'; 9, 3 'eorum per quos uicit arbitrio' ('arbitrio uicit': H) pro 'e. arbitrio p. q. u.'; V 20, 7 'ratio me' (ut Ernestius in editione); VI 3, 4 'ut te': H, 'ui te' TP pro 'te uti' ('te ut': M).

§ 14. Tantum igitur inter tres illos codices intercedere consensum ostendisse mihi uideor, quantus nisi inter eiusdem classis exemplaria esse nulla ratione potest. Iam enucleare conemur, qualis sit eorum affinitatis quasi gradus. Quorum cogitari possunt quattuor. Aut enim codex Harleianus pater quodammodo codicum Parisini et Turonensis est — quem supra Z nominauimus — aut frater eodem patre genitus aut alterius utrius filius aut frater codicis Z. At Turonensem et Parisinum ex Harleiano descriptos esse non posse cum ex multis uniuscuiusque generis rebus — uelut quod hic recto dat ordine I 9, 17 '*idque*' .. 19 '*pari*'[1]) — tum imprimis inde efficitur, quod permultos locos ille minus magisue decurtatos habet, qui in horum utroque intacti seruantur. Quorum paucos exscribam[2]): I 7, 6 'quid *causa*'[3]), 7, 8 'homine *omnium*'; '*me* meae' ('ne meae': TP); 7, 10 '*facile* perfectum'; 9, 4 'factum *me cum*'; 'quibus *rebus*'; 9, 7 'Pompeio *cum ut*'; 9, 19 'illa *dicet*'; II 3, 1 '*fortuna* data'; 7, 2 'non *dubito* quin'; 9, 1 'cum *praesenti tum* etiam'; 18, 1 '*cogitanti* placet'; 19, 2 '*essent* incerta'; III 5, 3 'noster *Corcyrae*' ('cor scire': P); 8, 2 'mihi *totum*'; 8, 3 '*reprehendi* potest'; 8, 4 'ad *me* uenissent'; 10, 10 'armis *denique*'; '*praeter* hanc'; 'carus *quamque*'; 'totum*que*'; 12, 2 '*Tulliaeque meae*'; IV 4, 3 'etiam *mehercule*' ('etiam [h]ercle': PT); 5, 2 '*fortuna*'; 5, 3 '*credo* doles'; 6, 1 '*diebus*'; 9, 3 '*ullus dulcior*'; adhibeatur etiam V 13 ubi lacuna lacunam subsequitur: 13, 2 'tuis *litteris*'; 13, 3 '*quod* tu'; '*hoc* etiam'; 'alterum *mirum*'; '*esse* fateare'; 13, 4 'minus *certe*'; 'quam *est*'; — I 9, 20 'exarsi *non*' .. II 1, 2 '*consecutus*'; II 16, 2 '*est* igitur *meum* .. *enim* non'; III 8, 2 '*Hoc* .. *intellegere*'; 8, 6 'culpa *est* .. *nonnulla* est'; IV 1, 1 'urbem *accessissem* .. *propius* accessissem'; 14, 2 esset *futura* .. *esset* futurus'; V 2, 10 'sed *fratri* .. *sed* ita'; 12, 6 '*optatius* .. *continentibus*'; VII 4 'sumus *vides* .. *simus*'; 26, 1 'alterum *morbum* .. *alterum*'.

1) Conf. pag. 107. — 2) Omissa *inclinatis* litteris descripta sunt. — 3) Omissum addidit man. 2, de qua uideas pag. 119.

Neque rarius uerborum ordinem, quo et illi codices et Mediceus utuntur, incuria hic disturbauit, quod quidem, cum exemplis docere ad rem probandam non iam opus uideatur, uno tamen uerbo commemorare uolui. Sed certe neque his locis uerba bene collocata neque illis sinceras lectiones libri Turonensis aut Parisinus praeberent, si ex codice Harleiano originem suam ducerent.

Hunc uero aut communiter cum illis ex codice Z deriuatum aut ex ipsorum altero utro exortum non esse nouis demonstrare argumentis exemplisue, quamuis suppeditent multa, supersedere tamen possumus, quod quae supra codicum Turonensis et Parisini aut communia aut utriusque propria uitia exscripsimus, ea omnia ab illo abesse cum dico satis uideor afferre argumenti.

Restat igitur quartum, ut codicum Turonensis et Parisini archetypum et codicem Harleianum ex uno eodemque fonte — Y — profluxisse statuamus.

§ 15. Quoniam de origine Harleiani rem absoluimus, nunc de libro ipso eiusque propria natura et auctoritate breuiter agamus. Qua in re quod supra diximus iam reuocare oportet librum uerbis et omissis et falso loco positis multis locis maximopere esse turpatum, ut librarium munere suo admodum neglegenter et indiligenter functum esse nostro iure colligamus. Atque ea est huius rei condicio, ut scriba, quanquam latine non prorsus nesciens tamen exemplaris sui non uerbum e uerbo imitatus, sed quae siue auribus parum diligenter dictantem secutus, siue socordius toto semper enuntiato percurso oculis arripuisset, sententiae rerumque conexus neglegens transcripsisse uideatur. Hoc enim modo expulsa et deprauata multa paucaque interdum uitiose addita esse — ut IV 2, 1 'quibus lectis *audiui* agnoui' pro 'cognoui'; — facile intellegas neque uerba auditu uel specie externa similia quamuis sensu repugnante saepissime permutata mireris. Scripsit enim ille, ut paucis exemplis rem illustrem I 7, 6 'naturam et re*li*gionem prouinciae'; 9, 13 'iecit . . casus apđ (pro 'caput') meum'; IV 9, 4 'magna gladi*at*orum est licentia'; V 5, 2 'confiteri' pro 'conferri'; 5, 3 'substantia' pro 'constantia'; 12, 3 'plenissime' pro 'suauissime'; 12, 8 ludorum inimicorum (rectius 'gimnicorum' manus altera); VI, 1, 7 'nau*ig*are aliquid et efficere'; VII 14, 1 'existimo' pro 'aestiuorum'.

Eadem incuria saepius pro gradu superlatiuo scriptus est positiuus ut VI 12, 2 'studiosum' pro 'studiosissimum'.

Emendandi studio ut quid aut mutaret aut omitteret aut adderet librarium adductum esse, cum certo testimonio nullo per-

spiciatur, ego quidem meo iure pernegare mihi uideor. Atque complures loci, qui primo adspectu coniecturae suspicionem cuipiam submoueant, si paullo diligentius inspexeris errore aliquo deformatos esse congnosces. Ac pauca iam afferre placet. I 9, 9 'sua *maxima* merita commemorauit'; ubi uocabulum '*maxima*' quod superest, compendiose scriptum facillime propter multas 'm' litteras deinceps sequentes subnasci potuit. Similes errores prae se ferunt loci item alienis uerbis[1]) aucti: I 4, 2 'sceleratissimo *tiranno* [sed del.] latrocinio' et VII 11, 2 'ego enim tui *cordis* desiderium spe tuorum commodorum consolabor' siue in uetustiore codice uerborum ordo etiam disturbatior erat, siue 'enim tui' supra uersum scriptum, ut '*ego*' et *de*siderium' iuxta se ponerentur, siue etiam 'cor' syllaba ex sequentibus 'com' uel 'con' prompta est. Quod uero VII 1, 3 legimus: 'Operam et consilium perdidisse' pro 'op. et oleum', ex hac scriptura forte quid argumenti capiatur, ut hoc quidem loco librarium scripsisse alio dictante non existimemus, cum *consilium* pro *oleum* uix audiri, '*cslium*' pro '*oleum*' facillime uideri posset. Complures etiam ex compendiorum ignorantia errores nati sunt ut I 2, 1 '*pridie* idibus' (pro 'idibus'), ex antecedenti 'proconsuli'. quod quidem ipsum uerbum cum toto titulo postea omissum est; IV 12, 3 extr. 'Obiit pridie Kal. Iun.' pro 'D(atum) p. K. I.'; VIII 4, 1 'a Gallis duobus principibus Dolabellam' pro 'a. Galliis d. Publium D.'; VII, 3, 4 librarius ad praecedens 'fueris' aberrans pro 'uacare culpa magnum est' scripsit 'u. c. fuit m.'; quod denique VI 12, 3 'doleant' scriptum est pro 'gaudeant', id quoque ex errore librarii — fortasse dictantem male accipientis — factum esse ut arbitrer, similes me mouent errores ut I 9, 18 'optarem': TPH pro 'auctorem'; VI 7, 4 'offerret': TPH pro 'auferret'; (I 7, 3 'auficii': M^1 pro 'officii'). In quo si errauerim, tamen non eam fuisse librarii emendandi facultatem, qua quisquam deciperetur, ex illis ipsis locis satis perspexeris. Idemque cadit in eius modi scripturas ut I 8, 4 'ob hanc causam' pro 'ob eam causam', II 16, 3 '(me) ex illis' pro 'me ex his', VI 1, 3 'Si enim bene sentire *uoluerim* recteque facere satis est (ad . . uiuendum)' — ubi unde hoc uerbum a sensu plane alienum irrepserit, obscurum est — quibus locis ego quidem causam rationemue mutandi uel inculcandi nullam excogitare potui.

§ 16. Reliquum est de correctionibus ut adiungam non nimia librarium ut in conscribendo libro sic in corrigendo cura

1) Quae *inclinate* scripta sunt.

ac diligentia usum esse ita, ut quos errores admisisset, non tam studiose exquisiuisse, sed correxisse tantum si quos casu in scribendo animaduertisset putandus sit.


Altera uero manus etsi saepius singula genuina addidit et tribus locis maiores lacunas recte suppleuit — II 16, 1 'qui ab . . iacentem'; VI 12, 4 'ostenderem . . salutis' (55 uocabula); V 10, 1 'Sed tamen omnia dura mi imperas' (quae falso ponit ante 'sed tamen eruam'); IV 3, 1 'etsi enim afui magnam partem'; — qua ratione quaque diligentia usa sit ut cognoscas, satis erit dicere ab ea ut III 9, 1 'plęnas' pro 'plenas', saepissime 'ętiam' pro 'etiam' similiterque permulta correcta esse. Nec non interdum de suo iudicio — qualecunque erat — aliquid mutare uel adicere illi haud displicuisse uel inde collegeris quod V 11, 3 ad uerba: 'Dalmatis [dii: om.] malefaciant' explicanda in margine uideris aspersa haec: 'Dalma est quaedam ciuitas'. Qui locus ne in ceteris quidem rebus maiorem illi fidem habendam esse rectissime uidetur monere.

§ 17. Iam Harleiano adhibito collatoque num in codice Z propriae uel interpolationes uel coniecturae deprehendantur si quaesieris, quo earum rerum uestigia aperta et manifesta conspiciantur ullum esse locum negare oportet. Etenim unus[1]) tantummodo in hanc suspicionem uocari queat, qui est IV 9, 3: 'nec locus tibi ullus dulcior esse debet *quam* patria', quod '*quam*' abest ab Harleiano (et a Mediceo). Sed cum nullo alio loco quidquam indicii inuestigari possit, quod emendandi studium prodat, qui in summa lenissimorum errorum multitudine nullo ad corrigendum nullaque per septem libros re ad simile quid addendum excitaretur, hunc unum locum praesertim planum explanare uoluisse haudquaquam censendus est. Quare dubito, quod ad ipsum locum attinet, hoc '*quam*' (scil. compendiose scriptum) utrum ex sequentis uocabuli littera prima profluxerit in codice Z an ob eandem litteram et in H et in M perierit.

Sed utut haec res se habet, id est tenendum neque codicem Z neque Harleianum, incuria licet librariorum permultis locis maximopere a uerbis communis archetypi recesserint, certum aut mutandi aut interpolandi consilium usquam prae se ferre.

1) Vix enim alicui suspiciosi esse possunt eius modi errores, qui pauci sunt, ut I 9, 14 '*de causa adiuncto*' pro '*ad causam a.*'; VI 10a, 1 '*sapientissime*' pro '*saepissime*'; 12, 3 '*epistole*': T, *eple*: P pro '*Eppuleiae*'; VII 4, 1 '*cuius manum*' pro '*Cumanum*'; 6, 1 '*quo consilio affectus*' pro '*q. c. profectus*'.

§ 18. Hoc igitur, si adsumpseris quae de Turonensis et Medicei affinitate exposuimus, codicum, de quibus nunc agimus[1]) stemma fingendum est:



Atque id iam perspicitur manuscriptos libros Parisinum et Harleianum maxime idoneos esse ad id iudicium, quod Thurotus de re critica instituenda ex Turonensi solo acceperat, omnibus partibus certius definiendum.

Quod priusquam singulis in locis tractandis saepenumero experiamur, iam nunc una re haud ita uili illustremus, in qua nouis istis libris adhibitis propius ad ueritatem perducamur. Etenim si cogitamus nec Turonensem nec Parisinum nec Harleianum latius quam usque ad librum VIII pertinere et Harleianum 2882 inde ab sequenti sine ullo — Rueblium ego testor — imminutionis uestigio initium facere itemque Erfurtensem eiusque asseclas nullas nisi huius partis epistolas praebere, si praeterea librarium Medicei, quin priores octo libros numeris titulisue notaret, indicibus et noni hoc: 'LIBER·I·'[2]) et ceterorum praeter decimi et decimi quarti aliquam inscriptionem quasi generalem ('AD M. BRVTVM' undecimi; 'AD C. CASSIVM' duodecimi. 'AD C. MEMMIVM' tertii decimi; 'AD SENATVM' quinti decimi; 'AD TVLLIVM TIRONEM' sexti decimi) praefixisse uidemus; uix dubitandi ullus locus relinquitur, quin singuli epistolarum libri antea a librariis in duo uolumina dispertita ab eo demum qui Mediceum scripsit in hoc unum corpus conciliati sint. Id quidem certissimum est in recensendo contextu ad normamque criticam reuocando discernendos esse libros I—VIII a IX—XVI.

1) Neque enim desperandum esse alios libros detectum iri, quibus plus etiam lucis ad hanc rem illustrandam admoneatur magisque codex ille Y nobis quasi recludatur, cognosces ex Georgii Voigt dissertatiuncula Mus. Rhen. uol. XXXVI, pag. 474 sq. diuulgata, quae inscribitur: 'Zur Geschichte der handschriftlichen Überlieferung der Briefe Ciceros in Frankreich'. — 2) Ludouicus Gurlitt in commentatione sua '*de M. Tulli Ciceronis epistolis earumque pristina collectione*' (pag. 23) eadem re nisus, ne quid de librorum (I—VIII, IX—XVI) ordine ex Mediceo statuas recte uidetur monere.

De aliis quibusdam codicibus.

Postquam de codicum classis Y et affinitate et auctoritate et fide disputauimus, archetypus ille ipse, quem littera Y signauimus, utrum ex librariorum arbitrio interpolatus sit necne, explicatius separata particula inquirere a proposita quaestione haud abhorrere uideatur. Sed quoniam, quicunque uarias lectiones et quas supra (pag. 113 sq.) adscripsi et quas in extrema huius dissertatiunculae parte allaturus sum, perlustrauerit et examinauerit, neque hunc neque Mediceum aut perpetuae aut omnino latius patentis emendationis certa ratione susceptae ulla uestigia praebere ipse perfacile cognoscet, ego hanc rem de singulis locis singulatim postea si opus esse uidebitur, diiudicabo.

Nunc quasi in appendice de aliis quibusdam epistolarum ad familiares codicibus breuiter agamus, qui num ad eandem classem spectent, quispiam ex me quaesiuerit.

§ 19. Atque primum quidem palimpsestum illum Taurinensem, cui praeter Mediceum unicam auctoritatem Orellius tribuerat, cuiusque tamen non satis rationis habitam esse Paulus Krueger existimauit, huius familiae uetustius exemplar esse conieceris. Cum quo fragmento, ubicunque a Medicei scripturis discrepat, illos libros si conferamus, nisi quod VI, 10, 1, ubi M exhibet: '*quanti me a te fieri intellexerim*', et palimpsestus et codex Z[1]) recte habent: '*quanti*que *me*' etc., nulla re conspirare uidebimus. Quod cum ita sit, si propria illi fragmento auctoritas concedatur uelis, tertium librorum manu scriptorum genus statuere cogeris.

At, ut iam Peyronus Orellio et Kruegero concedentibus uidit utque ipse primo quisque aspectu intelleget, non meri intactique in palimpsesto illo habemus epistolarum exemplaris reliquias sed fragmentum epitomes alicuius certa elaboratae ratione. Quam rationem etsi ex duabus paginis[2]), quae aetatem tulerunt, plane perspicere non licet, tamen eum qui excerpsit, ubicunque aliquid recideret, et sententiarum conexum considerate respexisse nec non uerborum structuram sollerter obseruasse, nemo non uidet. Velut ille VI, 10, 1/2 quae Cicero de suo in Trebianum salutem studio loquitur cum exscribere nollet, uerbis '*et Postumuleno . . putent*' eiectis coniunctioni q. d. '*itaque*' retentae quae infra sequuntur:

1) Fortasse olim etiam cod. Y, si ex suo errore H cum Mediceo consentit. — 2) Continent VI, 9, 1 '*hunc a puero* — § 2 *fieri intellego*'; ep. 10 '*cicero trebonio* — § 6 *ut* aliquid [quae uox abest a MHTP] *etiam polliceri*'.

'*si auctoritate*' etc. apte subiungit. Ac similiter 9, 2 uerbis: '*nihil . . tueri*' omissis a uerbo '*uides*', quod reseruat, quae insequuntur dependentia facit ['*reliquum esse*']. Si uero in epistola decima uerbis § 2 '*tibi et illa*' usque ad § 3 '*tam difficile*' — quibus epistolographus iterum de suo in amicum animo multum confirmat ac pollicetur — omnibus circumcisis uulneratum quasi locum sanare sensusque coniunctionem ita reficere studuit, ut scriberet: '*sed quoniam eodem tempore eademque de causa nostrum uterque cecidit* nihil erit saltem, *quod non pro te mihi susceptum* maximum semper ac *iucundum futurum sit*' et diligentia et deliberatione in opere suo conficiendo illum usum esse quis est qui neget?

Qui autem deliberatione et diligentia satis magna ad eiusmodi selectionem instituendam praeditus erat, eundem existimo ea etiam fuisse linguae latinae scientia, ut exemplaris sui, ex quo excerpsit, errores admodum lenes[1]) sua de sententia tolleret. Cui opinioni paucissima illa ac lenissima uitia, quae eius ipsius propria sunt[2]), haud obstant, ex quibus id tantum colligendum uidetur fragmentum quod ad nostram aetatem peruenit non principalis ipsius epitomes sed apographi eius particulam esse.

Itaque 9, 1 scripturam a codice T solo siue conseruatam siue felici errore redintegratam: '*ut* non ullo *cum homine*' ego cum Klotzio genuinam esse defendo, quippe ex qua facillimo admisso errore '*ut non* nullo *cum h.*' ortum sit, quod quomodo ex palimpsesti uerbis '*nullo ut*' usque adhuc ab editoribus probatis describi potuerit intellegere non possum. In § 2 iam uetustissimum nescio quem librarium — uoce '*sentires*'[3]) fortasse in errorem alliciente — '*habiturus* es' in '*h.* esses' corrupisse probabile est. Quo loco si palimpsestus '*sentias*' . . . '*habiturus es*' praebet, nullo dubio qui excerpsit uitio in '*h. esses*' animaduerso paullo imprudentius praecedens quoque uerbum ('*sentires*') corrigendum opinatus est similiter atque in § 5 propter praesentia q. u.: '*potest*', '*delabi . . . uidetur*', '*est*', '*potest*', '*fit*' etiam '*timebamus*' in '*timemus*' imminuendum putauit. Namque si '*sentias*' et '*timemus*' in antiquissimis codicibus exstitisset, ceterorum librorum

1) 9, 1 '*ut des*' pro '*uides*'; 10, 1 '*quanti*' pro '*quantique*'; 10, 5 '*diuturnam*' pro '*diuturne*'; '*lenius*' pro '*leuis*'. — 2) 9, 1 '*coniunctissimaein̄*' pro '*coniunctissime non*'; '*semper*' pro '*sic semper*'; § 2 '*cognouim*'; '*petaminisi*'; 10 in inscr. '*trebonio*' pro '*Trebiano*'; (§ 2 '*dignus*' pro '*dignissimus*'). — 3) quod ex '*cognorim*' dependens Wesenbergius recte restituit.

errores insolentiores nec facile explicatu essent. Itemque cur quis § 6 ad *'etiam polliceri'* addiderit *'aliquid'* bene intellegas, quod si in exemplari fuisset, quomodo librarius omissurus fuerit tuo iure mireris.

Quibus rebus perpensis et Baiterum qui ex palimpsesto illo 9, 1 *'amicitiae officiis'* inuerso uerborum ordine, § 2 *'sentias'* pro *'sentires'* contra ceteros libros scripserit, et Wesenbergium qui in uerbis: *'maximum semper ac'* latere quid ueri suspicatus sit[1]), equidem minus recte fecisse iudico. Neque Paulo Krueger assentior § 5 *'sed et'* pro *'sed'* pauloque infra *'et aliquando'* pro *'atque'* accipiendum arbitrato. Sed illo loco cum uerear res oppositae (*'in studio* minus': *'in usu* . . plus etiam') ut per *'et—et'* bene sibi respondeant, Orellium, quocum Baiterus et Wesenbergius fecerunt, *'et'* altero loco longe rectius exturbasse puto. Neque magis placet: *'reuiuiscat* et aliquando[2]) *recreetur'*, quasi respublica cum reuixerit, tum demum sit recreanda, haud apte dicatur.[3]).

Qua de causa palimpsesti Taurinensis lectionum priusquam sinceri libri reperiantur quibus comprobentur, nihil rationis ut habeatur meo iure postulare mihi uideor. Id unum, ut puto, ex illo efficitur codicem X ab illius quidem aetatis exemplaribus non multum degenerasse.

§ 20. Deinceps dicendum est de codice undesexaginta ex primis septem libris selectas epistolas continenti saeculo XV conscripto, quem Wrampelmeyerus cum in programmate Clausthaliensi anno 1881 publici iuris faceret, minime esse spernendum et grauioribus interpolationibus liberum posteriore tempore demonstratum iri pollicitus est. Quod quin ei minus prospere sit cessurum, ego quidem non dubito. Impudentius enim, quam ut quisquam decipiatur, contextum qui scripsit alienis uerbis adulterauit.

Atque id uel uno loco satis illustratur. Nam III 1, 1 ubi Parisinus Turonensi deficiente solus genuinam lectionem *'quod iuuet'* conseruauit (quam Mediceus in *'quo diuet'*, Harleianus in

1) Ceterum, si ab eo discedam quod *'maximum'* — ut non aeque commode ac *'iucundum'* illi *'difficile'* oppositum — haud ita bene in MY uerba conuenit, non improbabile est, quod post haec *'sed quoniam . . cecidit, nihil erit saltem'* oppositione sublata frigidior clausula et tenuior facta uideretur, librarium illud *'maximum semper ac'* addidisse ad uerba magis exaggeranda. — 2) Ex similibus locis quorum aliquot infra tractabo fortasse petitum, ut qui excerpsit nec homo inficetus et bene litteratus habendus uideatur. — 3) Cf. II 5, 2 *'ita sunt omnia debilitata et iam prope extincta'*.

'*quod uiget*' [*quod iuget*: Graeu.] inquinauit), codex Wrampelmeyeri longe discrepantia praebet. Haec enim ibi leguntur: '*Si ipsa respublica tibi*' — Appio Claudio Cicero scribit ab urbe absenti — '*narrare posset, quomodo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania; ita est homo non modo prudens, uerum etiam* uir aequus ('equus') et, quod uidi *curiosus*'. Quae uerba quamuis primo adspectu plana si paulo diligentius examinaueris, insipientis interpolatoris sese esse ipsa clamant. Inepte enim est '*quod* (non: 'quantum') *uidi*' ad '*uerum etiam curiosus*' appositum, quasi Cicero, qui suum certe de Phania aperire uellet iudicium, de eius prudentia et aequitate ab aliis edoctus, curiositatem ipse solam expertus sit. Abhorret a loci sensu '*aequus*'; Cicero enim quam ille praestans quamque certus esset rerum nuntius cum illustrare studeret, cur prudentiam laudarit, qua res quae gerebantur perspiceret, aut curiositatem, qua eas inuestigaret, optime certe intellegitur, sed quid quaeso ad nuntium aequitas? Libertus denique minus commode appellatur 'uir', nedum hoc nomen oppositione quadam — '*homo* . . *prudens*: *uir aequus*'[1]) — etiam distinguatur.

Contra in uerbis '*homo non modo prudens, uerum etiam,* quod iuet, *curiosus*' neque quidquam inest incommodi, et ut Victorius rectissime docuit '*quod* i. e. *quoad iuuet*' aptissime appositum, ne quis curiosum Phaniam in malam partem uocatum opinaretur.

Interpolatoris igitur uanam habemus atque inanem in illo libro hallucinationem omni uetustae traditionis auctoritate carentem.

Eius modi rebus exemplar illud cum abundet neque in uno exemplo acquiescere opus sit, plura subicere placet[2]): II 3, 1 'coramque contra istam rationem *tuam* dicam' pro '*meam*'[3]); 4, 2 'non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei *gratia*'; 6, 2 'sustinere tua in me uel innumerabilia *beneficia*'; 7, 2 uel

1) Vt II 14, 1 '*M. Fabio, uiro optimo et homine doctissimo*'; 18, 2 '*uiros optimos hominesque innocentissimos*'; V 17, 3 '*hortarer rogaremque, ut et hominem te et uirum esse meminisses*'; VI 4, 5 de Seruio Sulpicio: '*cum familiarissimi hominis, tum optimi et prudentissimi uiri*'; de Caecina patre VI 9, 5 '*claro homine et forti uiro*'; de C. Trebatio: VII 5, 3 '*probiorem hominem, meliorem uirum*'; XIII 53, 1 '*optimo uiro et homine gratissimo*'; 55, 2 '*gratissimum hominem atque optimum uirum*'; XV 9, 1 '*hominibus prudentissimis uirisque optimis*'; Att. VII 2, 4 '*de callido homine loqui non de bono uiro*'; 4, 1 '*quem quidem* (Dionysium) *cognoui* . . *frugi hominem ac,* ne libertinum laudare uidear, plane uirum bonum'. — 2) Spuria *inclinatis* typis scribere iussi. — 3) Conferas de eodem loco infra scripta.

spectatorem laudum tuarum . . uel minister consiliorum *tuorum*'; 10, 1 'Tu uide *quam timide ymmo* quam ad me litterae non perferantur'[1]); 10, 2 '**ad** Amanum exercitum *duxi*' pro '*adduxi*'; coll. 14 '**ad** nos *ferebatur*' pro '*afferebatur*'; 10, 4 'speres assequi *posse* quod optaras' pro 'sperares te a. id quod optasses'; 16, 3 'sermonem *tam pium*' pro '*T. Ampii*' ('*tampii*': M)'; '*Haec* nostra laus erit illustrior, quod' pro '*Hoc*'; III 5, 4 'quam celerrimis litteris potero faciam' pro 'quam celerrime (-mis: MY) potero et quam creberrimis litteris faciam'; 13, 1 'reliquisse' pro 'reliquum fecisse'; IV 5, 3 'florentes *aetate*'; V 8, 3 'suspic*at*ione *amicitia* uiolata'; 12, 5 'uarii casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, *notitiam*, molestiam, spem, timorem'; 12, 7 'spectatissimi uiri . . probati *uiri*'; 12, 8 'quod si *hoc* a te non impetro'; 17, 4 'facies si . . *duxeris*' pro '*duces*'; 17, 5 'amicitiae tuae conscientia' pro 'animi (amici: MY) tui conscientia'; 18, 2 '*tibi* coniunctissimos' pro '*tecum*'; 19, 2 *quod cum* rectum sit apparet' pro '*quid*'; VII 7, 1 'litteras quotie(n)s *mihi quinti fratris* afferuntur' pro 'a Quinto mihi fratre'; 14, 1 'te adueniente' pro 'te aduocato'; 19, 1 'doctorem tamen *lumen*que' pro '*unum*'.

Quas lectiones non ex bonis merisque fontibus fluxisse sed alicui epitomatoris deliberationi deberi iam manifestum est, manifestius etiam erit, qua licentia in contextu conformando adhibita fuerit, si paucos locos attulero, quibus uerba synonyma q. u. inter se permutantur: II 5, 2 'et perditos', V 19, 1 'et boni' pro 'ac'; uice uersa V 16, 4 'ac pestilentissimo'; II 10, 2 'quod' pro 'quia', 12, 1 'tametsi' pro 'etsi'; III 5, 1 'beneficiorum' pro 'officiorum'[2]); V 9, 2 'ego autem' pro 'ego tamen', 16, 4 'hoc autem' pro 'hoc tamen'; IV 9, 4 'uti' pro 'frui'; V 10, 3 'deprecationes' pro 'supplicationes', 'oro' pro 'rogo'; 12, 4 'timoris' pro 'doloris'; 12, 6 'memoriam' pro 'historiam'; 15, 2 'ceciderunt' pro 'occiderunt'; VII 6, 1 'prosequere' pro 'consequere'; ac similiter II 5, 1 'profertur' pro 'perfertur'; IV 7, 6 'cura et *labore*' pro 'dolore'; V 8, 3 'occiderunt' pro 'interciderunt'; 12, 2 'neque *enim*' pro '*tamen*'; etc. etc.

Denique quam saepe uerborum ordo inuersus sit, dici uix potest; atque ea est huius rei condicio, ex qua id ipsum, ut ubicunque sine graui sententiae detrimento fieri posset, a tradita uulgataque lectione recederet, ille librarius certo consilio egisse

1) Egi de eodem loco infra. — 2) Perperam, quod id ipsum '*officiorum*' uocabulum sensu flagitatur.

perspiciatur. Sed exemplorum copia paginas explere nolo, quia quid de illius libri fide sentiam iis quae supra attuli argumentis exemplisque satis superque comprobasse mihi uideor.

Ac si quis de origine me percontetur et, utri familiae codex W adscribendus sit, interroget, hanc rem ita fere se habere opinor.

Epitomen ipsam ex classis Y exemplari ductam duabus de causis coniecerim, quae etsi ipsae non grauissimae sunt, tamen uicissim se aliquantum quasi fulciunt. Primum enim is quoque codex priores tantum epistolarum libros complectitur, deinde, id quod grauius est, in libri I epistola 9 eodem loco (ante § 4) deficit — reliqua epistolae parte omissa —, ubi in codicibus familiae Y littera capitali nouae epistolae initium notatur. Quae quidem praeterea accedunt — consentit enim cum Y I 9, 2 in '*perhennis*' pro '*perennis*', III 2, 2 in '*poteris*' (priore loco) pro '*potueris*' — exigua certe sunt paruique momenti. Neque uero grauiora reperies, quibus eum ex Medicei aliquo apographo emanasse efficias. At unam rem forte quis mihi obiecerit. Nam cum IV 6, 1 pro Medicei manca lectione: 'lum' — sincera ('luctum') in Y conseruata — in Wrampelmeyeri codice substitutum legeris 'casum', sic librarium scripturum non fuisse, facile suspiceris, nisi ex Mediceo profectus mendum sua de coniectura tollere studuisset. Nec tamen minus in promptu est hanc differentiam in eis uerborum commutationibus ex arbitrio librarii factis ducere, quarum amantissimum eum fuisse locis supra exscriptis satis perspeximus.

Cum autem ceterarum lectionum, lacunarum, uitiorum, quae apographis codicis Y propria sunt, nihil in codice W inueniatur, uerisimillimum est iam eum qui excerpsit etsi non nimis doctum accuratumue, tamen emendandi et commutandi cupidissimum, non suam modo coniciendi artem expertum, sed in ipso describendo alterius classis exemplari comparandi causa usum esse. Nec non postea ex aliis libris uariae lectiones hic et illic occasione data adscriptae atque in eius apographi, quod aetatem tulit, contextum esse illatae uidentur. Conuenit enim inter eos locos, quos pag. 124—125 enotaui, II 3, 1 cum Palatino quarto[1]), a quo tamen aliis ocis V 8, 3; III 5, 4 ('*quam celerius*': Pall. I; W = Pall. II et III) dissentit, cum Medicei altera manu II 6, 2; 10, 1; cum tribus Palatinis aliisque V 12, 7; cum Graeuiano altero IV 5, 3; cum aliisque quibusdam a Graeuio nullo nomine signatis II 10, 4; 16, 3 ('*Haec*').

1) Has res ex Graeuianae editionis uel adnotationibus uariorum textui subiectis uel ex 'Variis lectionibus' in fine additis hausi.

Eodemque modo siue ipse qui epitomen confecit, siue qui postea legerunt, lacunas complures, quas iam in codice H fuisse ex librorum TPH et M consensu sequitur (ut III 5, 4 'inter*est ut te uideam ante*quam decedas'; aliisque locis) additamentis antiquissimis suppleuerunt.

Haec est mea de codicis Wrampelmeyeri origine sententia. Licet in hac re admodum impedita atque incerta aliquo modo errauerim, tamen quod de auctoritate fideque libri exposuerim, unicuique ratum firmumque fore spero et confido.

§ 21. A. Golischius Philologi uolumine XXVI pag. 701—703 duorum saeculi XII foliorum, quae in possessione Freieri Francofurtensis sunt, epistolas libri II, 1 inde a uerbis *mihi quidem*' usque ad 4, 2 '*adamaris*' et ep. 17, 1 '*praefectis*' usque ad 19, 1 '*in castris*' continentium scripturas foras dedit, quas Reinholdus Klotz in P. S. prooemio editionis secundae suffixo magno cum studio amplexus est.

Ego re diligenter inquisita fragmenta illa in Medicei classe ducenda nec ullius pretii esse quibus de causis existimem, paucis uerbis exponam.

Etsi enim folia illa interdum — 1, 1 '*tam in scribendo*', ubi Med. '*in*' om.; (1, 2 *consequi nisi*: F; '*ni*'; Y ['*ut*': *T*; '*ut*': P² s. u.; def. H]; *om.*: M;) 19, 1 '*quod diutius*' pro '*quod*'; '*ne ita*' pro '*ne id ita*' — codicis Y lectiones sequuntur, tamen eiusmodi locos esse intellegis, ex quibus nihil argumenti petatur. Discrepant autem saepius a codice Y Medicei scripturas secuta siue ueras — 3, 1 '*copiarum*'] '*corporum*': Y; '*quin*'] '*qui non*': Y; 3, 2 '*omnem hanc*'] '*omnem*': Y; 4, 1 '*iocerne*'] '*cerne*': Y; 17, 7 '*fiunt*'] '*fiant*': Y; 18 in inscriptione '*Termo*' (pro '*Thermo*')] '*Chermo*': Y; 18, 2 '*Aristoni nostro*'] '*Aristoni*': Y; — siue falsas — 3, 1 '*ad eam meditere*'] '*ad ea meditere*': Z (H = M); 17, 6 '*adiunctum*' (quod quidem ex '*adductium*' [: M] a librario emendatum uidetur)] '*adductum*': Y; 19, 1 '*fors*'] '*sors*': Y; '*posteaquam*'] '*postea cum*': Y.

Et plures certe quidem res essent, nisi siue is qui ipsum librum descripsit, siue qui archetypum confecerat, non nullas suis emendationibus expulisse esset censendus. Quibus enim locis et Golischius et Klotzius illud fragmentum Mediceo praestare putauerunt, iisdem ego interpolatoris manum cognouisse meo iure mihi uisus sum. Sed ne temeritatis arguar, locos ipsos ad diiudicandum proponam.

Atque legimus 17, 7 haec: '*quod ueri illius erat solius, id mecum communicat: «equitibus auxiliaribus* egere se» *inquit «cum amplius frumenti postularemus»*' uerbis 'egere se' ex uetere supplemento aucta, quod postquam Victorius extrusit, unquam in contextum reuocatum iri uix speraueris. Primum quidem uerbo '*inquit*' in oratione q. d. obliqua nullus locus est, deinde autem, quod caput est, uerbis additis omnis sententia non modo perturbatur, sed etiam deletur. Insaniuerit enim atque delirarit, qui cum plus frumenti postularet, equitibus se egere diceret. Hoc uero loco, quoniam, quod solus improbi fecisset, secum iniuria collegam communicare Cicero queritur, sententiae summa et quas culmen quoddam uersatur in forma 'postularemus' qua Ciceronis desiderium coniunctum ille significauerat cum suo. Quid igitur illo additamento cogitari potest ineptius? Sed semidoctum tamen librariolum tradita uerba, quae ex Bibuli ipsius epistula sumpta non animaduerteret, facile ad eius generis nugas perducere potuerunt.[1])

Nec magis equidem scio quo pacto Klotzius tale quid Ciceronianum esse putarit dignumue quod ex F reciperetur 3, 1 Meam *quidem* sententiam[2]) *aut scribam aut* . . *contra* istam rationem, meam (scil. rationem) *dicam, ut aut te ad*[3]) meam sententiam[4])' etc., quo nihil scribatur inelegantius Ciceronisue sermone indignius. Librarius, ut mea quidem fert opinio, ex Medicei (eademque Y) lectione: *integrumequidemsentiam*' ueram restituere conatus, infelicius rem egit quam qui '*quid*' post '*quidem*' perisse statuerunt.[5])

Etiam 3, 2 in uerbis: '*summa* (*summam:* H) *scito in exspectatione esse*' (: M; '*te esse*'*:* P) cum lacunae quid esse sensisset, non satis tamen ualebat ingenio, ut simplicissimam mali medicinam pararet ('*te esse*') sed suppleuit '*summa scito exspectatione esse* ciuis tuos quin, id quod tum exspectaueris, aut '*tui*' (uel 'de te') adiceret aut infra ('*eaque a te exspectari*') '*exspectare*' emendaret.[6])

1, 2 extr. pro uulgari '*in amore atque in adolescentia tua conquiescat*' exhibet fragm. Freierianum: '*in amore* tuo *atque in*

1) Verba ad proximae paragraphi '*eguisse auxilio*' quin aequauerit interpolator non dubium est. — 2) Sic iam in editione Neapolitana 1474. H quoque exhibet ex frequenti errore: 'sententiam'; quam scripturam integram ratus illam emendationem nuper probauit Fr. Ruehl. Königsberger Monatsblätter 1878. pag. 25 sq. — 3) '*aut te aut meam*' M cum simplici errore, quem F suo periculo correxit in: '*aut te in*'. — 4) F: '*meam rationem*' ex uitiosa repetitione. — 5) Egi de hoc loco infra. — 6) De hoc loco adeas, si placet Hermanni Busch disputationem quae est Philol. Anz. uol. III 1871 pag. 176.

adolescentia conquiescat'; neque mutandi mero studio hanc scripturam ex illa factam puto, sed ductam ex eorum uno libro arbitror, qui, ut Graeuio teste Palatini primus, alter, quintus haberet: '*in amore atque adolescentia conquiescat*' pronomine illo omnino neglecto.

Ac si comprehendam, uix casu accidisse apparet, ut nullo loco fragmentum Freierianum a codicis X scripturis grauius differret, nisi quibus manifesta in archetypo corruptela aut erat re uera aut imperito esse uidebatur.

Nam quod denique 4, 1 'Epistolarum genera *tria* esse non ignoras' pro '*multa*' scriptum est, demonstrare nihil potest, nisi librariolum istum numeros, ut dicunt, usque ad tria recitare potuisse. Sed '*multa*' propter ea quae sequuntur — '*sed unum illud*' et '*reliqua sunt epistolarum genera duo*' — in '*tria*', non '*tria*' in '*multa*' emendatum esse solis luce clarius est.

§ 22. Verum haec hactenus de illo fragmento; nunc ueniamus ad eum codicem, quem Io. Georgius Graeuius in adornanda editione sua — Amstelodami 1677 primum emissa — praeter Mediceum maxime consuluit.[1]) Is enim prae se fert codicum classis Y miram quandam similitudinem atque praecipue omnibus fere partibus cum Harleiano consentit. Quod ita esse si de quibus locis Graeuii adnotatiunculis clare edocemur — nulla re ex Graeuii silentio conclusa, — eorum paucissimos transcripsero, nemini non persuadebo. Conspirant igitur inter se codices Harleianus et Graeuianus, quem primum ipse appellat: III 6, 4 '*deberent*' pro '*solerent*'; 10, 6 '*quantumcunque*' pro '*quantum quaeque*'; 10, 11 '*ea quae ante profecto quoque instituta*' pro '*ea quae* [*a:* P] *me profecta quaeque instituta*'; 11, 2 idem ille glossema ostendit quod in Harleiano esse (pag. 112) diximus; IV 2, 4 '*quod incurrat*' pro '*quod non incurrat*'; 4, 2 '*adsentior modo*' mutato uerborum ordine; 5, 3 '*uicem doles*' pro '*uicem credo doles*'; 5, 4 '*iacerent*' pro '*iacent*' (altero loco); 5, 5 '*a cogitacione tuam* (*tua:* Gr.) *uoca*' pro '*ac cogitationem tuam auoca*'; IV 12, 3 extr. conf. pag. 112; V 9, 2 '*uardaei se esse*' pro '*Vardaeis esse*'; '*Narbona*' pro '*Narona*'; 10, 1 '*patres familiae*' pro '*matres familias*'; 12, 1 '*exprobam*' pro '*expromam*'; 14, 2 '*dolores*' ('*dolore*': TP) pro '*doles*'; 14, 3 '*istis te tuis molestiis*'

1) Orellii de hoc libro iudicium cognoscitur ex uerbis his, quae in indice lectionum Turic. 1839/40 pag. 8 de Medicei lacuna in illo libro expleta adnotat: '*In eandem coniecturam iam ante Victorium alios quoque incidisse demonstrat codex Graeuii*'; sec. XIV uel XV eum tribuendum censet Hist. crit. pag. XVI.

pro '*istis te molestiis*'; 15, 2 '*obdurarunt*' pro '*obduruerunt*' ('*obduerunt*': M); 20, 6 '*facere modo*' uerbis inuersis; VI 6, 2 '*audire de*' pro '*audire te de*'; 6, 5 '*belli orta*' uerb. inu.; 6, 7 '*in uiolatu*' pro '*inuolatu*'; 6, 8 '*trepidis*' pro '*trepudiis*'; 8, 2 '*impetranda*' pro '*impetrata*'; 12, 3 '*doleant*' pro '*gaudeant*'; 19, 2 '*quando*' pro '*quandoque*'; VII 9, 1 '*Quamdiu*' pro '*Iamdiu*'; 11, 2 '*quid agas*' pro '*quid agis*'; 17, 2 '*uirum tu*' uerb. inu.; 18, 1 '*fructuosus*' pro '*fructuosissimus*'; 20, 1 '*istuc*' pro '*tamen istuc*'; 20, 3 '*balbus*' pro '*Bassus*'; 27, 1 '*sententiam*' pro '*sentiam*'; VIII 7, 2 '*non modum*' pro '*nondum*'.[1])

Si praeterea adicimus easdem etiam quibusdam locis in utroque libro correctiones inueniri — V 17, 4 '*testimonium non accepisse*' syllaba '*ac*' in utroque a prima manu deleta; 20, 3 '*curara*' (i superscr.) pro '*curata*'; 20, 4 '*quod maxime tamen*': H_1; '*q. minime t.*': H_2; '*maxime*' „sed inductum erat et eadem (sic!) manu superscriptum 'minime'": Gr.; VII 5, 3 '*spondeas*' (o superscr.): H; '*spondeas*' „eadem tamen manus superscripserat '*spondeo*'": Gr.; — et utrumque usque ad idem uerbum (VIII 9, 3 '*spem*') pertinere, tantus consensus comparet, ut fere in opinionem alliciare, codicem illum Graeuii esse ipsum Harleianum.

At dissentiunt tamen nonnumquam ut III 5, 1 '*statueresque*': Gr., '*restitueresque*': H; IV 6, 1 '*litteris lectis*': Gr., '*lectis litteris*': H; 9, 2 '*coniunctum esset*': Gr. (= T; ['*coniuncti e.*: P]), '*c. esse*': H; V 9, 2 '*ni*': Gr, '*nisi*': H ('*nisi si*': MTP; 14, 2 '*doleo quod*': Gr (= cod. Wramp.), '*doleo quia*': H (= TP); 21, 2 '*explicare*': Gr., '*existimare*': H (= MTP); VI 1, 2 '*certe*': Gr., '*certo*': H; 6, 1 '*quas tibi*': Gr., '*quas*': H (= P); 6, 2 '*breui gratulabimur spero*': Gr., '*gr. b. spero*': H (pro '*spero breui gratulabimur*'); 6, 4 '*ciuile bellum excitari uidebam*': Gr. (= MTP), '*uidebam excitare bellum ciuile*': H.

Id quidem non est tacendum Graeuium, ad quem unum in hac quaestione prouocare possum, non nimia omnium rerum diligentia fuisse. Nam Eduardus Wunder miram doctissimi illius uiri in codice Erfurtensi adhibendo negligentiam uehementer uituperat, quam quidem ait ille[2]) esse tantam, ut, nisi aliunde constaret eundem esse codicem, quem Graeuius Erfurtensem dixisset atque eum, quem ipse denuo contulisset, ex uariis lectionibus, quas ille

1) Alias res, quae eodem pertinent, uidebis multas in altera huius dissertatiunculae parte. — 2) Variae lectiones librorum aliquot M. Tullii Ciceronis ex cod. Erfurtensi enotatae. Lipsiae 1837, pag. VII.

et ipse ex eo enotassent, facile diuersos libros consuluisse existimari possent. Similiter eundem in orationibus Ciceronis emendandis propter festinationem quandam non tantum praestitisse, quantum ingenio et doctrina posset, Alfredus Eberhard[1]) queritur. Atque ego quoque exemplum unum inueni, quod ad hanc rem pertinet. Graeuius enim et in editione prima et in altera (1693) cum ad VI 6, 1 in adnotationibus textui suppositis (pag. 317) suum primum codicem in iis appellet, qui 'partum' praebeant, in 'Variis lectionibus' (pag. 50[1]; 459[2]) adnotat haec: 'Graeu. prim. Mentel. tres Pall. Grut. Stew. „pro studiorum partium *coniunctione*"' *al.* „*partum*"'.

Nihilo secius, quod quibus Harleianus et Graeuianus inter se distant, uel ex adnotationibus illis admodum paucis — nec enim ex silentio quidquam colligere uolui — plures, ut uidetur, loci reperiuntur, quam quos omnes Graeuii errori tribuamus, probabilius nunc quidem putauerim alium esse codicem Harleianum, alium Graeuianum siue alterum ex altero ductum, siue ambo — ut Turonensis et Parisinus — ex uno exemplari eodem fere tempore descriptos.

§ 23. Iulii Voelkel de codice Mosquensi, quem — saeculi XIV — ex Mediceo ductum non esse demonstrare conatus est, dissertationem me inspicere non potuisse maximopere doleo. Sed annales uniuersitatis, in quarum anni 1865 num. 4 illam commentationem esse dicit, ut conquirerem mihi non contigit neque unus ille locus[2]), quem in Fleckeiseni annalium uol. CXV pag. 852 exscripsit, etsi codicibus familiae Y paulo similior est quam Mediceo, satis idoneus uidetur, ex quo rationem condicionemque manuscripti pernoscamus.

Codicem Krakouiensem nuper a Iano Hanusz[3]) collato in Medicei classe ponendum esse neque ullius pretii habendum cognoui ex illius dissertationis recensione a I. L. Kossouiczio conscripta.[4])

Emendantur epistolae codicibus TPH adhibitis.

§. 24. Cum supra affinitatem rationemque codicum TPH commentatus argumentis exemplisque usus sim nullis locis, nisi quibus exemplari Laurentiano illi libri inferiores erant, nunc ad eam dissertationis partem iam progressus, qua in emendandas epistolas quid inde emolumenti redundet docebo, rei consentaneum aptumque esse

1) Lectionum Tullianarum libellus I. Lipsiae 1872, pag. 1. — 2) Est I 1, 4 '*nostram fidem omnes amorem tui absentis praesentes tui*': Med. '*nostram fidem omnes et amorem tui absentis praesentisque*': Mosc. '*nostram fidem omnes amorem tui absentis presentisue*': Y. — 3) Opisanie i ocenienie listów Cyceronskich 'ad Familiares' w Kodeksie Krakowskim z. r. 1448. Krakow 1881. — 4) Philol. Rundsch. II 9, pag. 264 sq.

existimo eos locos praemittere, quibus integriora se — nulla mota disceptatione — codicis Y apographa praebeant. Quod ita instituam, ut rectam a codicibus TPH conseruatam lectionem Medicei errori semper praeponam ubicunque in Mediceo ab altera manu correctio suscepta est ad priorem scripturam signo M_1 adiecto:

I 1, 1 largitionis] largitiones: M_1; 1, 3 censet] cesset: M_1; 1, 4 causa] causam: M_1; 2, 1 sententia] sentia: M_1; 2, 2 sententiam sententiam; 2, 3 eo die] odie: M_1; nactusque] actusque: M_1; post tuum] postuum; is] his: M_1 (sic saepius); libero omni] liberomni: M_1; consiliariisque] consiliarisque; 2, 4 cui cum] cuiquam: M_1; 3, 1 prouincia] prouicia; 4, 1 haberi] aberi: M_1; 4, 2 Romani] romano: M_1; invidis] invidiis: M_1; 5a, 2 impediret] impedirent: M_1; 5b, 2 speramus] speramur; molimur] mollimur: M_1 ('l' eras.); restitutus] restitutum: M_1; 6, 1 infrigatur: M_1; 6, 2 violatur] violantur M_1; 7, 2 et 11 virtutis] virtutes: M_1; 7, 4 sic] si; adempta sit] a. sint; 7, 5 sententia] sentia: M_1 (saepius); ut ex eventu] u. e. evento; dicturos] dicituros: M_1; 7, 6 qui] quis: M_1; 7, 8 quam] quem: M_1; 7, 9 cum aliquantum] cum aliquam tum; 8, 1 hac] haec (sic saepius); 8, 2 uoluntatem] uoluntate: M_1; videantur] videntur: M_1; 8, 3 capassenda: M; cum] tu: M_1, tum: M_2; 8, 6 quam] cum; 8, 7 gessisse] gississe: M_1; 9, 1 tibi] ibi: M_1; grata] gratia: M_1 ('i' eras.); 9, 2 eis] eius: M_1; 9, 4 Appio] apio; mente] mentem: M_1; 9, 6 sententiis] sententis; 9, 9 questus] quaesitus (litt. 'i' erasa); redegit] redigit; 9, 11 accidisse] accipisse; 9, 11 et 14 consulatu] consolatu; ex(s)titissem] exstitisse: M_1; adgregassem] adgregasse: M_1; 9, 13 casus] cassus; defuisse] dufuisse; 9, 15 sint] sit; deam] deeam; 9, 17 assumo] adsummo; sententiis] sentiis: M_1; declarant] declaranti; 9, 19 petitionem] petitione: M_1; parasitus] parisitus; comissatum (comessatum: H)] comisatum: M_1; comesatum: M_2; 9, 20 uoluntaria quadam] u. quedam; gabinii] gabinti; in me (PT)[1])] in In me; quos saepe] quosaepe: M_1; causa] causam; perferrentur] perferentur: M_1; molestia] molestiae; 9, 19 conuersis rebus] conuersirebus; sic cum] sicum: M_1; id] it: M_1; 9, 22 essem usus] esse mus sus; 9, 23 pertimascas: M; mississem: M; delictationibus: M; 9, 24 ciliciam] ciciliam; ut tu sentias] u. te s.: M_1; 9, 25 cum collega] concollega: M_1; curiata] curiate: M_1; suc- (sub: P) cessurum] succeserum; 9, 26 decreta] decretam: M_1.

II 1, 1 cum] quam: M_1, 'quum' cui uerbo superscribitur 'quod':

1) In H lacuna magna usque ad II 1, 2.

M_2; 1, 2 memoriam] memoria: M_1; 3, 1 cum uenisses] conuenisses; recordari] recordare: M_1; 4, 2 laborandum] laboram dum: M_1; 5, 1 epistola] epistole; obscuro (om.: H)] abscuro; 6, 1 Milonis (Milionis: H)] milones: M_1; perferri] perferre; 6, 3 tant(a)e cura(a)e] tanta curae: M_1; 6, 4 moderator] moderatur: M_1; 6, 5 quantum] quantus: M_1; hanc] ham: M_1; Miloni] moloni: M_1; 7, 1 reprehendi] repraehendit; gubernes et] g. ut; ipse] ipsa; 7, 3 filiciter: M; 8, 3 fuissem] fuisse: M_1; litterarum] litterum: M_1; cupio] capio: M_1; 10, 1 es factus] effactus: M_1, effectus es: M_2; nullas] nullus: M_1; 10, 2 auctoritate] actoritate; 10, 3 turribus] turbibus: M_1 ('b' eras.); 11, 1 meorum] eorum: M_1; in primis] in primi: M_1; 11, 2 diligenter] diligiter: M_1; 12, 1 quam tu] quantu; 13, 1 sic constitueram] siconstitueram: M_1; agenda ut] agenda aut; 13, 2 collegii] colegii: M_1; uoluntate] uoluntatem: M_1; dissensione] discensione: M_1; 13, 3 l(a)etabar] laetabor; 14 reliques: M; 15, 1 setentia: M; quare scito] quares scito: M_1; 15, 4 relinquissem: M_1; sponte quam] sponte quem: M_1; necesse est] necessaest; 16, 1 desciscerem] descisserem; 16, 4 hac] hoc: M_1; 16, 5[1]) satis] satris; 16, 7 asparsi: M; sthomaco: M; nostra] nostram: M_1; 17, 1 nec quemquam] ne quemquam; 17, 2 incomodum: M; 17, 3 opportuisse: M; 17, 5 quod] quid: M_1; 17, 6 deest] dest (sic saepius); adductum] adductium; ad quem] at quem; ei quam] ei qui: M_1; 17, 7 remississe: M_1; 18, 1 praestiti tibi] praestitis tibi: M_1 (altera 's' erasa); 18, 2 graues (-'is': P ut plerumque)] gauis: M_1; natos promptos .. indisertos] natus etc.: M_1; 19, 1 accipissem: M_1; sors] fors; Postea cum] posteaquam; tempore te] temporatae; loco aut] l. at: M_1; 19, 2 consubrinus: M; maiorumque] maioremque: M_1.

III 1, 1 de mea] de me: M_1; 2, 2 senatus consulto] senatu c.: M_1; 3, 1 qu(a)e] quem; firmiore ('-ri': PH) opus] firmioribus: M_1; itaque] itaque quae: M_1; beuolentiori: M; 3, 2 istas] ista: M_1; senatus consulta] senato (-us: M_2) consulto; Brundisium] brundium: M_1; 4, 1 Brundisii] brundisti; 4, 2 accesserunt: M; conuenires] conueneris; 5, 3 meorum] meorumq: M_1 ('q' eras.); sic se (se sic: H)] sic sic (posteriore 'c' erasa); Brundisii] brudrisii; breuius] breus: M_1; 5, 5 commuratus: M; 6, 1 dixi esse (dixi: H)] dixisse; 6, 3 sed] sid; uideatur] uidebatur; 6, 5 uisurus] uisurum; 6, 6 Ciliciam] ciciliam; castra] crasta; 7, 2 permisisem: M; 7, 4 lentulli: M; 7, 5 plurimo] plurima; eram] erat; 7, 6 re-

1) Incipit magna illa lacuna in codice T.

deam] redeat; absim] apsim; uidearis] uideris; 8, 2 ciciuitatibus: M; 8, 3 nunc] num; concessurum] concessorum; accomodatum: M; 8, 4 possent] possient; 8, 5 cum Apame(a)e (-ie: H)] cumpameae; perditas] parditas; sumptu] suptu; 8, 5 cogitassem] cogitasse: M_1; retullissem: M (retulisse: P); 8, 6 quod cum] quo cum: M_1; 8, 7 posse] posses: M_1; 8, 8 hominis] homines; dulcis] pulcis; 8, 10 si] sisi; Parthis] partis; negant ullum (n. illum: P)] negantulum; 9, 1 possit] posset; 9, 3 relicum: M; tum] tunc; neclegentis: M; 10, 1 dolore] doloro; 10, 3 cuius tui] c. tua: M_1; 10, 4 tum] tunc; 10, 6 essem ea] e. ex; 10, 7 repetitos] repertitos: M_1; (littera 'r' deleta); 10, 10 tuae] turae; quo] quod; hostis] hostes: M_1; 10, 11 instituta sunt] i. sint; summique] sumique; 11, 1 aliter] alter; 11, 2 mentem] mente; 11, 3 re publica] rei publice; cum tuorum] quam t.: M_1; 11, 5 stomacosiores: M; disert(a)e — — — disertum] desertae -um; es] est; 12, 3 nunquam] namquam: M_1; 12, 4 decedenti] decedendi; commutus: M; stimulabat] simulabat; 13, 2 quam] cum; ut quanti] unquanti: M_1 ('ut q.' in marg.).

IV 1, 1 quaesisse] quaesese; propius (om.: H)] proprius; esse] essi; cum me] mecum me; 2, 2 humini: M; 2, 3 sit ergo (sit ego: P)] siterogo; 3, 1 delectari] delectare; consulatus] consultus; 3, 2 me ista] mesta; parietinis] partelinis; sic] si; ad te] a te: M_1; 3, 4 excellenti; 4, 2[1]) actoritate: M; quo nihil] quod n.; 4, 4 loco esset] l. esse; 4, 5 tua] tuam: M_1; nihil] nihi; audire ea] audirea; 5, 3 illam] illa; pareret] pararet; at uero] ad u.; 5, 4 redeens: M; homunculi] homuniculi; 6, 1 ipse animi] ipsi a.; solatia deficiunt] solatia addeficiunt; Gallus] galus; 6, 2 amisis: M; illud] illum; confugirem: M (-fugerem: H); m(a)erens] marens; 6, 3 accomodandum: M; agendi] agend; 7, 1 qu(a)e et] queut; 7, 6 quantum] quam tum; 9, 2 non multo] nom m.; sumus] simus; 11, 1 plurimum] plurimam: M_1 et index; tum] tunc: M_1; 11, 2 uiuere] uidere: M_1; 12, 2 eius diei] e. dei; aurem] aurum: M_1; 12, 3 delatus] dilatus; curauimus] curaumus; 13, 2 familiarissimis] familiarissimus: M_1; nos olim] non solim; omnibus] onibus; summam (sumam: P)] summa; 13, 4 relicum: M; 13, 5 necesse est] necesset; 13, 6 pollicear] polliceat; 13, 7 orem] ortem; sis nec] si nec; 14, 1 gratulabare] gratulabere; 14, 3 gratularis] gratulari: M_1; 15, 1 namquam] n. quem.

V 2, 1 senatu] senatum: M_1; tecum] etcum: M_1; labefactatam] lare facta tam; timuissent] timuisset; 2, 2 cum a me exponeretur

1) Codex Turonensis pergitur.

cum a me: M (ex repetitione); est risus] et risus; meum] metum; 2, 8 qui in] quin; 2, 9 intelligis] intelligit; mea parte] me p.; 2, 10 tui] tu; 3, 2 multitudine] multitudinem; mollestior: M; 4, 1 mei] met; obsterpere: M; 4, 2 in senatu] in senatum; contra] contram; 5, 1 ad te] a te; 5, 3 meum] mecum; 6, 2 post tuam] postuam; excludunt et] e. ea; 8, 2 eximia] existimia; 8, 5 meo] eo; 9, 1 sustinendum] subtinendum; 10a, 1 Diony(i)sio] dyonionisio; omnium] homnium; 10a, 3 gestis] gesticis; 12, 1 uementer: M; exispectatum: M; 12, 2 cogitares] cogitare; 12, 4 quoddam] quodam; 12, 5 non cum] non qum: M_1; 12, 6 quadam] quaddam; 12, 7 fuerit tuum] fueri tuum; Tim(a)eo] teimaeo; 13, 2 tempestatum] tempestatu; 13, 5 adiuantur: M (ut semper); una minus] unanimus; 14, 1 requiem] requirem; 14, 2 tradisti: M; 15, 2 nam quid] n. quod; 16, 2 uiuamus] uituamus; eos casus] eo casu; 16, 4 rectis studiis] recti si studiis; 16, 5 deminututum: M; 16, 6 uelim] uellim; 17, 1 retardarunt (-rent: H)] etardarunt; 17, 2 Sesti] sitti; absens] adsens; 17, 3 delectet] defectet; 18, 2 sis] si; 19, 1 esse] esset; 20, 5 animaduertisse] animaduertissem; errari] errare; 20, 6 liceat] ligeat; 20, 8 humanitate] humanitatem; 20, 9 pecuniam (priore loco): M; 21, 1 te] et; 21, 2 timuram: M; 21, 4 saltim: M; contemnere (:T -tempnere: H, -tepnere: P)] contenere; 21, 5 nihil (nil: H)] nihi.

VI 1, 1 cogitationem] cogitationum; 1, 3 loco] lono; 1, 5 qu(a)e multo] quem multo; 1, 6 quod mihi] quid m.; 2, 2 feras] feres: M_1; regreari: M_1; uiro] uiri; 3, 1 ut] aut; 4, 2 malorum] maiorum; exispectare: M; 4, 4 qu(a)ecum] quaetum; 4, 5 qu(a)eque] quaequi; 5, 3 uiuunt] uiuum; 6, 5 quod si] quid si; 6, 8 uia] uiam: M_1 ('m' eras.); 6, 9 prohiberi] prohibere; 6, 10 at nos] ad nos; 6, 12 modo posse] m. deposse; 8, 1 quoad] quod; 10, 1 aequm: M; partefeci: M; tu ad (om.: H)] tua ad: M_1 (priore 'a' erasa); 11, 2 nobis cum] nobissum: M_1; 12, 1 falsi] falsii; 12, 3 declarabant (T deficit)] declarabunt; 12, 4 casus] causus: M_1; magistratus] magistratis: M_1; 13, 3 caus(a)e] causae et: M_1 (sed 'et' erasum est); putat] putant; 16 ipsi] ipsis; nostra] nostram; 17, 2 coniunctiores tecum] coniunctior iste cum; grata] gratam; 19, 1 uilla] uilia; 19, 2 Balbum] balbus; 21, 2 nostras] nostras et: M_1 (sed 'et' erasum est); 22, 1 deesset] deesse; melora: M.

VII 1, 1 duxisti] et duxisti: M_1 (sed 'et' erasum est); cum esses] c. esse; 1, 5 uiuire: M; 2, 3 inuidis] inuidiis; 3, 4 aliqua] aliquae: M_1; nulla (non ulla: H)] nullam; 3, 6 quia] qua: M_1; honeste] noneste; 5, 3 scripsissem] scripsisse; 6, 2 alias] alis:

M_1; 7, 1 quam primum] quaprimum; recurras] recurrans; 7, 2 Britannia] brittannia; 11, 1 didicisise: M; 11, 2 recipe te] recipite; si cito te] scitote: M_1; diutiis: M; 12, 2 quonam] quodam; cum commune] quam c.; 13, 2 te istic] testic; 17, 1 dixerim] duxeram; 19 certe] certe et: M_1 ('et' eras.): 20, 3 Velia] uilia; 21 uideri] uideris; 22 scyphos (sciphos: T)] schyphos; 23, 2 gaudeo] gaudo; 23, 4 facies] facias: M_1; 25, 1 tabula] tabulam, 26, 1 fuissem] fuisse; languore (langore: P)] languorem; cum] quam; senescentis (senescis: H)] senescentes: M_1; 26, 2 amisi] amis; 28, 2 albam] aluam; 28, 3 ualere] ualeret; 31, 1 relicuum: M; 32, 1 [1]) relinquisse: M; 32, 2 uerbanitatis: M; 32, 3 nostrum] nostrus.

VIII 1, 2 tenuissimam] tenuissimem; accipi: M; 1, 3 sit] sis; ostenderit] ostenderet; aliut: M; quid] ut quid; 1, 4 de eo rumores] de eorum mores; athuc: M; Plancus] plangus; 2, 1 pr(a)eparassem] praeparasse; obstipui et] obstipulet; animaduersum: M; 2, 2 inertia (mercia: H)] intertia; 3, 1 otiosus] otiosum; ad te] at te: M_1; cursitem] cursiten: M_1; dolere] dolore; 4, 1 inuides tibi] i. etibi; dolabelam: M; 4, 2 illut: M_1; multis] miltis: M_1; scaturit] scaturrit; causa] causam: M_1; animatuersum; 4, 3 facerem] facere; sint] sit; 4, 4 aliquit: M; 4, 5 pantheriis: M; 5, 1 regionum] religionum; contentionem] contemtionem: 5, 2 uisum] uisus; 5, 3 Marcellus] marcellis; 6, 1 quin] quid; candide] candidi; 6, 4 sed] se; 6, 5 alumentariam: M; 7, 2 relinquo] relino; percontari (percuntari: H)] percontrari; 8, 2 nec quod] nequod; 8, 3 iudicum] iudicium; id ius] idus.

§ 25. Sed haec pusilla sunt, iam ad grauiora pergamus:

I 1, 4 absentis] absens: M_1; laboraremus] laboremus: M_1; 2, 1 secunda] secundum: M_1; 3, 1 me amorem] memorem: M_1; 7, 4 senatus consultum] senatum consultu; 7, 6 oportere] optere; 7, 10 se assequi] sed adse qui; 7, 11 erit] erat; 8, 2 adiungendum] adiungemdu: M_1, -dum M_2; a quo] quo; desisterent] destiterant: M_1, destiterent: M_2; 9, 1 sine nefario] sinefario; 9, 5 obscura in] obscura: M_1; ex(s)pectaram] expectarem: M_1; 9, 10 animum] animumque; 9, 11 sicut] sic: M_1; 9, 11 immutassem] imputassem: M_1; 9, 13 pugnare licuisset] pugna reliquisset; 9, 16 magtudine: M; 9, 19 defendendi] defendi[2]); 9, 23 enim a] enim: M_1; 9, 24 uix] uim; 10 reuisas et] reuissa esset: M_1; reuises et: M_2.

II 1, 1 tam in scribendo] tam scribendo; genere] negere; 2

1) Codex T explicit. — 2) Errauit ut uidetur Thurotus qui adnotat (pag. 5) esse in Mediceo '*defendi*' pro '*defenderem*', quod sequitur.

quam a uita] quam amauita: M_1; 6, 2 cumulare atque] cumulandoque: M_1; 6, 3 genere] gene: M_1; 7, 1 ipso] ipsum: M_1; 9, 3 p(o)eniteret] pertineret: M_1; 10, 4 sperares] speras: M_1; speres M_2; 12, 2 ab adolescentia] abulescentia; 13, 2 honorificus] horificus: M_1; 16, 2 maleuolorum] maleuorum; 16, 6 adolescente me: H, m. a.: P] adolescentia: M_1; corr. in 'adolescentem'; 18, 2 sine] si: M_1; 19, 1 essent aut quo] e. atq.: M_1, atquo: M_2; 19, 2 si ad me] si me.

III 2, 1 humanite: M_1; 6, 2 decederes (discederes: P)] decedes; 6, 4 et est] et est enim; 6, 5 cohortes] cortis; si tibi uideretur] sit tibi uidetur: M_1; 7, 4 et 9, 1 Appio] apud; 8, 5 a me] mane; 8, 10 profecti sumus] profectissimus; 10, 6 suspicio] suscipio; 10, 10 intellegam] intellegebam; 10, 11 qu(a)e a me] quae me; 11, 3 tanta] tu ante; honoris] oneris; 11, 4 temporum] tempus eorum.

IV 1, 1 nos] nostro; praecepta te] praecepte; 1, 2 communi sententia] communis in sententias: M_1; 2, 4 statutum] statum; 3, 4 excellat (excelleat: P)] expellat; 4, 2 prudenti(a)e] prudentiae et; 4, 3 postquam] potestquam; 5, 3 uiuendum] uidendum (prius 'd' expunctum); 5, 4 clarissimi] carissimi, 6, 1 luctum] lum; 7, 3 desse] dese; 7, 4 abesse] esse; 9, 1 certe] cer; 10, 1 nihil erat noui] nihil noui; 12, 1 ut(i) aiebat] ut iebat; 12, 2 deterrimo acerbissima] deterromodacerbis suma.[1])

V 2, 1 ab intestino (om.: H)] abtestino: M_1; 2, 8 egregium] aegrium; 5, 2 enim a me] enim .. me; 5, 3 desiderant] desierant; 8, 2 dolentium et] d. hominum et; 8, 4 eximium] exium; 16, 1 adhibere] bibere, 16, 2 pro(pre-: T)posita sit] proposi; 16, 6 liberis] si liberis; 17, 3 fortissimis] formissimis; 20, 6 nongentis] nunc gentis; 21, 5 fruere] fuere.

VI 4, 3 uelit] uelim; 8, 2 commorandum] commemorandum; quod spero] aut quod spero; 10, 2 incolumitate] columitate; 10, 5 obseruabimus] obseruauimus; 14, 2 fratres et] fratre sed; 20, 1 o(p)periri (-re: TP)] opperi; 20, 3 tu] tu ut; 21, 1 in quo] in eo.

VII 3, 3 consciscenda] conscidenda; 8, 2 didicisse] didisse: M_1; 10, 3 statu tuo] statuo; 12, 2 ius statues (-at: T, -et: P ex corr.)] ius tues: M_1; πολιτευεσθαι] πολειτευεσαι; 28, 3 quae stultis] qua est uitis; ut de pr(a)eteritis] ut praeteritis.

1) Opitzius (Quo sermone ei, qui ad Ciceronem epistolas dederunt, usi sint. Naumburgi 1879) ex Med. lectione vetustam superlativi formam '*acerbissuma*' Sulpicio tribuit I. H. Schmalzio l. c. probante.

VIII 3,3 ad nos] nos; 8,1 deferre] differre; 8,3 c(o)eptus] coetus.

§ 26. Hac haud spernenda locorum, quibus Mediceus alterius classis integritati cedit, multitudine congesta, id certe ostenditur, codices illos quanquam uel ignorantia librariorum uel neglegentia permultis locis deformatos, tamen adeo degeneratos non esse, ut cunctis archetypi sui principalis (Y) uirtutibus orbarentur. Quare sperare possumus nonnihil boni uerique in iis esse nobis relictum. In quo inuestigando atque aperiendo quam rationem sequamur nunc paucis adumbrare liceat.

Duo igitur sunt fontes, ex quibus Ciceronis epistolarum ad familiares priores libros emendaturo hauriendum est, aequa uterque et eadem auctoritate, fide non pari. Alterum enim ipsum, ut erat, ad nostram memoriam seruatum habemus, alterum ex apographis dumtaxat construere possumus et aliquo modo restituere. Atque eius uerba dum in superstites codices transirent, omnibus periculis non illis quidem emendationis atque arbitrii, sed incuriae et inscientiae librariorum cum proposita fuerint, omnibus locis cauendum est ne errati quid pro genuino ducamus et num in uitiatis uerbis quid ueri lateat diligenter ac religiose uidendum.

Itaque ubicunque diuersas in Y et M habeamus scripturas utramque per se non improbabilem, propter solam alterius utrius quasi fratrum auctoritatem aut huic habendam fidem aut denegandam illi non esse apparet. Immo uero rationes sunt undique et ex rebus ipsis colligendae ac subducendae et extrinsecus assumendae, quae aliam scripturam alia reddant probabiliorem. Quae rationes ubi reperiri nullae possunt, ibi conseruato libro confidendum est, ut omnes locos in codice Y singulis uocibus imminutos, quae quin sententiae noceant et abesse et adesse possint, itemque uerborum inuerso ordine exhibitos, contra quos quamuis nihil proferatur, tamen recte in erroribus posuisse (pag. 115 sq.) mihi uidear.

Eos autem locos, quibus codicis Y scripturam aut certa ratione Medicei praestare aut ad ueram aliquo modo propius perducere puto, nunc proferam ab iisque initium capiam quibus libri TPH ita sibi ipsi constant, ut de archetypi Y lectione nulla disceptatio admittatur.

I 1, 4 nos in causa auctoritatem eo minorem habemus, *quod* (M, quo: Y) tibi debemus] Ego putarim '*quo*' archetypi fuisse in Mediceo ex librarii coniectura emendatum. Cicero enim scripsisse mihi uidetur: '*nos in causa auctoritatem* eo minorem *habemus,* quo plus *tibi debemus*'. Conferas ad Att. VIII 9, 1 '*eo scripsi* quo *in suadendo* plus auctoritatis *haberem*'.

I 2, 2 consules neque concedebant neque ualde repugnabant, diem consumi uolebant, *id est quod* (M; *ideq est:* H; idque est: Z) factum. Perspiciebant enim e. q. s.] Quod Mediceus tradit etiamsi cum editoribus permutaueris in '*id quod est factum*', male me habet, propterea quod eiusmodi enuntiata — *id quod* ... — inter unius eiusdemque enuntiati partes parentheseos loco interici solent. Conferas uelim 2, 3; 7, 9; 8, 3; IV 6, 2; 13, 6; V 19, 1 (bis); VII 14, 2; IX 15, 3; X 25, 1; XI 14, 3 ex.; 18, 3; XII 12, 1; 13, 1; XIII 12, 2; 19, 1[1]); 38; 78, 2; XIV 2, 2; 7, 1; XV 8, 2; 17, 3; XVI 11, 1; ad Q. Fratr. I 2, c. III 8; II 4, 1; III 1 c. III 10 (bis); ad Att. I 7; 17, 4; III 25; VIII 12B, 2; 12C 1; IX 7, 5; X 8, 2; XI 3, 3 ex.[1])

Eandem normam profitetur locus is, quem ad uulgarem scripturam tuendam Martyni-Laguna[2]) ex Cic. or. pro Mur. XXVI § 52 attulit qui est: '*et cum in metu et periculo consulem uiderent,* — id quod est factum — *ad opem praesidiumque meum concurrerent*'.

Codicibus classis alterius cum Mediceo comparatis admodum fit probabile in archetypo X ex peruagatissimo errore[3]) scriptum fuisse '*id est (ē) que est factum*' pro 'idque est factum'. Atque sic aptissime epistolographus, priusquam cur rem tantopere duxerint consules, causam exponit ('*Percipiebant enim*'), narrationem ipsam concludit.

Z certissime non sano de iudicio deuenit sed casu haud mirabili in rectam principalemque lectionem recidit.[4])

1) Minus recte hos locos aliosque et ab Orellio et — id quod miror — a Wesenbergio interpunctos esse eosque sic potius legendos iudicauerim XIII 19, 1: '*etsi eramus in magna spe, te meis litteris commendatione que diligentissime facturum — id quod fecisti — ut eius rem et fortunas absentis tueare*' et XV 8: '*A te — id quod consuesti — peto, me absentem diligas atque defendas*' itemque ad Att. XI 3, 3: '*Imprimis — id quod scribis — omnibus rebus cura et prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse*'. — 2) Martyni-Lagunae in Ciceronis epistolas commentarii reliquiae edidit Io. Caspar Orellius in indice lect. Turic. 1839/41 (pag. 38). — 3) De quo errorum genere explicatius infra agam — 4) Eadem emendatio necessaria mihi uidetur ad Att. IV 16, 2 ubi '*itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere* idque *intellego tibi placere. Utinam modo conata efficere possim. rem enim*' e. q. s. legas uelim pro '*efficere — id* quod *intellego tibi placere — utinam*'. Contra ad Att. III 15, 6: '*statuam in tuosne agros confugiam et neque uideam homines, quos nolim, et te, ut scribis, uideam et propius sim, si quid agatur — id* quod *intellexi cum tibi, tum Quinto fratri placere — an abeam Cyzicum*' restituendum ego putauerim pro '*idque*', quod ut in parenthesi recte ponatur uereor.

I 2, 4 de ceteris rebus quidquid erit actum, scribam ad te et ut quam rectissime *agatur* (MPH; agantur: T [Gr]) *omnia* (MY) mea cura opera, diligentia gratia prouidebo] '*omnia*' igitur in X fuit; quodne in '*omnia*' mutandum an pro '*agatur*' scribendum sit '*agantur*', dubitari potest. Turonensis enim solius scriptura nulla est auctoritate. Me ut 'agantur' (cum Schuetzio) scribam id mouet, quod alioquin minus bene subiectum deesse uel suppleri posse mihi uidetur.

'*agantur omnia omni*' quod H. A. Kochius proposuit[1]) magis a codicum memoria recedit.

I 4, 1 Senatus haberi ante kal. Febr. per legem Pupiam *ob* (Y, *om.*: M) id quod scis non potest] Codicis Y accessio aut quo casu illapsa aut quo consilio addita sit, excogitari uix poterit. Quare uide ne genuina[2]) sit nosque edoceat '*per legem Pupiam*' uetus inueteratumque esse emblema[3]) petitum fortasse ex Cic. ad Qu. fr. II 13, 3 '*Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quominus habeat senatum et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex kal. Febr. usque ad kal. Mart. legatis senatum quotidie dari*'.

I 7, 3 qui mecum saepissime non solum *me* (M; *om.*: Y) prouocatus, sed etiam sua sponte de te communicare solet] Scripserunt omnes '*a me*' inuitis codicibus.

Atque non necessarium modo, sed ne aptum quidem illud est. Neque enim opponuntur '*a me*' et '*sua*', sed potius 'prouocatus' et 'sponte' ('*sua*' uerbo sine maiore ui ex consuetudine et usu adiecto).

Illud '*me*' in Mediceo ex geminatione ortum puto in codicibus manu scriptis creberrima. Similiter addita sunt I 7, 10 'quia *iam* me', 9, 14 'recreati enim *in*' in Z; 8, 7 'etiam *amplius*' in H; 9, 17 'tam *in*' (pro 'tum'), IV 8, 2 'coniunctioni *omni*' in T etc. etc.

I 9, 11 Ego si ab improbis et perditis ciuibus rempublicam teneri uiderem, sicut *et meis* (et . . meis: M; et cinneis: PH [Gr]; cumeis: T) temporibus scimus et nonnullis aliis accidisse]. Ad

1) Censuram facit de Ciceronis epistolarum editione Wesenbergiana Phil. Anz. uol. V p. 159 sq. — 2) Consulto fortasse in Mediceo eiecta. De qua re uideas quae infra dicam (ad IV 4, 5). — 3) Permulta in contextum (iam archetypi) recepta W. G. Pluygersius (Mnemosynes uol. XI pag. 267 sq.), C. G. Cobetus (uol. VIII pag. 454 sq.) H. A. Kleynius (Obseruationes criticae in Ciceronis epistolas ad familiares) sagacissime sustulerunt. Pauca ego quoque recte excidisse mihi uideor, quae quidem non inuestigando extricaui sed perlegendo deprehendi. Nec dubito hoc uitium quin latissime pateat.

quae tempora Cicero spectet uiri docti dissentire uidentur. Nam primum Carolus Fridericus Suepfle interpretatus: 'nicht zu meiner Zeit, sondern zur Zeit meines Consulats' cogitauit de coniuratione Catilinae. Et erat ille quidem improbus et perditus ciuis studebatque certe opprimere rempublicam oppressamque tenere, sed ne reuera teneret Ciceronis ipsius cura et uigilantia praecautum ac prouisum est. Rectius igitur Manutius: 'Meis temporibus] Cinna, Mario, Sulla dominantibus'. In quo id tamen offendit, quod Marium certe atque Sullam acerbius quam uerius a Cicerone uocari facit 'improbos et perditos ciues'.

Quae si reputauerimus et praeterea assumpserimus codicem Mediceum lacunae signum exhibere (etsi alibi sine causa) eodem ipso loco, quo ampliorem paucis litteris uocem eamque rei consentaneam (conf. ad Att. VII 7, 7; VIII 3, 6; IX 10, 3) alterius classis libri praebeant, dubium iam non erit, quin in archetypo 'Cinneis' exstiterit.

At '*Cinneus*' non inuenitur adiectiui loco ab nomine Cinnae ducti. Et quidem Cornelius Nepos (uita Attici 2), Velleius Paterculus (II 24, 4), Valerius Maximus IV 7, 5, V 3, 3, Suetonius (Calig. 60) scribunt '*Cinnanus*'.[1] Sed quid Velleius, Maximus, Suetonius ad Ciceronem? Vnus Nepotis locus relinquitur huic Ciceroniano uni oppositus. Inuenitur autem in inscriptione (Corp. inscr. uol. VIII part. II num. 8548; apud Rénierum 3366) nomen gentilicium '*Cinneus*', itemque saepius uelut apud Mommsenum Inscr. regn. Neapol. Lat. num. 2200 '*Cinnius*' utrumque sine dubio ex cognomine Cinnae deriuatum. Quid igitur? Cicero cur non iam '*Cinneus*' conformare potuit?

I 9, 13 *mirifica* (M; mirificus: Y [= Gr]) senatus, incredibilis Italiae totius, singularis omnium bonorum consensus] Cum in '*consensus*' uoce libri consentiant, non '*magna* — *consensio*' sed 'magnus — *consensus*' scribendum est. [Idem uoluit Thurotus.]

I 9, 23 Abhorrent enim a communibus praeceptis ab (M_1; [et: M_2] atque: Y)[2]) omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem] Qui Mediceum emendauit, de sua coniectura locum tentasse perspicitur.

I 10 Nam illo si ueneris, *tam* (M_1 [*tamquam*: M_2]; tu ut: Y) Vlixes cognosces tuorum[3]) neminem]. '*tam*' in Mediceo

1) Eosque secutus Franziscus Ruehl uel '*Cinnanis*' uel '*Cinnae*' restituendum esse censuit Königsberger Wissenschaftl. Monatsblätter 1878 pag. 25—27. — 2) Harleianus deficit. — 3) De uerbis extremis cf. quae disputat Klotzius, Fleckeis. annal. LXXXXVII, 1868, pag. 355.

nihil esse nisi '*tu ut*' lenissime deformatum uides. Proinde '*tamquam*', quod emendator coniecerit, exturbetur.

II 1, 2 eas te non potuisse consequi *ni* (Y [*ũ*: T; *ut* P s. u] *om.*: M) meis] Confirmatur coniectura Baiteri.

II 4, 1 interesset. *In* (M; *om.*: Y) huius generis litteras a me profecto non exspectas] Rectissime, ut mea fert opinio, auctor postquam quale sit genus litterarum explicauit, 'huius' pergit hoc uerbo cum quadam ui praeposito, 'generis' e. q. s. Quare neque Klotzio assentior '*iam huius*' sententiae aptissimum contendenti neque Orellio '*tu huius*' proponenti. Accedit quod facillime ex NVIVS describi potuit 'In huius'.

II 5, 2 ita sunt omnia *debilitata* (M [Gr]; debilitate: Y) iam prope extincta (prope et extincta: M_2)]. Propositum est a Klotzio '*ac iam prope*' Wesenbergio assentiente; ab Hofmanno '*ac prope*'. In particula '*iam*' ab utroque codice oblata offendere equidem nequeo; sed coniunctionem q. d. desiderare non possumus uideturque mihi cum Orellio 'et iam' esse restituendum. Nam quod attinet ad sententiam neque '*ac*' neque '*et*' certa ratione aut defendatur aut condemnetur. Codicis autem Y scripturam suadere puto, ut scribamus '*et*' quippe cuius uocabuli altera littera in '*debilitat*e' etiam residere altera propter sequentem 'i*am*' perdita uideatur.

II 6, 2 cum praesertim confiderem nullam esse gratiam *tamquam* (M [*tantamquam*; postea *tantam* del. M_2]; tuam quam: Y [= Gr]) non uel capere animus meus — — posset]. In X erat ut puto 'tuam', quod quoniam et rectius[1]) uidetur esse uulgari emendatione: '*gratiam tantam quam*' et aptius respondet uerbis sequentibus '*animus meus*', cur non illius emendatoris coniecturae praeferamus nihil est.

II 7, 3. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim *quamquam* (MY) *difficili* (M [= Gr]; difficillima: Y) in re atque *in*

1) Etsi '*non tantum* (= non tam magnum uel multum) *quam*' saepius apud alios scriptores inuenitur (de quo usu [ad V 7, 1] fusius disputauit Gottholdus Meutzner qui Fleckeis. annal. uol. LXXXIX. 1864. p. 153 sq. (156) de Hofmanni epistolarum Ciceronianarum selectarum editione iudicium fecit), tamen semel tantummodo, quod sciam, apud Ciceronem usu uenit: pro Mil. XXII § 58: '*Etsi id quidem* non tanti *est* quam *quod propter eosdem non sanguine et uulneribus suis crudelissimi inimici oculosque satiauit*'.

Sed conferas quae contra lectionem Y iam ab Hofmanno ex Parisino receptam protulit Hermannus Busch Zeitschr. f. d. Gymnasialw. uol. XX. 1866. p. 834.

(Y; *om.*: M) causa, cognoces ex iis litteris, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi]. Cum ridiculum sit dicere quanquam esset res difficilis, maximam tamen curam ad eam perficiendam opus fuisse, proinde quasi quo sit facilius negotium expeditiusque, eo maior merito cura adhibenda, corruptum esse hunc locum apparet atque mendum iam in archetypo X exstitisse ex codicum MY consensione cognoscitur. Quapropter Martyni-Laguna Wesenbergio[1]), Baitero, Klotzio approbantibus emendauit: '*quamque*'.

Qua in emendatione equidem acquiescere nolim et loci sententia monente et codice Y aperte latiorem Medicei corruptelam indicante. Difficultatem enim Curioni suae ipsius rei satis certe cognitam fuisse, optime Thurotus adnotat, minus fortasse consideratum, Cicero quantopere, ut ipsum (in pontificatu petendo) iuuaret, esset annixus. Et id tamen ut quam maxime urgeret et augeret, ille hoc loco egit sperans se meritorum suorum ac beneficiorum commemoratione eum apud suas partes retinere posse. Idque uerbis, quae Martyni-Laguna auctore restituta sunt, non satis exprimitur.

Quae cum ita essent Thurotus ex '*quamquam*' non '*quamque*' sed — id quod nihilo audacius est — 'quantamque' restituendum esse proposuerat post hoc uerbum aliquod uocis curae synonymon eiusque notionem accumulans excidisse arbitratus. Et mihi quidem cum ualde arrideat haec coniectura totum locum sic Cicero scripsisse uidetur:

'De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim quantamque diligentiam difficillima in re, cognosces ex iis litteris' e. q. s.

Consimiliter curae et diligentiae notiones persaepe inter se iunguntur ut III 3, 1 'cura ac diligentia', XV 25 cura et diligentia; 2, 8 cura diligentiaque, ad Att. I 19, 11 cura et diligentia; I 2, 4 'cura, opera, diligentia'; V 8, 2 extr. 'curam diligentiam'; IV 13 extr. ad Q. Fr. III 1 c. I extr. 'diligentissime curare'; VI 4 extr., 22 extr., VII 2 in. IX 16, 10; XIII 6, 5. ex. 'diligenter curare'; III 10, 11 'diligentius et accuratius'. — Ad errorem quem in X commissum statuo conferas uelim III 11, 4 'rempublicam *mirificam*que': *om.*: Y.

Qua uero causa quoque iure ego uerba '*atque (in) causa*' excluserim, nunc exponendum est. Ac primum talis accumulatio huic loco uel ob id, quod supra disserui, apta non uidetur. Atque

1) Emendationes M. Tullii Ciceronis epistolarum. Hauniae 1840. p. 99.

est etiam molesta et languida et quicunque locum attente perlegerit primum retentis his uerbis, tum suppressis statim, opinor, mihi concedet multo hoc esse elegantius et facilius quam illud atque non aptius modo ad Ciceronianum dicendi usum, uerum ad huius ipsius etiam epistolae praecipuam diligentiam et exquisitam artem accommodatius.

Deinde Paullus Manutius ad libri I 1, 1 uerba: '*tu nisi perfecta re de me non conquiesti ego, quia non idem in tua causa efficio*' e. q. s. 'causam' pro eo sumi disserit, quod ad aliquem proprie pertinere. Differre enim *rem* et *causam* in eo, quod *res* pateat aliquanto latius quam *causa*, ut *res* totum negotium significet, *causa* uero negotii partem illam, quae ad Lentulum pertineat, ut scilicet restitutio regis ad eum deferatur.

Rectissime id quidem atque quae affert exempla id quod praecepit confirmant. 5, 3 *de Alexandrina re causaque regia*; 7, 6 *quid res, quid causa, quid tempus ferat*, ad quem locum *rem*, ait ille, '*esse totum negotium, causam negotii partem, de qua maxime laboretur*', '*rem significare totum Alexandrinum negotium, causam partem negotii quae ad Lentulum* [*regemque*] *pertineat, i. e. ut Lentulus ipse* [*regem*] *reducat*'. 9, 21 *accepisti, quibus rebus adductus quemque rem causamque defenderim* (uide Manutii adnotatiunculam); II 6, 5 *nunc tibi omnem rem atque causam meque totum commendo* (uide ei. adn.); XII 4, 2 *scriberem plura, si rem causamque nossem.* pro Caec. 11 *multa quae sunt in re, quia remota sunt a causa, praetermittam.* Idem ualet in ceteros locos ut pro Cael. 31 *res est omnis in hac causa nobis . . . cum Clodio.* Verr. I 6 *in hac causa ea res in crimen adducitur.*

Quibus ex locis cognoscitur ac perspicitur, si *rei* et *causae* uerba coniungantur aut opponantur, illud semper latiore, hoc angustiore notione affectum esse.

Eo igitur loco de quo quaerimus iam Manutium offendere oportuit, cum ad uerba '*re atque causa*' adscriberet *rem* ibi esse surrogationem pontificis, *causam* ut Curio ipse surrogaretur. Nam cum in illa regia causa, ad quam spectant epistolae I 1 et 5 et 7, non deessent, qui omnino reduci regem oportere uetarent, in hac causa, postquam Curionis pater pontifex uita decessit, qui ei succederet necessario erat creandus; in eo igitur nihil Ciceroni erat elaborandum; unum id erat moliendum atque enitendum, Curio ut eligeretur.

Neque tale additamentum abhorret a librariorum ratione ac

consuetudine. Constat enim uerba synonyma in codicibus manuscriptis non semel commutata esse (ut in cod. Y VI 6, 10 *potius* — M: *melius*; VI 12, 3 '*sed etiam*' — '*verum etiam*'; in cod. Z V, 5, 3 '*amplius*' pro '*maius*'; 16, 1 '*dolore*' pro '*maerore*'; in cod. H IV 9, 1 '*Hisdem ergo*' pro '*iisdem igitur*' aliisque locis similia); quam commutationem inde saepe ortam esse, quod in exemplaribus alterum uocabulum alteri superscriptum fuisset, ex hac re coniecisse meo iure mihi uideor, quod utrumque interdum synonymon ab eis, qui postea descripserunt, in contextum receptum uidemus.

Hoc modo peccatum est in codice Z VI 7, 3 '*solum modo liberum*', ubi hoc '*modo*' ad '*solum*' addito genuinum '*uero*' exturbatum est, in archetypo X (quem omnes libri sequuntur) IV 8, 1 '*ut me non solum* . . . sed . . quoque *etiam*', quod '*quoque*' ab omnibus nunc reicitur.

Maxime autem ad eum locum, in quo uersatur nostra disputatio, illustrandum ualet VI 20, 3 ubi cum ceteri codices exhibeant '*in hac causa*', H legit '*in hac* re *causa*'.

Quibus rebus expositis ne audaciae aut temeritatis in crimen uocer iam non timeo.

II 8, 2 quare da te homini, *complectetur* (M; complectendum: Y) mihi crede. Iam iidem illi et boni et mali ciues uidentur, qui nobis uideri solent]. In utriusque familiae memoria est, quod offendas: aegre feres in Mediceo, quod abest '*te*' uerbo '*complectetur*' obiectum; in Y — ut Iwanus Mueller probe Thuroto hanc scripturam defendenti opposuit — absurde hoc '*mihi crede*' additum uidebis — quod adicere non potuit Cicero nisi pollicitus fore ut complecteretur Pompeius Caelium —; in utroque libro, quod quae insequuntur uerba '*iam iidem illi*' etc. haud apte adiunguntur cum Wesenbergio[1]) uituperabis.

Vide tamen ne codicis Y uerba integriora integerrimaque sint sublatis omnibus incommodis si interpunxeris sic: '*quare da te homini complectendum. Mihi crede: iam iidem illi* e. q. s.

Eandem uerborum collocationem inuenies: Sex. Rosc. XXXIII 93 '*mihi crede: aliquem de societate tua reperies*'. LI 148 '*mihi crede — — satis copiose defenderetur*'; Diu. in Q. Caec. X 32 '*mihi crede, Caecili, non potest in accusando socios uere defendere*'; Verr. V 68, 175 '*mihi crede: ornamenta ista — — — non*

1) Emendationes alterae siue annotationes criticae ad Ciceronis epistolarum editionem. Lipsiae 1873. p. 4

minore negotio retinentur, quam compararentur'. Similiter ad Att. XI 22, 2 '*Quaeso, attende et me consilio iuua*'; XIII 33, 3 '*Obsecro abiciamus ista et semiliberi saltem simus*' itemque Att. XV 29, 3. similiter Att. V 27, 3 '*Amabo te, incumbe*' et ad Fam. VIII 9, 3 '*Amabo te, impera*'; imprimis autem ad Fam. XI 14, 1 '*Mihi crede, homini non glorioso plane iam, Brute, frigeo*'. ad Att. II 2, 1 '*Mihi crede, leges: Haec doceo*'.

II 13, 3 Mihi erat in animo — — cum prima aestiua attigissem *militaremque* (M; militemque: Y) collocassem, decedere] '*militemque*' iam Orellius reposuerat ex coniectura, cui immerito Klotzium repugnasse arbitror.

II 16, 5 Filio meo — — satis amplum patrimonium relinquam in *memoria* (M [= Gr.]; memoriam: Y) nominis mei]. Paulo propius Y ad ueritatem accedit, certe enim scribendum est: 'relinquam memoriam' (cf. Wesenbergii emend. p. 29).

II 17, 3 Quod scribis Apamea praesidium deduci non oportuisse, uidebam *item* (M, idem: Y) ceteros existimare] 'idem' iam Martyni-Laguna, Ernestius, Schuetzius sine dubio recte ediderunt.

III 6, 5 cum interea ne litteras quidem ullas accepi; quae *de* (M; *om.*: Y) me docerent, quid ageres aut ubi te uisurus essem] Kayserus coniecerat: '*de te me*'; ex codicis Y lectione '*de*' quod est in Mediceo ex 'do*cere*' depromptum esse cognoueris.

III 7, 4 An ego tibi obuiam non prodirem? — — amico? *cum* (Y; om.: M) in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas postulat] Wesenbergius (Emend. p. 122) probante Baitero '*qui*' reposuit, quod et aptius quam '*cum*' esse dicit et rectius. At Maduigius, cuius ad Cic. de fin. V 20 § 55 adnotationem adiectam ille commemorat, legem de hoc discrimine tam definitam non scripsit, quasi ad quam omnes loci ita essent aut accommodati aut accommodandi, ut altera utra structura uno quoque prorsus excluderetur. Praeterea quod dicit Wesenbergius coniunctionem '*cum*' esse postulaturam tempus imperfectum '*solerem*' (non '*soleam*'), equidem nihil aliud aptum esse arbitror ad '*cum*', quam ad '*qui*' (i. e., '*cum ego*'), utrumque concessiue dictum. Atque idem Maduigius sensisse uidetur media illa adnotatione, quam cum ad totam rem pertineat placet transcribere: 'Itaque, inquit ille, supra § 54 ('*si aut requietem natura non* quaereret *aut eam* posset *alia quadam ratione consequi, facile* pateremur, qui *etiam nunc agendi aliquid discendique causa prope contra naturam uigilias suscipere* soleamus') apparet dici potuisse: cum — — soleamus, sed recte poni '*qui*'.

Quod recte a uiro illo subtilissimo expositum esse confirmant loci hi: III 8, 4 '*quid enim erat, quod me persequerentur in castra Taurumue transirent*, cum *ego Laodicea usque ad Iconium iter ita* fecerim, *ut me — conuenirent?*'; ad Att. I 5, 1 '*Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit*, cum *et meo dolore moueare*' e. q. s.; ib. 4 '*Sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito litteras redditas esse*, cum *et otii ad scribendum plus et facultatem dandi maiorem* habueris'.

Quodsi igitur in altera tantum codicum classe uerbum inest ad rem aptum atque id ipsum quod in altera facillime neglegi potuit ('cū' post '*ami*co'), locus dubitandi uix relinquitur.

III 8, 1 cum tu tam multis uerbis ad me de improborum *moratione* (littera *m* erasa: M; hortacione: Y [*adhortatione*: Gr.]) scripsisses]. Non potest '*oratio*' maleuolorum sermones criminationesque significare, de quibus agitur. Ac ne '*hortatio*' quidem magis in rem quadrat. Et sententia loci et codicum scripturae inter se collatae commendant: 'obtrectatiene'. Conferas I 7, 7 '*maleuolentissimis* obtrectationibus *nos scito de uetere illa nostra diuturnaque sententia prope iam esse depulsos*'. X 8, 7 (Plancus) '*consilia mea aequis iudicibus ab* obtrectatione *inuidorum defendenda commendo*'.

III 8, 2 codex Y integre exhibet: 'uultu *et* taciturnitate' uoce '*et*' in Mediceo omissa. Quod Klotzius in prooemio editionis secundae adnotat: 'scripsi *nunc* „*me uultu taciturnitate significasse tibi*" *etc. id est* „*uultu cum tacerem*"' non ualet ad M defendendum, idem enim eodem iure de '*uultu* et *taciturnitate*' dicatur.

III 8, 6 cum *meam* (M; me iam: Y) Laodiceam uenire uoluisses] Codicis Y scripturam Klotzius de coniectura iam restituit, cum ceteri '*me*am' ex sequenti '*Laodice*am' natum esse opinarentur.

III 8, 7 *comarguit*: M coarguit: Y] Iosephus Krauss[1]), uetustiorem in Mediceo formam conseruatam uix recte credidit.

III 11, 2 qui [quod: Y] enim facta *et non* [M; nec ne: Y[2]) facta largitio ignorari potest] '*nec ne*' ex coniectura iam protulerat Rob. Stephanus, cui Martyni-Laguna certe ut librorum uestigia premeret '*an non*' substituit, Ernestius '*aut non*'. Scripturam Y genuinam puto, cuius in locum ex prauo glossemate '*aut non*' (postea corruptum in '*et non*') deuenit, nisi forte Medicei scriptura ('*et non*') ex '*sr ncn*' (pro '*sit necne*') corrupta est.

1) M. Tullii Ciceronis epistolarum emendationes. Lipsiae 1869. pag. 17. — 2) '*ñ ne*': P; '*nec me*': H. T deficit.

III 12, 1 Gratulabor [gratulor: Gr.] tibi *prius* (primum: Y [= Gr.]), ita enim uerum ordo postulat, deinde ad me conuertar]. Verba '*ita enim rerum ordo postulat*' cum absint ab Y, F. Ruehlium glossematis suspicionem mouisse ex adnotatiuncula collationibus illata cognoui. Cui suspicioni ut accedam, praeterquam quod uerba ipsa qualia sunt non obstant, id me maxime commouet, quod in TPH etsi saepius plures uoces desiderantur errore facili omissae[1]) nusquam tamen eae, quae plenum ipsae integrumque enuntiatum efficiant, quasque cum errandi nulla causa intellegatur, certa ratione eiectas statuere oporteat.

Emblema huius simillimum sustuli II 19, 1.

An ab eodem, qui illa uerba inculcauit, supra etiam — satis enim nasutus fuisse uidetur — '*primum*' in '*prius*' permutatum sit nescio; sed '*prius — deinde*' ni fallor nullo alio epistolarum loco inter se respondent; ex orationibus quattuor tantummodo enotat H. Merguetus (II p. 56): Verr. II 32; IV 1; de leg. agr. *II* 76; in Pis. fr. 6.

III 13, 2 Itaque *nunc* (Y[2]); *om.*: M) mihi propono fructum amicitiae nostrae ipsam amicitiam] Vocabulum '*nunc*' (compendiose '*$\overline{nc}$*' exaratum) cum neque ex sequentis '*mihi*' prima littera ortum esse credi possit — quia hoc '*m*' littera '*i*' superscripta (sic enim '*mihi*' scribebatur) ab hac confusione tutius erat — neque tale quid interpolatori deberi soleat, cumque in sententiam loci haud incommoda sit, non additum in Y, sed deperditum in Mediceo librarii neglegentia esse putauerim.

IV 2, 1 cognoui non satis prudenter fecisse Philotimum, qui cum abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non *uenisset* (M; uenit sed: Y) litteras tuas *misisset* (M; misit: Y)] Y scriptura unice uera est, quod ego intellegam. Aptius haec uerba '*qui — — uenit, sed — — misit*' ex obliqua constructione soluuntur neque subiunguntur quasi superioribus sed pari loco adiunguntur, utpote quibus auctor non re aliqua Sulpicio iam cognita imprudentiam liberti illustret, uerum ipsam hanc rem enarret.

De uocabulo '*sed*' ab Y dato pluribus opus non uidetur esse. Iam Orellius aduersatiuam q. d. coniunctionem cum deesse posse non putaret, proposuerat '*uenisset sed*' (ex '*set*').

IV 4, 3 postquam armis *ciuilibus* (Y; *om.*: M) disceptari coeptum est de iure publico] Et apte et concinne opponuntur

1) Cf. pag. 115 — 2) '*mihi nunc*': H.

'*arma ciuilia*' '*iuri publico*'.[1]) Nec non alibi eadem locutio obuia est ut II 16, 3 '*Credas hoc mihi uelim — me — nihil tam fugisse quam* arma ciuilia'. VI 10, 1 '*consilium — — — diutius in* armis ciuilibus *commorandi*'. ad Att. XIV 19, 1 '*Assentiris enim mihi nostram aetatem a* castris *praesertim* ciuilibus *abhorrere*'. pro Marc. V 14 '*nec ulla unquam secutus sum* arma ciuilia'.

IV 4, 5 de reliquis nihil melius ipso est, *ceteri et cetera* (M; cesare cetera[2]) sunt: Y) eius modi ut si alterum utrum necesse sit audire ea malis quam ipse uidere] Hoc loco praeter Martyni-Lagunam et Schuetzium quod nemo ac ne Wesenbergius quidem, criticus ille scrupulosissimus, haesit non possum non mirari. Offendas enim oportet in Medicei lectione primum id, quod in '*ceteri et cetera eius modi*' uerbum '*sunt*' omissum non facile ex priore '*est*' audies[3]); deinde autem quod elocutio consecutiua quae dependet ita est constructa, ut ad '*cetera*' respiciat, non simul ad '*ceteri*'.[4])

Quibus rebus impedito loco Y et egregie succurrit, et quem ad modum Mediceus peccauerit satis illustrat. Luce enim clarius est '*cesare*' glossematis loco in archetypi margine ad uocem '*ipso*' interpretandam adscriptum fuisse.[5]) Atque Cicero scripserat: '*nihil melius ipso est*, cetera sunt eiusmodi ut' e. q. s. sicut idem IV 11, 2 'Reliqua sunt eiusmodi; *quibus ego — — — aequo animo carebam*'; ad Att. V 10, 3 'Reliqua sunt eiusmodi *ut meum consilium saepe reprehendam*'.

Grauissimum uero id est, quod ex hoc loco et Y eiusque apographa archetypi uerba religiosissime seruasse neque eum qui Mediceum conscripsit sua de coniectura, si quid obscuri in exemplari occurreret, qualicunque modo posset ad integrum redigere reformidasse iure ac merito efficiamus colligamusque oportet.

IV 6, 2 cogerem*que* (Y; *om.*: M) illa ferre toleranter] Sic iam Orellius scripserat.

IV 6, 2 quod nec eum dolorem quem *ad* (M_1 [*a*: M_2]; de Y) republica capio domus iam consolari potest] Ciceronianum est '*capere (accipere) dolorem*' uel '*laetitiam* ex *re*, de *re*, re' '*capere* a *re*' eum dixisse uix puto. De '*capere re*' (= ob rem)

1) Hunc locum iam protulit F. Ruehlius: Königsberger wissenschaftl. Monatsblätter 1878. — 2) '*cesarē et cetera*': H, idem '*huius modi*'. — 3) Quare Martyni-Laguna '*sunt*' reposuerat. — 4) Quare '*ceteri et*' optime eiecerat Schuetzius. — 5) Conferas quae Thurotus de hoc loco disputat p. 11.

conferas, quae Wesenbergius scite ad I 6, 1 exposuerit (Emend. alter. p. 1). '*Capere dolorem*' uel '*laetitiam* ex *re*' fontem quasi doloris laetitiaeue significat, unde hauriatur uel promatur. Id habemus III 2, 2 '*Hoc uelim tibi persuadeas, si rationibus meis prouisum a te esse intellexero, magnam te* ex eo *et perpetuam* uoluptatem esse capturum'. V 7, 1 'Ex litteris *tuis, quas publice misisti* cepi — — *incredibilem* uoluptatem, *tantam enim spem otii ostendisti*' e. q. s. Aliud est '*capere dolorem*' uel '*laetitiam* de *re*', qua praepositione obiectum, ut ita dicam, significatur, quo pertineat atque spectet animi affectus. Quod optime illustratur III 9, 2, ubi apertius etiam quam loco supra allato (V 7, 1) res ex qua eaque de qua sit laetitia discernuntur: '*maximam laetitiam cepi* ex tuis litteris de spe *minime dubia et plane explorata triumphi tui*'.

Aptissime igitur eo loco de quo quaeritur Cicero scripsit: '*eum dolorem quem* de *republica capio*'; maeret enim ac queritur rerum omnium perturbationem.

Quod Wesenbergius (Emend. alterae p. 8) uocem '*ad*', quae legitur in Mediceo, ex '*ad rempublicam*' petitum dicit, ego in hanc sententiam ire nequeo; lenissimus enim error in Harleiano exortus ('*quade re*' pro '*quē de re*') melius nos docet, quo pacto Mediceus errauerit.

IV 6, 3 *maior mihi uatio mihi adferre* (M; maius mihi solatium afferre ratio: Y) nulla potest quam coniunctio consuetudinis sermonumque nostrorum] Legitur uulgo: '*maior mihi leuatio*' ('*enim leuatio mihi*': Wesenbergius, Klotzius) '*afferri nulla potest quam coniunctio*' e. q. s. Sed, id quod Thurotus bene significauit, dici non potest: '*maior leuatio nulla affertur quam coniunctio*', tanquam si aut ipsa coniunctio genus quoddam sit uel modus leuationis aut leuatio coniunctionis. Neque Iwanus Mueller illi aduersatus locum recte restitutum esse defendit collatis uerbis VI 4, 5 '*non enim dubito, quin magnae tibi leuationi solitus sit esse cotidianus congressus et sermo*'; nam ex iis ipsis satis efficitur Ciceroni illic quoque scribendum fuisse siue: '*mihi* maiori leuationi *nihil esse potest quam* coniunctio' siue '*maior mihi* leuatio *afferri nulla potest quam* coniunctione'.

Atqui quod Thurotus scribendum proposuit '*maius mihi solatium leuatio afferre nulla potest*' nihilo melius uulgata lectione habere nemo negabit. Exspectaueris enim certe hoc: '*maiorem mihi leuationem solatium afferre nullum* (uel potius '*consolatio afferre nulla*) *potest*'.

Sed sanissimum ut opinor locum sanare ille cupiuit. Mihi[1]) quidem uerba 'maius mihi solatium afferre ratio nulla potest', quae in Y[2]) sunt, integerrima ac planissima uidentur esse; quid enim esset quod Thurotus in uoce '*ratio*' offenderet, intellegere non potui.

IV 6, 3 Paulo post Y recte conseruauit: '*nec* a [*ad* (*d* expunctum): P] *me alieni* in M oblitteratum.

IV 9, 4 Mihi salus tua tantae curae est, ut Marcello, fratri tuo, aut par aut certe *proximis* (M; proximus: Y) sim] Baiterus ex Mediceo profectus uoluit: '*in proximis*'.

IV 12, 1 A. d. X Kal. Iun. cum ab Epidauro Piraeeum naui aduectus essem, ibi Marcellum, collegam nostrum, conueni eumque diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero diem [M[3]); die: Y] ab eo digressus *cum* (Y [= Gr.]; *om.*: M) essem eo consilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem reliquamque iurisdictionem absoluerem, ille [*ipse ille*: HP], ut aiebat, *supra Kal.* (Y [= Gr.]; *om.*: M) *Maias* (MY) Italiam uersus nauigaturus erat. Post diem tertium eius diei, cum ab Athenis proficisci in animo haberem e. q. s.] Corruptius equidem puto, quam usque adhuc creditum sit, hunc locum in libris manu scriptis esse traditum; quem ad integrum feliciter se redegisse Manutius quidem sperauit Medicei uerbis leniter mutatis. Quo auctore nunc omnes sic locum emendarunt, ut reponerent: '*supra Maleas*' uel '*supra Maleam*'. Et exposuit Victorius explicatius ex Graecia in Italiam nauigantibus duos cursus fuisse, quorum alter longius se a terra remoueret, alter et breuior et periculosior Maleae promonturium premeret ea de causa *ὑπὲρ Μαλέας* dictus. Cuius rei testimonia tria collegit ex Plutarchi et Pliniorum scriptis petita, quibus locis uel de peracto illo cursu uel de angustiis periculisque eius mentio fit.

At neque his locis neque aliis, quos multos euolui, de duobus illis cursibus quidquam uerbi memoriae proditum est, neque id obliuiscendum est Plinium — ad cuius epistolam ad Traianum datam 15. imprimis ille prouocat — ab Italia *ὑπὲρ Μαλέας* Ephesum nauigasse non Athenas.

1) Itemque Ruehlio l. c. — 2) Cum Parisinus ('*maius mihi solatium mihi*') ut Mediceus '*mihi*' exhibeat bis positum cumque fieri potuerit, ut Harleianus et Turonensis communi ac facili errore alterum tantummodo reciperent recte fortasse Wesenbergius et Klotzius prius '*mihi*' in '*enim*' mutauerunt. — 3) Ex qua scriptura restitui solet '*die cum*', sed id etiam factum esse potest ut '*diem*' ex priore '*diem*' repeteretur.

Sed sint licet omnia, quae Victorius disputauit, uerissima rectissimaque, in hunc locum omnino non pertinent.

Etenim illas uias — si quidem fuerunt — non tam cursus longitudine inter se distulisse — ut qui celerius Romam peruenire uellet hanc, qui tardius illam ingredi constitueret — quam nauigandi facilitate, ut turbido mari qui profecti essent prudentes quidem promonturii pericula longiore cursu circumuecti euitarent, sic in aperto esse mihi uidetur, ut nullis testimoniis egeat.

Qua propter quod Plinius Traiano nuntiat se Ephesum cum omnibus suis *ὑπὲρ Μαλέαν* nauigasse[1]) nihil sane miri habet; ante profectionem utrum super Maleam ueheretur necne a nullo certe aut reputatum aut constitutum est. Neque adeo Marcellus festinasse uidetur, ut breuissimam quamque uiam omni ratione peteret, cum contra Ciceroni iam in mentem uenisset subuereri interdum, ne ipsum illum delectaret tarda decessio (ep. 10, 1).

Accedit etiam id, quod et '*supra*' et '*Maleas*' recedunt a communi loquendi consuetudine[2]) scribendumque certe Seruio fuit '*super Maleam*'.

Itaque sagaciorem Manutii coniecturam quam ueriorem esse existimo atque ut ipse quod sentiam profitear, in archetypo X fuisse suspicor '*sub Kal. Maias*'[3]) in quibus uerbis '*Maias*' socordis neglegentisque interpolatoris est.[4])

Quae si recte a me disputata sunt, uerba antecedentia, quibus Marcellus postero die nauigaturus fuisse aperte dicatur, integra esse non possunt. Eadem uero ipsa ansas offendendi praebent non paucas.

Atque aiebat primum quidem Marcellus se nauigaturum, cum Seruius disgrederetur essetque etiam in disgrediendo, non cum esset iam disgressus. Plusquamperfectum tempus q. d. recte se haberet, si scriptum esset: '*ille sese nauigaturum esse aiebat, cum digressus ego essem*'.

Deinde in tali praesertim epistola, qualis haec est, maxime mirum uidetur uerba '*Postero ... erat*' omnia una periodo coniungi, in quibus uerbis inter primariam enuntiationem ('*ille* ...

1) Verba insequentia: '*quamuis contrariis uentis retentus*', quae ad posteriora spectant, Victorius falso cum superioribus coniunxerat. — 2) Cf. Wesenbergii emend. alter. pag. 9. — 3) Ex qua scriptura maiusculis litteris exarata et Medicei et codicis Y natae sunt frequentissimis erroribus. — 4) Quam neglegentiam haud ita mirabere, si cogitaueris grammatici illius animum haec uerba legentis non ut Seruii scribentis in diebus ante Kal. Iun. sed totum in Mense Maio uersatum esse.

erat') et secundam (*'ab eo digressus cum essem'*) tertia (*'eo consilio . . . absolueram'*) inseratur ex secunda dependens eaque ipsa ex duabus partibus nulla sententiarum necessitudine cum primaria (Marcelli nauigatione) consociatis composita atque ita per hoc, *'eo consilio ut'* (pro simplici *'ut'*) a secunda secreta ut — id quod toto loco pronuntiando optime animaduertes — ne confluere quidem quodammodo cum illa in unam possit.

Tum autem si postero die nauigaturum sese ille dixisset — sic enim ut intellegas uerborum *'postero die'* collocatio postulat — Sulpicius certe et, ut est humanum, perquisiuisset, et, ut alias singulas res omnes accurate perscripsit, cum Cicerone communicasset, quid inuitum Marcellum Athenis diutius retinuisset.

Denique in eadem structura ter deinceps foede et absone iterata semper haesi. Seruius enim quamuis ad Ciceronis politam elegantiam praesertim in tanta animi perturbatione non adspirauerit, ea tamen uix fuit sermonis inopia neque res eam aut petiuit aut attulit, ut iuxta se poneret haec: *'A. d. X Kal. Iun.,* cum — — essem'; *'postero die* — — cum essem'; *'post diem tertium eius diei,* cum — — haberem'.

Videmus autem ex Y fuisse in archetypo X non *'postero die cum ab eo digressus essem eo consilio'* ut uulgo scribitur, sed *'post d. ab eo digr. cum essem eo cons.'*.[1]) Ex qua scriptura sane quam probabile fit uerba *'cum essem'* — culpa fortasse sequentis 'eo' ex superioribus *'cum* eo *essem'* repetita esse expulso ut uidetur post *digres*sus uocabulo *'sum'* — quod ipsum propter similitudinem cum particula *'cum'* alia errandi causa esse potuit.

Sic igitur, ut omnia comprehendam, Sulpicius olim scripsisse mihi uidetur: *'A. d. X kal. Iun. cum ab Epidauro Piraeeum naui aduectus essem, ibi M.*[2]) *Marcellum collegam nostrum conueni eumque diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die ab eo digressus sum eo consilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem reliquamque iurisdictionem absoluerem; ille, ut aiebat, sub Kalendas in Italiam uersus nauigaturus erat. Post diem tertium'* e. q. s.

§ 27. Ac ne uerbis istis deletis insolentius in librorum scriptorum auctoritatem statuisse ego uidear, nunc eiusdem erroris, in quem librarios mirum quam procliues propensosque fuisse apparebit, exempla aliquot ex omnibus libris conferre placet. Quo facto,

1) Id enim Harleianus et Turonensis exhibent. Quod Parisinus solus: *'post. d. cum a. e. digr. cum essem'* scripsit, siue error est, siue (*diem:* M, fortasse ex *die cū.*) sic in X scriptum erat ad rem ipsam nihil refert. — 2) Hoc bene repositum est a Wesenbergio.

quin quod ab instituta uia aliquantum degrediar in uituperationem me incidere putem, eodem uitio implicatos alios non nullos locos expedire conabor.[1])

Atque saepissime primum quidem id accidit ut ex iis, quae antecedunt, uerba siue simpliciter repeterentur siue repetita alias uoces expellerent. Neque ullus codex eius generis uitiis caret.

Inueni exempla, quae quidem enotaui haec[2])

in uno Turonensi: I 9, 5 'etsi *et*iam primis'; 9, 20 'magna illius magna'; II 1, 2 'meus incredibilis in te amor *meus* (6, 3 conf. p. 103 adn. 1 in.); V 2, 3 'si hoc *si*dicam'; VI 11, 1 'in re et *in* hoc tempore et in salute';

in uno Parisino: III 10, 4 'sed etiam iucunda sit *etiam* ea'; VI 8, 1 'eodem dié tamen *die*'; VIII 1, 2 'erit quod *erit*' (superscriptum est '*ipi*', Mediceus exhibit '*isti*');

in codice Z: I 4, 3 'summo studio amplitudinem tuam retenturum'; 5a, 1 'Tametsi — — tamen afficior summo *studio* dolore'; 7, 4 '*uideatur*' conf. pag. 106; 9, 6 '*amore*' conf. pag. 106; 9, 23 'pertimescas *ea* scripsi'; IV 7, 3 '*duceres illud pertinacis*' conf. p. 106; V 13, 4 'gessimus praestitimus *gessimus*'; 20, 5 'est (om.: T) ita actum *est* (·\\·)'; VI 7, 4 'atque *ad* excellens'; VII 2, 1 'quod praefinisti *quod* (pro *quo*)'; 24, 2 'uide qui (pro 'quid'), succenseat (om.: T) Phameae causam '*qui*';

in uno Harleiano: I 7, 2 'tui temporis nunc et nostri quondam fuisse rationem, ut quos tu *temporis* (*tpris*) rei publicae' (uerbum superuacaneum postea deletum est); 8, 3 'nulla cum grauitate *cum*'; III 12, 2 'tempore spero *tempore* (errantem librarius ipse se animaduertit)'; IV 9, 3 'ad maliores (pro 'meliores') uenit *maiores*'; V 21, 1 'quam hoc omne *hoc*'; VI 18, 2 'ad Caesaremque *ad*- (pro *de*-) ducere'; VII 25, 2 'pr(a)eter duo nos loquimur (pro 'loquitur') isto *duo* (pro *modo*) nemo'; 28, 1 'te in*te*gre etiam (&) pro 'te in Graeciam'; VIII 3, 1 'facta et qui qui qu(a)e mea *facta*';

in codice Y: I 2, 1 'frequenter *que*sierunt' pro 'frequentes ierunt (frequenter sierunt: M)'; 9, 18 'et diuina — — res *in ira*' conf. pag. 113; VIII 1, 4 'est neque *est* (.\\· pro 'haec')'; 3, 1 'si fio *si*'.

1) Hanc rationem postquam ipse meo Marte periclitatus sum, in Platonis scriptis recensendis a Martino Schanz iam susceptam esse ex eius prolegomenis Symposio praemissis (§ 6 *De uitiosa uerborum repetitione*) cognoui. — 2) Quae ex repetitione orta sunt, litteris *inclinatis*, quae errandi causam dederunt, diductis et in his exemplis et in locis infra tractandis scribi uolui.

in Mediceo solo: III 6, 4 'late enim patet hoc uitium et est *enim* in'; 10, 1 'et ages uictor *et* ex'; IV 7, 1 'tamen et amicitiae *tamen*' (sed significatur delendum); 7, 3 'cum tibi nihil *tibi*' (priore circumscriptio)[1]); V 8, 2 'hominum laude aliena dolentium *hominum*'[2]); 16, 4 'qui occiderunt miserias *occiderunt*' (sign. del.), 16, 6 'etenim si nulla fuit unquam *si* liberis'; VI 14, 2 'ad Caesarem atque *ad*'; VII 32, 1 'equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum *ita* meorum'; VIII 1, 3 'ut non appareat *ut* quid'.

Deinde ex insequentibus uerbis eiusmodi additamenta petita sunt

in Turonensi: I 7, 3 'nonnihil *propter* suspicantem propter· (pp) aliquorum'; 9, 19 'sic *me* fouebant sic me'; 9, 20 'ego *me* effudisse me'; VI, 6, 2 '*ad* sapientissimum (pro — mi) at';

in Parisino: IV 5, 5 '*aliis* (pro *eum* [P_2]) qui aliis'; VII 4 'hoc *du*biduo'; 32, 2 'nisi *παράγραμμα nisi* bellum nisi';

in codice Z: I 7, 2 'fortasse*que* plerisque'; IV 13, 4 'in quibus *etiam nos* es hoc tempore — — in quibus etiam nos sumus'; VI 8, 1 'quod *etiam negare* (pro '*eorum animos*') non offenderet aut etiam negare'[3]); VII 6, 2 '*ne quid* (pro '*non quit*') nequidquam';

in Harleiano: VII 1, 4 'ne forte *non* (*n̄*) uidear non';

in codice Y: VII 17, 1 '*ut* pace tua';

in Mediceo: IV 1, 1 '*me* cum me rogaret'[4]); V 18, 1 '*tuli* iam diu tuli'; 'tu *ut* cura ut'.

Restat, ut utriusque generis uitia ne ab archetypo quidem procul abesse ostendam. In quo cum pauca primo adspectu cognoscantur, plura tamen a uiris doctis iam retecta sunt, alia ipse ut patefaciam quantum potero elaborabo. Atque apertus est error I 7, 6 'qui per (*super*: Y) prouinciam atque imperii tui *prouincias*'[5]); IV 8, 1 'causa sed *causa*' (legunt: '*ea*'); V 20, 4 'cum id mihi ne recitauisset quidem, rettulisse; prudentiae *cum* (pro '*quod*') rem'[6]); VI 12; 4 'non solum ut uictor beatus, sed

1) Baiterus edidit '*nihil tibi*'. — 2) Klotzius edidit '*laude al. dol. hominum*'. — 3) Codici Z errorem attribui, quamquam haec uerba in Parisino omnino perierunt, ea de causa quod librarius nisi eandem scripturam ante oculos habuisset atque Tur., inde a uerbo '*quod*' ad '*negare*' aberrare non potuit. — 4) '*cum me rogaret*': P (Tur. deficiente), H. — 5) Scribitur ab omnibus ex Victorii coniectura quanquam ab ipso in tertia editione (conf. Ind. lect. Turic. 1839/1840 pag. 3) ex parte improbata: '*q. p. pr. a. imperium tuum pecunias*'. — 6) Primus id uidit Lambinus, cuius emendationem cum Baiterus in adnotatione critica pag. XXIV probet (Medicei lectioni praepositam) operarum incuria in con-

etiam *ut* si ita accidisset uictus ut sapiens esses'[1]); III 10, 4 'non solum *etiam* ampla sed etiam'; VI 4, 3 'quam *et*si abessemus etsi' (recte Par.: *quam si*, sed ex secundo errore).

Recte, puto, alii iam eiusmodi errores uiderunt locis his:

I 9, 23 'Scripsi etiam, nam *etiam* ab orationibus diiungo me[2]) fere referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime sicut iam a prima pueritia delectarunt] '*etiam*' Graeuius, Martyni-Laguna, Schuetzius, Wesenbergius recte deleuerunt. '*iam*' quod Klotzius et Baiterus cum Orellio substituerunt uel propter ea quae sequuntur: '*sicut* iam *a prima pueritia delectarunt*'[3]) ferri non potest.

VI 4, 1 aliquid iam actum putabam non *quo* sed quod difficilis est coniectura] '*non*' ('*n̄*') ex proxima '*m*' littera natum uidetur. Omnium[4]) certe simplicissima et expeditissima scriptura ea est, quam de sua coniectura Iosephus Frey[5]) proposuit: '*aliquid iam actum putabam*, sed quid? *difficilis est coniectura*'.

VI 13, 5 Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti — — ut non modo *cum* (MY)[6]) secunda sperare debeas, sed etiam si omnia aduersa essent, tamen — — quaecunque acciderent, fortissimo et maximo animo ferre deberes] Iam Ernestius '*cum*' quod quidem et suum librum et Mediceum omittere diceret, eicere quam Lambino praeeunte cum ceteris in '*nunc*' mutare maluit. Nunc enim i. e. hoc uerum statu nihil omnino esse desperandum iam satis significatur insequentium uerborum structura ('*si — essent, tamen — deberes*'). Ea de causa '*cū* secūda' ex uitiosa repetitione oriundum esse ego puto.

textu '*cum*' scriptum uidetur. — 1) Sic ego cum Klotzio. Verborum '*uictus*' et '*sapiens*' uis uoce '*ut*' interposita augetur, quod in sententiam conuenit; praeterea '*ut*' uerbis '*si ita accidisset*' sequentibus male ab enuntiato suo distrahitur. — 2) '*me*' desideratur in Mediceo, '*referoque me*': Y. — 3) Hiant aliquantulum extrema haec uerba; quod si epistolae familiaritati — est enim hac quidem parte uere familiaris — condonare graueris, equidem arbitror aut Martyni-Luganae coniectura '*delectant*' accepta aut uoce '*sicut*' sublata et expeditiorem et rotundiorem quasi constructionem fieri quam si de Wesenbergii (Emend. alter. p. 3) sententia commate post '*maxime*' posito inter '*me*' et '*maxime*' inicias '*nunc*' particulam, quo facto grauior et intolerabilior ellipsis existat. — 4) Afferam quas enotaui: '*non quo ego certo sciam*'; Victorius; '*non quo scirem, sed quod non* (uel '*haud*') '*difficilis*': Egnatius; *non quorsum, quod diff.*: Pantagathus; non quomodo, sed quid diff.: Wesenbergius (Emend. p. 80, Emend. alter. p. 13); '*non quo certa, sed quod facilis esset coni.*': Martyni-Laguna. — 5) Adnotationes ad Ciceronis epistolas. Pars I. — 6) '*non*' pro '*cum*': H [= Gr].

VI 22, 1 Haec quanquam nihilo meliora sunt nunc *etiam* atque etiam multo desperatiora] '*etiam*' iam Lambinus deleuerat.

VII 1, 1 *ex* illo cubiculo tuo ex quo] Verbo '*ex*' Schuetzius Baiterus Wesenbergius (Emend. pag. 89) recte '*in*' substituerunt.[1])

VII 29, 1 quo facilius tuis praeceptis obtemperare *possimus* teque ad uer lubentes uidere et nostra *de*figere deportareque tuto possimus] In quibus uerbis duo eius generis errores sunt. Alterum — '*defigere*' pro '*refigere*' — Lambino monente nunc omnes delerunt, in altero — '*possimus*' — idem ille iam offenderat Baitero et Wesenbergio dubitanter probantibus. Quibus quoniam ad dicendi inelegantiam accedit etiam errandi facilitas, ego accedo sine dubitatione.

VIII 3, 1 et tibi saepe, quod me negares discedens curaturum *tibi*[2]) litteras mitto] '*tibi*' recte hoc loco remouit Wesenbergius (Emend. p. 49).

VIII 3, 1 quam mea causa cupio. Nam *mea*] Conferas quae de his uerbis Pluygersius (Mnem. uol. XI pag. 273) et Wesenbergius (Emend. alter. pag. 19) exposuerunt.

VIII 4, 4 Cum Pompeius 'esse in Gallia' coactus est dicere *Pompeius*] '*Pompeius*' sustulit H. A. Kleynius.

VIII 6, 1 sane*quam* non ea, quam (M Y; 'qua' restituit recte Lambinus) existimaueram, inuidia] '*quam*' nescio an merito Wesenbergius Cratanderi editionem secutus circumscripserit.[3])

VIII 6, 4 quomodo hic omnia iaceant. Nisi — — Tamen quoquo modo *hic omnia iaceant*] Vide quae de hoc loco Wesenbergius (Emend. pag. 102) et Klotzius (prooem. pag. XIX sq.) disputauerunt.[4])

§ 28. Iam eos locos adiungere mihi liceat, quos similiter uitiatos ego primus suspicatus sum.

II 1, 1 Equidem neminem praetermisi, quem *quidem* ad te peruenturum putarem, cui litteras non dederim] Superuacuum uidetur '*quidem*', cum sententiae '*quem* — *put*arem' plene sufficiat; quo remoto repetitio haud suauis facile euitatur.

II 3, 1 Rupae studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine, sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum quidquam

1) Aliam de hoc loco sententiam protulit Klotzius Fleckeis. annal. uol. LXXXXVII pag. 357. — 2) Omissum casu in P. — 3) Conferas tamen Wölfflin Latein. u. romanische Comparation pag. 27. — 4) Adde X 34, 1 'ab confluente *ab* Rhodano', ad Att. VII 14, 1 'redituros esse. . . Spero *esse*'; IX 11, 4 'fugam nostram nunquam iam *nostrum* earum'; XIV 2, 2 'Processi enim . . . sermone *enim* sum retentus'.

te absente fieri, quod tibi, cum uenisses, non esset integrum. Equidem quid sentiam[1]), aut scribam ad te postea pluribus aut ne ad ea meditere, imparatum te offendam coramque contra istam rationem *meam* dicam, ut te aut ad meam e. q. s.] Extrema uerba liquida claraque ita non sunt, ut etiam non audienti quidem sed celeriter perlegenti primo adspectu plane diuersum sensum offerre possint ('*contra rationem meam*'). Quod ne fieret Orellius cum post '*rationem*' interpungeret, plus certe quam ut difficultas magis esset perspicua, non est assecutus. Quod autem Martyni-Laguna[2]) proponit scribendum '*contra istam* tuam *rationem meam dicam*', recte illa quidem uerba, quae traduntur, interpretatur, in quibus quoniam Ciceronis ratio ('*mea*') e contrario Curionis ponitur, bene apteque 'tuam' adiciatur.

Verum enimuero cum Curionis *ratio* dicatur pro consilio ab eo inito (scil. ut munera declararentur), Ciceronis *ratio* dici non possit nisi pro ratiocinatione uel argumentatione (scil. qua munera non esse declaranda illi persuasurus est) ualde hanc oppositionem claudicare apparet.

Nec uero oppositio — si esset — loco accommodata esset, quippe qua totius periodi oppositio, quae sine dubio uersatur in uerbis '*aut scribam* — *aut* — *dicam*' imminueretur atque disturbaretur. Quibus de causis '*meam*' remouendum ego putaui aut repetitum ex superiore 'ea m*editere*' aut ex sequentibus adscitum.

IV 8, 1 Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum praebeam praestemque et ad omnia, quae tui uelint, ita sim praesto, ut me non solum *omnia* debere tua causa *quae possim*[3]) sed ea[4]) quoque[5]) etiam quae non possim putem] Eadem ratione huic loco molesta repetitione impedito opitulari posse mihi uisus sum. Puto autem Ciceronem scripsisse sic: '*Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum praebeam praestemque et ad omnia, q. t. u., ita sim praesto, ut me non solum debere tua causa, quae* praestare *possim, sed etiam quae non possim, putem*'.

Conferas uelim similes locos, ut III 10, 3 '*praestat tibi memoriam beneuolentiamque quam debet*'. V 13, 4 '*Praestitimus enim patriae non minus certe quam debuimus*'. VI 42 '*praestitimus*

1) De his uerbis uideas pag. 128. — 2) Idem supra post '*meditere*' inseruit '*et*' deleto '*que*' post '*coram*', quas coniecturas ego item probare nolo. — 3) Haec duo uerba Martyni-Laguna suppleri iussit omnibus praeter Orellium adstipulantibus. Conferas Wesenbergii emend. pag. 58 sq. adn. 1. — 4) '*sed causa*': codd. — 5) '*quoque*' nunc omnes Orellio excepto recte extruserunt.

quod debuimus'; 22, 1 '*si te intellegerem plus conatum esse suscipere — — quam quantum praestare potuisses*'. IX 8, 2 '*haec ipsi praestare debemus*'. XV 15, 1 '*plus fortasse tibi praestare ipse debeo quam a te exspectare*'; ad Q. Fratr. III 1 c. III 9 '*praestare nihil debeo*': ibid. IV 14 '*Cetera eius suscipio, ut me putem praestare debere*'; ad Att. VII 14, 3 '*quod quidem ego praestare non debeo*'.

V 19, 2 quae sunt rectissima. *quae* tu si simul placebit, statim ad me uenies; sin idem placebit atque eodem nec continuo poterit, omnia tibi ut nota sint, faciam] '*quae*' cum editores in '*quare*' omnes mutauerint, ego tollere molestum uerbum ut uitiose repetitum et extrinsecus probabilius esse arbitror et ad dicendi usum rectius docere conabor. Plerumque enim Cicero in eius generis epistolis uel ratiocinationis uel enarrationis parte absoluta ad summam epistolae cohortatione aliqua expressam se conuertit nulla coniunctione adhibita.

Conferas I 5b, 2 '*Amicum ex consularibus neminem tibi esse uideo praeter Hortensium et Lucullum: ceteri sunt partim obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. Tu fac animo forti magnoque sis*' e. q. s. IV 2, 4 '*Omnino cum miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior; nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si uidebitur, ita censeo facias*' e. q. s. IV 14 ex.; VI 6 ex.; VI 13 ex.; X 29 ex.; XI 5, 2; ad Q. Fr. II 6, 3; ad Att. I 14 ex.; XI 13, 4 in.; XIII 47 ex.; XVI 13 c. ex. etc.

Quibus in locis, qui sunt innumerabiles, pronomini personali conclusiuae particulae uis quodammodo inhaeret. Ac uel inde efficitur hoc ipsum pronomen et omitti etiam[1]), neque uero cum particula esse posse consociatum. Quam legem a Cicerone quidem in epistolis ubique et quibuslibet in rebus[2]) obseruatam esse, omnes loci profitentur, quibus particulae conclusiuae obuiam fiunt. Adnotaui hos:

ergo: ad Fam. V 13, 4; VII 29, 2; ad Att. XIII 25, 2; XV 4, 5.

igitur: ad Fam. III 12, 3; IV 9, 1; 10, 1; V 15 ex.; VI 6, 7; VII 21; 24, 1; 25, 2; 31 ex.; IX 2, 4; 3 ex.; 8, 1 bis; 13, 3; 18, 3; 22, 2; 22, 3; X 6, 2; 14, 2; 26 ex.; XI 24, 1; 25, 1; [28, 3 bis]; XII 10, 4; 20; 24, 3; 28, 1; XIII 4, 3; 26, 2;

1) Idque fit saepius cum in familiari abruptoque epistolarum ad Atticum sermone, tum in fixis formulis uelut '*Cura ut ualeas*' aliisque. — 2) Siue adhortatio subiungitur, siue pergitur narratio.

28, 1; 30; 35, 2; 43, 2; 46; 52; 69, 2; 72, 2; 76, 2; XV 18, 2; 21, 4; XVI 17; 21, 1; 21, 3; ad Att. VII 9, 1; 9, 2; 9, 4; VIII 12, 6; IX 6, 7; XI 23, 3; XII 3, 2; 5, 3; 22, 1; 33, 1; 33, 2; 37, 4; 40, 2; 44, 2; 44, 3; XIII 6, 2; 7, 1; 7, 2; 10, 3; 12, 4; 14, 2; 19, 2; 25, 1; 25, 2; 26, 1; 32 ex.; 33, 4; 35, 1; 35, 2; 37, 4; 42, 1; 42, 2; 42, 3; 44, 3; 45 ex.; 46, 1; 50, 5; XIV 2, 3; 13, 4; 14, 1; 17 A, 8; 20, 1; 20, 5; 22, 1; XV 1 a, 1; 4, 2; 4, 5; 8, 1; 10 ex.; 11, 2; 13, 1; 13, 2; 13, 3; 15 ex.; 20, 3; 20, 4; 21, 3; 25; 28; XVI 1, 1; 2, 6; 3, 1; 3, 6; 6, 1; 8 ex.; 10, 1; 13 c, 1; 13 c, 2; 13 c ex.; 14, 4; 15, 3; 15 ex.; 16 B, 9; 16 F, 18.

itaque: ad Fam.: IV 12, 2 (Y); V 13, 5; VI 6, 1; 16; VII 22; IX 15, 2; X 5, 2; [15, 2; 15, 3; 18, 2; 18, 3; 18, 4; 23, 2; 23, 3; 30, 3; 34, 1]; XI 6, 3; 16, 1; 21, 2; 21, 5; XII 9, 2; 10, 3; [15, 3; 15, 5]; 22 ex.; XIII 21, 2; 28 a, 2; 30, 2; XVI 14, 1; 18, 2. ad Att.: XI 18, 1; XIII 20, 3; XIV 10, 1; 14, 3; XV 4, 2; 20, 2; 21, 1; XVI 4, 3; 4, 4; XVI 13a, 1; 13 a, 2.

proinde: ad Fam.: IX 20, 2; XII 6 ex.; ad Att.: I 10, 6; II 14, 1; V 11, 5.

quamobrem: ad Fam.: I 9, 20; II 6, 4; V 8, 5; 11, 1; 17, 3; VI 8, 2; 14, 3; VII 2, 3; IX 1, 2; [9, 2]; 16, 4; X 10, 2; 25, 2; XI 5, 3 bis; 7, 3; 21, 4; XII [15 ex.]; 22, 3; 25, 5; XIII 1, 5; 5, 2; 32, 2; 45; 49; XV 4, 16; ad Att.: I 16, 9; III 1; VIII 12 B, 1; 12 B, 2; 12 C, 2 bis; IX 6, 5; 11 A, 3; X 14, 2; XI 16, 3; 25, 1; XIII 32, 1; XVI 5, 2; XVI 16 D, 14.

quapropter: ad Fam.: VI 5, 4; IX 4, 1; 13, 2; 13, 4; X 2, 2; XI 27, 6; XIII 7, 5; 24, 3; 31, 1; 34; 39; 44; ad Q. Fratr. I 1 c; IX 27.

quare: ad Fam.: I 7, 4; 10; II 1, 2; 3, 2; 5, 2; 10, 4; 10 ex.; 12, 1; 15, 1; III 8, 5; 9, 2; IV 3, 2; [5, 6]; 15, 2; V 10b; 20, 1; VI 1, 1; 1, 4; 13, 3; VII 4; 10 ex.; 18, 1; 29, 1; IX 7 ex.; [9, 3]; 21 ex.; X 3, 4; [4, 2; 4, 3]; 10, 2; [21, 6; 31, 5; XI 2, 2]; XI 6, 1; 22, 2; 27, 8; 28, 5; XII [14, 5]; 26, 2; 30, 5; XIII 7, 1; 12, 2; 13; 23, 2; 27, 3; 28 a, 2; 54; 56, 1; 71; 71, 5; XIV 2, 3; 3, 2; 6; 12; XV 4, 7; 8; 10, 2; 13, 3; 15, 4; XVI 3, 2; 4, 1; 22, 1; 25. ad Q. Fratr.: I 1c. X; 30; c. XIII 37; c. XIII 38; c. XIV 42; 2 c. V 16 ex.; III 1 c; VI 22; 9, 3; ad Att.: I 4, 3; 5, 1; 8, 2; 18, 7; 18, 8; II 2, 2; 5, 1; 10; 11, 1; 13, 2; 16, 3; 22, 4; III 8, 4; 15, 8; 23, 5; IV 3, 6; 4 a; 7, 2; 11, 2; V 15, 3; 18, 3; VI 1, 10; 5, 1; VIII 12, 5;

12 D, 2; IX 9, 1; X 1, 3; 4, 1; [8 A, 2]; XI 3, 1; 8, 2; 9, 3; 11, 2; 12, 2; 18, 2; 24, 1; XII 12, 2; 30, 1; 37, 2; 37, 4, 50; XIII 14, 1; 21, 3; 23, 3 bis; 25, 3; 49, 2; XIV 20, 3; 21, 4; XV 15, 4.

quo circa: ad Fam. XI 21, 2.

Quibus ex locis multis, quorum numerus facile amplificari potest, pronominum personalium frequentiorem usum, quem in epistolico sermone esse inter omnes constat [1]) in conclusiua enuntiata non pertinere iam uides. [2])

Rectissime autem haec quoque enuntiata, ut in dicendi generibus magis a cotidiano sermone remotis, pronomine personali ibi non carent, ubi aut oppositio quaedam est (ut ad Fam. II 1, 1; V 8, 4; VI 18, 5; VII 31 ex.; ad Att. XII 48; 11, 1) aut cuius persona imprimis premitur (ut ad Fam.: XI 5, 1; XII 8, 1; XVI 4, 2; ad Att.: VI 6, 4; XI 12, 3; XVI 7, 2).

Itaque, ut ad rem redeam, eo loco de quo quaestionem instituimus, cum neque oppositio ulla sit, neque in persona maior uis, uerba quae restituta sunt '*quare tu — — statim ad me uenies*' non esse ferenda demonstrasse meamque emendandi rationem satis corfirmasse mihi uideor.

Eodem loco — ne ceteris incommodis deesse uidear — mo-

1) Conferas quae de eadem re reponit Hofmannus ad V 2, 3. — 2) Paucissimi sunt loci, qui huic legi non parent. Neque enim ad Fam. II 8, 1 ('*Quare ego nec praeterita nec praesentia abs te, sed ut ab homine longe in posterum prospiciente futura exspecto*') neque V 2, 10 ('*Quare non ego oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui*') adiciendi pronominis '*ego*' causam uideo, ac fortasse utroque loco tollendum est hoc inter '*nŌOppugnaui*', illo inter '*quar∈n∈C*' ex facilibus erroribus additum (G̊); ad Att. XII 51, 2 traditur '***tu igitur id curabis***', cum exspectes '*id igitur curabis*'. XIII 11, 2 in uerbis '***tu igitur, si Seruilia uenerit, si Brutus quid egerit, etiam si constituerit, quando obuiam; quidquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes***', ultimum '***scribes***' dubito an alienum sit, nisi auctor enuntiati initium multis interpositis ipse oblitus est; XIII 37, 3 ('*Eam tu igitur, si me amas, curabis*') recte puto editio Romana princeps '***tu***' ('***ru***') eiecit ex proxima littera '***m***' natum. Quos locos, etiamsi codicum memoria Ciceronis uerba genuina seruauerit, tamen, ut sunt paucissimi, neglegentiae cuidam auctoris tribues ac pro exceptionibus sumes, neque uero ad eos ex coniectura alium accommodabis, qui praesertim ipse etiam facilius expediatur.

Id denique epistolarum sermonis proprium esse uidetur, ut in abruptis enuntiationibus pronomen quasi pro uerbo substituatur uelut ad Att. XII 28, 1 '***Tu igitur, ut coepisti***'. 47 '***Tu igitur, ut fecisti; nec id incommodo tuo***'. XV 4, 5 '*Ego igitur ad eum litteras*'.

lestissime fero aposiopesim quam continent uerba haec: '*si simul placebit — — sin idem placebit atque eodem nec continuo poterit*'.

Cui rei ut medicinam adhiberet Martyni-Laguna enuntiationis structuram adaequauit ad VI 18, 1 '*Simul accepi litteras, statim quaesiui e Balbo.*' et Att. VIII 11, 7 '*Simul aliquid audiero, scribam ad te*' uocabulo '*si*' ante '*simul*' sublato.

Neque uero haec emendatio quamuis simplex sententiae ulla ratione satisfacit; ac primum quidem ipsa difficultas non tota remouetur, sed ex parte residet. Inepte enim infra ('*sin idem placebit atque eodem nec continuo poterit*') ueniendi uerbum ex proximis uerbis auditur, proinde ac si ad familiarem iucundamque congressionem aliquo loco ('*eodem*') inter se faciendam Cicero amicum inuitauerit.

Deinde autem Cicero, quippe cuius uerbis et iis quae antecedunt et quae subsequuntur satis appareat Mescinium Rufum missa epistola non certum causae suae cum ipso communicandae consilium declarasse, sed propensiorem tantum uoluntatem indicasse, scribere certe non potuit: '*tu simul placebit, statim ad me uenies*', quasi certum statutumque esset illum uenturum nec ulla iam quaestio intercederet nisi de ueniendi tempore.

Quibus rebus perpensis cum tam simplici ratione huic loco mederi non possimus, ego quidem aliquid intercidisse suspicor, ac quoniam procul dubio de itinere communiter in Graeciam faciendo agitur, conicere in promptu est ante '*placebit*' omissam esse uocem '*proficisci*'.

Infra autem quin '*idem*' ex '*quidem*' corruptum esse Martyni-Laguna rectissime uiderit non dubito, cum praesertim tradita uerba falsam submoueant opinionem, ut auctorem priusquam pergeret '*sin* (tibi) *idem* (ac mihi) *placebit*', ipsum suam modo agendi rationem explicatius protulisse putaueris.

Sed ut iam finis disputandi fiat, qualem olim totum locum scriptum fuisse arbitror, adscribere placet. 'Tu si simul proficisci placebit, statim ad me uenies; sin quidem placebit atque[1]) eodem, nec continuo poterit[2]), omnia tibi ut nota sint, faciam'.

V 20, 4 Sed sic me et liberalitatis fructu priuas, et diligentiae et, quod minime tamen laboro, mediocris etiam prudentiae: liberalitatis, quod mauis scribae mei beneficio quam meo legatum

1) Martyni-Lagunae, qui hic emendauit '*sed neque*', nonne infra scribendum fuit '*omnia* mihi *ut nota sint* facies?' — 2) Cratanderi coniectura ('*poteris*') necessaria non est.

meum praefectumque[1]) maxima calamitate leuatos — —; diligentiae, quod existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec scisse me quidquam nec cogitasse; scribam, quidquid uoluisset, cum id mihi ne recitauisset quidem, rettulisse; prudentiae quod[2]) rem a me non insipienter excogitatam *quidem* putas] Ad hunc locum sic ab utriusque familiae codicibus traditum nulla cum uarietate sanandum Victorii coniecturam — '*excogitatam, ne cogitatam quidem putas*' — certe non insipienter excogitatam receptamque ab omnibus equidem tamen probare nequeo. Primum enim quam rem indiligentiae proconsulis antea Rufus dederat siue potius dedisse ab illo insimulatur (*de Volusii causa illum nec scisse quidquam nec* cogitasse) eandem (*causam Volusii ne cogitatam quidem ab illo esse*) fieri uix potest, ut nunc tribuat alii causae.

Deinde licet idem saepe sit et imprudenter et indiligenter actum, tamen si quis uel proconsul uel alius magistratus rem magnam ad suam prouinciam suumque officium pertinentem ne cogitet quidem, eum non tam in imprudentiae crimen quam in turpissimae indiligentiae uocandum esse apparet. Imprudens Cicero fuisset, si rem egisset, cuius magnitudinem rationemue non perspexisset; sin neglexisset rei magnitudine cognita, indiligens.

Tum uero ne in sententiarum quidem processum uerba Victorii bene conueniunt. Etenim Rufus non ipsum Ciceronem uituperare uoluisse sed scribam, a quo solo omnia acta putaret, ex toto loco perspicitur. Cicero igitur 'tu', inquit, 'primum quod scriba meo accusato legati praefectique mei causam me neglexisse putas, illiberalitatis; deinde quod rem tantam ne deliberatione quidem a me dignatam sed totam scribae arbitrio commissam putas, indiligentiae culpam in me confers; ceterum cum male rem gestam dicis, non illum reprehendis sed ipsum me imprudentem dicis, ipse enim gessi ('*nam et Volusii liberandi* meum *fuit consilium et ut multa tam grauis Valerianis praedibus ipsique T. Marco depelleretur* a me *inita ratio est*').

Atqui si Victorio auctore legimus: '*quod rem a me non insipienter excogitatam ne cogitatam quidem putas*' non possumus non intellegere — et sic Klotzius etiam scripsit — 'a me *ne cog. quid.*', quasi in ipsum Ciceronem Rufus inuectus sit. Quid autem

1) De hoc loco conferas quae Paullus Manutius scientissime disputauit, cuius sententiae de uerbis '*Q. Leptam*' quae in libris sunt, recidendis ego, quidquid Wesenbergius contra dixit, non possum non subscribere. — 2) '*quod*' pro '*cum*' restitutum esse supra dixi.

post haec uerba illud '*nam*' sibi uelit — cum sensu '*tamen*' postuletur — ego non uideo.

Denique ad uerba insequentia ('*Nam — ratio est*'), quae etsi aliquo modo ad totius expositionis quasi argumentum ('*Sed — sic — etiam prudentiae*') simul respiciunt, imprimis tamen haud dubie ad proximum illud '*a me excogitatam*' illustrandum destinata sunt, Victoriana emendatio etiam alia de causa accommodata non est. Non quo illud '*a me*' uehementer urgeri necesse sit, sed tantam uox '*cogitatam*' per '*ne — quidem*' assequitur oppositionis uim ac grauitatem, ut unicam totamque habere uideatur atque quae sequuntur siue per particulam '*nam*' asserantur, siue per '*tamen*', quasi ex aëre, ut ita dicam, tota suspensa sint.

Quibus rebus expositis cum Victorianam de loco emendando sententiam refutasse me sperem, qua ratione meo quidem arbitrio, difficultati succurrendum sit adumbrare placet. Exhibent igitur libri scripti: '*rem a me non insipienter excogitatam quidem putas*'; sensus autem restituendus hic: '*rem quam bene a me cogitatam putabam tu male cogitatam dicis*'. Atque duae res certae sunt; primum '*a me*' non esse attingendum, deinde '(*ne*) — *quidem*' (quidquid enim interponitur, semper '*a me*' contra sententiam supplebitur) non esse ferendum. Quod '*quidem*' ex '*quodem*' uel '*quadem*' uel simili corruptum esse coniceres, nisi non uerisimilius sed paene manifesto ex superiore uersu esset repetitum.

Sensum igitur, qui postulatur, efficias sic fere scribendo: 'quod rem a me non insipienter excogitatam refutas'[1]) (von der Hand weisest, nichts davon wissen willst, tadelst) uel 'improbas'.

Apte his adiunguntur: '*nam et Volusii liberandi* meum *consilium*' (denn wisse) e. q. s.; apte hoc ipsum imprudentiae crimen paucis tantummodo uerbis tangitur, quippe quod minime se laborare asseuerauerit.

VI 4, 4 Adiuuat *iam* aetas et acta[2]) iam uita] Prius '*iam*' in cuius locum '*etiam*'[3]) substitui solet, cum ne id quidem necessarium sit, ex posteriore sumptum esse puto.

VI 6, 2 et audio et spero *et*si non sapientissimi at amicissimi hominis] Solet dici '*si non — at*', non '*etsi non — at*'.

1) Conferri potest ad uerbum refutandi pro C. Rab. Post. XVI § 44 '*quam — — bonitatem — — non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam et augere debetis*' et disp. Tusc. II 23 § 55 '*refutetur ac reiciatur Philocteteus ille clamor*'. — 2) '*et ea uita*': P H. — 3) Sic H ex errore.

VI 20, 1 Nihil est praeterea cur aduentibus (M; adeuntibus: Y) te offerre gestias; multa *praeterea* metuo, quae cum Cilone nostro communicaui] Exposuerat Cicero Thoranio exsulanti fortasse Corcyrae, qui perfugio suo relicto alium in locum se conferre cuperet, quibus de causis — scilicet propter pericula nauigationis et eius loci, ubi esset, opportunitatem — ibidem remanere, ubi esset, maxime conduceret. Rectissime igitur transgrediens ad nouum argumentum, quod petit ex eius quo ille tendebat loci inopportunitate, Cicero pergit: '*Nihil est* praeterea, *cur*' e. q. s.

Quare errabant cum Graeuius, qui nescio an codice suo deceptus[1]) hoc '*praeterea*' eiceret, tum magis etiam Martyni-Laguna qui '*propterea*' reponeret.

Altero autem loco cum '*immo uero*' uel '*contra*' apta essent — subiungitur enim non modo exoptandam non esse loci mutationem, sed etiam cauendam —, '*praeterea*' sententiam impedit.

Ceterum '*adeuntibus*' quoque quod Y exhibet, codicis Medicei scripturae mihi praestare uidetur.

§ 29. Iam ut, unde sumus profecti, eo nobis reditum quodammodo paremus, locos eos tractabimus, quibus codicis Y apographis in repetitionis uitio recognoscendo adiuuamur.

I 7, 2 uehementer quosdam homines et eos *maxime* (M; *om.*: Y [= Gr]), qui te et maxime debuerunt et plurimum iuuare potuerunt] Conferas II 1, 1 '*A. te uero bis terue summum* (scil. *epistolas*) et eas *perbreues accepi*'; ad Q. Fratr. III 5 et 6, 1 '*praesertim cum essem non Heraclides Ponticus sed consularis* et is *qui in maximis uersatus in republica rebus essem*'; Verr. II 62, 152 '*siue togatum siue Siculum rogato* et eum, *qui tibi inimicissimus esse uidebitur*'.

I 9, 16 cumque Metellum unius tribuni rogatio, me uniuersa respublica duce senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente consule, comitiis centuriatis cunctis ordinibus *hominibus* (M; *omnibus*: Y) incumbentibus: omnibus denique suis uiribus reciperasset] Graeuio praeeunte '*hominibus*' ex '*omnibus*' ortum Schuetzius et Wesenbergius (Emend. alter. pag. 2) probe iam expunxerunt, quorum rationem Y scriptura confirmat.

Ceterum improbo editores, quod coniecturae Schuetzianae specie quadam capti supra omnes emendant '*promulgantibus octo tribunis*', cuius scripturae ne in Y quidem uolam uestigiumue

1) Nec non idem Harleianus omittit, quod nullius tamen contra consociatam MPT auctoritatem momenti esse potest.

uidemus. Ductus est Schuetzius ad hanc emendationem, ut ipse confitetur, eo consilio, ut uerbis qui antecedunt '*unius tribuni pl. rogatio*' oppositionem restitueret.

At Ciceronem, si profecto unius tribuni rogationi opponi uoluisset promulgationem octo tribunorum, aut haec uerba insigniore loco positurum aut potius totam structuram mutaturum ita fuisse puto ut fere scriberet: '*cumque Metellum unius tribuni pl. rogatio, me octo tribunorum promulgatio atque (uel potius) uniuersa respublica*' etc.

Accedit aliud. Legimus enim loco huius simillimo or. pro Mil. XV § 39, ubi eodem modo de reuocatione sua Cicero gloriatur, haec: '*At quod erat tempus? Clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor uestrae uoluntatis, patronus publici consensus, restitutor salutis meae: septem praetores, octo tribuni plebei, illius aduersarii, defensores mei*' e. q. s. Cicero igitur eo loco, de quo quaeritur, idem certissime consilii secutus, ut splendorem reditus maxime illustraret [1]), cur si octo tribunos commemorasset, non adiecturus fuerit septem praetores tuo iure mirabere.

Atque hos si appellare noluisset, nonne item prudentius fuit, illorum quoque numerum tacere [2]), quo commonefacto ipse profiteretur fuisse etiam eos, qui rei suae non fauerent?

Nihil igitur habet offensionis codicum memoria. Verba enim '*promulgantibus omnibus*' — et aptiora ad hunc locum et ueriora ad rem — non modo ad tribunos pl., sed ad omnes magistratus spectant, qui praeter Sextum Serranum et Numerium Quinctium, tribunos de lapide emptos, et Appium praetorem, Clodii fratrem, cuncti de Cicerone restituendo legem promulgarunt. [3])

II 16, 2 incurrit haec nostra laurus non solum in oculos sed *iam* (M; *om.*: Y) etiam in uoculas maleuolorum] Probam igitur Martyni-Lagunae sententiam idem '*iam*' reicientis esse ego arbitror.

1) Locus ad quem Schuetzius prouocat (pro Sestio XXXII § 69 '*De meo reditu octo tribuni promulgauerunt*' et § 70 '*tribunis pl. octo referentibus*') huc non pertinet, cuius plane aliam esse sententiam media uerba ostendunt quae subscribam: '*Ex quo intellectum est non mihi absenti creuisse amicos — — nam ex nouem tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit*'. — 2) Sicut in Pis. XV § 34 '*Me — — frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo ac fortissimo, uiro, P. Lentulo,* consentiente atque una uoce *reuocauit*'. — 3) In Pis. XV § 35 '*De me cum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emptos tribunos legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus*'.

V 20, 2 si prouidendum fuit, ne quid aliter ac tibi et honestum et utile esset, referretur, non habui cui potius id negotii darem quam *darem* (M; *dedi*: Y [= Gr])] Wesenbergius (Emend. pag. 71 sq.) uoluit '*quam cui dederam*', quod cum Thuroto ita accipiendum est, ut '*dedi*' substituatur.

Haec quidem archetypi X memoria est, quae ipsa ego dubito an glossatori debeatur, in eamque suspicionem et Ernestium et Martyni-Lagunam uenisse uideo.

V 21, 5 homini accidere nihil posse, quod sit inhonorabile[1]) aut pertimescendum. Ego, si uidebitur recte fieri *posse* (M; *om.*: Y) ad te ueniam breui] Altero loco '*posse*' propter '*uidebitur*' non modo necessarium sed ne rectum quidem esse putauerim; nam si '*posse*' tueare, scribas, ut opinor, oportet: '*si* uidetur *recte fieri* posse'. Cum praeterea quo modo, '*posse*' addi potuerit in Mediceo appareat, quo in Y exciderit, sit obscurum, illud factum esse statuere malo quam hoc.

VI 6, 13 Apud quem quidquid ualebo uel auctoritate uel gratia, *ualebo* (M; *conciliabo*: Y) tibi] '*ualebo*' altero loco in Mediceo ex uitiosa repetitione ortum cogitari licet. At et eleganter Cicero dicere uidetur '*quidquid ualebo, ualebo tibi*'[2]) et alia huius librorum differentiae explicatio in promptu est, quae an uerior sit ego nescio. Fieri enim potuit facillime, ut in codice X — id quod sine dubio saepius accidit — nescioquis interpres alteri '*ualebo*' superscriberet '*conciliabo*', unde qui postea descripserunt librarii alter '*ualebo*', alter '*conciliabo*' in suum contextum reciperent. Conferas uelim quae infra ad V 13, 1 pag. 171 adnotaui.

VII 1, 3 non enim te puto Graecos aut Oscos ludos desiderasse, praesertim cum Oscos *cludos desiderasse* (M_1 [litteram '*c*' et uocem '*desiderasse*' delet: M_2]; *om.*: Y) uel in senatu uestro spectare possis] Cum ceteri editores M_2 fide habita alterum '*ludos*' nunc etiam retineant, Wesenbergius tandem inueteratum uitium funditus exstirpauit, cuius coniecturae auctoritas Y suffragatur.

VII 1, 6 Haec *ad te* (M; *om.*: Y) pluribus uerbis scripsi quam soleo] Codicis Medicei scriptura ut libri a lacunis immunioris quin integrior esset, uix dubitarem, nisi quae paulo post sequuntur '*subinuitares — — ut* ad te *aliquid eiusmodi scriberem*' afferrent dubitationem an inde uerba '*ad te*' adsciscerentur.

1) De hac lectione infra agam. — 2) Conf. II 11, 2 '*Quidquid erit, tibi erit*'; XIII 1, 4 '*in quo etiamsi peccat, magis ineptiis quam improbitate peccat;* ad Att. I 5, 1 '*Nam mihi omnia, quae iucunda — — homini accidere possunt, ex illo accidebant*'.

§ 30. Sed eo iam, unde huc digressi sumus, reuertamur atque propositam uiam denuo excipiamus. Venimus ad

IV 12, 2 Postea se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret et rogaret, uti medicos *ei mitterem; itaque medicos* (Y [= Gr]; *om.*: M)[1]) coēgi et e uestigio sum profectus] Erant qui codicis Medicei uerba intacta mitterent, quae nequaquam ferenda esse ego puto. Nam primum enuntiata finalia sicut '*uti medicos*', nisi certas atque communes formulas continent[2]), praedicato q. u. carere uix possunt; deinde eas ellipses, quae breuitatis causa adhibentur, non ex sequentibus uerbis — ut in Mediceo ex '*coegi*' intellegas oportet '*cogerem*' — sed ex antecedentibus suppleri solent; tum ad uerbum '*coegi*', cum obiectum non habeat, ex enuntiatione quae antecedit ('*uti medicos*') ipsa imperfecta etiam '*eos*' audiendum est; denique — id quod grauissimum est — quamuis, ut res ipsa petebat, tota epistola exquisito aut elaborato sermone non excellat, tamen nulla parte aut eandem aut similem prae se fert breuiloquentiam ac uerbosa potius copiosaque est quam contracta.

Neque quae Y exhibet uerba quaeque omnia incommoda remouent interpolatoris sapientiam ulla re redolent. Quis enim, ut alia omittam, illis temporibus tanta fuit calliditate, ut si lacunam suo iudicio explere studuisset, ita supplementum instructurus fuerit, ex quo lacuna illa nata esse facillime cuiquam uideretur?

Repetitio uero '*medicos*' uocis tantum abest, ut suspecta sit, ut in totius epistolae stilum ad actorum quasi quorundam formam accommodatum bene conueniat.

IV 13, 1 Quaerenti mihi iamdiu, quid ad te potissimum scriberem — — certa res nulla — — ueniebat in mentem; unam enim partem et consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat perfeceratque fortuna, ne quid *tibi* (Y [= Gr]; *om.*: M) tale scribere possem aut omnino cogitare] In quibus uerbis quod omisso '*tibi*' pronomine maiorem inesse uim Thurotus contendit, '*tale quid*' Ciceronem non Figulo modo, sed ne ceteris quidem omnibus scribere potuisse opinatus: idem me quoque initio quidem sensisse fateor, cum praesertim insequentia uerba '*aut omnino cogitare*' scripturae M fauere paulo magis uiderentur. Sed re semel atque iterum animo agitata, nunc in diuersam sententiam degressus sum. Etsi enim Ciceronis uerba ad reliquos simul aliquo modo ualerent, maxime tamen ille

1) A multis suppletur '*cogerem*'. — 2) Vt VII 25, 2 '*urge igitur ne transuersum unguem — quod aiunt — a stilo!*'

hoc loco in ipsius Figuli solius fortunam spectasse cum ex iis cognoscitur, quae supra sunt '*ad te potissimum*', tum ex iis, quibus uerba proposita excipiuntur: '*relinquebatur triste quoddam* — — *genus litterarum, id quoque deficiebat me, in quo debebat esse aut promissio auxilii alicuius aut consolatio doloris* tui'.

IV 13, 1 ipse enim pari fortuna *adiectus* (M; affectus: Y) aliorum opibus casus meos sustentabam] Vulgo legitur '*abiectus*', cui Y lectionem haud dubitanter praefero, quae et coniecturae faciendae necessitatem nobis remittat neque turpe quid aut humile afferat, quod '*abiectus*' habere fere solet. Conf. Or. Cat. IV 10, 20 '*eam (multitudinem inimicorum) esse iudico turpem et infirmam et abiectam*'; pro Cluentio 34, 94 '*causam . . . contemptam et abiectam*'; leg. agr. II 93 '*hominem Romae contemptum atque abiectum uidebamus*'; pro Mil. 18, 47 '*abiecti homines et perditi*'.

IV 14, 1 ne uestigium quidem ullum est *relicum* (M; relictum: Y)] Probabilius uidetur '*relicum*' ex '*relictum*' quam '*relictum*' ex '*reliquum*' descriptum esse. '*relictum*' iam Martyni-Laguna edidit.

V 2, 7 quod te audisse certo *scio* (Y [= Gr]; *om.*: M)] Wesenbergius de Benedicti, ni fallor, coniectura reposuit '*audisse credo*' atque '*certo scio*' falsum esse ex § 9 apparere contendit (Emend. alter. pag. 113). Sed uerbis ab eo aduocatis: 'Haec *si tu Metellum* cogitare (non dicit „fecisse“) *de me nescisti, debes existimare te maximis de rebus a fratre esse celatum, sin autem aliquid impertiuit tibi sui consilii*' e. q. s. Cicero non ad idem spectat ac supra (§ 7 '*quod te audisse certo scio*') scil. ad iniuriam ipsam ac solam, quam a Metello pridie kal. Ian. acceperat, sed ad omnia, quae ille in se inimicissimo animo et agebat et dicebat et cogitabat, quae quidem fratri ignota esse poterant.

V 7, 3 quam (gratulationem) ego abs te praetermissam arbitror, quod *uerere* (M; uerebare: Y [ue uerebare: Gr]) ne cuius animum offenderes] Nunc legitur '*uererere*', olim — Iani Gebhardi temporibus — uulgatum erat '*uerebare*'. Et illud et hoc per se sano sensu dicitur, sed auctoritas codicis Y commendat '*uerebare*'.

V 12, 3 a qua (gratia) te *effecti* (M; deflecti: Y)[1]) non magis potuisse demonstras quam Herculem — — a uoluptate] '*deflecti*' iam a Graeuio ex suo codice repositum Frotscherus[2]) ideo

1) '*deflectum*': P, sine dubio propter sequens '*non*' (*n̄*). — 2) M. Tullii Ciceronis ad L. Lucceium historiarum scriptorem epistola celebratissima separatim edita et commentariis instructa a Carolo Henrico Frotscher. Annabergae 1838.

improbauit, quod hoc uerbum non usurparetur nisi addita re, de qua deflecteretur. Eadem de causa Ernestius '*deflecti de uia*' ab Graeuio scriptum oportuisse iudicauerat. Sed loci non desunt, quibus '*deflectere*' sine hoc termino dicitur. Conf. de diu. I 19, 38 '*quosdam exaruisse amnes aut in alium cursum contortos et deflexos uidemus*'; pro Caec. 18, 51 '*si ad uerba rem deflectere uelimus*'. Fr. C. 19 '*Laterensis ne uestigium quidem deflexit*'.

V 12, 4 uoluptatis, quae uehementer animos hominum in *legem dote scripto retinere* (M; legendo te scriptore tenere: Y [= Gr] possit] Dubium esse non potest, quin quod Y exhibet, fuerit in X. Ex qua scriptione si '*te*' extruserimus[1]), quod quis ut adderet praua deliberatione perduci potuit, omnia bene se habebunt. Quod Ernestius eumque secuti C. E. Chr. Schneiderus[2]) et Baiterus '*te scriptore*' circumscribunt, nescio quo quem pacto haec interpolasse sibi fingant. Conf. p. Scaur. 82 '*num . . . ista tua Sarda Pythagoram aut Platonem norat aut legerat?*' Phil. V 12 '*ille . . . legit Graecos*'.

V 12, 6 neque enim tu is es *quid* (M; quicquid: Y [= Gr]) sis, nescias] Ergo recte restitutum est '*qui quid*' Wesenbergio aliis inuitis. Suepfleius conferri iubet ad Att. IV 2, 2 '*si unquam in dicendo fuimus aliquid*'; XIII 10, 1 '*Quid enim sumus aut quid esse possumus?*' Diu. in Q. Caec. XV § 47 '*ipse nihil est*'. Adde etiam ad Fam. IV 4, 5 '*nihil melius ipso est*'.

V 13, 1 quam quidem laudem sapientiae *statuo* (M; autumo: Y [= Gr]) esse maximam, non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male uiuendi suspensas habere rationes] *autumandi*[3]) uerbo utitur Velleius Paterc. I 6, 4 '*Ellissa Tyria, quam quidem Dido autumant*'; Horatius Sat. III 3, 45 '*quem — insanum Chrysippi porticus et grex autumat*'. Catull. 44, 2 '*Te esse Tiburtem autumant*'; saepissime uero antiquiores poetae, ut Plautus Pseud. IV 2, 28 '*quem hanc misisse ad me autumas?*' Terentius Heaut. prol. 19 '*deinde facturum autumat*'. Ipse Cicero Or. 49 et Top. 13 ext. ex incerto auctore: '*Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri*'.

Prisca uox accommodatissima est ad loci dignitatem namque

1) In quam coniecturam iam Martygni-Lagunam incidisse uideo. — 2) Conf. iudicium de epistola ad Fam. V 12 in indice lectionum Vratislau. 1837 prolatum. — 3) De ridenda huius uerbi notatione, quam P. Nigidius protulit, uide si placet Gell. XV 3, 4. 5. — Ipse Gellius explicat § 6: '*autumo*' non id solum significat '*aestumo*', sed et '*dico*' et '*opinor*' et '*censeo*'.

et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerit usurus.[1])

Quin primariam atque genuinam lectionem Y conseruarit, in dubitationem uocari non licet, cum quis usitatissimo uerbo insolentius substituisse credi nequeat. Quare in X interpretandi gratia '*statuo*' superscriptum fuisse atque ab illo librario pro emendatione in apographi contextum receptum, ab hoc ut alienum felicius neglectum esse putandum est. Qua cum re conferenda sunt quae exposui ad VI 6, 13 pag. 167.

V 13, 3 rationes in ea disputatione a te collectae uetabant me *rei publicae* (M; d e r. p.: Y) penitus diffidere] '*diffidere de re publica*' melius in rem quadrare, quoniam Cicero non tam ipsi reipublicae quam propter eius perturbationem suis rebus diffideret, recte Thurotus cognouit. Cui ego assentior coll. ad Att. XII 43, 2 '*De Othone diffido, fortasse quia cupio*'.

V 14, 1 Romae quia postea non fuisti quam *discesserat* (M; [*a me discesserat*: M_2]; d i s c e s s e r a m: Y [= Gr]) miratus sum] Medicei lectionem falsam esse constat, quam ab Orellio in '*decesserat*' (scil. Tullia) intolerabili cum aposiopesi mutatam Wesenbergius (Emend. pag. 93) rectissime certe arbitratus ipse antiquam coniecturam (M_2) probauit '*discesserat*' in '*discesseras*' emendando.

Nunc priusquam ad coniecturam confugiamus, codicis Y rationem haberi oportet, qui loco non deest, etiamsi integrumne sit '*discesseram*' an ex '*discesseramus*' ('*discesseram̄*' scil. '*inter nos*') uitiatum in rerum obscuritate pro certo affirmari non potest.

V 14, l. 2 Si solitudine delectare, cum scribas et aliquid agas eorum, quorum consuesti, gaudeo neque reprehendo tuum consilium — — (§ 2) sin autem sicut[2]) *hinc dicas seras* (M; *indicas*: Y [= Gr]) lacrimis ac tristitiae te tradidisti, doleo, quia doles et angere] Est locus usque ad id temporis admodum desperatus. Plerique enim cum editione Neapolitana emendant: '*sicut hinc discesseras*', alii et uiolentius neque rectius cum Paullo Manutio ex peioris notae libris manuscriptis: '*sicut hic dum eras*'.

Quo autem modo, quaesumus, aut qualis discesserat hinc — scil. Romae —Cicero? aut erat hic?

Neque aliter haec uerba intellegere possumus nisi suppletis fere his: '*lacrimis ac tristitiae traditus*'. Atque siue illam con-

1) Sic Quintilianus VIII 3, 24. Cf. infra § 26. — 2) '*sicut*' om.: Z.

iecturam siue hanc probaueris, in sequentibus uerbis aptam desiderabis oppositionem. Exspectes enim necesse est uel: '*sin autem sicut hinc discesseras* (scil. *lacrimis ac tristitiae traditus*) [sic] ibi etiam *lacrimis ac tristitiae te tradidisti*' uel '*sin autem, sicut hic dum eras* (scil. *lacrimis ac tristitiae traditus*), [*sic*], ibi iterum — — *te tradidisti*'. Cuius modi notio in apodosi ita demum abesse posset, si in protasi pro '*sicut — discesseras*' esset uel '*cum — discessisses*' uel '*postquam (ex quo) — discessisti (discesseras)*', si temporalis esset constructio, non comparatiua.

Ac ne Y quidem illis coniecturis fauet, cuius ipsius tamen lectionem, qua sanum bonumque sensum effici Thurotus iudicauit, ego integram atque aptam esse nego.

Ubi enim indicauerat Cicero in tristitia et lacrimis se etiamtum uersari? An idem ipsius Lucceii consolationi disertis uerbis rescripserat (ep. 13, 4) se et domestica maximo animo laturum et publica paulo etiam fortius quam qui ipse praeciperet Lucceius? Atque totius illis litteris de industria summam animi tranquillitatem ostentasse uidetur dissimulata fortasse tristitia, quasi qui amicorum consolatione omnino nulla iam egeret.

Quid! Lucceius si profecto de Ciceronis animo ex molestiis nondum recreato certa aliunde indicia habuit, cur supra scripsit: '*Si te solitudine* delectare, *cum* scribas — — gaudeo' ac non potius: '*Si* — delectarere, *cum* scriberes — — gauderem *neque* reprehenderem *tuum consilium?*'

Errauit igitur Thurotus. Nullum quo animo Cicero tunc ipsum esset indicium aut nuntium Lucceius acceperat, sed amicum iamdiu impatienter exspectatum quae in solitudine etiam retinerent, cum ipse secum reputasset, duas tantum causas reperire potuit. 'Aut enim ille' — sic uidetur deliberasse — 'pro sua consuetudine scribit aliquid libentissime hoc otio usus, aut illius epistolae fortitudine simulata redire non uult propter animum a molestiis angoribusque nondum abductum'. Illud autem ut ita se haberet, exoptabat, hoc ne uerum esset, magis in dies subtimebat urbis negotia amicorumque consuetudinem ad maerorem leuandum idonea fore sperans.

Itaque uerbis illis, quae corrupta sunt, epistolographus, cur Ciceronis de fortitudine sua asseueratione non audita in hunc timorem descendisset, quasi argumentationem uel potius excusationem quandam iniecisse mihi uidetur, quam ex amici animo post mortem Tulliae afflicto ac paene fracto petitam esse facile est ad coniciendum.

Hac re in deliberationem adhibita ex codicum uestigiis inter se collatis fere ueram scripturam indagasse mihi uisus sum hanc: 'sin autem, sicut inclinatus eras, lacrimis ac tristitiae te tradidisti'.

'cl' et '*d*' non semel in libris scriptis confunduntur ut II 10, 3 '*detharcus*' (Z) pro '*Clitarchus*'; VII 23, 4 '*elexius*' (H) pro '*Dexius*'. I 5 b, 1 '*clari*' (T) pro '*dari*'; IV 7, 2 '*praedare*' (H) pro '*praeclare*'; 12, 2 '*Aciclini*' (H) pro '*Acidini*'; V 12, 6 '*clemens*' (P) pro '*demens*', 20, 2 '*minclium*' (P) pro '*Mindium*'; VII 28, 2 '*pelopiclarum*' (H) pro '*Pelopidarum*'; nec non littera '*h*' saepe numero additur, sic scribitur '*his*' pro '*is*'[1]) sexcenties; saepissime '*habundantia*', '*honus*' similia. Ad falsam uerborum separationem conferas V 12, 4, *legem dote scripto retinere*: M (pag. 170).

V 21, 5 Tu si me diligis, fruere isto otio tibique persuade praeter culpam [ac peccatum], qua semper caruisti et carebis homini accidere nihil posse, quod sit *honorabile* (M; inhonorabile: Y)[2]) aut pertimescendum], '*inhonorabile*' ne ex Medicei scriptura iamdiu coniceretur, certe non tam coniecturae difficultate quam eo factum est, quod hoc uerbum nisi semel apud Tertullianum[3]) omnino usu non uenit.

At si IV 3, 2 uerbum '*consolabilis*' et ipsum *ἅπαξ λεγόμενον*[4]) unus quisque recte ac merito recepit codicis Medicei auctoritate fretus nulla cum dubitatione, cur de uerbo '*inhonorabile*' dubitemus, quod in principali codice fuisse apparet? Quid, quod Cicero uerborum: '*honestus* : *inhonestus*', '*honoratus* : *inhonoratus*' ratione ut '*honorabilis*[5]) : *inhonorabilis*' siue conformaret siue usurparet quidem facillime perduci potuit?

Quod uero attinet ad sententiam, Cicero sese eum esse pro-

1) De hac confusione explicatius egit Gottholdus Meutzner Fleckeis. annal. uol. LXXXIX p. 155. — 2) '*honorabile*': H; '*inhonorabile*': Graeuianus. Errauerunt igitur M et H eodem ac facillimo modo, ut post '*sit*' omitterent 'ĩ (= *in*)'. — 3) Aduers. Marc. 3, 17 '*Si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis meus erit Christus*'. — 4) Praeterea inuenitur '*consolabilis*' Ambros. ep. 8 ('*consolabilis decessio feminae*'). Gell. XVI 19, 12 ('*canere carmen casus illius sui consolabile*') alia cum significatione non de re quae consolationem requirit, sed quae affert. Permulta uoc·bula sibi Cicero. siue ipse formasse in epistolis siue sumpsisse ex sermone cotidiano uidetur ut II 13, 2 et ad Att. XIV 15, 2 '*subdubito*'; Qu. fr. II 6, 5 '*suboffendere*', IV 10, 1 '*subcureor*'; Att. II 7, 3 '*subcontumeliose*'; Att. II 17, 2 '*subinanis*'. VII 17, 1 '*subimpudens*'; Qu. fr. III, I 1, 2 '*subgrandis*'. Att. I 5, 4 '*subodiosus*'; Att. IV 5, 1 '*subturpiculus*'; VII 33, 2 '*limatulus*'; 16, 1 '*rabiosulus*', alia. — 5) Quae uox item praeter Cic. de senect. 18, 63 (Liu. IV 10 extr.?) apud bonos scriptores usu nusquam uenit.

fessus, qui nullius uim plus ualere uellet quam honestum otium, aptissime ad haec uerba spectans amicum hortatur: '*tu* — — *fruere isto* otio *tibique persuade praeter culpam* — — *homini accidere nihil posse, quod sit* inhonorabile *aut pertimescendum*' i. e. quod dignitati aut saluti noceat.

Editores reposuerunt '*horribile*', quo nihil esse posse incommodius Thurotus iam rectissime uidit. Cui uerbo cum grauior uis subsit quam sequenti, dicere non potest '*horribile* aut *pertimescendum*', quae particula seu bis posita contrarias res excludere, seu semel uerbum cui praecedit urgere solet.

Neque idem non cadit in '*intolerabile*', quod cum in seminarii philologorum scholis de hoc loco disputarem, quidam restituendum proposuit. Praeterea intolerabile quidquam a Mescinio putari Cicero quod suspicaretur ita non habuit, ut summo eum animo omnia ferre ex proximis litteris se intellexisse affirmaret.

Paulo supra '*ac peccatum*' reiciendum censeo; accedit enim ad structurae insolentiam[1]) et quod quotiescunque Cicero de eadem re loquitur[2]), uno *culpae* uerbo semper utitur, et quod si hoc loco uerba synonyma coniungere uoluit, potius ei scribendum fuit '*peccatum atque culpam*', quoniam haec nascitur ex illo. Additamentum eiusdem generis puto esse atque II 7, 3 uerba '*atque* [*in*] *causa*', de quibus quod suo loco disputaui uelim conferas (pag. 143 sq.).

VI 1, 1 oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri *coguntur* (M; cogunt: Y)[3]) nec auertere a miseriis cogitationem sinunt] Male quemque habebit haec oppositio: 'oculi *intueri coguntur*, ceteri *audiunt*'. Y et hanc difficultatem expedit et orationem concinniorem reddit.

VI 1, 5 dolebamque pilis et gladiis non consiliis neque

1) De qua uide A. S. Wesenbergii Obseruationes criticas in M. Tullii Ciceronis pro P. Sextio orationem, Viburgi 1837 pag. 13. Sed similes loci quos ibi affert (de leg. I 1, 1; ad Fam. X 24, 1; de nat. deor. II 47, 120; ib. 62, 156) quemque Klotzius addidit (ad Fam. X 25, 1) his tamen rebus huic admodum dissimiles sunt, quod uno (de nat. deor. II 62, 156, ubi de corruptione cogitare licet) excepto omnibus participium ad longius remoti substantiui genus accommodatur non pronomen relatiuum atque omnibus nullo excepto hoc uerbum non iuxta id ipsum substantiuum positum est, cuius genus repudiauit, sed aliis uerbis interpositis. — 2) Videas locos apud H. A. Kleynium, a quo in Obseruationibus criticis in Ciceronis epistolas ad Familiares 1860 (pag. 5—7) eadem uerba expulsa esse postea cognoui. — 3) Scriptura codicum PH '*cogt*' pro '*cogt̄*' perspicue aperit, quo pacto Mediceus errauerit.

auctoritatibus *nostris* (M; om.: Y) de iure publico disceptari] Scribi potuit '*non armis nostris*' scil. in quibus nos exercitati paratique sumus; '*non consiliis neque auctoritatibus nostris*' non item. Recte H. A. Kochium postea uidi idem illud '*nostris*' de coniectura sua sustulisse ut a sciolo librario temere additum; disceptare enim non unius esse partis sed utriusque, '*nostris*' autem ad Pompeianos tantum referri posse ex uerbis proximis '*nos*' et '*per nosmet*' perspici.

VI 1, 6 non debes . . . dubitare, quin aut *aliqua* (M; reparata: Y) republica sis is futurus qui esse debes, aut perdita non afflictiore conditione quam ceteri] Carent uerba Medicei insigniore oppositione, quae ceteris eiusmodi locis inuenitur; conferas II 16, 5 '*filio meo . . . . si erit* ulla *respublica, satis amplum patrimonium relinquam . . . ., sin autem* nulla *erit, nihil accidit*'. IV 8, 2 *si sit* aliqua *respublica, in ea te esse oportere, iudicio hominum reque principem . . . ., sin autem* nulla *sit*'; V 16, 3 'bona *aut denique* aliqua *republica*'; VI 6, 13 '*necesse est enim minore desiderio* perdita *re publica carere quam* bona'; VII 3, 4 '*si esset* aliqua *forma reipublicae, tanquam in patria ut essem, si* nulla, *tanquam in exilio*'; IX 8, 2 '*utinam* . . . aliquo, *si non* bono *ac tamen* certo *statu ciuitatis haec . . . studia exercere possemus*'.

Praeterea pro '*si perdita erit respublica, is eris*' recte dicitur '*perdita republica is eris*'; minus bene '*aliqua republica is eris*' pro '*si erit aliqua*' scil. '*qualiscunque erit res publica in ea is eris*' (cf. IV 8, 2 quae uerba supra exscripsi).

Is denique, qui debebat Torquatus esse, nisi in bona republica esse non potuit; in aliqua id summum assequi, ut animum, sicut Marcellus admonetur (IV 8, 2), induceret, se esse oportere iudicio hominum reque principem — necessitate cedentem tempori. Nec igitur quod Mediceus exhibet uacat reprehensione.

Neque tamen Thuroto alterius classis scripturam probanti assentiri possum: primum quod *reparandi* uerbum semel tantum quod sciam a Cicerone usurpatur idque non cum restituendi uel reficiendi significatione sed recuperandi[1]); deinde quod ea est lectio Medicei, in qua cum neque error librarii neque interpolatoris ratio cognoscatur, ueri aliquid latere putandum est.

Atque ex coniunctis duabus scripturis uerum mihi restituen-

1) Verr. II 3, 86.

dum uidetur, ut similiter erratum esse putem ac I 9, 18 de quo loco uideas pag. 102 adn. 2, iis collatis quae ad V 13, 1 et VI 6, 13 pag. 171 et 167 de codicum ratione disserui.

Sua enim Ciceroni uerba reddere mihi uideor scribendo: 'quin aut recreata aliquando re publica sis is futurus, qui esse debes aut perdita' e. q. s.

In Mediceo '*aliqua*' pro '*aliquando*' propter compendiorum similitudinem uerbo '*recreata*' omisso, in Y 'rep*arata*' ('*repata*') pro 'recreata' propter sequens 'rep(*ublica*)' facillime potuit scribi.

Ad uerba ipsa quae restitui, conferas II 16, 6 '*si* quando *erit ciuitas*'; V 13, 3 '*tu mihi uidere spem nonnullam habere haec* aliquando *futura meliora*'. VI 17, 1 '*cupio esse* aliquando *rempublicam constitutam*'; VI 21, 2 *utinam liceat* aliquando *aliquo reipublicae statu nos frui*'; VII 11, 2 '*erit hic aliquid* aliquando'; VII 28, 3 '*spes . . . melius* aliquando *fore*'. XI 5, 2 '*in. te* aliquando *reciperandae libertatis omnem spem ponere*'; p. Sex. Rosc. 61 'restitue *nobis* aliquando . . *tuam . . . calliditatem*'; pro dom. 145 '*republica* aliquando restituta . . . *frui*'. — Fam. VI 10, 5 '*causa ea est, ut iam simul cum republica . . . reuiuiscat atque* recreetur'; de prou. cons. 3, 5 '(*Macedonia*) . . . . *ita uexata est, uix ut se possit diuturna pace* recreare'; ad Q. Fr. I 1 cap. 8, 25 '*urbes complures dirutas ac paene desertas . . . per te esse* recreatas'; pro Roscio Am. 47, 137 '*in isto bello non* recreatus *neque restitutus, sed subactus oppressusque populus Romanus est*'; pro leg. Man. 9, 23 '*afflictum erexit* perditum*que* recreauit'; Verr. IV 91, 212 '*illam tu prouinciam afflictam et* perditam *erexisti atque* recreasti'; pro Plancio 13, 33 '*ubi illa antiqua libertas quae malis oppressa ciuilibus extollere iam caput et* aliquando recreata *se erigere debebat*'. Verr. I 12 '*ut ea* (*Sicilia*) . . *uix* . . *aliqua ex parte* recreari aliquando *posse uidetur*'; p. Mil. 4 '*an diu uexati a perditissimis ciuibus* aliquando *per uos* . . . recreemur'; ad Fam. VI 2, 2 '*necesse est enim aut armis urgeri rempublicam sempiternis aut his positis* recreari aliquando *aut funditus interire*'.

VI 2, 2 si arma ualebunt, nec eos a quibus reciperis uereri debes, nec eos quos *adiuuisti* (Y; adiuisti: M)] '*adiuuisti*' de Victorii coniectura restitutum Wesenbergius [Emend. pag. 79) contra Orellium defendit.

VI 4, 3 equidem nos, qui Romae sumus (M_1 [*miserrimum*: M_2]; miserrimos: Y) esse duco] Lectionem Y restituit de suo

iudicio Klotzius[1]) Iosepho Frey, Wesenbergio approbantibus; Martyni-Laguna, Orellius, Baiterus scripserant: '*quod R. s. miserrimum e. d.*'.

VI 6, 4 erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum *etiam* (Y; *om.*: M) salutare utrique] Particulam '*etiam*' cum quo errore in codicem Y irrepserit quoue consilio ab aliquo sit adiecta excogitari nequeat, neque ab sententia loci aut ab usu dicendi abhorreat, in Mediceo propter antecedentis uerbi similitudinem omissam esse censuerim.

VI 9, 1 nam et patre eius, claro homine et forti uiro, plurimum *usi* (Y; *om.*: M) sumus] Buechelerus (Mus. Rhen. uol. XI pag. 513) '*sumUS*' breuitatis causa pro '*sum usus*' olim scriptum fuisse putauit, sed uideas quae contra hanc opinionem disputauit M. Hauptius Hermae uol. V pag. 159.

VI 12, 3 mihi tamen placuit haec ad te perscribi; minus enim te firmum sermo Eppuleiae tuae lacrimaeque Ampiae declarabant [Y (= Gr); *declarabunt*: M], quam significant tuae litterae. atque illae (ille) arbitrabantur cum ad te (Y [= Gr]; *haec tria uerba propter maculam legi non possunt in* M); *abessent* [M; adessent: Y (= Gr)] ipsae [M?; ipse: Y] multo in grauiore te cura futurum; *quam* (MY; legitur '*qua re*') magnopere putaui angoris et doloris tui leuandi causa pro certis ad te ea, quae essent certa, *perscribi* (M; perscripsi: Y [= Gr])] Locus, sicut nunc legitur, imprimis ea re laborat, quod duobus enuntiatis sententia nullo modo producitur: 1) '*minus te firmum sermo Eppuleiae tuae lacrimaeque Ampiae declarabant, quam significant tuae litterae*'; 2) *illae arbitrabantur* cum a te *abessent ipsae, multo in grauiore te cura futurum*' (scil. '*quam significant tuae litterae*'). Ac praeterea proximi enuntiati sententia satis frigida est.

Ego, ne sim longus, ex codicum scriptura profectus rescribendum censeo: 'minus enim te firmum sermo Eppuleiae tuae lacrimaeque Ampiae declarabant quam significant litterae tuae atque illae arbitrabantur, cum ad te adessent. Ipse multo in grauiore te cura futurum quia[2]) putaui, [magni] angoris et doloris tui leuandi causa pro certis ad te ea, quae essent certa, perscripsi'.

Nunc quomodo loci perturbatio orta sit exponam. Cuius initium fecit qui uerbis male in antiquissimo codice interpunctis loci

1) Cf. Fleckeis. annal. uol. LXXXXVII pag. 357. — 2) Ex Graeuii coniectura.

structuram ex putandi uerbo dependere arbitratus hoc modo sanare studuit, ut uoce '*oportere*' iniecta infra uerbo '*perscripsi*' aut suprascriberet aut in margine apponeret *perscribi.*[1]) Postea '*oportere*' (= '*opτere*') in '*opτere*'[2]) et '*opere*' (aut etiam in '*magno opere*' addita uoce '*magno*' e coniectura)[3]) corruptum in contextum deuenerat; cum '*perscribi*' etiam in codice X aut supra uersum esset aut in margine, ut ab eo librario, qui Mediceum conscripsit pro genuino '*perscripsi*' substitueretur, ab eo, qui Y, felicius neglegeretur, id quod saepius factum esse iam uidimus (cf. pag. 102 adn. 2. et 167 ad VI 6, 13).

VII 19, 1 *Vide* (MP; uidene: H [= Gr] T) quanti apud me sis] Codicis Y scriptura ex consensione HT colligitur, ut Parisinum errasse casuque consentire cum M statuere oporteat. In Y memoria, ex qua minus apte, ut puto, Graeuius '*Videsne*' restitui uoluit, latetne fortasse '*Vide tu*', ut epistolae initium cum II 10 comparari possit, quam epistolam similiter Cicero incipit: '*Tu uide, quare ad me litterae non perferantur*'?

VII 25, 2 urge igitur *nec* (M; ne: Y [= Gr]) transuersum unguem, quod aiunt, a stilo] '*nec*' sic non raro a poetis usurpatum neque a Quintiliano alienum (conf. II 1, 5 '*rhetorice officia sua non detrectet nec occupari gaudeat*') apud Ciceronem tantummodo legitur de rep. I 2, 3 et interdum in epistolis ut ad Fam. I 9, 19 '*Nec hoc pertimueris*'; XVI 6, 2 '*Cura, cura te, mi Tiro, nec quicquam cures, nisi ut ualeas*', ad Att. X 18, 2 '*perge quaeso scribere; nec meas litteras exspectaris*'; sed neque his locis, neque aliis, quod sciam, cum uerbi omissione.

Hoc quidem loco codicis Y scriptio Laurentianae praestare uidetur, quae enuntiati structuram adaequat ad proximae paragraphi uerba: '*Vereor, ne in catonium Catoninos*'.

§ 31. Absoluimus eos locos quibus codicis Y scripturam eius omnia apographa siue consentiente auctoritate conseruauerunt, siue non ita dissentiente, ut aliquid scrupuli cuiquam iniceretur. Iam ad eos considerandos progrediamur, quibus illi tres codices non item sibi constent. Nam eadem uerba describentibus interdum casu accidisse, ut et hic et illic eodem modo peccarent, tam in

1) Eadem igitur ille ratione ductus est, qua qui postea in libris ex Mediceo exscriptis post '*perscribi*' addiderunt '*oportere*', quod etiam Lambino et Schuetzio seruandum uidebatur. Nunc omnes e Guilelmi coniectura: '*magnopere e re*'. — 2) Sic Mediceus pro '*oportere*' I 7, 6. — 3) Hac de causa '*magni*' circumscripsi.

aperto est, ut nulla explicatione aut argumentatione opus sit. Neque quisquam profecto offendit, si id factum esse animaduertit locis ad corrumpendum aliqua ratione procliuioribus. Ac siue Harleiano cum Turonensi[1]) aut Parisino[2]), siue Mediceo cum Turonensi[3]) aut Parisino[4]) eius generis errores communes sunt, nihil haec res difficultatis affert, quippe cum Turonensis et Parisinus ita inter se coniuncti sint, ut alter altero adhibito plerisque locis tanquam obrussa examinetur.

Idem uero casus, si inter Mediceum et Harleianum intercessit, perturbato familiae Y consensu id etiam, ut apparet, efficere potuit, ut conspirantium eorum scriptura solius codicis Z auctoritati debeat cedere. Quam rem certis exemplis ut confirmem, paucos locos subscribam. Praebet igitur eodem cum errore et M et H IV 5, 4 '*propter*' pro '*populi Romani*' ('*p. r.*': Z); V 15, 3 '*exprobare*' pro '*exprobrare*'; VI 4, 1 '*Noui quid*' pro '*Noui quod*'; 4, 1 '*uidemur*' (ex superiore uersu): H ['*uideamur*': Gr.] pro '*uidetur*'; 7, 4 '*minis*' pro '*minus*'; 10, 2 '*quoque eis*' pro '*quoque is*'; VII 9, 1 '*eius nihil*' pro '*eius luctum nihil*' ('*eius . . . . nihil*': Z cum lacunae signo) etc.

Sed id etiam accidit, ut cum in codice Z scriptura praebeatur, quae quin uera sit, uix dubitari licet, Harleianus mirum in modum cum Mediceo conspiret, id quod quo affinitatis uinculo ille cum Z cohaeret, prima quidem fronte aliquid offensionis habere uidetur. Ac ne ulla quidem ratione Harleianus alterius classis exemplari comparato emendatus esse consendus est. Quod qui fecisset, cum infinitos locos — ut in priore huius commentationis parte uidimus — aperte corruptos non tetigisset, eundem ex Mediceo paucissima tantum ac si non uitiosa at maxime dubia sumpturum fuisse, quis est qui credat?

Ac ne plura consecter, quid sentiam comprehendam paucis; sic enim statuo: Fuere in archetypo X nonnulla inter uersus scripta, quae uel a librario antea omissa, uel interpretationis gratia adiecta erant. Ex quibus cum alia in alterius apographi (uel Medicei uel Y) contextum reciperentur (ut in Medicei V 13, 1 '*statuo*', cf.

1) Exhibent HT: I 9, 5 '*dempnis*'; VI 1, 7 '*debeam*' pro '*delebam*'; 12, 5 '*propendis*' pro '*prodendis*'; VII 1, 6 '*dilectionis*' pro '*delectionis*' etc. — 2) HP: V 12, 9 '*ut ceteri*' pro '*ut et ceteri*'; 17, 5 '*ut nos*' pro '*et nos*'; VI 6, 6 '*peroportunam*'; 20, 2 '*oportuniore*'; VII 10, 2 '*habundares*'; 18, 4 '*sed*' pro '*sed et*'; 20, 1 '*deseres*' pro '*domum deseres*' etc. — 3) MT: VI 4, 4 '*priusquam*' pro '*plusquam*' etc. — 4) MP: VI 6, 10 '*suscensebat*' pro '*succensebat*' etc.

pag. 171; in Y VI 6, 13 '*conciliabo*' cf. pag. 167 cf. etiam pag. 102 adn. 2), alia a librario codicis Y nescio qua de causa eodem loco transcripta esse uidentur, ut qui Harleianum ex Y descripsit in eundem errorem incidere posset atque is qui Mediceum ex X.

Nunc primum ad eos locos accedamus, quibus codicum Medicei et Harleiani consensus ex errandi facilitate deriuandus est.

V 2, 7 qua iniuria nemo unquam in *animo* (MH; aliquo: Z); magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me consulem affecit] Hic locus in Mediceo et Harleiano repetitione praua corruptus uidetur esse ('*iniuria*nemo*unquamin*animo'). Sed in scriptura Z aliquid desidero, quod insignius consulatus magistratui opponatur. Quare de restituendo loco iudicium certum proferre dubito.

V 18, 1 qua condicione omnes homines et quibus temporibus nos nati simus cogites. Plus tibi uirtus tua dedit quam fortuna abstulit; propterea quod adeptus es, quod non multi *homines* (MH; *om.*: Z) noui, amisisti, quod plurimi homines nobilissimi] Elegantiae sermonis consulimus uoce '*homines*' medio de loco Z codice auctore remouenda.

Communitas erroris scilicet ex repetitione orti haud multum miri habet.

VI 3, 3 Idque (scil. qualis futura sit uel haec uel illa uictoria) cum optime perspexi tale uideo, nihil ut mali uideatur futurum, si id uel ante acciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur. Ita enim uiuere ut *tum* (M, *tū*: H [= Gr]; non: Z) sit uiuendum, miserrimum est] Praeter Thurotum codice Turonensi de difficultate admonitum nemo, quod sciam, in Medicei scriptura offendit, nec tamen ulla ratione uerba Medicei ferri possunt. '*tum*' enim si recte se haberet, oportuit uel supra scribi '*tamdiu enim uiuere*', uel infra '*ut tum est uiuendum*'. Genuinam ac ueram codicis Z memoriam esse iudico: 'ut non sit uiuendum'. Hoc enim fere dicere Cicero uult: cum uictoris alterius utrius insolentia dignitatem pristinam auctoritatemque nobis eripuerit, miserrima erit uita nostra ac quasi nulla. Similis est locus VII 1, 4: '*hoc tempore uita nulla est*'.[1])

1) Conferri possunt uerba Goethei (Torq. Tasso V 2) '*Wenn ich nicht sinnen oder dichten soll, So ist das Leben mir kein Leben mehr*'. Cic. ad Fam. XI 17, 1 '*de lucro prope iam quadriennium uiuimus, si aut hoc lucrum est aut haec uita superstitem reipublicae uiuere*'. Plat. Apol. 38E '*ὁ δὲ ἀνεξέταστος βίος οὐ βιωτός*'. Soph. Oed. Col. 1691 '*ὡς ἔμοιγ' ὁ μέλλων βίος οὐ βιωτός*'. Antig. 1165 sq. '*τὰς γὰρ ἡδονὰς ὅταν προδῶσιν ἄνδρες, οὐ τίθημ' ἐγὼ ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν*'

Archetyporum X et Y scriptura '*utnsit*' facili errore deprauata est in '*uttusit*'.

VI 11, 1 obligatus ei nihil eram . . . nec enim acciderat mihi opus *esse* (MH; eius: Z) et ille mihi debebat] Proposuit emendandum Otto (ad Taciti annales pag. 277) '*ut mihi opus esset*', neque Wesenbergius (Emend. alter. pag. 15) hanc coniecturam improbat. Sed ut uix Medicei uerba ferenda sunt, ita aegre ex uerbis '*obligatus eram*' infra ad sententiam supplendam auditur '*ei obligari*'.

Liuius scribit XXII 51 '*temporis opus esse*', XXIII 21 '*quanti argenti opus fuit*', ac dubitari potest eadem licentia an Ciceroni condonanda sit epistolam familiarem scribenti.

Si in Y ut in X scriptum fuit '*op*^{9} *ei*^{9}', nihil miri est, quod Mediceus et Harleianus exscripserunt '*opus esse*' ('*op*^{9} *ee*').

VI 11, 2 plus acquisisti dignitatis quam amisisti rei familiaris, quae ipsa *tum* (MH; tam: Z) esset iucundior, si ulla res esset publica] Probabiliorem fortasse reddit lectio codicis Z Lambini coniecturam: '*tamen*' (= '*tam*') legentis, quod certe in sententiam magis conuenit quam '*tum*'. Infinita autem sunt in omnibus libris exempla, ubi '*tam*' et '*tum*' inter se confunduntur, ut Harleianus et Mediceus facillime casu eodem loco peccare potuerint.

VI 22, 2 oro obtestorque te . . . te ut nobis, parenti, coniugi tuisque omnibus, quibus es fuistique semper carissimus, saluum conserues, incolumitati tuae tuorumque, *quiependent* (M, *qui ex pendent*: H [= Gr]; qui de te pendent: Z); consulas] Ex Medicei uerbis decurtatis editores restituerunt '*qui ex te pendent*' interpretati, quod perspiciam, quasi esset: qui tibi coniuncti sunt (ut ipsorum incolumitas in tua sita sit).

Sed plane inutilis haec atque languida tautologia esset, nam '*qui ex te pendent*' qui sunt nisi '*tui*'?

Atque uereor, ut haec uis uerbis illis subesse possit. Recte enim Schuetzius explicat homines *pendere ex aliqua re*, qui ad eam se totos accommodent uel sine ea nihil se effecturos esse putent[1]), non eos qui cum aliquo coniuncti sint.

Quare Thurotus qui Turonensis scripturae patrocinio suscepto

Contrarium similiter exprimitur Cic. Lael. 6, 22: '*Cui potest esse* uita uitalis, *ut ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat*'. Consimilis denique elocutio est Plauti (Bacch. 790): '*scio me esse seruom*, nescio etiam id quod scio'. — 1) Conf. Lexicon Ciceronianum Tom. III part. II pag. 186 sq.

Horatianum locum[1]), quo item dicitur '*pendere de aliquo*' pro '*se accommodare totum ad uoluntatem alicuius*', conferri iubet, non minus quam ceteri errat, cum praeterea, id quod Iwanus Mueller recte monet, sermo Horatii non ualeat ad Ciceronianum.

Nec tamen lectio Y improbanda est. Namque ut saluum se conseruet, amicum Cicero obsecrat, utque hoc modo consulat incolumitati suorum — de ipso pendentium i. e. angoribus curisque uexatorum. Consimiliter ad Att. XVI 12 '*animi pendeam . . . et de te et de me*'. Atque ut ante occupem, quod mihi puto oppositum iri, haud ignarus sum Ciceronem dicere solere '*animi pendere*' uel '*animis*' (cf. ad Att. XI 12; ib. XVI 12; de leg. I 3, 9; Tusc. disp. IV 16, 35; ib. I 40, 96). sed utitur *pendendi* uerbo eadem cum significatione non adiecto '*animi*' ad Att. IV 15, 6 '*ne diutius pendeas*' i. e. incertus, anxius sis.

Scriptura Harleiani sic uidetur ex continuata archetypi Y (*quidetependent*) explicanda, ut librarium '*ex*' pro '*et*' scripsisse putemus.

VII 1, 5 quibus (molestissimis occupationibus) si me relaxaro — nam ut plane [plene: Y] *exsoluam* (MH; exsoluar: Y) non postulo — te ipsum] In Medicei uerbis '*me*' desideratur; et licet hoc ex '*me relaxaro*' in enuntiatione parentheseos loco posita suppleatur, tamen non nihil offendit ac paene absurdum est dicere '*ego postulo, ut me exsoluam*', ubi non *postulandi* uerbi sed *sperandi* locus sit.

Neque dubito, quin Z genuinum seruarit. Error librariorum Medicei et Harleiani, qui '*exsoluarn̄*' in '*exsoluā n̄*' mutarunt, facillimus ac lenissimus fuit.

I 1, 3 ex illo senatus consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut rege mreducas, quod *commodo rem* (M; *commode rem*: H [= Gr.]; commodius: Z) facere [*om.*: H (= Gr)] possis] Cum in hac fuerint sententia uiri docti plerique, ut haec uerba ad formulam illam: '*quod commodo rei publicae facere possis*' accommodanda existimarent, lectione codicis Z mea quidem opinione expeditior nulla esse potest. Nec enim de reipublicae salute agitur, sed de regis reducendi opportunitate et commoditate.

In eundem autem errorem quem ad modum Harleianus et Mediceus inciderint, ad explicandum non difficile uidetur. Erat enim, ut puto, '*rem*' (ut in libris deterioribus '*id*') glossema mar-

1) Ep. I 1, 104/5 '*cum . . . praue sectum stomacheris ob unguem De te pendentis; te respicientis amici*'.

ginale non modo archetypi X sed etiam apographi eius Y a librario accuratius quam prudentius una cum genuinis uerbis descriptum. Quod qui Harleianum et Mediceum descripserunt, ab iis receptum est, qui Z, felicius neglectum. '*commodi*'' facile et in '*commodo*' et in '*commode*' deformari potuisse non eget pluribus.

V 1, 1 Nunc uideo illum circumuentum, me desertum a *quibus* (MH; quo quidem: Z) minime conueniebat] Acerbius dici in Ciceronem '*a* quo quidem *minime conueniebat*' Thurotus uidit; optime, ut puto, nec abest id a Metelli uoluntate, uti ex litterarum clausula satis perspicitur. '*Te*', inquit ille '*tam mobili in me meosque esse animo non sperabam. Me interea nec domesticus dolor nec cuiusquam iniuria ab republica abducet*'.

Erat fortasse scriptum in X indeque in Y translatum '$\overset{quo}{quid}$'; (pro '*quo quide*' — altero uocabulo prius neglecto —), ex qua scriptura Mediceus et Harleianus uerbo quod supra erat scriptum omisso fecerunt '*quib;*' (i. e. '*quibus*') litteris '*b*' et '*d*', ut fere fit, confusis.

VI 7, 5 Totum negotium tu sustineas oportet, in te mihi omnis spes est. Tu pro tua prudentia quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caesar, tenes; a te omnia proficiscantur et per te ad *exitum* (MH; effectum: Z) perducantur necesse est] Thurotus Medicei lectionem praefert, quod '*exitum*' aptius uerbo *proficiscendi* oppositum putat. Ego autem quoniam '*exitus*' et in bonam partem accipi licet et in malam, '*effectus*' non est nisi prosper, haud scio an sententia loci magis lectioni Z faueat. Ratiocinatur enim Caecina, Cicero qua sit prudentia quaque apud Caesarem gratia, si rem suam susceperit, faustum ad finem quin perducat fieri non posse.

Huc accedit quod illa uerba cum mero librarii errore inter se permutari non possent, certa quadam ratione alterum in alterius locum substitutum esse statuas oportet. Neque ullam ego excogitare possum nisi eam, ut usitatissimum '*exitus*' uerbum superscriptum esse fingam uerbo '*effectus*', quod quidem Ciceronis epistolas siue describenti siue perlegenti nusquam esset obuium.

Eodem *effectus* uerbo utitur alius Ciceronis amicus, Munatius Plancus, qui ad Fam. X 8, 4 scribit: '*Ita nunquam diffitebor multa me, ut* ad effectum *horum consiliorum prouenirem . . . simulasse*'; conf. etiam Liu. XXXIII 33 extr. '*Hoc spe concipere audacis animi fuisse,* ad effectum adducere *uirtutis*'.

VII 17, 2 sic ei te commendaui et tradidi, ut grauissime

diligentissimeque potui. Quod ille *ita* (MH; grate: Z) et accepit et mihi saepe litteris significauit et tibi *et* (MT; *om.*: PH [= Gr]) uerbis et re ostendit mea commendatione sese ualde esse commotum] Verba Medicei ualde claudicare nemo non uidet. Lambinus uero quod difficultatis remouendae causa '*quod ille ita accepit ut . . . significarit . . . ostenderit*' scribi iussit, audacius fecisse quam probabilius recte ab Ernestio iudicatur. Iusto iure Thurotus ex Turonensi 'grate' recipiendum censuit, qua quidem in re socium me habet. '*ita*' enim frequenti errore ex 'eta*ccepit*' duplicatum esse primo adspectu apparet.

'*grate*', postquam librarius archetypi X neglexisset, supra '*ita*' additum eodemque loco in Y translatum describentibus errandi potestatem dedisse puto, quorum illi (Medicei et Harleiani) appendiculam ut glossema a contextu alienum omiserunt, librarius codicis Z ut correctionem pro '*ita*' substituit, quo facto simul nolens nesciensque ueterem illum errorem euitauit.

Si denique infra uocem '*et*' cum codice Y[1]) eieceris, loci sanitatem redintegrasse mihi uideberis. Sic enim recte enuntiati partes singulae disponuntur: '*et grate accepit et mihi saepe litteris significauit et tibi — uerbis et re — ostendit*'.

V 20, 4 legatum meum praefectumque *Q. Leptam* (MZ; *om.*: H [= Gr]) maxima calamitate leuatos] Verba '*Q. Leptam*' a contextu aliena esse meo quidem iudicio Paullus Manutius scientissime certissimeque demonstrauit, ualde enim ea esse suspiciosa, quae si retinere uelis alia intercidisse credas oporteat, nemo negat.[2])

At eadem uerba in H perdita sunt, ubi causam occasionemque errandi non perspicias. Fortasse igitur hoc quoque glossema — ut illis locis correctiones — additamentum fuit aut marginale aut interlineare archetypi X; cuius scripturam cum librarius Y imitando sic hoc quoque loco pressisset, ut supra uersum aut in margine scriberet in suo libro, quae ibidem in illo erant, posteriores etiam librarii et H et Z et M ante oculos habebant, ut addita extra contextum uerba et hic et ille facile uel casu uel consilio missa faceret.

§ 32. Nunc de locis paucis quam breuissime agam, quos cum editores aut omnes aut multi emendatione egere censuerint, ego consentiente codice Y cum Mediceo noua deliberatione dignatus intactos relinquendos esse existimo.

1) Quem sic scripsisse — nisi forte Thurotus uel Chatelanus errauit — satis codicum P et H consensu firmatur. Idem '*et*' Lambinus ferre noluit. — 2) Conf. Wesenberg. Emend. pag. 75.

I 9, 12 grauissime autem me in hac mente impulit] Vide ne recte Martyni-Laguna traditam scripturam retinuerit a ceteris in '*hanc mentem*' emendatam. Ut enim supra '*in hac sententia complectendus erat*' et '*hic multum uoluit*', sic hic simili cum significatione '*in hac mente*', scil. cum essem. Nam in ea sententia ut 'res publica ei uideretur contentionem, praesertim maximis rebus a Caesare gestis, cum illis uiris malle fieri et ne fieret uehementer recusare' Cicero iam erat neque in eam fratris aut Pompei pollicitationibus est inductus.

II 4, 1 Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum] Hoc uerbum, quod cum Orellius in '*creberrimum*', Bakeus (Mnemosynes uol. II pag. 241) in '*tritissimum*'[1]) mutare uoluerit, Kleynius radicitus eici iussit, recte ac probe nuper Vahlenus (Hermae uol. XVII pag. 273/74) tutatus est collatis apte duobus locis, quorum alter est Sen. de clem. II 4, 2 '*hanc . . . possumus insaniam uocare: nam uaria sunt genera eius et* (Vahlenus ex Ciceronis illo loco: *sed*) *nullum certius quam quod*' e. q. s., alter Cic. de rep. I 42, 65 pag. 147 '*accuratius mihi dicendum de commutationibus rerum publicarum, etsi minime facile eas in ea re publica futuras puto. Sed huius regiae prima et certissima est illa mutatio*'.

II 16, 4 fidissime atque amantissime] Sic quoque Y. Ernestius quod nec '*fidissime*' nec '*fide*' uspiam occurreret apud quemquam, emendauit '*fidelissime*', eumque omnes sequebantur. Sed Klotzius recte confert Gell. XII 8 extr. '*fidissime amicissimeque*'.

III 10, 11 quae a me profecta quaeque instituta sint] Idem in Y. Et locus mancus est, nec tam frigida tautologia uidetur, ut cum Ernestio ea una de causa '*perfecta*' reponi liceat. Wesenbergius recte Mediceum sequitur.

IV 7, 4 Sed tamen, si iam ita constituisses, ut abesse perpetuo malles, quam ea quae nolles uidere, tamen id cogitare deberes] Sic contra Ernestii coniecturam '*tametsi*' multis probatam Klotzius et Wesenbergius restituerunt. Recte id quidem et alterius classis codicibus assentientibus, nisi uero rectius alterum '*tamen*' ex uitiosa repetitione additum esse putamus, de quo creberrimo errore fusius iam egi.

V 14, 2 non intelleges duplicari sollicitudines, *qua se leuare* (M; quas eleuare: Y) tua te prudentia postulat] Orellius

1) Iosephus Frey in Adnotationibus ad M. Tullii Ciceronis epistolas Roessel 1873 proposuit '*usitatissimum*' coll. IV 13 in.

edidit '*quas leuare*'. Sed recte Klotzius confert Tusc. disp. III 15, 34 '*nihil est . . . quod tam . . . eleuet aegritudinem*'.

V 20, 2 me quanquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te exspectaturum fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro relatis haberem] Scripserunt Wesenbergius (Emend. pag. 73), Baiterus, alii e Gronouii coniectura '*referre*'. Recte se habet uerbum *deferendi*, pertinet enim ad id rationum exemplar, quod Romam Cicero secum ablaturus erat ibique demum in aerario depositurus, *relatae rationes* eae significantur, quas in Asia iam deposuerat. Quid? rationes referre etiam properauit? scilicet eas, quas relictas pro relatis haberet?

Ceterum quod Car. Tim. Zumptio (Verr. III 35, 81 et IV 19, 40) auctore Wesenbergius propter ipsius significationem uerbum *referendi* ab hoc loco abhorrere contendit, cum pro *deportando* dici posse negat — *referri* enim quod debeatur, *deferri* ultro quod non debeatur — conferas ego uelim Ciceronis ipsius uerba (p. Flacc. 21): '*triduo lex* (*litteras*) *ad praetorem deferri . . . iubet. tricesimo die uix deferuntur*'. Similiter Catil. III 7 '*litteras a me prius aperiri quam ad senatum deferrem*'; p. Flac. 74 '*defers ad Pergamenos, ut illi reciperent* (i. e. *referrent*) *in suas litteras publicas . . . . emptiones tuas*'; in Pis. 61 '*rationes ad aerarium continuo . . . detuli*'.

V 20, 5 Nam de Lucceio [MH; *lucei*: Z] est ita actum] De *Luccei* nomine dubitatio esse non potest, erat ille fortasse ex minoribus magistratibus, quibus cum proconsule negotia intercesserant. Quae quidem pro hoc nomine usque adhuc e doctorum uirorum coniecturis restituta sunt, incertiora etiam et obscuriora sunt.

Ceterum supra scribendum uidetur: 'Iam de Lucceio'; nam cum uerba '*Sed ego putaui esse uiri boni . . . . uel ciuium*' artissime cum eis quae praecedunt cohaereant, noua nunc sequitur res, quae quoniam neque causae neque explicationis quidquam affert, apte particula '*iam*' adiungitur. Error facillimus erat '*m*' littera praecedente.

V 20, 6 addes enim tu meo iussu, quod ego, qui non addidi, nec causa est, cur negem] Recte hoc rescripsit Wesenbergius (Emend. pag. 76); idem enim in Y; uerbis male interpunctis legi solebat '*quidem*' pro '*qui*'.

VI 8, 1 egi uehementer cum iis (Balbo et Oppio), ut hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad (Y; *quod*: M) uellemus, esse uti liceret. Qui mihi consuessent aut libenter polliceri, si quid

esset eiusmodi, quod eorum animos non offenderet, aut etiam negare et afferre rationem cur negarent, huic meae rogationi potius non continuo responderunt, eodem die tamen e. q. s.] In his uerbis si ante '*consuessent*' particula '*cum*' restituta erit, quae cum enuntiatum, ex quo coniunctiui ratio perspiciatur, longiore spatio interposito sequatur, deesse uix potest, nihil mea quidem sententia[1]) relinquitur aut falsi aut decurtati, sed emendata oratio

1) Cum Parisinus et Harleianus eandem lectionem exhibeant atque Mediceus, uerba quae in Turonensi legimus — '*rationi potius quam rationi*' — meris librarii erroribus deberi clarum ac manifestum est atque '*rationi*' altero loco ex uitiosa repetitione, '*quam*' post '*potius*' ex incuria ac consuetudine, quae est frequentia eorundem uerborum coniunctionis, additum puto.

Quare adhibitis ad comparandum duobus illis libris quanto propius ad ueritatem adducamur cum nullus locus sit, quo luculentius illustretur, nunc, id quod a disputatione nostra alienum non uidetur, subiungere placet, quid ego de hoc loco senserim Parisino et Harleiano nondum consultis. Thuroto enim qui Schuetzii et Wesenbergii (Emend. alter. pag. 14) coniecturam ex Turonensis uestigiis ita probandum censuit, ut scriberet '*meae efflagitationi potius quam rogationi*', equidem nulla ratione assentiri potui. Neque enim *postulandi* aut *efflagitandi* Ciceroni uiam ad Caesarem eiusue amicos patuisse, et eius ipsam naturam moresque ad rogandum potius quam ad efflagitandum propensa fuisse ego considerabam.

Quodetsi *uehementer* sese egisse cum Balbo et Oppio ipse affirmat, tamen id maiore cum prudentia quam impetu fecisse uel inde perspicitur, quod ut ex uerbis proximis cognoscis, *ne eorum animos offenderet,* prudenter certe cauebat, idemque sequenti paragrapho diligentissime se illum in posterum commendaturum pollicetur omnibusque eius generis epistolis non insolentem efflagitationem aut postulationem impudentem, sed uerecundam semper supplicationem et modestam rogationem promittebat (conf. VI 13, 2. 14 extr. aliis multis). *Vehementem* autem non modo efflagitationem sed etiam gratulationem, consolationem, rogationem esse posse colligitur ex locis his VI 4, 1 '*gratulor ita uehementer*'; 10, 4 '*uehementer consolaretur*'; II 7, 4 '*rogo uehementer*'; V 2, 6; 6, 3; ad Att. I 12, 3 '*uehementer probare*'; ad Att. III 20, 1 '*uehementissime probare*' atque etiam VII 30 '*me uehementer obseruat*'; I 3, 1 '*uehementer confidit*'; ad Att. II 16, 4 '*uehementer interest*'; ad Q. Fratr. II 3, 4 '*uehementer prouidere*'; 3, 6 '*uehementer gratus*'.

Itaque hoc quidem loco *rogationis* notionem haud quaquam in *efflagitationis* partem extollendam — qua de causa etiam nunc illam coniecturam ne sententiae quidem consentaneam esse duco — sed in diuersam et contrariam quasi deprimendam esse censebam. Qua deliberatione ductus e codicis Turonensis uestigiis ('*ratione potius quam rationi*') hanc mihi uidebar ueram lectionem restituisse: 'huic meae obsecrationi potius quam rogationi n. c. resp.' coll. Cic. ad Quir. p. red. 7 '*Pro mea uos salute non rogauit solum, uerum etiam obsecrauit*'.

est et Latina. Atque idem senserat Paullus Manutius, qui tamen ut probaretur cuiquam tantum aberat, ut a Graeuio contra linguam Latinam fecisse insimularetur.

Qui '*potius*' uerbum cum permoleste ferret, ex uoce '*protinus*' a magistro aliquo ad '*continuo*' interpretandum adscripta corruptum esse existimauit; nec non Ernestius idem uerbum prorsus alienum esse censuit ceterique omnes maculosam Medicei memoriam esse arbitrati aliquid suppleuerunt, quod uerbo '*rogationi*' quasi correctio quaedam adiceretur ut Schuetzius '*uel flagitationi*', alii aliud.

Ego igitur uerba codicum consensu comprobata integerrima esse censeo sic enim sibi quisque ipse facili negotio sententiam supplebit uel: '*huic rogationi potius non continuo responderunt, quam ut aliquid aut pollicerentur aut negarent*' uel '*ii cum antea aut polliceri aut negare consuessent, tunc neutrum fecerunt, sed potius non continuo responderunt*'.

Quae breuiloquentia quid quaeso habet aut offensionis aut admirationis? Conf. de fin. IV 12, 30 '*si ad illam uitam, quae cum uirtute degatur ampulla aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam uitam potius, cui haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore*'. Adde Fam. VII 9, 2; IX 2, 5; 19, 1; XVI 1, 3; Att. III 14, 1; VI 5, 3; IX 6, 1; 14, 1; X 14, 2; XI 6, 1; 12, 2; XII 16; XIII 33, 3. Alios locos multos uide apud Merguetum (uol. III pag. 717).

VI 21, 1 cum . . . mihi sim conscius me, quoad licuerit, dignitati rei publicae consuluisse et[1]) hac amissa salutem retinere uoluisse] Miror quid complures adduxerit, ut '*noluisse*' emendarent. An non Cicero rebus omnibus euersis salutem, quoad eius fieri potuit, re uera retinuit? Respicias etiam uerba insequentia: '*Haec scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui coniunctissima fuisti mecum et sententia et uoluntate, eadem cogitares*'.

VII 23, 2 Mercurii mallem aliquod fuisset; felicius puto cum Auiano transigere possum] Ne codice Y quidem eorum sententia confirmatur, qui '*facilius*' rescribi maluerunt.

VII 26, 1 Ego autem cum omnes morbos reformido, tum quod Epicurum tuum Stoici male accipiunt, quia dicat *στραγγουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη* sibi molesta esse, quorum alterum morbum edacitatis esse putant alterum etiam turpioris intemperantiae] Ego antiquam coniecturam '*tum in quo Epicurum*'

1) quod '*et*' Ernestius recte deleuisse uidetur.

probare nequeo. Quam si probamus, sic intellegamus necesse est: 'cum omnes morbos reformido, tum eum, in quo Epicurum cum sit (i. e. quo cum laboret) quia dicat . . . molesta esse, Stoici male accipiunt, quorum alterum morbum . . . intemperantiae'.

Sed hoc si Cicero dicere uoluerit, et illo modo uerba collocauerit et infra '*putent*' scripserit, non '*putant*'. Neque uerba '*in quo Epicurum tuum Stoici male accipiunt*' legenti liquida claraue se offerunt et praeterea satis mirum uidetur dicere: in quo morbo scil. in *στραγγουρικοῖς καὶ δυσεντερικοῖς πάθεσι* dicit *στραγγουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη* sibi molesta esse.

Equidem ne maior in codicum memoria lateat corruptio uereor. Nam non ea de causa Stoici Epicurum reprehendebant, quod morbos illos moleste cum ferret, in edacitatis aut etiam turpioris intemperantiae suspicionem ueniret, sed quod omnino aliquid sibi molestum esse diceret, id quod ab ipsius praeceptis uehementer discrepare eis uidebatur.[1])

Quare ego uerba '*quorum . . . . intemperantiae*' ut prorsus a sensu aliena ab ignaro interpolatore inserta ratus Ciceronem scripsisse puto: '*Ego autem cum omnes morbos reformido, tum quod Epicurum tuum Stoici male accipiunt, quia dicat στραγγουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη sibi molesta esse;* quibus uerbis familiariter iocans se mirari negat, quod ipse Epicurus illos dolores, quibus intolerabilius nihil sit, aequo animo ferre non potuerit.

Atque sic tantum si scripsit Cicero, infra (§ 2) pergere potuit: '*Attamen ne mirere unde hoc acciderit, quomodoue commiserim: lex sumptuaria, quae uidetur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit*'.

Sed haec hactenus. Etiamsi enim me effugerint complures loci, alios quos afferam aliqua de causa indignos arbitratus consulto

1) De hac re conferas Tusc. disp. II 7, 17 '*Epicurus uero ea dicit, ut mihi quidem risus captare uideatur. Affirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur — exspectas fortasse dum dicat 'patietur, perferet, non succumbet'; magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuraui, Hercule digna! sed Epicuro, homine aspero et duro, non est hoc satis; in Phaleridis tauro si erit, dicet: 'Quam suaue est, quam hoc non curo!' Suaue etiam? an parum est, si non amarum? At id quidem illi ipsi, qui dolorem malum esse negent, non solent dicere, cuiquam suaue esse cruciari; asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic qui solum malum dicit et malorum omnium extremum, sapientem censet id suaue dicturum*'.

omisi, satis tamen multos eosque congessisse me puto, ex quibus ad epistolarum Ciceronis primos libros recensendos quantum subsidii apparatusque tribus illis codicibus adhibitis instruatur, luculenter appareat. Neque ego hanc quaestionem ad finem perduxisse ullo modo mihi uideor, immo uero, si praesertim alii eiusdam classis integriores codices manuscripti, qui quin supersint uix dubium est, indagati sint, meum iudicium non minus quam Thuroti multis de locis correctum iri neque nescio et spero. Si autem paululum tantummodo ad hanc rem diiudicandam contulisse uidebor, id quod mihi proposuerim me consecutum esse, uehementer gaudebo.

§ 33. Ad extremum paulo latius euagaturus nonnulla quae dubia adhuc atque incerta in omnibus editionibus uidi, ἐν παρέργῳ, ut ita dicam, clariore luce circumfundere, quoad eius facere potero, studebo.

I 9, 2 Nam in eo ipso quod te ostendit esse facturum, quodque et imprimis potes et ego a te uehementer exspecto [in sententiis senatoriis] et in omni actione atque administratione reipublicae floruissemus] Verba quae seclusi glossema esse puto ad proxima (*'in eo ipso quod . . . exspecto'*) explicanda adscriptum; erat certe scribendum *'in eo . . .* et *in sent. senat. et in'*.

Pro *'floruissemus'* exspectaueris *'una fuissemus'* uel simile. Cicero enim ne si Lentulus quidem affuisset, illis temporibus floruisset, nec tam stultus uidetur fuisse, ut id ridicule gloriaretur — si tamen talis erat, certe ad *'floruissemus'* adiecit aut *'una'* aut *'coniuncti'*. Neque uero — id quod grauius est — quidquam ad id, quod Cicero explicaturus est, pertinet commemorare, quanta futuri fuerint coniuncti auctoritate; immo uero quam coniuncti per omne hoc tempus futuri fuerint, affirmat et exponit. Lentulum enim, ait ille, quanta esset sua in ipsum pietas, non plane cognitum habere, sed fuisse perspecturum, si secum semper fuisset, cum fidelissimum se habiturus fuisset in omnibus rebus socium.

I 9, 2[1]) In eis uero ulciscendis, quos tibi partim inimicos

1) Multa ibidem aliae res reprehensionis ansam dant; eadem uerba de eadem re sine ulla causa iterantur: *'de qua ostendam . . . et rescribam tibi ad ea quae quaeris'* et infra *'De qua ratione . . . ut tibi rescribam ad ea quae quaeris'*; similiter deinceps sequuntur: *'sed certe et ego . . . et beneuolo certe . . . sed certe qui tibi'*; denique sententiae ipsae haud apte se excipiunt; postquam enim uerbis *'sed certe qui tibi ex me fructus de-*

esse intellegis propter tuam propugnationem salutis meae, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem et gloriam mirificam (Y; *mirificum*: M) me tibi comitem praebuissem] Rectissime Thurotus uidit '*gloriam mirificam*' multo aptius dici quam '*mirificum comitem*'. Sed tamen et sententiarum conexus et '*uero*' particula lectioni Y tuendae obesse ei uidentur.

Sententiarum autem progressus significatur his uerbis: '*Tibi . . . notior meus in te animus esset, si . . . una et Romae fuissemus. Nam . . . in omni actione . . . coniuncti f(lor)uissemus . . . . et ego te auctore amicissimo ac sapientissimo et tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem et beneuolo certe usus esses . . . in eis uero*' e. q. s.

Apparet, quod bene Thurotus sensit, '*comitem*' adiectiuo aliquo indigere, quo uerbi uis et notio accumuletur. Sed et sententiae et codici Y fortasse simul satis seruiatur, si scripseris '*In eis uero ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intellegis . . . partim inuidere propter illius actionis amplitudinem et gloriam* mirificam, fidum *me tibi comitem praebuissem*'.

I 9, 17. 18 Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti . . . . Itaque tota iam sapientium ciuium, qualem me et esse et numerari uolo, et sententia et uoluntas mutata esse debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego uehementer auctorem sequor: 'tantum contendere[1]) in republica, quantum probare tuis

bentur, eos uberiores et praesentiores praesens capere potuisses', quae quidem collectionis speciem prae se ferunt, res iam absoluta uidetur, sequuntur etiam: '*In eis uero*' etc. quae et ipsa clausulae instar sunt.

Nec tamen eius modi incommodis est qui coniectura mederi conetur. Sed cum reliqua epistola inde a § 4 summam diligentiam multisque rebus etiam mirificam artem confiteatur, equidem nescio an rectissime communemque archetypum fidelius quam Mediceus secuti hoc loco codices classis Y initium epistolae notent. Fortasse enim duo eiusdem epistolae erant exemplaria, alterum Lentuli, in quo auctor ipse postquam in medias statim res ire ex iisque principium epistolae capere quam altius repetere maluit, totum illud prooemium missum fecerat, alterum Ciceronis, ex quo Tiro, cum epistolas edendas curaret, illam partem imperfectam inelaboratamque nulla cum mutatione aut emendatione inuito patrono adiecit. — 1) De eodem loco uerba fecimus eiusque mendum exposuimus pag. 102 adn. 2. Thurotus '*hortatum*', ex quo uerbo sequens enuntiatum '*contendere . . . oportere*' dependeat, ex Turonensi accipere uoluit. Sed tum potius scribere oportuit: '*contendendum . . . esse*' uel '*ut contenderes*'.

Neque illi offendendum erat in aduerbio '*uehementer*' ad '*auctorem sequor*', ut putat, minus apte adiecto. Quid enim, ex eo quaesiuerim, conuenientius, quid congruentius uerbo *sequendi* est quam ipsum illud

ciuibus possis, uim neque parenti nec patriae afferre oportere'] Thuroto in his uerbis non sine iusto iure displicuit, quod '*Id*' pronomen et ad antecedentia uerba ('*Itaque debet*') respicit, et idem sequentia ('*tantum contendere*' e. q. s.) quasi praenuntiat. Quam ad difficultatem tollendam lenissima ualet, ut ego puto, ea emendatio, ut '*Id enim*' immutemus in '*Etenim*'.

I 9, 18 Fiat mihi uenia locum retractaturo ab aliis iam tractatum, qui tamen non modo a Klotzio sed, id quod maximopere miror, ne a Wesenbergio quidem auditi sunt. Excipiuntur enim uerba, de quibus modo egimus, his:

Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendae reipublicae fuisse, quod, cum offendisset populum Atheniensem prope iam desipientem senectute, cumque eum nec persuadendo nec cogendo regi posse uidisset, cum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur] Verba '*cumque . . . uidisset*' genuina ac proba esse Victorius ut defenderet, 'si cogitabimus', inquit, 'a se Platonem illa intellexisse — ab aliis enim, qui cogere non dubitassent, regi potuisset — omnis scrupulus euelletur'.

Sed, ne alia consecter, quod ille uult intellegi non potest nisi ex uerbis sic fere constitutis: 'cumque eum nec persuadendo posse nec cogendo regi licere putaret'.

Ac diuersa ratione nuperrime Klotzius eadem illa tueri studuit: quibus non id significari, quod ipse Plato esset expertus, sed quod prius quam de sua ciuitatis gubernatione quidquam diceret, aliorum opera effici non potuisse animaduertisset; illa demum uerba, quae sequuntur '*cum . . . arbitraretur*', ad ipsius administrationem ciuitatis pertinere.

At ut plura omittamus, haec oppositio si esset, aliquo modo significaretur certe oportuit (sic fere ut scriberetur: 'cui persuadere posse se ipse diffideret').

Ego igitur uerba certissime spuria '*cumque . . . uidisset*' exstirpanda scribendumque puto: '*quod, cum offendisset populum Atheniensium prope iam desipientem senectute,* cui *persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur*. Similiter in Turonensi II 1, 1 '*cum litteras*' pro '*cui litteras*' scriptum est.

Atque sic emendaueram priusquam Schuetzii et Landsbergii[1]) de hac re sententiam nossem ipse hac ratiocinatione ductus quod

'*uehementer*'? Ac siquem uerbis '*auctorem sequor*' inseparabilem quasi uim attribuentem illud '*uehementer*' male habet, is conferat, quod de huius uocis usu attuli pag. 187 adn. — 1) Conf. Philol. uol. IX pag. 377.

Plato, qui tantum esse contendendum praecepisset in republica, quantum probari ciuibus posset uim neque parenti nec patriae afferre oportere ratus, non ea de causa cogere suos ciues noluit, quia cogi aut ab aliis non potuisse aut a se non posse uideret, sed quod etiamsi cogere potuit, uim ipsam a suis rationibus prorsus abhorrere putauit.

I 9, 21 Nunquam enim praestantibus in re publica gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio] Quem locum prorsus sensu carere Wesenbergius etsi Klotzio non audiente recte exposuit (Emend. pag. 22). Sed uerba '*nunquam enim* in *praestantibus* in *republica gubernanda uiris laudata est* in *una sententia perp. perm.*', quae ille restituit, foedam habent praepositionis '*in*' repetitionem, quae uel aures perlegentis nisi barbari nullas non offendat.

At Cicero se et Lentulo et omnibus de inconstantia purgaturus eandem quam ipse secutus erat rationem non tam antea semper esse laudatam quam quasi in omnia tempora laudandam dicere uelle uidetur. Quapropter rescribendum censeo: '*Nunquam enim praestantibus i. r. g. uiris* laudanda *est*', quod enim non laudandum, id ne agendum quidem est.

Errorem facilem fuisse et ex aliis locis et inde perspicitur, quod cum Parisinus et Mediceus consentiant deficiente Harleiano, Turonensis in hanc ipsam formam '*laudanda*' casu recidisse putandus est.

I 9, 23 Scripsi etiam uersibus tres libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem; sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis; sed quia uerebar non eos qui se laesos arbitrarentur — etenim id feci parce et molliter —, sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare] Eiecit Gronouius '*quia*' multis approbantibus, Wesenbergio (Emend. alter. pag. 3) interpellante qui ipse nonnulla ut '*nolui* (uel '*uetui*') *eos diuulgari*' post '*nominari*' excidisse statuit.

Equidem neque in illius sententiam ire uelim, cum, quod recte dicit Wesenbergius, causa fingi nulla possit, cur quisquam '*quia*' addiderit, neque in huius, quae audacior etiam illa est. Sed et simplicius et aptius pro '*pietatissetquia*' restituendum proponam '*pietatis*; *atque*'.[1])

I 9, 26 accepi tuas litteras de publicanis quibus aequitatem

1) Kleynius, ne hoc taceam, '*quia*' in '*queri*' emendari uult.

tuam non potui non probare; facilitate [felicitale: MY] *aquid* (M; ea quid: Y) uellem consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes] Wesenbergius loci difficultatem ab unoquoque cognitam addito '*in*' ante '*quibus*' expedire studuit interpretatus: '*in quibus*' i. e. '*in quorum (publicanorum) Asianis controuersiis iudicandis*'. Quae interpretatio ne durior sit atque, ut ita dicam, coactior ego ueritus Ernestio '*quibus*' ad '*litteras*' referenti assentiri ita malo, ut scriptum olim fuisse putem: 'quibus lectis aequitatem' e. q. s. Nam '*in quibus* (scil. *litteris*) *aequitatem tuam probaui*' nihili certe est. Conf. IV 4, 2 '*Consilium tuum . . . cum semper probassem, tum multo magis probaui lectis tuis proximis litteris*'.

Frustra autem codicum memoriam integram esse Klotzius defendit collatis locis his II 19, 1 '*litteras . . . quibus . . .* perspici *posset*'; III 4, 1 '*litteras tuas accepi, quibus erat* scriptum'; V 19, 1 '*litterae tuae . . . quibus . . .* uidebam'; 21, 3 '*litterae . . . quibus* intellexi'; IX 15, 3 '*his* intellego *litteris*' qui loci quibus cognoscendi uel scribendi uerba cum ablatiuo struuntur, cum illo comparari non possunt.

Infra etsi codicibus inuitis '*facilitate*' unice rectum est.

Quod etiam nunc incommodi remanet sustuleris, si cum antiqua emendatione — '*quidem*' pro '*quid*' — lectione Y consociata scripseris: '*facilitate ea quidem* (scil. quae te conficere non potuisse ex litteris modo acceptis cognoui nisi seueritate) *uellem consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes*' (damit du nicht . . . brauchtest)[1]. Consimiliter V 19, 2 '*Cum uero* ea (scil. quam esse ex litteris tuis cognoui) *tua sit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libenter amplector talem animum*'.

II 4, 1 Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cuius causa inuenta res ipsa est — — Huius generis litteras a me profecto non exspectas. — — — Reliqua sunt [epistolarum genera] duo quae me magnopere delectant] Quae uncis inclusi interpretis esse mihi uidentur.

II 4, 2 quam (scil. exspectationem quandam incredibilem) tu una re facillime uinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris [quibus artibus eae laudes comparantur], in iis

1) Aliam de hoc loco sententiam nunc uideo prolatam a Paulo Starker (Symbolae criticae ad M. Tullii Ciceronis epistulas. Dissert. inaug. Vratislau. 1882), cuius emendationi '*facilitate tua id quidem*' non subscribo.

esse[1]) elaborandum] Verba '*quibus — comparantur*' spuria esse suspicor.

II 7, 4 Vt et contra uoluntatem et praeter opinionem Ciceroni lege Pompeia de iure magistratuum lata acciderat, ut cum imperio in Asiam prouinciam pro consule proficisci necesse esset, sic cum tempus paene decurrisset resque Asiaticae in dies difficiliores implicatioresque fieri coepissent, ipse nihil antiquius habebat, quam ut quam primum Romam sibi redire liceret neque imperii tempus prorogaretur. Quod ne fiat cum alios per litteras rogat et obtestatur amicos ut impedirent, tum C. Curionem in ea epistola, qua ei de tribunatu plebis accepto gratulatur. Cuius sub finem uerba a codicibus traduntur haec:

Te, mi Curio, pro tua incredibili in me beneuolentia meaque [item] in te singulari rogo atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc prouincialem molestiam temporis prorogari. Praesens tecum egi, cum te tribunum pl. isto anno fore non putarem, itemque petiui saepe per litteras; sed tum quasi a senatore nobilissimo tamen adolescente et gratiosissimo, nunc a tribuno plebis et a Curione tribuno] Locum sincerum non esse inter omnes constabat, alii aliter emendare uoluerunt. Ac Kayserus quidem mala uerba '*tamen adolescente etiam gratiosissimo*' radicitus euellenda censuit, qua ratione neque simplicior neque uiolentior excogitabitur. Sed quidquid siue librarii incuriae siue consilio interpretis attribuimus, certa ubique uel errandi ansa uel causa interpretandi perspiciatur in promptuque sit oportet. Quid autem? quo aberrauit librarius uel unde petiuit illa, quae ei hoc loco in oculos calamumque uenerunt? Aut quid uoluit stultus ille interpolator, qui cum legisset '*tum quasi a senatore nobilissimo, nunc a tribuno plebis*' addidit '*tamen adolescente et gratiosissimo*', quibus uerbis quae explicare uellet, implicare uideretur?

Equidem neque hoc neque illud potui enucleare.

Paullo prudentius deinde Orellius et Wesenbergius (Emend. pag. 69 in adn.) '*sed tum quasi a senatore nobilissimo, adolescente etiam gratiosissimo*' scripserunt illud '*tamen*' ex '*tum*' male iterato corruptum esse suspicati. Sed eorum quoque coniecturam tantum abest, ut extrinsecus pronam ac lenem esse iudicem, ut inanem esse ducam uel propter id, quod quicunque uerba sic restituta leget, adducetur, ut uocis '*quasi*' uim ad utrumque membrum referat infra quoque subaudiens: 'quasi *ab adolescente*', perinde ac si Curio antea non iam fuerit adolescens.

1) Excidit '*esse*' in libris manu scriptis.

Cuius peruersitatis euitandae causa, ut uidetur, Klotzius primum ediderat '*sed tum quasi a senatore nobilissimo*, tum *adolescente etiam gratiosissimo*', in quo tamen miror cur non scripserit: '*tum* ab *adolescente*'.

Tum Baiterus edidit: '*sed tum quasi a senatore nobilissimo* † *tamen adulescente etiam gratiosissimo*' nescio quod excidisse opinatus.

Denique Klotzius[1]) in secunda editione uerba tradita omnino non emendanda sed recte tantummodo interpungenda statuit sic: '*sed tum quasi a senatore, nobilissimo tamen adolescente et gratiosissimo, nunc*' e. q. s.

Ego tamen quam et omnes illae coniecturae et intacta codicum uerba sententiam efficiant, in Ciceronis rationem conuenire prorsus nego.

Quicunque enim rogationem suam quam maximam grauissimamque reddere cupit, id eo se facilius certiusque consecuturum esse sperat, quo maiorem ei, quem adit, in hac re attribuat auctoritatem. Quare tribunatu plebis delato quantum ad adolescentis dignitatem atque auctoritatem accesserit, Cicero quam maxime augere et cumulare studet. Quod cum ita se habeat, ille opponere non potest Curionem nunc tribunum plebis antea quasi senatori (nobilissimo). Nam si Curio ante iam quasi senatoris (eiusque nobilissimi) auctoritate floruisset, tribunatus certe aut nihilo aut non multo eam amplificare potuit.

Et quid quaeso, si ut integra retineas codicum uerba, quid sibi uult illud, '*quasi*'?

Non igitur integra sunt uerba atque uitium in uoce '*senatore*' delitescere ex iis quae supra disserui iam intelleges.

Colligere autem atque pro certo haberi licet Curionem adolescentem ad Ciceronem seu a patre deductum seu se ipsum quasi deduxisse; illum enim antea sic sectabatur, ut Cicero (III 1, 2) contendere posset, quantaecunque illi accessiones forent et fortunae et dignitatis, eas illum non potuisse consequi, nisi suis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisset.

Quam rem hoc quoque loco a Cicerone attigi asseuerare non dubito. Sic enim ne unguem quidem transuersum a codicibus digressus Ciceronis uerba genuina restituisse mihi uisus sim: 'sed tum quasi a sectatore — nobilissimo tamen adolescente et gratiosissimo — nunc a tribuno plebis et a Curione

1) Decem annis post festum, ut aiunt, uenit I. Rathayus (Wiener Studien uol. I pag. 158).

tribuno'. — Verba '*nobilissimo tamen adolescente et gratiosissimo*' itemque supra '*quasi*' Cicero et prudenter et pudenter adiecit, ne '*sectatoris*' nomine, cui blandire uellet, eum uiolaret.[1])

Supra '*item*' seclusi ut ex '*in te*' ortum neque in locum aptum.

II 10, 1 Tu uide quam ad me litterae non perferantur. Non enim possum adduci, ut abs te posteaquam aedilis es factus, nullos putem datos, praesertim cum esset tanta res tantae gratulationis: de te quia quod sperabam, de Hillo — balbus enim sum — quod non putarem; atqui sic habeto] Offenditur in '*quam*', quod cum uix pro '*quam saepe*' uel '*quam multae*' dictum sit, propter compendiorum similitudinem cum '*qua re*' mutatum esse censeo. Martyni-Laguna uiolentius scripsit '*quam ob rem*'.

Infra autem certe restituendum est: '*de te quia quod sperabam, de Hillo . . . quod non putarem* audiui', quae uox a sequenti '*atque*'[2]) facillime absorpta est. Neque enim eiusmodi aposiopesis ferri potest, et Caelius ea epistola, cui Cicero respondet, re uera scripserat (VIII 4, 3): '*spero te celeriter et de nobis, quod sperasti et de illo quod uix sperare ausus es,* auditurum'.

II 16, 6. 7 Cicero postquam Caelii de republica epistolae (VIII 16) respondit atque conclusit sperans desperationes suas ut senis inanes fore, pergit — de codicum memoria — sic:

uelim ita sit. sed tamen togam praetextam texi Oppio puto te audisse. nam Curtius noster dibaphum cogitat] In quibus uerbis cum complura sunt difficilia, tum nihil minus ferendum quam illud '*sed tamen*' etsi adhuc, quod sciam, a nullo tentatum. Tria autem de intellegendo loco editorum iudicia esse ex interpungendi uaria ratione concludi licet. Primi enim, qui scribunt '*sed tamen . . . togam*' in uerbis traditis lacunam esse statuunt, alteri et tertii qui

1) Aliam etiam ut spectatissimi atque illustrissimi uiri coniecturam reticere nolo, quam Mauricius Schmidt cum in seminario philologorum Ienensi de hoc loco sanando ego disputassem, mecum liberalissime communicauit. Qui scriptum fuisse putat: '*sed tum* quamuis ab adolescente nobilissimo tamen senatore et gratiosissimo, *nunc a tribuno pl. et a Curione tribuno*'. Sed licet haec uerba ipsa per se sibi constent, tamen in hunc locum consentanea esse non possum concedere. Duo enim membra habemus: '*sed . . . gratiosissimo*' unum, alterum '*nunc . . . tribuno*', ea inter se ratione opposita, ut ab illo minore ad maius hoc ascensus quasi fiat. Quam oppositionem perturbari illa commutatione manifestum est, tanta enim uerborum et copia et ui et grauitate effertur dignitas senatoris, ut tribuni non amplior esse uideatur. — Atque id etiam, senator num Curio fuerit, mihi quam maxime dubium uidetur. — 2) Similitudo formarum apparet in maiusculis litteris.

codicum auctoritatem intactam esse arbitrati ediderunt '*sed tamen togam*' uerbis non interpunctis aut '*sed tamen! — Togam*', quasi reliqua de industria suppressa essent, sic fere, ut uidetur, sententiam supplent: '*uelim ita sit, ut seniliter fallar*; *sed tamen ne non sit subtimuerim, nam togam*' c. q. s.[1]) quasi quod Oppio magistratum nescio quem appetere liceret, indicium ac testimonium rei publicae interiturae Ciceroni fuerit. At Oppium ex honestissimis et integerrimis Caesarianis fuisse constat, cui Caesare non adiuuante aditus ad honores uix difficilior esset. Praeterea si potentissimus in republica uir amicos suos inprimis dignos in honoribus assequendis iuuat, quid causae est de rei publicae salute desperandi?

Item illud '*nam*', cum neque argumentatio adiciatur neque explanatio, quid sibi uelit miramur. Sunt qui interpretentur: '*Sed quod Oppius, ut est homo optimus, magistratum adeptus est, nihil est, cur mirere; nam id potissimum considera, etiam Curtium petere*'. At haec nonne nimia argutia ex una illa uoce eliciuntur? Verum totam hanc clausulam propriam esse partem atque a reliquae epistolae argumento separatam supra significaui. Iam enim Cicero rationis suae explicationem absoluit, quam cum redderet uehementi adolescentis obsecrationi suam senis summam aequitatem magna cum dignitate et grauitate opponere studuit. In quam aequitatem animi simulandam uel optime conuenit, si re ipsa quae proposita erat ad finem perducta, sicut in epistolis negotiatoriis facere solebat, noua pauca subiunxit: de Oppio magistratum adepto, de Curtio petente etc.

Videntur igitur uerba § 7 nullo modo ad superiora spectare, ut neque per '*sed*' nec per '*tamen*' apte adiungantur. Fortasse non ita procul a uero aberrabimus scribendo: 'Velim ita sit. — Iam togam praetextam texi Oppio puto te audisse; etiam Curtius noster dibaphum cogitat'.

'*sed*' ('*set*') ex '*sit*' duplicatum est '*tamen*' ('*tam̄*') scriptum pro '*iam*' eo facilius, quod '*d*' uel '*t*' littera antecedebet, itemque '*audisseetiam*' in '*audissenam*' contrahi facillime potuit.

II 19, 1 Postea cum mihi nihil neque a te ipso neque ab ullo alio de aduentu tuo scriberetur, uerebar, [ne] id[2]) [ita caderet,] quod etiam nunc uereor, ne antequam tu in prouinciam uenisses, ego [de prouincia] decederem] '*ne*' altero loco nullo modo feren-

1) Conferas etiam XVI 23, 1; Q. Fr. II 9, 1/2; Att. V 4, 2; VI 1, 16; XIII 2, 1; XVI 3, 3; qui loci tamen ex parte in dubitationem uocati sunt. — 2) Omittitur '*id*' in Y.

dum esse censeo. Nam si per attractionem, sicut Wesenbergius (Emend. alter. pag. 5) iudicat, ad '*uereor*' accommodatum esset, tum etiam necessarium fuit '*ueneris*' et '*decedam*' attrahi.

Ego locum inquinatum esse opinor scioli librarii uel magistri glossemate '*ita cecidit*' uel '*id accidit*' cum genuinis uerbis commixto eisque postea aliquo modo accommodato. Quod glossema eundem auctorem profiteri uidetur atque simillima I 9, 16 ('*est uero probandum*'), III 12, 1 ('*ita enim rerum ordo postulat*'; de quo loco supra dixi) aliaque quae collegit Wesenbergius in Emend.) Verbis, quae circumscripsi, sublatis emendata est oratio.

II 19, 2 Quamobrem, quaecunque a me ornamenta in te proficiscentur ut omnes intellegant] Orellius restituit '*in te poterunt, proficiscentur*'; Maduigius (Opusc. acad. pag. 397) '*in te proficisci poterunt, proficiscentur*'.

Ego — nisi forte rectius simpliciusque '*ut*' eicitur ex '*proficiscentur*' ortum — restituere malim: in te proficiscentur, perficiant ut omnes intellegant' e. q. s. collatis locis his I 9, 24 '*idque me . . . . etiam ut posteritas omnis intellegat, esse facturum*'; III 7, 6 '*Profecto omnibus officiis meis efficiam, ut ita esse uere possis iudicare*'; V 8, 5 '*me . . . effecturum, ut intellegeres nihil neque te scripsisse neque quemquam . . . detulisse*'; 17, 5 '*perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere*'. VIII 8, 9 (Caelius) '*His uocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Caesare esse negotium, effecit*'; IX 1, 2 '*perficiam profecto, ut id utrique nostrum commodissimum esse uideatur*'; XIII 35, 2 '*perficiasque, ut intellegat has litteras meas magno sibi usui fuisse*'; 55, 2 '*studio tu perficias, ut M. Anneius intellegat, te et sibi amicum esse*'.

III 3, 2 Ex iis litteris . . . sic intellexeram permultos a te milites esse dimissos, sed mihi Fabius idem[1]) demonstrauit, te id cogitasse facere, sed cum ipse a te discederet, integrum militum numerum fuisse] Nec Fabius, cuius nomen ineunte epistola appellatum erat, tanto spatio intermisso '*idem*' nominari potest, neque '*idem*' (scil. *dimissos esse milites*) ille demonstrauit atque ex epistola Cicero intellexerat.

Accedit[2]) quod, ubi codicum consensus praebet '*sed mihi*', quoniam primis quidem uerbis insequentibus nihil subiungitur, quod opponatur Ciceronis opinioni, sed quod suffragetur, certissime ad-

1) '*eidem*': MY; idem error I 9, 18 '*iubet eidem*'. — 2) Eadem in re Martyni-Lagunam offendisse sero uidi, qui edidit: '*idque mihi Fabius idem demonstrat te cogitasse facere*'.

uersatiuae particulae locus nullus est. Nam quod cogitasse Appius nuntiatur, cum eo quod ex litteris eius Cicero cognouerat, plane congruit, discrepat id demum, quod Fabii discedente exercitus tamen non iam imminutus erat. Huic igitur loco — '*sed cum ipse*' — particula '*sed*' commodissima est, illi — '*sed mihi*' — eadem esse non potest.

Utraque difficultas creberrimis librariorum uitiis deberi uidetur, '*sed*' uel '*set*' (saepe 's&' scriptum) ex '*et*' uerbi proximi ultima littera attracta, '*idem*' inter *fab*i⁹dem*onstrauit* dittographia natum esse suspicor.

Legas igitur uelim: 'et mihi Fabius demonstrauit te id cogitasse, sed' e. q. s.[1])

Ex simili errore additum est III 8, 9 in Harleiano: '*aut*em *temporis*'; IV 3, 3 in Parisino: 'te *temporibus*'; V 20, 1 in Harl.: '*dein si racionum* miseracione'; V 20, 2 in omn. libr.: '*haberem* quamobrem' (ut recte Lambinum uidisse puto). Alia exempla collegit Wesenbergius in Emend. pag. 60 cum adnot.

III 5, 1 didici ex tuis litteris te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres restitueresque et praeparares quodammodo omnia] Quae ante perturbata Appio de prouincia decedenti restituenda fuerint, certe non liquet, sed probabilius quam quod Orellius ceteris probantibus scripsit '*praestitueresque*' ego '*statueresque*' proponere mihi uideor (coll. ep. 6, 4 '*statuere multa*') mendum librorum syllaba ('*consule*)res' geminata ortum opinatus.

III 7, 4 A Pausania . . . audiui, cum diceret te secum esse questum, quod tibi obuiam non prodissem; scilicet contempsi te, nec potest fieri me quidquam superbius! Cum puer tuus ad me secunda fere uigilia uenisset, isque te ante lucem Iconium mihi uenturum nuntiasset, incertumque, utra uia [cum essent duae]: altera Varronem . . . altera Q. Leptam . . . tibi obuiam misi] Haec si integra sunt, ad '*incertumque*' supplendum est '*esse*' ita ut uterque infinitiuus ex nuntiandi uerbo pendeat. Sed Appius, etsi successori suo non nimis fauebat, tamen ea illiberalitate uix utebatur, ut si illum sibi obuiam proditurum confideret, aperte nuntiari iuberet, qua uia ipse profecturus esset, esse incertum.

Verisimilius omnino non considerauerat hanc rem nec puero

1) Neque enim, id quod extrinsecus non uiolentius esse uideatur, conicere licet: '*et mihi Fabius quidem*', cum '*quidem*' uox post '*id*' uel post '*cogitasse*' esse oporteat; scribere autem '*et mihi Fabius idem demonstrauit te cogitasse facere*' et uerborum collocatio et uerbum '*facere*' tum plane superuacaneum uetat.

quidquam de uia mandauerat. Scripsit igitur Cicero: 'incertumque esset utra uia'.

Sequentia uerba praui glossatoris se esse ipsa fere clamant; '*qua uia cum essent plures*' si legeretur, nemo codicum scripturam tentaret; '*utra uia cum essent duae: altera . . . altera*' . . intolerabilis tautologia est, quae non Ciceroni sed magistello cuidam nasuto ac supercilioso, ut Ianus Gebhardus dicere solebat, attribuendam puto.

IV 9, 2 Is utitur consilio ne suorum quidem sed suo, quod non multo secus fieret, si is rempublicam teneret, quem secuti sumus] Rescribendum puto '*quem* nos *secuti sumus*', quod oppositione efflagitari uidetur.

V 2, 7 magna uoce iuraui uerissimum pulcherrimumque ius iurandum, quod populus item [magna uoce] me uere iurasse iurauit (asseuerauit: Kleynius] Vide ne '*magna uoce*' interpolatoris sit.

V 8, 4 In quo . . . cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis iudicibus omnes facile superabo: quos quidem ego ambo unice diligo, sed in Marco beneuolentiam pari hoc magis cum Publio deditus, quod me quanquam a pueritia sua semper, tamen hoc tempore maxime sicut alterum parentem et obseruat et diligit] Quod Orellius probantibus Klotzio, Baitero, Wesenbergio proposuit: '*sed in Marcum beneuolentia pari*' mihi uel ea de causa non probatur, quod ex uerbis insequentibus '*sum*' ibi uerbum auxiliare hoc loco propria cum ui suppleri oportet. Ac ne lenis quidem correctio est. Denique unico quidem ac singulari amore Cicero ambo diligebat, nec tamen pari, quippe quod ipse et confiteatur et argumentetur.

Itemque codicum auctoritas ('*beneuolentiam pari*') '*impari*' uel '*non* (*n̄*) *pari*', ut rescribatur, suadet. Ego uelim restituas: 'quos quidem ego ambo unice diligo sed [Marcum] beneuolentia non pari; hoc enim magis sum Publio deditus, quod e. q. s.

'*enim*' inter litteras '*c*' et '*m*' facillime periit. — '*marco*' (leniter deprauatum in '*inmarco*') glossema esse rectissime, ut puto, monuit me Mauricius Schmidt, quare '*Marcum*' uncis circumdedi.

V 13, 4 et domestica feremus, ut censes, et publica paulo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecipis; te enim aliqua spes consolatur, ut scribis, nos erimus etiam in *omnibus* (MY) desperatione fortes, ut tu tamen idem et hortaris et praecipis. Das enim mihi iucundas recordationes conscientiae nostrae rerumque

earum, quos te imprimis auctore gessimus; praestitimus enim patriae e. q. s.] 'Tu,' inquit Cicero, 'speras haec fore meliora eaque spe te sustentas, ego quanquam omni spe deiectus, non tamen minus firmus sum: uter ergo fortior?'

Emendatio Orelliana '*in omnium desperatione*', quam H. A. Kochius (Phil. Anz. vol. V pag. 159) amplectitur coll. Caes. de bell. civ. I 5, 3, hanc comparationem sine dubio disturbat.

Non spectat ad reliquos Cicero, de se ipso tantum ac de amico ad fortitudinem adhortante loquitur. Itaque Martyni-Lagunae sententia, qui '*in omnium rerum desperatione*' edidit, mihi quoque probaretur, nisi longius a librorum scriptorum memoria recederet.

Sed nec minus recte et certe multo lenius emendatur 'in omni desperatione' i. e. quanquam ego de omnibus rebus despero.

Errandi occasionem dedit '*d*' littera geminata ('*omnid desperatione*' — '*omnib*; *desperatione*').

Quae deinceps sequuntur ualde mihi suspecta sunt. Verba ipsa haud expedita sunt, '*idem*' enim particula '*ut*' praecedente superuacaneum est, '*tamen*' a uerbis '*ut*' et '*idem*' totaque sententia plane abhorret; mira denique est uerborum *praecipiendi* et *hortandi* per '*et — et*' coniunctio uel potius disiunctio.

Atque sententiarum compositio si uerbo '*fortes*' finitur, elegans et rotunda est, cetera languent. Quae si plane aliena sunt, tamen ita cum ueris coaluerunt, ut prudentius sit, quod quidem feratur reseruare, quam una cum spuriis genuina excidere. Quare sic fore legendum censeo: 'nos erimus etiam in omni desperatione fortes. Tu me idem et hortaris et das mihi iucundas... praestitimus enim.'

'*enim*' post uocem '*das*' certe rei non aptum ex '*mihi*' ortum, '*et praecipis*' ex superioribus petita mihi uidentur.

V 16, 6 certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus] Hoc loco quid Cicero uerbis '*id consilio anteferre debemus*' dicere uoluerit, etsi plane perspicitur, tamen eisdem uerbis contraria sententia subesse potest idque eo facilius, quod uerbum *anteferendi* non anticipandi sed praeponendi uel praeferendi ui esse solet.

Quare ut uidetur Orellius '*ante ferre*' scripsit. Ego addita syllaba '*af*' quae post '*ante*' ('*an̄*') neglecta uidetur, locum sanum fore arbitror scribendo '*id consilio ante afferre debemus*'.

V 20, 6 Sed si quid est quoniam de logaeo parum gravisum est quod ego in rationibus referendis etiam nunc corrigere

possim, de eo mihi, quoniam senatus consulto non sum usus, quid per leges liceat, considerandum est] Quibus uerbis Ciceronem ad eam rem respicere quam paragraphus proxima uerbis: '*Nam de Lucceio est ita actum*' (ad quae uerba conferas pag. 186) explicare coepisset, recte Ernestius uidetur uidisse. Fortasse igitur sic est legendum: 'Sed si quid est de Lucceio paulo grauius uisum quod' e. q. s.

V 21, 1 nam tecum esse ita mihi communia omnia quae opto contingant, ut uehementer uelim] Alii eiciunt '*communia*', alii in '*commoda*' mutant, alii '*omnino*' reponunt. Miror cur Graeuium nemo sit secutus, qui uerbo '*ita*' transposito et lenissime et aptissime loco medetur scribendo: 'nam tecum esse mihi communia omnia, ita quae opto contingant, ut uehementer uelim'.

VI 1, 7 ego habeo cui plus quam tibi debeam neminem; quibus tantum debebam quantum tu intellegis eos huius mihi belli casus eripuit; qui sim autem hoc tempore intellego] Magnopere ego in his uerbis semper haerebam. Primum enim in hac epistola tanta diligentia conscripta uocis *intellegendi* repetitio, cum necessaria non sit, molesta est. Deinde uerba '*quantum tu intellegis*' neque apertam expeditamue sententiam et frigidam efficere nemo non concedet. Quae uerba Manutius ad Cn. Pompeium et P. Lentulum spectare arbitratus interpretatur: '*plus scilicet quam tibi*'.[1])

Et rectissime illa quidem quae traduntur, sed eadem sententia et breuius et expeditius exprimi potuit atque, ut ego arbitror, esset expressa, si esset Ciceronis. Quid enim quaeso Ciceroni causae fuit, cur hanc rem per se claram atque perspicuam tam difficilibus uerbis inuolueret, quae Torquatus ipse sine Paulli Manutii opera uix intellecturus fuisset?

Timebatne ne uiolaret amicum apertis uerbis confitendo aliis illis magis se deuinctum fuisse quam ei? At rem quo uerbis obscuriorem fecisset, eo grauiorem pondere existimasse putandus erat; ut certe contrarium potius quam quod uoluit assecuturus fuisset.

Atque — ne sim longus — equidem nullus dubito, quin illa uerba olim uocis '*tantum*' — corruptae scilicet — explicandae gratia sic in margine adscripta: '*intellege* (uel '*intellegas*'): „*quantum tibi!*"' postquam in contextum uenerunt, ceteris, quantum poterat fieri, accommodata sint.

1) Aliter ad Fam. IX 14, 4 '*cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intellegere potuisti*' et ad Att. XIV 17 A, 4 '*cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intellegere potuisti*'.

Sua autem Ciceroni uerba reddidisse mihi uideor scribendo: 'ego habeo cui plus quam tibi debeam, neminem, quibus tantundem debebam, eos huius mihi belli casus eripuit' e. q. s.[1])

Conferas ad Att. XII 35, 2 '*uenit mihi in mentem, quo* plus *insumptum . . . esset, quam nescio quid quod lege conceditur* tantundem *populo dandum esse*'.

Facillime ex '*tantumdēdebebam*' excidit syllaba '*dē*' ac uerba '*quibus tantum debebam*' ipsa glossatorem excitabant.

VI 1, 7 Locus quem modo tractaui excipitur uerbis his: sed quia nemo est tam afflictus, quin, si nihil aliud studeat nisi id, quod agit, possit nauare aliquid et efficere, omne meum consilium, operam, studium certe uelim existimes tibi tuisque liberis esse debitum] 'Nemini', inquit Cicero amico spem bonam ostensurus, 'nemini ego plus quam tibi debeo; mea uero auctoritas quamuis hac omnium rerum perturbatione imminuta sit, tamen adeo fracta non iacet, ut tota in unum collata nihil efficiat. In te autem, mihi crede, quippe cui omnium plurimum debeam, omnem atque totam conferam tibique omne meum consilium, operam, studium impertiam'. Sic sensus progreditur; quare '*debitum*', quod ad rem iam absolutum quasi regreditur, mutari necesse est in 'deditum'.

Cuius emendationis primum prolatae laudem Guilelmo deberi, ex Graeuii adnotatiuncula cognoui, postquam in eandem mea sponte deueni.[2])

VI 3, 1. 2 Superioribus litteris beneuolentia magis adductus quam quo res ita postularet, fui longior . . . hoc item tempore breuior esse debeo] '*item*' ita bene se haberet, si antecederet: '*Superioribus litteris breuior esse debui*'. Quam sententiam ex traditis uerbis elicere nos uetant quae insequuntur: '*siue enim nihil tum opus fuit tam multis uerbis, nihilo magis nunc opus est, siue tum opus fuit, illud satis est*'.

Quare '*item*' ex geminatione inter '*ho*c tem*pore*' natum esse coniecerim.

VI 3, 4 nihilo te nunc maiore in discrimine esse quam quemuis aut eorum qui discesserint *aut eorum qui remanserint*: alteri dimicant, alteri uictorem timent] Pompeiani pugna Pharsalica deuicti,

1) Conf. similia interpretamenta uelut IX 6, 5 '*Caesaris scilicet*'. — 2) Item emendandum puto XV 13 in. '*Maxime mihi fuit optatum Romae esse tecum multas ob causas, sed praecipue ut et in petendo et in gerendo consulatu meum tibi* deditum *studium perspicere posses*'.

si uerba sicut ab omnibus restituuntur sequimur — nam quae inclinatis litteris scripsi, a codicibus absunt — in duas partes diuiduntur per '*aut* — *aut*' et '*alteri* — *alteri*' ita inter se discreti, ut qui huius classis sint, iidem illius simul esse non posse uideantur. Itaque quoniam et eorum qui remanserint, et eorum qui discesserint, alteros dimicare, alteros uictorem timere dici non posse apparet, intellegendum uidetur sic, ut qui remanserint, eos uictorem timere, qui discesserint, eos dimicare statuamus. Etsi autem inter eos qui remanserant esse non potuisse constat qui dimicarent, tamen inter eos qui discesserant, non nulli, ut ipse Torquatus, uictorem timebant nec dimicabant.

Quod cum ita sit, si recta haec partitio esset, scribendum fuit '*uel* — *uel*'; '*alii* — *alii*'. Fortasse rectius locum restituas scribendo: 'quam quemuis uictorum qui discesserint: alteri dimicant, alteri uictorem timent'.

Opponuntur his uerbis ii ex Pompeianis, qui discesserant, iis, qui cum Caesare reconciliata gratia, sicut Cicero, in urbe remanserant. Ambiguitas uoce '*uictorum*' uix suboritur, quippe cui '*uictorem*' opponatur; quam qui tamen timeat, si ex '*aut eorum*' — certe non uiolentius — '*deuictorum*' facere malit, ego non repugno.

In codd. Turonensi et Parisino esse '*auctorum*' pro '*aut eorum*' non reticeam, non quod hac scriptura codicum auctoritatem coniecturae meae comparari audeam contendere — error enim esse potest — sed quod medicina quasi qua ad locum sanandum sum usus quam sit facilis perspicitur.

VI 7, 1 Filius, ut audio, pertimuit neque iniuria, si liber exisset . . . ne ea res inepte mihi noceret, cum praesertim adhuc stili poenas dem] Quod Wesenbergius (Emend. alter. pag. 14) in uoce '*inepte*' offendit, rectissime id quidem fecit[1]); quid enim est: '*inepte mihi res aliqua nocet?*'

Sed '*impense*', quod ille reponendum proposuit et longius a codicum uestigiis recedit neque ad sensum codicum memoria multo accommodatius est. Neque magis mihi Martyni-Lagunae coniectura probatur, qui in editione sua '*inepto*' scripsit; quis enim quaeso quasi ipse se ineptum dixerit?

1) Miratur Iosephus Frey qui factum sit, ut Wesenbergius in hoc uocabulo tam inpense haereret, quod ad sententiam aptissimum esset. Sed recte ille non defendit inepte profecto Caecinam facturum fuisse, si libro edito stili crimen commisisset, cum adhuc stili poenas daret; nam si esset in contextu '*ne eam rem inepte* facerem' nec Wesenbergius, ut puto, neque nos offendissemus.

Ego incertus '*inopi*' sitne scribendum an '*inopinato*' utrumque loci sententiae haud dissentaneum esse putarim. Inopinato res Caecinae noceret, si inimicum quem placare scripto suo studeret, magis etiam uiolaret; inops autem est atque a se ipso nominari potest, qui ad Caesaris nomen cum perueniat, toto corpore contremiscat ac ne unum quidem uerbum aut ponere aut delere audeat quin secum semper anxie consideret, num illum forte offendat.[1]

VI 12, 3 uisum est occultius agendum neque ullo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum; sed id erit perbreui] Quid erit? — 'Diuulgandum.' Sed '*id*' quod pro nomine est, esse non potest pro uerbo. Proinde eiciatur ut ex '*sed*' uoce ortum!

VI 17, 1 Cum ceterarum rerum causa cupio esse aliquando rempublicam constitutam, tum uelim mihi credas accedere id etiam quo magis expetam promissum tuum, quo in litteris uteris] Verborum incommoda satis illustrauit Wesenbergius (Emend. pag. 86 sq.) qui ipse edidit: '*accedere etiam, id quo magis expetam, promissum tuum*', cum Schuetzius '*etiam*' remouisset.

Sed uide ne uerba '*quo magis expetam*' ab interprete aliquo adiecta sint, quibus sublatis omnia plana et expedita erunt: 'uelim mihi credas accedere id etiam promissum tuum, quo in litteris uteris'.

Ciceronem autem scripsisse: '*promissum* tuum, *quo in litteris tuis uteris*', sicut Kochius (Phil. Anz. uol. V pag. 161) iudicat, mihi quidem persuaderi non potest.

VII 1 Cicero M. Mario, amico suo infirmitate ualetudinis procul Roma retento de ludis a Pompeio anno a. u. c. 699 datis explicatius refert. Atque postquam ludos apparatissimos nec tamen istius stomachi fuisse dixit, actores ipsos uituperat et perstringit. Eos enim reductos esse in scenam queritur, quos tandem abire deceret. Atque ab Aesopo exorsus uocem eum defecisse in iurisiurandi formula pronuntianda cum multa cauillatione enarrat. Tum § 2 pergit:

Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos ludos, *quid* ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi; apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem] Sic quidem libri scripti. Sed iam Vrsinus, Guilelmus, alii, quos Klotzius, Baiterus, Wesenbergius sequuntur, Ciceronem sic scribentem faciunt: '*qui ne id quidem*'. Quibuscum uiris ego, quoniam sequentia

1) Starkerus l. c. pag. 15 sq. emendari uult '*ne qua res inepta mihi noceret*'.

uerba ad eandem rem etiam spectant neque ad nouam transitum faciunt, illud '*quid*' — itemque '*quid quod*', sicut Riuius emendandum proposuerat — haud quaquam aptum esse consentio sed ita tamen, ut illorum emendationem non magis mihi satis facere profitear.

Quod quo iure dixerim, nunc sententiarum processum, quem supra adumbrauimus diligenter persequendo docere et ostendere placet. Cicero enim postquam quid Aesopo ridiculi accidisset rettulit — eo certe consilio, ut de actoribus quod acriter iudicarat, re atque exemplo comprobaret — opus se non habere putat alia etiam narrare. Nempe de Aesopo aliisue actoribus, qui se inuito in scenam redissent; non de ludis, de quibus quidem multa etiam narraturus est! Quid igitur, quod si ad sequentia uerba progressus eris, Ciceronem ea de causa, quod ludos reliquos amico cognitos esse sciret, alia narrare — scil. de actoribus — uoluisse doceris?

Et ista ipsa uerba — '*reliquos ludos*' — quid sibi uolunt, quidnam significant? Neque horum enim scil. Pompeianorum reliqua pars intellegi licet, quippe quos nec norit Marius, nec Cicero iam describere coeperit. Neque uero alii ludi ante id temporis celebrati significari illis uerbis possunt, quoniam quae sequuntur — '*ne id quidem leporis habuerunt*' — ad eosdem Pompeianos spectare apparet.

Quem denique haec attente perlegentem non offendit illud '*ludi*', quod molestissime enuntiationis fini quasi assutum interpolatoris manum ipsum indicat?

Quae si colligam, primum quidem Cicero scribere non potuit '*reliquos ludos*', deinde autem — si illud rectum est — sequens enuntiatum subiecto caret, denique uox '*ludi*' hoc loco aliena est.

Nunc qui errores et quo modo et quo deinceps ordine admissi sint, exponere conabor. Atque initium errandi fecit is librarius, qui uocabulum '*quid*', cum et antecederet et insequeretur ('*quid enim delectationis habent*') uerbis '*id quidem*' praeterea in errore quasi adiuuantibus, per imprudentiam, ut fere fieri solet (conf. quos collegi locos ad IV 12, 1), ante uerba '*id quidem*' inculcauit. Quo facto postquam '*ludos*' aut per adaequationem quandam syllabarum terminantium in codicibus describendis peruulgatam aut fortasse etiam prauo consilio ad '*reliquos*' accommodatum est, quasi a uerbo '*nosti*' dependeret, nescio quis qui uerba sic constituta legit, suo iure enuntiati subiectum cum requireret, in margine adspersit '*ludi*' in contextum (post '*mediocres*') illapsurum.

Sic igitur spuriis eiectis loco omnibus maculis purgato sana ac perspicua Ciceronis uerba haec habemus: 'Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos (scil. actores, quos Aesopo, excellenti olim histrione, nimirum etiam ridiculosius se gessisse tu ipse cogitare poteris; nunc ad ludos transgrediens pergit) Ludi ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres, apparatus enim' e. q. s.

VII 23, 4 eam porro negare se audere, cum uir abesset — est enim profectus in Hispaniam [Dexius] — illo [et absente et] insciente migrare] Verba seclusa spuria esse suspicor.

VII 24, 1 Amoris quidem tui, quoquo me uerti, uestigia uel proxime de Tigellio] Male me habet haec aposiopesis. Facile librarium inter '*uestigia*' et '*uel*' effugere potuit uerbum '*uideo*'. Displicet etiam '*uerti*' quod in '*uerto*' immutandum censeo.[1])

VII 25, 1 Epistolae quae sequitur uerba, quidquid emendationis prolatum est, tamen ut ab ullo uere restituta sint ego uereor. Quae prius quam ipsa proponam, totam rem de qua et hac epistola et proxima agitur, paucis adumbrari oportet.

M. Fadius Gallus Ciceroni, amicissimo suo, cum Tigellium, Caesarianum haud ita probum, ob Phameae, aui eius, causam a Cicerone non susceptam uehementer irasci animaduertisset, scripsit epistolam nobis non seruatam, qua ut ne illum offenderet, anxio animo suasisse ac monuisse uidetur. Cicero autem qui illius hominis iracundiae tunc quidem non multum momenti tribueret — postea enim ut illum sibi placaret, quam maxime egisse cognoscitur ex epistola ad Atticum missa (XIII 51) — tota re cum festiuo lepore in responso suo (ep. 24) exposita ('*non omnibus dormio*' etc.) sese non abstinuit, quin acerbissimos facetiae aculeos in illum emitteret. Quod Fadius imprudentius ab amico factum esse arbitratus cum se sollicitudine liberare non posset, monere eum non desiisse uidetur, ut in hac re bene circumspiceret et facta et dicta sua omnia. Cui Cicero iterum haec respondet:

Quod autem me mones, ualde gratum est, idque ut semper facias rogo. Videris enim mihi uereri *nisi* (M; ne si: Y) istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδάνιον. Sed heus tu, manum de tabula!]

Verba, de quibus disceptatio est, sunt haec: '*nisi* — *ne si* — *istum habuerimus*', quae ut emendarent — postquam ut defen-

1) Sero uidi Henr. Alanum (Emendationes nonnullae in epistolas Ciceronis quae sunt ad Familiares, pag. 6) iam restituendum proposuisse '*uidi uestigia*'.

deret Manutio non contigit (conf. Wesenb. emend. pag. 91) — multi multis modis operam nauarunt.

Atque, ut reliquas coniecturas omittamus, Victorius '*ne nisi istum cauerimus*' scribendum proposuit, Wesenbergius (l. c. et Emend. alter. pag. 17) '*ne nisi istum placatum habuerimus*' restitui posse putauit, Baiterus '*ne si istum infestum habuerimus*' edidit; qui id quidem recte fecit, quod fide non modo codicis Medicei sed, ut nunc uidemus, etiam archetypi religiosius seruata '*ne si*' restituit, sed in ea re errauit, quod '*infestum aliquem habere*' (i. e. '*infestare*') accepit pro '*inimicum aliquem habere*'. Wesenbergius denique si Cicero — id quod uerisimilius esse credit — '*ne si*' scripsisset, in codicibus '*iratum*' uel '*inimicum*' excidisse iudicat.

At illa uerba quoquo adhuc restituta sunt modo, nullo ad sequentia — '*rideamus γέλωτα σαρδάνιον*' — satis accommodantur. Et tamen inter protasin — '*si istum* † *habuerimus*' — et apodosin — '*rideamus γέλωτα σαρδάνιον*' — sententiae aliquam communitatem uel similitudinem intercedere necesse est. Nam Cicero si similiter scripsisset atque illi censuerunt ('*si istum iratum habuerimus*' uel tale quid) nec is solus, sed quicunque sic scripsisset, tum certe perrexisset: '*nobis ipsis noceamus*' uel similiter neque uero illius prouerbii imagine esset usus. Nec enim quisquam imagine utitur nisi aliqua rerum congruentia ad comparationem adductus.

Atque Fadius Gallus, ut supra exposui, prioris (24) epistolae calumnias (conf. § 2 '*Ille autem .... iniquitatem*' paululum uituperasse atque, non quo Tigellium defenderet, sed quod maiore prudentia opus esse putauit, amicum fidelissime atque amantissime rogasse uidetur, ne effrenatius illum derideret. Huic puto admonitioni Ciceronem respondisse idque fecisse coniecerim uerbis his: 'Videris enim mihi uereri, ne si istum ludibrio habuerimus (= deriserimus), rideamus γέλωτα σαρδάνιον'; et apte tum monet is qui suam imprudentiam reprehenderit, uideat, ne ipse sit etiam imprudentior.

Haec enim eius uerba sunt: '*Sed heus tu manum de tabula* (scil. Catonis laudes scribentem), *magister* (Caesarem dicit in imagine perseuerans) *adest citius quam putaramus; uereor ne in catonium Catoninos!* Atque

VII 25, 2 subsequuntur haec:

Mi Galle, caue putes quidquam melius quam epistolae tuae partem ab eo loco 'cetera labuntur'. Secreto hoc audi, *id* (H:

om.: MZ)[1]; tecum habeto, ne Apellae quidem, liberto tuo, dixeris: praeter duo nos loquitur isto modo nemo; bene malene uidero, sed, quidquid est, nostrum est] Cicero partibus monitoris inuicem susceptis certa de re uehementer amico se assensisse professus: '*Secreto*' inquit '*hoc audi!*' 'Quid?' quaesieris. Valde ipsi Ciceroni sententiam amici probari; neque enim id quod ipse dixerit ('*cetera labuntur*') secreto audire Fadius iuberi potest neque minus absurdum est intellegere '*secreto audi me cum adhorter te, ut tecum habeas illam sententiam neue cum alio communices*'.

Pergit Cicero monere: '*id tecum habeto, ne Apellae quidem . . . dixeris*'. Quid? Laudata esse magnopere a Cicerone uerba quaedam scilicet Apellae incognita? Quis est qui credat?

At omnia haec quispiam dixerit spectare ad extrema uerba '*praeter duo nos*' e. q. s. Quid autem? hoc ut secreto audiat idque secum habeat neue Apellae quidem dixerit, Cicero amicum admonet praeter duo se scil. Ciceronem ac Fadium ipsum neminem loqui isto modo? Hoc nonne coram populo et audiri et dici licuit sine ullius periculo? non Apellae committi, qui et ipse '*istum modum*' non nosset?

An potius ipsam illam Fadii sententiam celatam esse uoluit Cicero? Sane hercule. Iam igitur uideris uerba tradita non sibi constare neque haec '*secreto hoc audi*' interpreti insequentia '(*id*) *tecum habeto*' explanaturo quin debeantur dubium uidetur; dubium esse potest, utrum olim fuerit in contextu: '*Sed tecum habeto*' an '*Hoc tecum habeto, ne Apellae quidem dixeris* (scil. illa uerba quae mecum communicasti, nam): *praeter duo nos*' e. q. s. Conf. ad Att. IV 15, 6 '*Verum haec tu tecum habeto*'.

Simillimum glossema (III 6, 4) In uerbis '*late enim patet hoc uitium* '*et est enim in multis*'] Schuetzius rectissime retexit.

VII 32, 2 Trahantur per me pedibus omnes rei; sit uel Laelius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro; urbanitatis possessionem amabo quibusuis interdictis defendamus; in qua te unum metuo, contemno ceteros] '*amabo*' scil. te[2]) quadraret, si Cicero amicum per amorem suum rogaret, ut ille secum possessionem urbanitatis defenderet; sed ut ex sequentibus uerbis

1) '*id*' quod post '*audi*' facillime in Mediceo et Z excidisse potest, num in archetypo X fuerit dubitari licet. — 2) Quod '*te*' rarissime tantummodo desideratur: duo sunt omnino, ni fallor, in epistolis loci Q. F. III 9, 4. Att. X 10, 3 cum apponatur pronomen his: ad Fam. II 7, 2; (VIII 6, 5; 9, 3); XV 17, 4; ad Q. Fr. I 4, 1; II 10 ex.; ad Att. II 2, 1; 4, 1; 7, 3; V 12, 3; 17, 4; VII 1, 4; 8, 2; IX 18 ex.; XIII 52, 2; XV 29 ex.; XVI 2, 1; 16 c, 1.

(*'in qua te unum non metuo, contemno ceteros'*) colligitur, ille ne urbanitatem perderet nullo modo erat timendum. Paene enim absurdum est eum ad acrius studium euocare atque excitare, a quo ipse ne superere times. Quapropter ad solum Ciceronem uerba *'urbanitatis possessionem . . . defendamus'* pertinere ratus ego *'curabo'* pro *'amabo'* rescribendum esse censeo.

VIII 1, 3 solet enim (Pompeius) aliud sentire et loqui neque tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat] Vix ultima huius enuntiati pars tam simpliciter asseri potuit, in qua cum oppositio sit *'tamen'* uox post *'tantum'* excidisse uidetur, cuius omittendae occasio in scriptura *'tanτūτn̄ualere'* prona erat.

VIII 1, 4 Quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores . . . ueniunt] Exempla a Wesenbergio (Emend. alter. pag. 18) collecta[1]) satis demonstrant Caelium in illa elocutione uocem *'attinet'* omittere non esse solitum. Reponenda igitur est, neque uero, ut ille uult post *'Quod'*, sed ut ceteri loci[2]) docent post *'Caesarem'*.

VIII 2, 1 Certe inquam absolutus est, *me repraesentare*[3]) pronuntiatum est et quidem ab[4]) omnibus ordinibus et singulis in uno quoque ordine sententiis] Verba corrupta esse apparet. Solet emendari: *'me praesente'*; pauci immerito propter syllabam *'re'*: *'me in re praesente'* scribere maluerunt.

Mirum mihi uidetur quo pacto *'presente'* in *'representare'* corruptum sit; quam scripturam ego potius ex *'presenterepppronuntiatum'* natam esse putauerim. Itaque rescribendum proponam: 'me praesente rei publicae pronuntiatum est'.

VIII 3, 1 idque (otii tempus tecum consumere) non mediocriter desidero, ut[5]) mihi non modo solus esse, sed Romae te profecto solitudo uideatur facta] Memoriam codicum non esse sinceram nemo iam negat atque Wesenbergius (Emend. pag. 94 sq.) ceteris persuasit addita uoce *'ego'* post *'modo'* satis effici, ut totius urbis solitudo significanter Caelii opponatur.

Nec tamen nihil hac in contorta et implicata structura offensionis relinquitur, in qua item praeterea non satis quae opponuntur (*'mihi'* — *'Romae'*) quasi perlucere uidentur.

1) Non recte Wesenbergius prouocat ad Q. Fr. III 1, 7 (*'Quod ad Pomponiam, si tibi uidetur, scribas uelim'*). — 2) Ad Caelii quos Wesenbergius attulit adde etiam Ciceronis (aliorumque): ad Fam. III 8, 2; IV 5, 6; (VI 7, 6; X 9, 2; 23, 6; 24, 5; 34, 2); XIV 2, 3; ad Q. Fr. II 1, 1; ad Att. V 13, 1; 17, 2; XIII 33, 1; XIV 13, 6; XVI 14, 4. — 3) Eadem scriptura et in margine Harleiani fuit et in Mediceo est, ergo *'me representе'*; quod Parisinus exhibet, ex proprio eius errore decurtatum est. — 4) *'ab'* recte addidit Wesenbergius. — 5) Codices habent *'et'*.

Eicias '*solus esse*' ut ex glossemate marginali ortum et omnia erunt expeditissima: 'mihi non modo sed Romae te profecto solitudo uideatur facta'.

VIII 6, 3. 4 M. Caelius de rerum urbanarum desidia segnitieque magnopere queritur his uerbis: Hic nos omnes absoluimus, et hercules consaepta omnia, foeda et inhonesta sunt.[1]) Consules autem habemus summa diligentia; adhuc senatus consultum nisi de feriis Latinis nullum facere potuerunt; Curioni nostro tribunatus conglaciat. Sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant: nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, ueternus ciuitatem occupasset] Dici non potest: 'consules nihil agunt; tribunus nihil agit; ciuitas nihil ageret, nisi Caelius cum aquariis et tabernariis certaret', quin uideatur ciuitas e contrario poni magistratibus; cum nihilosecius Caelius aedilis curulis in ciuibus numeretur. At, si esset haec oppositio, exspectaretur: '*ciuitas ipsa*' uel '*ciuitas etiam*'. Sed ut aedilis curulis in ciuibus ponitur, sic tribunus, sic consules ciues sunt, neque uero ciues magistratibus Caelius opponere uult, sed ciuitatis uerbo omnes comprehendere.

Quam ob rem ego in codicibus post '*ciuitatem*' uerbum '*totam*' deperditum esse conicio.

1) Quae uerba optime, ut iudico, emendauit Kleynius scribendo: '. . . *obsoleuimus consopita omnia foede et inhoneste*'.

Addendum.

Cum ante hos sex menses priorem huius dissertationis partem separatim ederem, de codice Graeuiano quaestionem in medio relinquere coactus sum neque enim utrum idem fuerit liber ac quem nunc Franciscus Ruehl ex bibliotheca Harleiana prompsit, an ex eodem archetypo olim sit descriptus statuere potui (conf. pag. 131). Sciebam Io. Georgii Graeuii bibliothecae ab Ioanne Guilelmo, Electore Palatino, emptae alteram partem academiae Heidelbergensi esse donatam, alteram — in qua etiam 114 codices mss. — ab Electore ipso retentam atque compereram Horatii librorum codicem, qui olim Graeuii erat, nunc Harleianum appellari; sed Ciceronis epistolarum illum librum unde Harleius sumpsisset neque ex catalogo Narei cognoscere potui neque ceteros bibliothecae Harleianae catalogos aut Ienae aut Halis aut Lipsiae aut etiam Berolini conquirere. Denique adii Carolum Zangemeister, uirum clarissimum, qui ullum ex Graeuii codicibus manu scriptis in bibliotheca Heidelbergensi esse cum negaret, Harleium duo illos epistolarum codices et 2773 et 2682 (simul cum Harl. 2725, 4933, 5377, 5378) a Zambonio, Landgrauii Hassouiensis legato, die 20. mens. Oct. a. 1725 emisse beneuolentissime mihi scripsit ipse a E. M. Thompsonio Londonensi de hac re edoctus. Quae cum ita sint fit quam uerisimillimum codicem Harleianum 2773 esse ipsum illum Graeuii librum, ab hoc uiro recte aestimatum, ab Orellio indiligenter neglectum.

Conspectus.

I.

II.

Index locorum.

DE HAVD NEGATIONIS APVD PRISCOS SCRIPTORES VSV

SCRIPSIT

FRIDERICVS SIGISMVND

Quicunque quaestionibus ad grammaticam pertinentibus animum intendit, optime rem ita instituere uidetur, ut proficiscatur a loquendi consuetudine antiquis temporibus usitata, quibus lingua, cum per artem et praecepta nondum certis angustisque terminis circumscripta liberius se mouere posset, maiorem simplicitatem et integritatem prae se ferebat. Atque in latina quidem lingua initium capiendum erit a Plauti et Terenti comoediis, quae non solum cetera scripta fere omnia antiquitate superant, sed etiam cum continuum amplumque corpus efficiant, materiam praebent aptissimam ad disputationes prospere pertractandas. Quare cum mihi proposuerim de negatione *haud* disserere, ab exemplis Plautinis et Terentianis ordiendum esse uidebatur.[1])

§ 1. De originatione.

Ac primum quidem uideamus, unde *haud* originem trahat. Sed hanc quaestionem, quamuis maximi momenti sit ad indagandam propriam huius negationis significationem, in dubio relinquere coacti sumus. Nam ueteres grammaticos uelut Charisium[2]) et Marium Victorinum[3]) *haud* deriuare a graeca uoce *οὐ* iure risum nobis mouet, quoniam ut recte Handius monet (Tursellinus III p. 15) '*οὐκ* siue *οὐκί* primitiua erat forma, non *οὐ*, nec intellegitur, unde h littera praefixa accesserit ad uocem *οὐ*, nec qua uia *οὐ* in au transierit'. Sane quidem Corssenus (Aussprache I p. 205) omnes difficultates se soluisse arbitratur, cum contendat *haud* constare ex tribus partibus: ex *h*, quod sumptum sit ex pronominis demonstratiui hi-c, hae-c, ho-c radice *ho*, ex *au* aduerbio, quod significet *hinweg* et lateat in au-fero, au-fugio (hoc idem esse atque in lingua Indorum *ava*, quod sit proprie *abwärts* et in compositis saepius usurpetur pro *-los*, *un-*, *nicht*) et ex suffixo

1) Reliquorum scriptorum priscorum testimonia non neglexi: sed quia aut frustatim tantum nobis traditi sunt, uelut Naenius, Ennius, Lucilius, poetae tragici et comici, aut hoc meum uocabulum nusquam praebent uelut Cato in libris de re rustica, huic quaestioni non multum uel nihil lucis afferunt. — 2) et 3) Grammatici Latini ed. Henricus Keil I p. 112 et VI p. 15.

de: eben, gerade, quod inueniamus in *ex-in-de, de-in-de, pro-in-de* pro *ex-in, de-in, pro-in.* Quam totam uocem, cum sensum habeat: *dieses nicht eben, dieses nicht gerade,* aliquid non simpliciter, sed ex uniuscuiusque opinione negare et maiorem uim habere quam *non.* Cui interpretationi equidem non assentior, quoniam incredibile mihi uidetur has ipsas tres partes tam inaudito modo in unum corpus confusas esse ad *dies nicht eben* = *gerade* efficiendum (cur enim Romani non uerbis ad usum promptis usi dixerunt: 'hoc noenum ita'?) neque repperi — idque magni momenti est — Corssenum ex propinquis linguis comparatis adiumenta opinioni suae monstruosae petere potuisse.

Nec uero Handii sententia, qui putat cognata esse *α negativum* et *haud* (ibd. p. 15), et dicit *au* etiam cum aspiratione in multis uerbis ex *a* mutatum esse, exemplis dubiis allatis *ἀρύω* = haurio, *γαθέω* = gaudeo omnino probanda est: *α* enim priuatiuum congruit cum linguae indogermanicae nasali quae uocatur sonanti, cuius uice fungitur latinum *in* (siue *en, em*) et germanicum *un* (*ἄδικος*, in-iustus, un-gerecht). Multo magis etiam ludit Rudolphus Stuerenburgius (in editione Ciceronis librorum de officiis, quam instituit anno 1834), *haut* eodem modo atque *aut* ex *α* illo priuatiuo et ex *ut* (!) ortum et discernendi gratia *h* praefixum esse ratus. Ac praeterea ad quanta artificia Stuerenburgius confugit, ut hanc incredibilem coniunctionem commendet! Nec minus peruersum arbitror Klotzii iudicium (uide: M. Tullii Ciceronis disputationes Tusculanae. Kritisch berichtigt und erlaeutert von Reinhold Klotz pp. 173. 232) *haud* ex *οὐδέ* profectum esse. Primum enim, quomodo *οὐ* in *au* sese uerterit, mihi non liquet, deinde obscurum est, qua tandem de causa *h* Romanis tantopere placuerit, ut ex tota litterarum copia electum huic uocabulo praeponeretur. Quare satis habeo cum nonnullis uiris doctis profiteri originationem huius particulae inuestigare nos non posse, et suspicor *haud* a Romanis demum fictum, cum lingua latina natum et mortuum esse. Quae opinio confirmari mihi uidetur ea re, quod in nulla lingua romanensi, quas omnes ex latina tamquam fonte manasse constat, ullum huius negationis uestigium superest. (Cf. Diez, Grammatik der romanischen Sprachen II p. 478.)

Quocumque autem modo res se habet, certe non puto *haud* initio plus ponderis prae se tulisse quam *non,* quia *non* ex *ne — unum* ortum (= nicht einmal ein einziges Ding, ganz und gar nicht) non facile grauitate superari potuit.

§ 2. De scribendi ratione.

Sed priusquam ad propositum transeam, pauca de particulae *haud* scribendi ratione exponere liceat. Inuenimus igitur, ut Ritschelii uerbis utar[1]), praeter usitatas formas *haud* et *haut*[2]) in

1) Prolegomena ad Trinummum p. 99. — 2) Saepius adhibetur *haud*, sed etiam *haut* satis multi loci praebent ita, ut certam legem secutos Romanos modo hanc modo illam formam posuisse negare possisimus. Librariorum potius arbitrio permissum esse, quidnam scriberent, inde apparere uidetur, quod in codice Plautino E et in codice Terentiano C fere semper *haut*, rarissime *haud* reperitur, cum reliquorum librorum manu scriptorum usus fluctuet. Atque ut eos locos congeram, quibus *haut* animaduerti, Plautina quidem exempla haec sunt: *Amphitruo* 130 E (*haud* ex *haut*), 185 E (aut), 312, 322 E, 348 E (aut), 355, 397, 508, 573, 972 E, 1124 E (aut), 1142 E (aut); *Asinaria* 114, 134, 168, 224, 388, 409, 430, 503 E; *Aulularia* 123, 172, 658 E, 755 DE, 757 E; *Bacchides* 41 C, 161 Ba (aut C), 276 Ba, 344 B (aut), 369, 403, 454, 595 codd., 853 B, 993 D ut uidetur, 1118 BD, 1133 codd., 1193 B ut uidetur, 1203 Ba; *Captivi* 182, 201, 208 Pareus, 209 B secundum Pareum, 303, 357, 402, 561, 627, 695 Pareus; *Casina* II 2, 21. 27; II 6, 3; III 5, 24; IV 4, 21; V 2, 40 Pareus; V 4, 13 codd. Parei (uersus laudaui ex editione Ernesti — Gronouiana); *Cistellaria* I 1, 49; II 1, 19 Pareus; *Curculio* 171 B (*haud* ex *aut* E[3]), 698 B (*haud* ex *aut* E[3]), 723 E[3] (*haud* ex *aut*); *Menaechmi* 126 codd., 201 D (aut), 333 Ba CD (aut), 444 codd. (F aut), 521 C, 574, 576, 640, 768 codd., 853 BCD ut uidetur, 984 C (aut), 1064 codd.; *Mercator* 148 D (*haud* ex *haut*), 237 D, 386 BCD (aut), 541 C; *Miles gloriosus* 11 Db (aut BCD), 97 Ba, 145 Db (aut BaCDa), 170 CDa, 293 Bc, 381 Ba (aut), 629 Bab (aut), 701 BaCD (aut), 763 C, 872 BCD (aut), 919 codd., 943 BCDa (aut), 1000 C (aut B), 1014 CD, 1041 B (ut), 1047 C (aut B), 1400 BCD (aut), 1427 D (aut BC); *Mostellaria* 93, 114, 407, 508 codd., 783 Bb, 791 Bab, 792 B, 798 Ba, 800 Ba, 857 CD ut uidetur, 1080 codices plerique, 1081 Ba; *Persa* 11 BCDF (aut), 231 codd., 498 A (cf. Studemundus Verh. d. Karlsruh. Philol.-Vers. 1882, p. 57), 535, 552, 563 B, 593, 697, 834 codd.; *Poenulus* I 1, 13 codices Parei. I 1, 74; 2, 57; 2, 78; 2, 148; III 1, 24, 41, 69; 4, 27; 5, 10, 42; IV 2, 30, 36; V 2, 94, 122; 4, 6, 38 Pareus. V 4, 45 codices secundum Pareum; *Pseudulus* 142 codd., 215 C (aut), 653 BCD, 654 B, 683 Ba, 1039 B, 1043 codd., 1222 BCD (aut), 1333 codd.; *Rudens* 35 Pareus, 190, 216 B secundum Pareum (aut), 222, 255, 260 Pareus, 266 codd. Parei (aut), 337 BC secundum Pareum, 345, 408, 410, 888, 919, 939 Pareus, 986 codd. Parei, 1040, 1055, 1096, 1152 Pareus, 1383 codd. Parei (aut); *Stichus* 59 BCD (aut), 494 B, 716 codd. (aut); *Trinummus* 63, 64 A, 362 A (aut), 625 B, 721 cod. (aut; *Truculentus* 109 B (aut), 143 B (CD aut), 161, 176, 194, 474 BCD (aut), 657 CD[1] (aut), 888 CD (aut).

Quo accedunt Terentiana haec:

Andria 40 G, 218 BCG, 276 C[1]D[1]G, 324 C, 336 CG, 391 CGD, 399 C, 460 D, 495 C, 525 D[1]G, 530 C, 624 C[1]D, 652 CD, 772 C[1]PG, 792 CG, 807 G, 955 C; *Eunuchus* 235 C, 641 codd., 1065 F; *Heauton*

Plauti fabulis formam *hau* tam saepe exstare, ut de calami lapsu cogitari nequeat. Quo accedit, quod in uno monumento planissime scriptum est: *Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae* (Corpus inscr. lat. u. I, n. 1007). Praeterea Ritschelius illius formae prope intermortuam memoriam grammaticorum auctoritate muniuit quantumuis ea nunc obscurata.

Ingeniosissime enim et argumentis firmis nixus[1]) Marii Victorini[2]) uerba ita emendauit: „*Hau* aduerbium est negandi et significat idem quod apud Graecos *οὐ*. sed ab antiquis cum aspiratione, ut alia quoque uerba, dictum est, et adiecta *d* littera, quam plerisque uerbis adiciebant. *d* tamen litteram conseruat, si sequens uerbum incipiat a uocali, ut '*haud aliter muros*' et '*haud equidem*'. at cum sequens uerbum a consonanti incipit, *d* perdit, ut *hau dudum* et *hau multum* et *hau placitura refer.*" Adde locum apud Charisium[3]) exstantem ab Ritschelio ita expolitum: „*Haud* similiter *d* littera terminatur. *hau* enim Graeca uox *οὐ* *d* littera terminari apud antiquos coepit, quibus mos erat *d* litteram paene omnibus uocibus uocali littera finitis adiungere .ut

quo ted hoc noctis dicam proficisci foras?

sed et per *t* scribi sonus uocis admittit."

Ceterum Phocae testimonio[4]) 'omnia quae *au* diphthongon in prima syllaba habebunt,. dasian respuerunt, ut *audax*. designatum est *haud*: unde *hauscio* compositum simplicis habebit scripturam, nam aspiratur' non nimium tribuerim, quoniam *hauscio* conferri fortasse potest cum *ascribo, ascisco,* in quibus *d* ante se-

Timorumenos 24 FP, 175 PC, 222 ABCDEP, 323 AC¹DP, 387 AC¹DF¹P (hautd G), 629 CF¹P, 668 AC¹P (F aut), 747 CP, 797, 918 C¹D, 958 CP, 999 C¹P (F¹ aut); *Phormio* 45 C (*haud* ex *haut*), 265 C² (*haud* ex *haut*), 269, 419 C, 475, 515 CD, 545 C¹D, 774 CD, 879 C; *Hecyra* periocha 5 AC, 94 D, 225, 232, 258, 278, 306, 424 C, 460 AF, 482, 590 C, 591 C¹D, 756, 814 C; *Adelphoe* 295 AC¹DF¹GP, 373 F, 443 C¹DP, 667 C¹D, 886, 928 C, 976 P.

Atque etiam in fragmentis reliquorum scriptorum priscae latinitatis inuestigaui saepius *haut*: apud *Lucilium* (ed. Mueller) 28, 25 (uti); apud *Tragicos* (ed. Ribbeck): *Liuius Andronicus* 35 codd.; *M. Pacuuius* 426 codd. (aut); *Accius* 108 aut (Leidensis), 115, 193 codd. (aut), 330 libri plerique (aut), 360 Parisinus (aut), 466 codd. (aut); apud *Comicos* (ed. Ribbeck): *Liuius* 2 codd.; *Naeuius* 60 codd., 112 *codd.* (aut); *Titinius* 127, 166 codd. (aut), *Afranius* 7 (*aut* libri) 12 aut (libri Nonii praeter Bamb.), 51 (*aut* libri), 58 libri (*aut*, sed est locus dubius). *S. Turpilius* 9, 10 (aut); ex inc. inc. fab. 74 codd. (aut). — 1) Prolegom. ad Trinummum p. 100 seqq. — 2) Grammatici Latini ed. Keil VI p. 15. — 3) Ibid. I p. 112. — 4) Ibid. V p. 440.

quens *s* cum alia consonanti coniunctum soni dulcis causa remotum est.[1])

Quam formam *hau* cum in Plauti codicibus saepe inueniamus, Alfredus Fleckeisenus[2]) certam quandam legem poetam secutum esse ratus ex locis allatis concludere posse sibi uidetur ante linguales et labiales consonantes (d t l s p b f m n j v) *hau*, ante gutturales (g c q r h) et uocales *haut* scribendum esse.[3]) Atque ut exempla Fleckeiseni ponam, quibus ipse duplicem fere numerum adieci[4]), *hau* oculis occurrit:

ante *d* in Bacch. 506 hau dicet A, Mil. gl. 97 haudiu (audiu) CDa, Persa 498 hau dudum codd., Poen. prol. 94 hau diu BCD, Vidul. frag. II 34 hau decet; ante *t* Epid. 688 hau tuo A, Mil. gl. 293 hau tollas (aut ollas) Ba, Most. 394 BaD hau tantillo, Ter. Hecy. 591 hau tua A; ante *l* in Pers. 377 hau liceat AB, Stich. 529 hau longissume (huc BCDh .. A), Trin. 233 hau liquet A, Truc. 657 hau longe (au) B; ante *s* in Cas. II 2, 17 hau satis A, Cas. IV 3, 4 hau salubriter A (Studemundus), Epid. 543 hauscio A, Merc. 268 hauscio A, Merc. 541 hau sane A, Mil. gl. 1072 hau spreuisti (bii B), Most. 783 hauscio BCD, Poen. IV 2, 13 hau secus B, Poen. V 4, 38 hauscio A, Pseud. 215 hau somnum AB, Pseud. 683 hauscimus A, 1222 hau sinam A, 1333 hau solent A (Studemundus); ante *b* in Most. 720 hau bonum BA et Trin. 462 hau bonumst A; ante *p* in Men. 927 hau pro insano BCD, Most. 792 hau potui (.au) A, Pers. 23 hau probe A, Pers. 552 hau potui A (Studemundus), Pers. 612 hau possum (hu) A, Poen. V 4, 45 hau precor A[5]), Pseud. 653 hau places A (Studemundus), Rud. 222 (h)au parco A (Studemundus), Stich. 59 hau probost A, Stich. 297 hau placet A, Stich. 488 hau postulo A, Truc. 528 hau pigeat B, et in inscriptione supra memorata hau pulcrum; ante *f* in Mil. gl. 381 hau falsum A (testibus Ribbeckio et Studemundo, . . u tantum Ritschelius legit), Poen. IV 2, 40 hau ferme A, Poen. IV 2, 49 hau facile est A, Truc. 929 hau ferro (au) BCD, Ter. Andr. 460 hau ferme P; ante *m* in Cist. II 1, 19 hau metuo (Studemundus) A, Curc. 512 hau male (au) BE, Merc. 482 hau mirum A, Mil. gl. 170

1) et 2) Fleckeisenus, in annalibus philologicis 1850, uol. 60, p. 253. — 3) Non sine aliqua miratione *hau* etiam ante uocales uidemus: Stich. 494 hau aequomst A, Most. 857 hau usquam Ba: sed ibi librariorum neglegentiae debetur. — 4) Quorum partem petii ex Studemundi commentatione pag. 219 allata. — 5) Pro *precor* Geppertus coniecit *nego*, Crainius *grauor*.

hau multos A (testibus Ribbeckio et Studemundo). Pers. 593, 697 A hau male (Studemundus), Poen. I 2, 78 hau mentire A, Poen. V 2, 152 hau magna A, Pseud. 142 hau mali A (Studemundus), Pseud. 221 hau magni A, Pseud. 1078 hau male B, Pseud. 1084 hau mentitust AB, Pseud. 1094 hau multo prius B, Pseud. 1305 hau male A, Stich. 118 hau male AB, Truc. 888 (h)au mutu B; ante *n* in Most. 919 hau nummo BaCD, Most. 735 hau nego Da (heu C), hau nosco Trin. 445 A; ante *u* in Pers. 500 hau uerbum, Cist. III 15 hau uoluisti, Poen. III 1, 69 hau uestrum. Hactenus cum Fleckeiseno facere possumus. Cuius sententiam *hau* ante gutturales uelut *c* et *q* usitatum non fuisse, ferri omnino non posse docent planissime ei loci, quibus *hau* ante *c* et *q* codices exhibent.[1]) Ante *c* in Mil. gl. 1014 hau celo A (testibus Ribbeckio et Studemundo), Most. 434 hau causast BaDaC, Trin. 115 hanc crederet B (conf. Ritschelii adnotationem), Vidul. frag. II 21 ha(u) cessauit; ante *q* in Merc. 116 hau quisquam (heu) B, Pers. 11 hau quit A, Poen. I 2, 57 hau quisquam B. — Quare Ritschelio utique assentior, *quicunque constare sibi uelit*, ante consonantes semper *hau*, ante uocales semper *haut* siue *haud* scribat necesse esse.

§ 3. Excutiuntur sententiae uirorum doctorum de negationis *haud* notione prolatae.

Quoniam igitur exposui, quae de *haud* origine et scribendi ratione memoranda erant, nunc audiamus, quam significationem uiri docti huic particulae tribuerint. Atque primum quidem Ferdinandi Handii, editoris libri egregii, qui inscribitur *Tursellinus seu de particulis latinis commentarii* iudicium afferam, quia copiosissime de hac re egit, quiaque ex eius opere alios multos sua hausisse uideo. Qui dicit haec (Turs. III p. 16, 17): 'Omnis negationis, qua dicitur aliquid non esse, duplex est genus: alterum, quo negatur qualitas siue ponitur rem non esse id quod dicitur: alterum quo negatur esse rem. Illa negatione, quam qualitatiuam uocamus, exponitur, quid non sit res: hac autem, quam modalem appellamus, num sit res. Vtramque Graeci et Latini distinguunt. Qualitatem rei negant Graeci per uoculam οὐ: modalem negationem exprimunt particula μή, quam qui cogitationi notionum inseruire dicunt, aut rei factae negationem a cogitatione negatae rei separant, non satis reputant, omnia, quae negantur, esse cogitationis,

1) Cf. Ritschelii opuscula II p. 592 adn.

sed modum differre rerum, quae uel esse uel aliquid esse dicantur. Qui autem respiciunt ad prohibitiuam uim particulae μή, id potius demonstrare debent, unde proficiscatur haec prohibendi siue cauendi potestas. Id uero in eo cernitur, quod, quum dico, ne quid sit, non cogito, quid sit res, sed non esse eam, nec in considerationem uoco τό τι εἶναι, sed τὸ εἶναι.

Latini negationem eam, quae qualis sit res negat, designant uocula *non*, et quoniam uulgari sermone non tam subtiliter rationem distinguere solent, saepius utuntur una hac uoce quam Graeci, qui sapientius in hac re uersati sunt. Alteram uero negandi rationem modalem duobus uocabulis significant *ne* et *haud*: illud in cauendo, optando, prohibendo, uetando et in compositis uocabulis adhibentes, hoc autem, ut qualemcumque dubitationem reiciant. *Haud* igitur, quod μή est, negat esse rem, neque ad rerum qualitatem, sed ad τὸ εἶναι spectat. Atque istius rationis quadruplex est usus. Nam *haud* cum nominibus coniunctum tollit ipsorum notionem: deinde quum τὸ εἶναι neget, distinctius negat esse rem, eamque, quae non sit, negando asseuerat: tum ponitur in recta rerum oppositione et ibi, ubi maiore distinctione aliquam rem excludit uel remouet: denique quum ueritatis affirmatio non tam ad res, quam ad sententiam et opinionem cum maiori probabilitàte referri possit, id efficitur, ut *haud* illud esse negetur, quod non esse, nisi re ipsa, tamen certe opinione et animi persuasione constat. Quibus fit, ut nos ad effectum respicientes huic particulae grauiorem uim negationis adscribamus et in plurimis agnoscamus fortius eam negare: quamquam haec ipsa uis proficiscitur ex ea particulae natura, quam modalem nominauimus. Nam quum uehementius nego aliquid esse, respondeo quaerenti, num sit res, non qualis sit ea.'

Quam subtilem distinctionem ab Handio institutam in Plauti et Terenti fabulis non uigere existimo, primum quod antiquis illis temporibus *non* siue *noenum* non tantum ponderis amisisse potest ut leuius esset, quam particula *haud* qualemcumque originem professa (sed huic ratiocinationi in uniuscuiusque arbitrio atque opinione positae non magnam uim tribuo), deinde quod certis quibusdam argumentis Handii explicationem debilitare posse mihi uideor. Quid enim cogitabimus de iis locis, quibus *haud* et *non* coniunctim tradita sunt? Videlicet Handius praeceptum suum sine ulla exceptione obseruari uoluit. Quid autem? si uersus animaduertimus, uelut Mil. gl. 1014, ubi Milphidippa dicit: *Tum pol ego id, quod celo, hau celo,* cui Palaestrio respondet: *Immo etiam*

sic non celas?[1]) Quod quicumque integro animo perlegerit, nonne putauerit utramque negationem idem ualere? Quibus enim causis Palaestrionem adductum esse existimamus, ut, cum idem uerbum atque a socia consiliorum suorum adhibitum repeteret, imbecilliore particula adumbraret ipsius *non celas* (du verhehlst nicht) a grauitate esse inferius Milphidippae *hau celo* (ich verhehle durchaus nicht), quamquam utroque in eodem uersu posito alterum alterum tamquam tangit? Haec sententia mihi uidetur procreare spinas et argutias, quas ne praeter necessitatem poetae ascribamus, cauendum nobis erit. Ipse igitur asseuero nullum discrimen intercedere inter *hau celo* et *non celas* atque etiam similes locos inuestigaui, quibus *haut* et *non* promiscue usurpata esse reor.

Nam si in Bacch. u. 322 legimus Chrysalum profiteri: *non edepol scio: Verum haut opinor* et in proximo uersu 323 eundem uirum de eadem re loqui: *Non hercle opinor*, num coniciemus Chrysalum tam subtilibus rationibus ductum modo *haud* modo *non* cum eodem uerbo copulasse ac non potius suo ipsius arbitrio obsecutum modo hoc modo illud probasse, quoniam eligendi optio ei data erat? Quomodo melius enucleare possumus hanc fluctuantem Plautinae dictionis consuetudinem, quae iisdem uerbis, cum nullum significationis discrimen cognoscatur, modo *haud* modo *non* adiungit, quam si statuimus in Plauti comoediis, a quibus tamquam a speculo repercutitur antiquorum temporum sermonis imago, utramque negationem pari pondere usam esse?

Sed ut pergam in recensendo, opinionem prorsus contrariam Handio defendit Rudolphus Stuerenburgius (de officiis p. 125), cum dicat: 'Si quis in legendis scriptoribus Latinis aliquo modo intentus fuerit ad usum particulae *haut*, hic facile intellexerit, ita differre inter se *haut* et *non*, ut *non* simpliciter et directe, *haut* contra cum fluctuatione quadam neget planeque respondeat nostro nicht eben: quo continetur fluctuans iudicium hominis negantis'. Quod cum affirmet Stuerenburgius, iure concludere sibi uidetur *haud* per se minorem uim habere quam *non*, eique assentiuntur maxima ex parte N. Maduigius (in libro, quem inscripsit 'Lateinische Sprachlehre für Schulen' 1867[4] § 401), et nisi adnotationes minus recte intellego, Klotzius (Disputationes Tusculanae

1) Ita muta cum Bothio, Ritschelio, Lorenzio, Brixio codicum: Immo etiam set non celas. Ribbeckius proponit: Immo etiam: sed male celas, Brixius in nov. annal. philol. vol. 115 (1877) p. 337: Immo etiam: sed non celas, Lorenzius (Jahresbericht 1879 II p. 34, 35): Immo et celas et non celas; mihi Bothius rem acu tetigisse uidetur.

p. 143, 173). Sed frustra quaesiui argumenta, quibus Stuerenburgius nitatur. Qui mente praeoccupatus[1]) ad hanc disceptationem accedit, cumque sibi persuaserit hanc solam notionem negationi *haud* assignandam esse, facile sententiae suae omnes locos *haud* praebentes accommodare potest. Quod mirum non est. Nam omnino quicumque in talibus quaestionibus a priori — liceat mihi uti hoc soloecismo philosophorum — rem agit, omnia sibi opportuna inueniet, quia non est iudex integer. Praeterea autem Stuerenburgius uehementer deflexit de recta uia, cum non proficisceretur a priscae latinitatis scriptoribus, sed a Cicerone, cuius oratio ita polita et limata est, ut uix ullum uestigium antiquae sinceritatis reseruet. Ac nonne Stuerenburgius eo refutatur, quod tam saepe apparet *haud ita* (uicies, ut ipse contendit, apud Liuium), quamquam ei solum *haud* sufficere uidetur ad exprimendam locutionem *nicht eben?* Nec spinosa sua explanatione (cfr. p. 127 sqq.) ruinam aedificii in lubrico et instabili solo exstructi morari potest — ut mihi quidem constat.

Medium inter utrumque uirum doctum locum tenet Zumptius, cum ita controuersiam dirimere conetur (Lateinische Grammatik § 277): Die gewöhnliche Negation ist *non*: *haud* giebt dem Ausdruck eine besondere subjective Farbe, die verschieden aufgefasst wird, verstärkend *gar nicht,* vermindernd *nicht eben.* Nec alio modo nodum Gordium soluebat Hasius (Reisigs Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft p. 407). Sed hanc definitionem utrique suspicor inopia quadam extortum esse. Quia enim ignorauerunt, quomodo scopulum salui praeterueherentur, in tuta ora ambiguae interpretationis manere quam mari nonnumquam procelloso certae dictionis se committere maluerunt. Sane non nego uerbis diuerso accentu diuersos colores dari posse, sed tali ratione uni uocabulo duas contrarias significationes inseri posse animo percipere nequeo. Ac praeterea cur Romani necesse habuerunt adhibere locutiones uelut *nullo modo, omnino non, neutiquam, nequaquam* aut *haud ita*, si *haud* per se ipsum uim orationis aut auxit aut attenuauit? Omnino ex meo quidem sensu *haud* non ui, sed usu differt a *non.* Quod idem sibi persuasit Forcellinius in lexico.[2])

1) Idem uisum est Mauritio Muellero (cfr. programma eius: Zum Sprachgebrauch des Livius. I. Die Negationen haud (non) haudquaquam (nequaquam). Stendal 1877 p. 2 adnot. — 2) Idem etiam Draegerus statuere uidetur (Hist. Synt. d. lat. Spr. I^2 p. 134), quamquam apertis uerbis non utitur. Certe negat discrimen esse inter *haud* et *non.*

Denique nolo praeterire G. T. A. Krügerum, qui (lateinische Grammatik § 512) existimat: *haud* fuisse — liceat mihi uernacule loqui — *Begriffsnegation.* Quod cum in pauca contulerit et ueris argumentis fulcire supersederit, non est, cur ei uel obsistam uel plaudam.

Omnino hi uiri docti, quorum iudicia admotis censurae machinis corruerunt, uia ac ratione rem tractauisse mihi non uidentur. Domus enim perfectas ostendunt, in quibus *haud* habitare cogunt: aedificium a fundamento exstruere oportuit. Quod quo commodius perficere possim, indicabo, ubi *haud* apud Plautum et Terentium[1]) — in quo campo dissertationem meam uersaturam esse supra monui — non reperiatur. Sic enim notionem particulae *haud* optime me soluturum esse spero. Atque mihi perspexisse uideor simultatem quandam intercedere inter *μή* et *haud*, ita ut *haud* huius negationis graecae loco nusquam ponatur. Sed ad propositum transeo.

§ 4. De sententiis condicionalibus.

Primum igitur inueni *haud* deesse in enuntiatis quae dicuntur condicionalibus. Quod ne dubitari possit, omnia exempla Plautina ac Terentiana coaceruare studui. Praegrediatur Plautus:

Amph. 438. 929. *Asin.* 195. 242. 243. 248. 460. 907. *Aulul.* 109. 207 saluomst, si quid non perit.[2]) 250. *Bacch.* 90. 192. 410. 555. 914. *Capt.* 12. 81. 121. 353. 380. 486. 683. 970. *Casi.* II 4, 27. *Cistell.* I 1, 47. 69. fragm. ex cod. A 29 (Benoist). *Curc.* 69. 226. 373. *Epid.* 264. 461. 585. *Men.* 199. 534. 805. *Merc.* 422. 911. *Mil. gl.* 268. 516. 520. 527. 920. 1240. 1320. 1394. 1416. 1417. *Most.* 63. 458. 672. 770. 1131. *Pers.* 164. 362. 369. 402. 487. 578. 613. *Poen.* prol. 24. I 2, 158, 183. III 4, 12. V 2, 24; 4, 23; 5, 1. *Pseud.* 212. 286. 375. 513. 533. 555. 777. 877. 1034. 1324. *Rud.* 159. 300. 569. 791. 1044. *Stich.* 646. *Trin.* 85. 96. 328 (si tu non neuis). 348. 465. 607. 793. 978. 1062. 1173. *Truc.* 181. 707.[3]) *Vidul.* frag. I 12 (ed. Studemundus)

1) Ex reliquis scriptoribus priscae latinitatis uelut ex Ennio, Lucilio, poetis tragicis et comicis ea tantum exempla mihi colligenda esse censui, in quibus *haud* exstat, quoniam in usurpando *non* omnes secutos esse uideo easdem rationes neque abhorrere a sermone Plautino aut Terentiano. — 2) Hanc codicum scripturam satis languidam uiri docti nondum expediuerunt nec ipse difficultatem soluere possum. — 3) Praeterea *Truc.* *399* Schoellius ita uersum restituit: Si quod peperissem, id non necarem, at tollerem, eumque in tempus sequi malo quam Camerarium.

si quidem tu non (uis me conducere) *Plauti Fretum* (apud Weisium) Peribo, si non fecero.

Quo accedunt apud Terentium hi loci:

Andr. 208. 237. 327. 372. 692. 700. 790. *Eun.* 35. 140. 502. 503. 638. 639. 838. 888. 902. *Heaut. Tim.* 107. 202. 666. 995. *Phorm.* 13. 514. 724. 994. *Hecy.* 79. 289. 397. 442. 509. 560. *Adel.* 733. 740. 744.

Eodem modo *quasi* tractatum esse docent hi uersus Plautini:

Amph. 683. *Casi.* V 3, 17. *Curc.* 391. *Epid.* 226. 391. *Men.* 499. 669. *Mil. gl.* 482. 992. 1035. *Most.* 1178. *Pers.* 84. *Pseud.* 632. *Rud.* 340.

Et in Terenti fabulis habemus:

Andr. 499. *Heaut. Tim.* 527. 720. *Phorm.* 382. 388. *Hecy.* 110. *Adel.* 271. 941.

At errasse me quispiam dixerit et indicauerit duas sententias hypotheticas, quae *haud* praebere uideantur: unam in Plauti Menaechmis v. 576: *Si quist pauper atque haut malus, nequam habetur,* alteram in Terenti Phormione v. 474, 475: *Ecquid spei porrost? Nescio. Ah! Nisi Phaedria haud cessauit pro te eniti.* Sed cui non in mentem uenit uetus illud: exceptionibus legem affirmari? Quicunque enim hos uersus diligentius contemplatus erit, libenter mihi assentietur, eos uim demonstrationis non habere. Nam ibi *haud* non ad totum enuntiatum, sed ad singula uerba refertur (*malus, cessauit*), quibuscum tamquam in unum corpus coalescit.[1]) Qui fit, ut pro negatiuis affirmatiuas notiones ponere possimus (Siquist pauper atque bonus — Nisi Phaedria properauit pro te eniti) continuationibus neutiquam turbatis. Hanc igitur dubitationem nullo labore amouimus, aliam multo etiam facilius tollere possumus. Sunt enim loci quidam condicionales, qui *haud* contineant. Quod cum coniecturis debeant, non idonei sunt, quibus opinio mea labefactetur. Ritschelius enim Pseuduli v. 122 in hanc formam redigit: *Di te mihi semper seruent. uerum si hau potes?* Quoniam autem illud *hau* in codicibus deest et in enuntiatis ad *si* pertinentibus exceptis singularibus quibusdam non usurpari posse *haud* supra exposui, Ritschelium perperam coniecisse mihi persuadeo et probo cum Lorenzio mutationem Oscari Seyfferti[2])

1) Nimirum *non* (sine *ne*) hunc usum non aspernatum est. Conferri possunt: *Capt.* 309 nisi forte ipse non uis, *Curc.* 82 nisi neuis, *Men.* 788 nisi non uis, *Most.* 762 et *Trin.* 1156 nisi tu neuis, *Vidul.* frag. I 28 Seruo pudico (tibi si) est opus et non malo (si forte recte suppleuit Studemundus). — 2) Lectionem C. F. G. Muelleri *uerum si potes!* recte refu-

(in Philologi uol. 29, p. 391): *uerum qui potes?* Quo eodem argumento ductus non probo Fleckeisenum in Rud. v. 1381, 82 scripturam codicum: *niue etiam dum siem Quinque et uiginti gnatus annos* cum Pareo emendare ita: *niue etiam dum hau siem Qu. et u. annos gnatus*, sed bonum sensum efficio cum Prisciani auctoritate fretus (p. 381, 11, 12 ed. Hertz) ponam: *siue etiam dum siem Quinque et uiginti annos gnatus*, quod commendat C. Fr. G. Muellerus (Plaut. Pros. p. 739). Nec melius sanasse docet haec explicatio supra a me instituta Curculionis uersum 401 Seyffertum, cum scribat: *Licetne inforare, si incomitiare haud licet?* Sane codicum scripturam secuti haberemus inelegantissimum uersum: *Licetne inforare, si incomitiare non licet?* Verum arbitror me rationes metricas restituere, cum proponam: *Licetne inforare, ubi incomitiare non licet?* (Conferte illam uicissitudinem inter *ubi* et *si* exstantem in Stich. 524, in quo A *ubi*, reliqui libri *si* exhibent, et in Bacchid. v. 888, in quo BCD *si*, Festus *ubi* offert.) Neque minus reiciendam esse arbitror in Truc. v. 721 Camerarii coniecturam: *Nam si qui haud nobis usuist, nobis molestust* (pro: *si quid nobis usust, nobis molestust*). Sed quoniam sensus negatiuus fiat necesse est, commendauerim: *Nam si qui nil nobis usust, pol is molestust* (inter '*q* nil' enim et '*quid*' non ita magnum discrimen intercedit nec maius inter *pol is* et *nobis*, praesertim cum *no* in hoc uocabulo correctura factum sit). Sane non possum refutare Schoellii scripturam: *Nam si qui non usust nobis, is molestust*, uerum mihi uidetur paulo plura mutasse, quam ipse mutaui. Postremo falso inseruisse *haud* in sententia condicionali apparet Buggeum, cum ita emendaret Trucul. v. 833: *siue adeo haud caret temeto,* quoniam *haud* in codicibus non exstat.* Praeterea prauum sensum effici hac ratione docuit Langenus in libro egregio quem inscripsit: *Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 144.* Quare non dubito assentiente Langeno recipere lectionem Schoellii: *Siue adeo caret temeto.*

Apparet igitur me non sine causa statuisse *haud* et *μή* tamquam aduersarios alterum contra alterum pugnare. Nam nusquam pro *εἰ μή* inuenitur Latinum *si haud,* immo uero *si haud* semper potest uerti per Graecum *εἰ οὐ*. Ceterum non neglegenda sunt, quae Krügerus uir doctissimus dicit (Griechische Sprachlehre für Schulen

tauit Lorenzius in appendice editionis. Neque Brixius, quae in Fleckeiseni annalibus (vol. 115, p. 328, 1877) suasit, mihi persuasit, cum uersus 123 *De istac re in oculum utrumuis conquiescito* interpretationi eius obsistere mihi uideatur.

I 2, p. 289) exemplis allatis Lysiae XIII § 62 *εἰ μὲν οὐ πολλοὶ* (i. e. *ὀλίγοι*) *ἦσαν*, Thucydidis III 55, 3 *εἰ δ' ἀποστῆναι Ἀθηναίων οὐκ ἠθελήσαμεν* (i. e. *ἠρνήθημεν*) *ὑμῶν κελευσάντων*, Sophoclis Aiantis v. 1131 (ed. Nauck) *εἰ τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς* (*ἀπογορεύεις*) *θάπτειν παρών*.

§ 5. De sententiis consecutiuis aliisque similis condicionis.

Iam uero ut pergamus, idem quod supra notauimus, animaduertimus in enuntiatis quae uocantur consecutiuis. Ubi nusquam *haud*, semper *non* — ac ne ulla quidem exceptio conspicua est — oculis occurrit. Quod facile elucet ex exemplis Plautinis ac Terentianis, quae nunc affero:

Plaut. *Asin.* 25 ita — ut non; *Men.* 19, 20 ita — ut non, 712 Quid tandem admisi in me (sc. eiusmodi) ut loqui non audeam? *Mil.* 71 (ita me uexant) Ut tuo non liceat operam dare negotio 1173, 74 ita — ut non; *Poen.* I 2, 35 Olent salsa sunt (sc. ita), tangere ut non uelis; *Rud.* 730 ita — ut non; Ter. *Andr.* 394 (sc. ita) ut . . . tibi iure irasci non queat; *Eun.* 225, 26 Adeo ut non, 868—70 ita — ut non; *Hecy.* 737 ea aetate, ut non; *Heaut. Tim.* 481, 82 ut non sit suaue uiuere (sc. tantam fenestram nequitiae patefeceris), 711, 12 tantae astutiae, ut non . .[1]) Atque etiam quodammodo huic generi ascribendus est *Bacchidum* uersus 1184: Quem quidem ego ut non hodie excruciem, alterum tantum non meream, ubi *ut non* significat *gesetzt dass nicht* et plane transferri potest: *wenn nicht.* Qui sensus efficitur, cum suppleatur *ea condicione* aut *ita*: *in dem Falle dass . . .*

Accedunt *quam ut* uel *quam* omisso *ut* in Plaut. *Most.* 1170/71 Aliut quiduis inpetrari perferam a me facilius, Quam ut non ego istum pro suis factis pessumis pessum premam, *Asin.* 121/22 moriri sese misere mauolet Quam non perfectum reddat quod promiserit, 810/11 emori Me malim quam haec non eius uxori indicem; *Aul.* 661/62 Emortuom ego me mauelim leto malo Quam non ego illi dem hodie insidias seni; et *ut non* post *opus est* in *Stich.* 588.[2])

1) Huc etiam spectat *Ter. Eun.* 47/48 An potius ita me comparem Non perpeti meretricum contumelias, qui infinitiuus ita explicandus est: *ut non perpetiar* . . — 2) Nimirum tali uersu, qualis est *Capt.* 65: ego faciam ut pugnam inspectet non bonam — non potest niti argumentatio, quippe in quo *non* ad unum uocabulum *bonam,* non ad totam continuationem pertineat.

Idem cadit in sententias interrogatiuas coniunctione *ut* instructas (quae ita explicari solent, ut silentio addatur: *egone talis sim ut* . .). Quas semper negatione *non* uti demonstrant: *Asin.* 884, 85; *Bacch.* 196/97, 489/90; *Poen.* I 3, 20; *Truc.* 441 (bis), 443 Egone ut non munus mittam? (Est ibi coniectura Schoellii pro *Ego isti,* sed quae admodum probabilis mihi uideatur.)

Neque aliter habitae sunt comprehensiones optatiuae, cum semper particula *non* praeditae sint. (Maiore tamen usu excellit *ne.*) Quae apparet his locis: *Cist.* II 3, 13 Utinam audire non queas. *Poen.* IV 2, 42 Me non perdant. *Ter. Andr.* 787 non te credas Dauom ludere.

Praeterea memoro — similitudine quadam rei commotus — ne in enuntiatis quidem finalibus reperiri *haud.* Quod mirum non est, quia hae sententiae negatae non ad *ut non,* sed ad *ne* pertinere solent, et sicubi haec lex uiolata esse uidetur, semper *non* — pro quo tum etiam *haud* adhibere possis — ad singula uerba referendum est (Dräger hist. Synt. II p. 688). Itaque quae modo agitaui, cum rem a me tractatam non tangant, praetermisissem, nisi Seyfferti coniectura quodam modo huc spectaret. Qui in *Curc. v. 724* codicum prauam lectionem: *Ego te uehementer perire cupio, ne tu me nescias* — mutauit in: *E. t. u. p. c. ne tu me hauscias.* Haec igitur scriptura, quamquam *haud* in paribus locis non inuestigaui [1]), tamen aliquam defensionem habet eo, quod *hauscio* unam notionem efficit (i. e. *ignoro*). Ceterum ausim, cum propius ad tradita uerba accedam, Fleckeiseni uestigiis maxima ex parte ingressus scribere: *E. t. u. p. c., ut ne me nescias* (ne *tu* prorsus euanescat). [2])

1) Sane Curc. 200 Langenus (Analecta Plaut. part. I. Monasterii 1882) ita fingit: *Potine fieri, ut immodestis haut modereris moribus?* (Libri enim habent: *hic te modereris m.*) Sed cum *haut* ibi id sit quod nos dicimus *Satznegation,* praeterea sensus affirmatiuus exspectetur, probo cum Goetzio Seyfferti: *immodestis tuis m. m.* — 2) Obiter memoro hac occasione data uerba *metuere timere uereri,* quae *ne* sequatur, particulam *non* semper asciscere, ubi negentur. Hos igitur locos collegi: *Pers. 686* Ne non satis esses leno, id metuebas miser, *Cas. III 3, 12* Metuo, ne non sit surda (ubi tamen *non* artissime cohaeret cum *satis* et *surda* neque totam apodosin negat); *Heaut. Tim. 1017* metuis, ne non, cum uelis, conuincas esse illum tuom?, *Phorm. 902/3* Verebamini, Ne non id facerem, quod recepissem semel, *Adel. 219* Metuisti . . . Ne non tibi istuc faeneraret.

§ 6. De sententiis interrogatiuis.

Nunc mihi agendum erit de comprehensionibus interrogatiuis, in quibus *haud* frustra requires, semper *non* inuenies.[1]) Ac primum interrogationes, quae dicuntur simplices, componam. In quibus Plauto ac Terentio *nonne*, quod apud posteros magis magisque increbruit, displicuisse docuit Spengelius[2]) — quod mihi certe persuasit eiusque potissimum explicationem secutus semper *non* posui. Praesto igitur sunt mihi haec apud Plautum exempla:

Amph. 165 (cf. Spengelium; seclusit Goetzius). 403. 404. 405. 406 (bis). 407 (ter). 452. 518. 539. 625. 659. 700. 703. 937. *Asin.* 177. 215. 326. 395. 472. 476. 480. 488. 652. 931. 935. *Aul.* 294. 772. *Bacch.* 470. 563. 627. 1000. 1136. 1192. *Capt.* 139 (bis). 564. 662. 969. *Casi.* I 1, 1. III 2, 16, 17. III 5, 54. III 6, 12. V 4, 9, 14, 28.[3]) *Cist.* II 1, 31, 32, 35. III 11. *Curc.* 10. 552. 712. *Epid.* 480. 483. 514. 588. 638. *Men.* 294. 302. 307. 408. 438. 453. 503. 505. 512. 516. 533. 618. 631. 708. 714. 741. 824. 911. 947. 1026. 1074. *Merc.* 211. 476 (Non tu scis, quantum malarum rerum sustineam?).[4]) 484. 538. 731. 750. 754. 881 (cum Goetzio). 913. 918. 1014. *Mil. gl.* 318. 428. 696. 1150. 1404. *Most.* 595. 734. 811. 950. *Pers.* 385. 415. 642. 670. 747. *Poen.* I 1, 45.[5]) I 2, 47 (*non* pro *num* cum Gronouio). I 2, 139 (*non* pro *nunc* cum Acidalio). I 2, 192. V 2, 51. 5, 22. *Pseud.* 230. 252. 326. 341. 500. 612. 1196. 1297. 1317. *Rud.* 341. 347. 355. 426. 723. 740. 817. 870. 942. 969. 1125. 1372 (bis). *Stich.* 393. 603. 606.[6]) *Trin.* 133. 789.

1) Hoc recte iam monuit Seyffertus (Philol. 27, p. 437). — 2) Die Partikel '*nonne*' im Altlateinischen (zu Plautus und Terentius) Programm des königlichen Ludwigsgymnasiums zum Schlusse des Studienjahres 1866/67. München. — 3) Casin. IV 4, 25 mutilus est uersus quique *nonne* Gepperti tantum coniectura habeat (cf. Spengelius p. 5). — 4) Putaui interrogationem statuendam esse (quod ut faciamus, sensus non dissuadet), quia in his enuntiatis inuenio hanc dictionem *non tu scis* . . (uelut Merc. 731, Asin. 177. 215, Men. 714. 911, Mil. 1150, Stich. 606, Amph. 703), in aliis autem semper scriptum esse uideo *hauscis* siue *non edepol scis, non hercle scis.* — 5) Non (tu) scis? Kochius (Fleckeiseni annal. 1873, vol. 107, p. 241). Malim: Non scis? Non hercle (etiam). At ego iam faxo scies. — 6) *Non tu scis, quantum afflictentur homines noctu hic in uia?* scripsi cum Kampmanno, qui recte ita mutasse uidetur: *non tu scis, quam* . . . quod exhibent codices praeter A. In A enim legimus: *nonne scis quam* . ., quo Ritschelius commotus est ut ponat: *nonne tu scis quam* . . . — sed minus recte illud factum esse comprobat *nonne,* quod a Plauto usurpatum non esse Spengelio conce-

811. 1017. 1046. 1153. *Truc.* 259. 326. 425. 595. 732. 747. 881.[1])

Quibus addo hos locos Terentianos:

Andria. 149. 194. 238 (non oportuit..?). 239 (non prius...?). 587. 647 (Falsus es. non tibi sat esse..?). 710. 743. 752. 852. 869.[2]) 921. *Eun.* 46. 165 (non ubi..?). 179. 223. 334 (eho, non..?).[3]) 463. 591. 675. 679. 696. 710. 736 (eho, non..?).[4]) 798. 799. 819. 839. *Heaut. Tim.* 239. 436. 545 (non ad senem..?). 583. 612. 780. 894. 919 (bis). 920. 922 (non id..?). 1013. 1041. *Phorm.* 119. 145. 260. 345. 384. 392. 419. 489. 525. 543. 742. 768 (non id sat erat..?). 804. 849. 987. 992. 1002. 1004. *Hecyr.* 70. 231. 236. 341. 342. 360. 552 (non ea dissimulare..?). 603. *Adel.* 94. 112. 396. 560. 660 (eho, non..?).[5]) 661. 709 (bis). 727 (bis). 754. 781. 803. 942.

Verum huic iudicio a me de *haud* facto repugnare uidentur Mil. 217. *Tibi ego dico: an, heureta; me hauscis te adloqui?* Aul. 286 *Post si quis uellet te, haud non uelles diuidi?* Cist. III 15 *Hau uoluisti istuc seuerum facere?* Sed ille Aulularíae uersus nihili aestimandus est, quoniam continuatio uerborum interrogationem non admittit — et optime omnia quadrant, si cum Ritschelio (Op. phil. II p. 250) scribimus: *Pol.si quis uellet ted, haud nolles diuidi.*[6])

Neque maiorem uim probandi habet Mil. gl. 217. Ubi *haud* in enuntiato interrogatiuo usurpatum mera coniectura Ritschelii est, quam probare omnino non possum.[7]) Persuasum enim habeo Plautum in his comprehensionibus particulam *haud*, quam gratissimam sibi esse totiens demonstrauit, saepius adhibiturum fuisse,

dimus. — 1) Praeterea in Truc. v. 257 scribit Spengelius: Ast. *Ego sum. respice ad me.* Str. *Quid 'ego'?* Ast. *Non uides?* Str. *Video: em tibi,* cum putet Stratulacem uerberasse Astaphium, quae sententia propter sequentia uerba probari nequit. Quem recte refutauit Schoellius, sed quod ipse uult: *Quid 'ego'? non ego inuideo te tibi,* admodum quaesitum mihi uidetur neque laudandum. Equidem emendauerim (quam maxime Palatinorum *nonne ego uideor te tibi* secutus): Ast. *Ego sum, respice ad me.* Str. *Quid 'ego'? non ego uideo ted. Ibi's? Quid tibi* .... — 2) Pro *nonne* commendo: *non nunc* (*nō nc*) *te miseret mei?* Antea enim Chremis aures surdae ad omnes preces Simonis fuerant. — 3) 4) et 5) Spengelius (Partikel nonne p. 5, 6) nulla necessitate coactus — rationibus enim non exploratis paret — pro *eho nonne* siue *eho non* .. posuit *eho, an non* ..? — 6) Seyffertus in Philologi uol. 27, p. 487 codicum scripturam: *te haud non uelles diuidi* defendit — iniuria, quia simile exemplum nusquam seruatum est. — 7) Codices enim BCD exhibent: anheriatus uestis: heus te adloqui Palaestrio, quod ineptum est.

si loquendi consuetudo ei concessisset. Itaque Ritschelii emendatione reiecta[1]) accipio, dum melius aliquid proponatur, Maduigii mutationem: *Tibi ego dico: ah, feriatus ne sis, heus, Palaestrio,* qui *te adloqui* ut glossema delet (quem secutus est Brixius). Atque etiam in illo Cistellariae loco Benoistum, huius fabulae editorem Francogallicum, errasse arbitror, cum particulae *hau* tribueret sensum interrogatiuum. Tum enim *hau* non aliter interpretari possumus nisi: *du wolltest doch nicht etwa ..?* (*μῶν*) et in hac dictione *num* unice usurpatur. Quare scribo *Hau uoluisti i. s. f.*, ita ut Melaenis ironice dicat: *Du wolltest sicher nicht eine so verzweifelte That begehen.*[2])

Quem eundem uniformem aspectum praebent comprehensiones interrogatiuae bimembres ut apud Plautum ita apud Terentium, quod facile intellegitur ex his uersibus a me collectis:

Amph. 56. *Aul.* 431. 643. 660. *Bacch.* 121 An non putasti esse?[3]) (Ubi tacite suppletur prius membrum: putastine?) *Capt.* 74. 257. (*an non* cf. Bacch. 121). 455. 846. *Curc.* 566. *Epid.* 538. *Merc.* 452. 592. *Mil. gl.* 301 eho an non domist (Ita codices, Spengelius Plaut. Krit. p. 202, Ribbeckius, Lorenzius, Brixius) 417. 448 (an non). 449. 787. 1265. 1336. *Most.* 35 (an non). 681. *Pers.* 378. 533. *Poen.* II 43 (an non). III 1, 30 (an non). *Pseud.* 254. 616. 969 (cum Spengelio Plaut. Krit. p. 203). 1246. *Rud.* 1399. *Stich.* 264. *Trin.* 983. 1071. *Truc.* 4. 755. 825. — *Ter. Andr.* 186. 201, 621 (an non). 762. 766, 781, 807 (an non). *Eun.* 546. 959 (an non). 968. *Heaut. Tim.* 405. 596. *Phorm.* 147. 445. 852. *Hecy.* 100 (an non). 509. 558. 671 (an non). *Adel.* 136 (an non).

1) Inde apparet iniuria defendisse Albinum Schaaffium in dissertationis, quam inscripsit: de genetiui usu Plautino (Halis Saxonum 1881) thesi tertia Hauptii coniecturam: *Tibi dico: eho, cantherie, me hauscis te adloqui?* Ribbeckii scripturam: *Tibi dico: heus, cantherie, ἀκούεις? te adloquor Palaestrio* ut subaudacem palmarem non duco. — 2) Vulgata lectio: *Au! uoluisti istuc seuerum facere?* non mihi uidetur commendari conexu uerborum, et talem exclamationem admirationem aut indignationem indicantem non existimo quadrare ad indolem huius lenae, quae antea tam aequo atque immoto animo minas Alcesimarchi audiuerat. Sane Richterus *au* amplectitur (de usu particularum exclamat. apud prisc. script. lat. dissert. Argentor. 1879, p. 33), sed argumenta afferre neglexit. — 3) *An non putasti esse eum? quam, o Lyde, es barbarus* ita difficultatem simplicissime amoueri arbitror, ne una quidem littera mutata. Bergkius in Philologi uol. 17 p. 52 parum probabiliter: *A. n. p. e. umquem?* Ritschelius habet: '*A. n. p. e.? hem, quam, o Lyde, es barbarus*' (In codicibus legimus: *A. n. p. esse umquam*?) —

Ac ne in eis quidem interrogationibus, quae pertinent ad *num, cur, quamobrem, quid, quis* uel similia pronomina et aduerbia interrogatiua, *haud* apparere animaduerti. Quod ut omnibus liqueat, locos a me apud Plautum et Terentium repertos congeram:

Aul. 161, *Most.* 336 (num non). *Truc.* 546 num tu non neuis, uoluptas mea? (ubi *num non* Schoelli bonae coniecturae debetur); *cur non*: *Amph.* 409. *Asin.* 413. *Capt.* 985. *Casin.* III 5, 57. *Curc.* 437. *Epid.* 574. *Merc.* 471. *Mil. gl.* 317. 682. 1254. *Most.* 184. 209. 455. 524. *Poen.* V 4, 55; 5, 38. *Pseud.* 318. 491. *Andr.* 103. 384. 518. 581. 952. *Eun.* 87. 465. 898. 964. *Heaut. Tim.* 163. 1047. *Phorm.* 401. 620. *Hecy.* 74. 322. *Adel.* 639. 748. 751. 903. — *Bacch.* 1163 (qui non), *Phorm.* 799 Qui non potest? *Epid.* 599, *Merc.* 218 (quid non). *Phorm.* 568 quid ita non? *Andr.* 727 et 987 (exit. alter), *Hecy.* 453, 698 (quam ob rem non). *Merc.* 16 . . quid non uelint. *Trin.* 994 . . qui non sis . . . *Bacch.* 258 quid non fecit? *Rud.* 1023 Quo argumento socius non sum . .? *Aul.* 713 Quo non curram? *Stich.* 318 Quam pridem non edisti? *Andr.* 489 . . quis non credat . .? *Ad.* 148 Quam hic non amauit meretricem, aut cui non dedit? *Ad.* 716 Quo non (perreptaui)?

§ 7. De sententiis relatiuis.

Porro transeamus ad enuntiata relatiua. In quibus quaestio non tam simplex et perlucida, sed magis intricata est, et ad meum ipsius sensum saepius confugere coactus eram, ubi certum iudicium omnibusque primo aspectu euidens me facturum uix confisus eram. Id uero mihi persuasi non sine causa fieri posse, quod *haud* tam raro, *non* mire quam crebro usurpetur. Ad quam rem explicandam simultas, quam inter *haud* et *μή* intercedere supra adumbraui, non parui momenti esse mihi uisa est. *Μή* enim Graeci ponunt, ubi hae comprehensiones sensum condicionalem aut finalem aut iteratiuum continent aut res in opinione positas uel qualitatem exprimunt. Ac plerosque uersus, in quibus *haud* singulas tantum notiones neget, nihil demonstrare luce clarius est: *Casi.* III 5, 24 Coepit, Quod *haud* Atticam *condecet* disciplinam (*dedecet*), *Poen.* I 1, 73, 74 Quoi iam infortuni intenta ballista est probe, Quam ego *haud multo post* mittam e ballistario (i. e. *statim, confestim*), I 2, 57 Quas adeo *haud quisquam* unquam liber tetigit neque duxit domum, IV 2, 40 Quid agis? Facio, quod manufesti moechi

hic *hau ferme* solent, *Rud.* 1055/56 tun 'es, qui *hau multo prius* Abiisti hinc erum arcessitum? (*uix, proxime, modo*), *Adel.* 667 Qui infelix *haud scio* an illam misere nunc amet (i. e. *ignoro*), *Enn. trag.* 11 (ed. Vahlen) Hector qui *haud cessat* obsidionem obducere, *Attius* 115 (Tragici ed. Ribbeck) Quod beneficium *haud sterili* in segete rex, te obsesse intelleges. Quo eodem modo interpretor *Amph.* v. 185 Facit ille, quod uolgo *hau solent*, quoniam ex mea opinione haec locutio *hau solent* nihil aliud est nisi *omittunt, neglegunt.*[1]) Restant nunc tres tantum loci, qui dubitationem mouere possint. E quibus Ter. *Hecy.* v. 756 *Faciam. quod pol, si esset alia ex hoc quaestu haud faceret, scio Ut* . . uix respiciendus est, quia haec sententia relatiuo instructa non est propria apodosis, sed quia hoc pronomen pro demonstratiuo ibi adhibitum est, ut sequentia commodius et artius cum antecedentibus coniungat. Sic enim — *Faciam. quod pol* . . ipse cum Fleckeiseno scribo, cum Umpfenbachii lectione — comma ponentis post *faciam* — impedita quodammodo ac dura fieri continuatio mihi uideatur. Aliter se habet Aul. v. 253 *Video hercle ego ted arbitrari me, Euclio, hominem idoneum, Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.* Sed fortasse etiam hoc impedimentum superabile est. Quocumque enim modo haec uerba considerantur, nemo *haud* a *merito meo* auellere et ad totum circuitum: *quem — facias* trahere, nemo aliter uertere poterit nisi: *Den du — sehr gegen mein Verdienst — zum Narren halten könntest.* Atque etiam *haud merito meo* quodammodo appositio est et laxis uinculis tantum ad relatiuum annexum. Praeterea sententia uix turbata ponere possim: *quem immerito ludos facias.* Itaque hoc periculum me propulsasse spero. Sed funditus euertere rationes meas uidetur Pseud. 215 *Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu hau somnum capias, set ubi Usque ad languorem* . . . Nihilominus autem me non dedo, sed prouoco ad linguam graecam, ibique inuenio μή hoc loco usurpari non posse (conferenda, quae dicit Kühnerus in libro, quem inscripsit: Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache II 2, p. 741 b). — Cumque uideam in omnibus his uersibus *haud* praebentibus μή nusquam particulae *haud* uice fungi,

1) Nonnumquam etiam *non* eundem sensum habet uelut in: Pers. 257 Quod ego *non magis* somniabam, Mil. 787 Lautam uis an *nondum* lauta quae sit? Truc. 769 De nihilo nihil est irasci, quae te *non flocci (nihili)* facit, Eun. 7, 8 Qui . . . Ex Graecis bonis Latinas fecit *non bonas (malas)*, Heaut. Tim. 196 illi, qui *non* utitur *recte (falso)*, mala, 819 mihi Amicam adduxti, quam *non licitumst (uetitumst)* tangere.

mihi persuadeo Aul. v. 211 *Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui* — ubi *non* plane reddendum est per *μή* — uix recte ab Seyfferto ita emendatum esse: *Dum quidem ne quid perconteris, quod mi hau lubeat proloqui,* sed praefero mutationem Guyeti: *Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat proloqui.* Qua eadem de causa Rud. 113 (*Quem ero praesente praetereat oratio*) *hau* a Fleckeiseno ante *praetereat* insertum mihi displicet, sed in praesens uersum sanare ipse non possum. (Exspectes: *der in Gegenwart seines Herrn seiner Zunge freien Lauf lässt.*)

Itaque me non sine causa hos paucos locos *haud* continentes tamquam exceptiones singulari modo interpretatum esse puto, comparata permagna copia enuntiatorum relatiuorum negatione *non* praeditorum. Praebent enim Plautus et Terentius haec exempla:

Amph. 326. 505. 691. 836. *Asin.* 558. 637. *Aulul.* 740. *Bacch.* 543. 846. 920. *Capt.* 463. 567. *Casi.* II 3, 40; 8, 78. V 2, 4; 5, 6 (Grex). *Cist.* II 1, 6. V 2, 4 (Grex). fragm. ex cod. A (Benoist) 24. *Curc.* 86. *Epid.* 180. *Men.* 671. 1041. *Merc.* 453. 686. 715. *Mil. gl.* 530. 1041. *Most.* 362. *Pers.* 27. 364. 667. *Poen.* prol. v. 8. I 2, 62. V 2, 48; 4, 43. *Pseud.* 135. 226. 727. 825. 1086. *Rud.* 992. 1113. 1167. 1185. *Trin.* 351.[1]) 360. 766. 953. 980. 994. 1160. *Truc.* 355/56. 431. 438. 496. 666. 769. 869.[2]) *Vidul.* frg. II 9. — *Ter. Andr.* 354. 920. *Eun.* 41. 65. 995. *Heaut. Tim.* 324. 565. 570. 784. *Phorm.* 402. 758. 844. *Hecy.* 214. 868. *Adel.* 302. 530. 567. 686.

§ 8. De infinitiuis.

Postremo disserendum mihi est de infinitiuis. Cumque ibi cognoscamus *non* mirum quantum gratiam Plauti ac Terenti sibi conciliasse, *haud* contra neglectum fere esse, facere non poterimus, quin eodem modo de his enuntiatis iudicemus atque de relatiuis. Ac praeterea quanta est copia earum comprehensionum, in quibus *haud* singulas tantum notiones negat! Quae prius congerendae mihi erunt.[3])

1) Ipse cum Ritschelio feci. Ribbeckius proponit: Quod habes, ne habeas et illuc, quod noenum habes, habeas (in musei Rhen. uol. 27, p. 177). — 2) Praeterea Truc. 157 cum Buechelero scribendum mihi uidetur: *Male, quoi non uis* . . et 829 cum Luchsio: — *quod non quit loqui.* — 3) Non plus demonstrant ei infinitiui, in quibus negatio *non* non ad totam sententiam, sed ad singula uerba referenda est uelut in: *Bacch.* 1102 Perii, hoc seruom meum *non nauci (nequam)* facere esse

Amph. 322 Atque *haud longe* abesse oportet, uerum longe hinc afuit, *Aul.* 186. Ain tu te ualere? Pol ego *haud perbene* a pecunia (aio me ualere), *Bacch.* 26 Neque id *haud subditiua* arbitror gloria esse, 344 Id iam mi, utrum uelim, *haut licere* intellego (i. e. *intellego iam uetitum me esse statuere utrum uelim necne*), 369 Nam equidem *haut aliter* esse duco, 1193 Non iam tibi uenit in mentem, Si, dum uiuas, tibi bene facias, pol id esse *haut perlonginquom*? *Capt.* 402 (Nuntia) Nos fuisse ingenio *hau discordabili, Men.* 333/34 edepol *haut mendacia* Tua uerba experior esse, *Merc.* 237 Ait sese . . . Flagitium et damnum fecisse *haut mediocriter*, *Mil. gl.* 170/71 *Hau multos* homines, si optandum foret, Nunc uidere et conuenire quam te mauellem, *Most.* 959 Quid ais tandem? Triduom unum *haut intermissum esse* hic bibi (ita muto uerba corrupta collocatione in codicibus tradita magis seruata quam Ritschelius fecit. Ceterum conferte p. 256), *Poen.* V 4, 6, 7 *haud sordere* uisus est Festus dies, *Rud.* 255 *Hau longe* abesse oportet homines hinc, *Trin.* 584 Nam certumst sine dote *haud dare* (*retinere*), 721 Video caculam militarem me futurum *haud longius*, *Truc.* 109 Fit pol hoc et pars spectatorum scitis pol uos me *haud mentiri* (hac Spengelii scriptura ad tempus acquiesco, quia Schoellii emendatio . . . *scis tis spoliis* . . obscuriuscula, ut plautissem, mihi uidetur) — *Ter. Hecy.* 260 Quem ego intellexi illam *haud minus quam* se ipsum magnificare, *Andr.* 952 Nam illam me credo *haud nosse* (*ignorare*). — Nunc supersunt quinque tantum loci, quos hoc modo interpretari non licet. Dico: *Stich. 70 Exorando, haut aduorsando sumendam operam censeo. Truc. 483 Manibus duella praedicare soleo ego, haud sermonibus*[1]), *929 Auro, hau ferro, deterrere pote, istum ne amem, Stratophanes. Ter. Heaut. Tim. 23, 24 Repente ad studium hunc se applicasse musicum, Amicum ingenio fretum, haud natura*

ausum; *Merc.* 15/16 Quos edepol ego credo humanas querimonias *Non tanti* facere, 626 Di sciunt culpam meam istanc *non* esse *ullam*, 943 Hospes respondit Zacyntho ficos fieri *non malas*; *Men.* 656 (adiuramus) nos *non falsum* dicere; *Most.* 1073 Verba illi *non magis* dare hodie quisquam *quam* lapidi potest; *Stich.* 773 Satis esse nobis *non magis* hoc potis est *quam* fungo imber; *Phorm.* 54 Amo te: et *non neclexisse (respexisse)* habeo gratiam; *Hecy.* 732 Credo edepol te *non nihil* mirari, Bacchis. — 1) Ita Schoellius mihi uidetur recte scripsisse pro: *soleo, haud in sermonibus.* Non autem ei assentior etiam *non* collocari posse *(soleo, non . .)*, quia uix credibile mihi uidetur aliquem librarium minus usitatum uerbum *haud* pro usitatissimo uerbo *non* posuisse, cum contrarium facilius fieri posse concedam.

sua. Hecy. 591 Mea pertinacia esse dicat factum, hau tua modestia.

Sed in his uersibus *haud* proprie ad uerbum regens pertinet, quocum quamuis magno spatio intermisso unam speciem efficit, neque postpositum est nisi ut contrarium melius emineat. Quin etiam possim sensum uix deprauatum reddere tali ratione: *Exorando sumendam operam censeo, aduorsando ne sumatur, dissuadeo — Manibus soleo duella praedicare, sermonibus praedicare omitto — Auro deterrere potis es, ne istum amem, ferro deterrere nequis — Mea pertinacia factum esse dicat, modestia tua factum esse neget — Repente hunc ad studium musicum se applicasse, Amicum ingenio fretum, diffisum naturae suae.* — Atque etiam auxilium peto a lingua Graeca et uideo eas rationes, quas inter *haud* et *μή* intercedere saepius adnotaui, ne nunc quidem ualere desinere. Quotiens enim in his sententiis duae res sibi opponuntur, nusquam *μή* adhiberi solet. Id affirmat sane Krügerus, uir spectatissimae fidei (Griech. Sprachlehre I 2, § 67, 7). At quanta multitudo infinitiuorum per *non* negatorum oculis occurrit! Habetis enim, ut exempla a me reperta colligam, apud Plautum haec:

Amph. 76 (dixit), 78 (oportet), 433 (uinco argumentis), 436 (iuro), 847 (certumst), 920 (testem . .). *Asin.* 97/98 (promitto), 195 (credam), 348 (ait), 458 (sciat), 641 (scito). *Aul.* 754 (scibas), 754 (oportuit). *Bacch.* 265/66 (infit dicere), 559 (uideo). *Capt.* 426/27 (testem do), 564/65 (planum est), 600 (crucior). *Cas.* II 3, 4 (miror), 3, 41, 42 (mirum est); III 2, 9 (miror), 4, 12 (ait te dixisse); III 5, 56 (sciat). *Cist.* I 1, 6 (arbitror); II 3, 41 (oportuit); III 16 (certumst). *Curc.* 557 (puto), 706 Dicundi, non rem perdundi gratia haec natast mihi. *Epid.* 382 (aequom fuit). *Men.* 468 (dices), 505 (intellego), 621, 22 (adiuro), 655, 56 (adiuro, bis), 1026 (adiuro). *Merc.* 62 (dixit), 246 (uisus sum), 668 (aduenit nuntius), 698 (demiror), 765 (aiebat), 1012 (scis). *Mil. gl.* 403 (arbitras), 486 (rentur), 1068 (respondes), 1241 (scio), 1411 (iura). *Most.* 924 (ausim). *Pers.* 119 (memini et scio).

1) *Mostellariae* v. 802: *Misericordia s(tulta haut esse) hominem oportet* omisi, quia *haud* hoc loco coniecturae tantum Ritschelii beneficio uiuit, quae quamuis bona sit, tamen, cum incerta sit et impugnari possit, non idonea est, quae fundamentum ullius quaestionis sit. Praeterea *Trin.* 948 uelim Ritschelium non recepisse Buggei emendationem *Catamitum haud te uelle uideo,* quae propter *haud* falso loco collocatum mihi displicet. (Conf. p. 257.) Ipse Spengelium et Brixium secutus pono: *Faciam* ita ut te uelle uideo.

Poen. III 1, 54 (ratus). *Pseud.* 282 (pudet), 313 (lamentaris), 465 (censeas), 551 (certumst), 553 (uidebo), 642 Reddere hoc, non perdere erus me misit. *Rud.* 167 (censeo), 953 (fidem das), 1201 (miror), 1374 Ius iurandum rei seruandae, non perdundae cognitumst. *Stich.* 130 (oportuit), 337 (scio), 368 (censeo), 604 (censes). *Trin.* 466 (dicis), 497/98 (ut scias), 666 (scio), 814 (dicet). *Truc.* 205 (miror), 670 (mirum uidetur), 767 (iurem). *Friuolar.* 4 (oportet).

Quibus addite hos uersus Terentianos:

Andr. 16 (disputant), 177 (audierat), 205 (dices), 402 (sciret), 563 (arbitror), 672 (putas), 694/95 (adiuro), 729 (iuro), 958 (putet), 989, 90 ex. alter (uolui). *Eun.* 6 (existimet), 23 (exclamat), 54 (indicans), 332 (liquet deierare), 779 (noueram), 878 (scito), 1071 (inscitiast). *Heaut. Tim.* 11 (uoluit), 71 (scio), 387 (haut mirabilest), 501 (dicam), 636 (oportuit), 923 (flagitiumst), 985 (arbitror), 1001 (miror), 1016 (confitear), 1053 (uideo). *Phorm.* 19 (uoluit), 647 (parui retulit), 722 (dicat), 1025 (sperem). *Hecy.* 148 (decrerim), 156 (cognouerit), 269 (adiurat), 438 (dicas), 678 (dixti), 866 (placet). *Adel.* 180 (erit melius), 250 (scio), 386 istuc est sapere, non quod ante pedés modost Videre, sed etiam . . ., 423 (Flagitiumst), 648 (opinor), 659 (commenta est), 987 (ostenderem).

Quo accedunt ei infinitiui, quibus exclamatio irata exprimitur, quem usum apud solum Terentium indagaui:[1]) *Heaut. Tim.* 401. *Phorm.* 232, 233, 978. *Hecyr.* 227. *Adel.* 562, 629.[2])

Hanc igitur partem dissertationis meae magis negatiuam ut ita dicam absolui, nunc proprio meo munere functus affirmatiuam adiungam i. e. exponere conabor eis locis, quibus *haud* apparet, nixus, quae uis probabiliter huic particulae attribuatur. Possumus enim nunc aedificare fundamentis eo firmioribus usi, quo pluribus enuntiatis *haud* infestum esse cognouimus. Quod priusquam aggrediar, ueniam peto, si qua exempla antea iam allata repeto. Materia enim a me

1) Similiter in lingua graeca usurpatum est *μή*. Quod docent — ut reliquos omittam — duo loci Aristophanei, alter in Nubibus v. 268 *τὸ δὲ μηδὲ κυνῆν οἴκοθεν ἐλθεῖν ἐμὲ τὸν κακοδαίμον' ἔχοντα*; alter in Ranis v. 741 *τὸ δὲ μὴ πατάξαι σ' ἐξελεγχθέντ' ἄντικρυς.* — 2) Sane Stich. 441 ita explet Buggeus (Textkritiske Bemärkninger p. 182) *Sagarinum non adire huc ad amicum suum Seruom!* — sed uix quindecim litterae expediri possunt in A.

tractata talis est, ut huius incommodi gratiam facere lectori nullo modo potuerim, praesertim cum non ita saepe hanc culpam commiserim.

§ 9. *Haud* particula cum adiectiuis et aduerbiis coniuncta.

Atque initium capiam ab adiectiuis et aduerbiis. Habetis igitur haec exempla:

(multus) Asin. 168; Bacch. 853; Curc. 182; Merc. 234[1]); Poen. I 1, 74; V 6, 23; Rud. 888; Pseud. 1039, 1043; Truc. 474[2]); Phorm. 879 *haud multo post*; Rud. 1055 et Pseud. 1094 *hau multo prius*; Liuius 2 (Comici ed. Ribbeck) sicine? hau multo secus; Mil. gl. 170, 171 Hau multos homines . . . Nunc uidere . . mauellem; Men. 984 metuam haut multum; Bacch. 320 uerum haut permultum attulit; Heaut. Tim. 668 haut multum a me aberit. infortunium; Hecy. 460 haut multum heredem iuuant. — *(longus)* Amph. 322 Atque haud longe abesse oportet; Bacch. 595 Ne tibi pol haut longe os ab infortuniost, 1193 pol id esse haut perlonginquom; Men. 64 Ingressus fluuium rapidum ab urbe haut longule; Pers. 217 Eo ego hinc haut longe. Et quidem ego eo haut longe; Rud. 255 Hau longe abesse oportet homines hinc, 266 Ilico hinc imus hau longule ex hoc loco; Stich. 528, 29 quam dudum in portum uenis? Hau longissume; Trin. 721 Video caculam militarem me futurum haud longius; Truc. 657 Nam ouis illius hau longe absunt a lupis; Naeuius 16 (Comici) (hau) multa longe promicanda oratiost[3]); Enn. ann. 475 (ed. Vahlen) Impetus haud longe mediis regionibus restat; Phorm. 515 Haud longumst id quod orat. — *(magnus: mediocris)* Asin. 114 Quin te quoque ipsum facio haud magni; Poen. V 2, 152 Statura haud magna; Pseud. 221 tu oleum hau magni pendis; Enn. ann. 342 Ille uir haut magna cum re, sed plenus fidei; Cas. I 1, 10 Quid in urbe

1) *Ea simia adeo haud multo post ad me uenit* scribendum esse assentior Kellerhoffio (conferte dissertationem eius: De collocatione uerborum Plautina quaestiones selectae p. 71). Codices enim exhibent: *adeo post haud multo.* — 2) Non autem probo Kellerhoffium (p. 72) in Truc. u. 413 pro *Non multo post hic aderit* nulla necessitate coactum *Haud multo post* coniecisse. Quod ne faciamus, monet Most. 611 *Pater eccum aduenit peregre non multo prius.* Ubi nemo, nisi uiolentius rem agat, possit *haud multo prius* ponere, quamquam *non multo prius* eodem modo tractandum esse atque *non multo post* nemo negabit. Quare Truculenti uersum 413 intactum relinquendum esse censeo. — 3) An: *nulla longe promicanda oratiost?*

reptas, uilice haud magni preti? Curc. 167 Sum deus. Immo homo haud magni preti; Mil. 145 est homo haud magni preti; Stich. 235 Ecastor auctionem hanc haud magni preti: Bacch. 427 Gymnasi praefecto poenas haut mediocris penderes; Merc. 237 Ait . . Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.[1]) — Similes locutiones atque *haud magni preti* continent hi uersus: Trin. 64 Faxo *haud tantillum* dederis uerborum mihi; Most. 394 Nam intus potate *hau tantillo* hac quidem causa minus; Capt. 421/22 Pol istic me *haut centesumam Partem* laudat, quam ipse meritust ut laudetur laudibus; Mil. 763/64 *Haut centesimam Partem* dixi atque, otium rei si sit, possum expromere. — *(aequus: iniquus)* Amph. 687 Haud aequom facit; Merc. 972 haud aequom fuerat; Stich. 494 Haut aequomst[2]): Rud. 1096 Haut iniquom dicit — *(mirus)* Merc. 482 Hau mirumst factum; Mil. 1041 Hem ecastor haut mirumst; Rud. 345 Edepol hau miranda facta dicis; Heaut. Tim. 387 et nos non esse haut mirabilest — *(similis: dissimilis)* Bacch. 454 Haut consimili ingenio atque illest; Naeuius 60 (Comici) Pol haut parasitorum aliorum (hic) similest; Eun. 313 Haud similis uirgost uirginum nostrarum: Men. 1064 Pol profecto est hau dissimilis.[3]) — *(facilis)* Mil. gl. 701 haut facile eundem rusum restitues locum; Most. 791 Simul flare sorbereque haut facile factust[4]); Poen. IV 2, 49 Sine pennis uolare haud facilest; Afranius 7 (Comici) Haut facul, ut ait Pacuuius, femina una inuenietur bona (= Pacuuius 426 Tragici) Sextus Turpilius 9 (Comici) uerum haud facilest uenire illi ubi sita est sapientia; Ex inc. inc. fab. 47 (Comici) Haud facilest defensu. — *(malus: bonus, probus, decorus, par, pulcher)* Amph. 312 Haud malum huic est pondus pugno; Aul. 172 Noui, hominem haud malum mecastor, 658 haud male agit hic gratias; Bacch. 1161 Haut malast mulier; Curc. 512 Hau male meditate maledicax es; Epid. 359 Haud male; Men. 576 Si quist pauper atque haut malus; 853 Haut male illanc a me amoui; Merc. 756 Haud malast; Pers. 593 Atque hercle tu me monuisti haut male, 697 Atque edepol tu me nunc commonuisti haut male; Rud. 35 Senex qui huc Athe-

1) Praeterea Stich. 163 Seyfferti (Stud. Plaut. p. 4) '*At ego hau pausillulam* . . .' praefero Ritscheliano '*Ego non p.*' Quam bene enim tum congruunt 160 et 163! — 2) Merc. 903 *Quis eam adduxit ad uos? Inique rogas* codices praebent. Schneiderus coniecit: *Haud aeque r.*, Ritschelius *Em. inique r.*, Goetzius *Hem quid id rogas?* An: *Sine, inique rogas* tolerari possit? — 3) *Pol profecto haut est dissimilis* codices praebent. Quod cur emendauerim, dixi in pag. 255. — 4) *haut factu facilest* traditum est in libris manuscriptis. Ceterum conf. p. 255.

nis exsul uenit hau malus, 337 Quid tu agis? Aetatem hau malam male; Pseud. 142 haut mali uidentur, 1078 Hoc quidem actumst hau male, 1305 Hau male mones[1]); Stich. 118 Hau male istuc, Lucilius (ed. Mueller) ex libris incert. 144 hic e re nata sei ius dedit, haud malus est uir[2]): Trin. 462 in aetate hau bonumst; Most. 720 At hercle hau bonum Teneo seruom; Aul. 186 Ain tu te ualere? Pol ego haud perbene a pecunia (uide p. 256); Stich. 59 seruos is habitu hau probost; Pers. 23 Satin tu usque ualuisti? Hau probe; Asin. 409 Ne ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore; Aul. 220 haud decorum facinus tuis factis facis; Pers. 834 Et me haut par est; C. I. L. I 1007 Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae. — *(inuitus, grauatus, molestus, alienus)* Amph. 663 Ecastor med haud inuita se domum recipit suam; Men. 424 Ecastor haut inuita fecero; Hecy. 482 haud inuito ad aures sermo mihi accessit tuos; Rud. 260 haut grauatam Patronam executur, 408 ut honeste atque haut grauate . . . Accepit ad sese; Capt. 357 Hoc quidem hau molestumst; Truc. 176 haud alienus tu quidem es. — *(temerarius)* As. 262 haud temerariumst; Mil. 293 Verum enim, si te di ament, tu istam hau temere tollas fabulam (Aliter Ritschelius. Ceterum conf. p. 258); Attius praet. 31 (Tragici) di rem tantam haut temere inprouiso offerunt; Enn. ann. 473 Haud temere est, quod tu tristi cum corde gubernas. — *(dubius)* Poen. III 4, 27 Haud dubium id quidemst; Andr. 391 nam hoc haud dubiumst; 399 Haud dubium id quidemst, 530 Haud dubiumst mihi; Hecy. 326 perisse me una haud dubium est; Adel. 976 haud dubiumst. — *(falsus)* Men. 412 Haut falsa, mulier, praedicas; Mil. 381 Mi hau falsum euenit somnium. — *(Imperitus, indoctus, similia)* Mil. 919 Adsunt fabri architectonesque ad eam rem haut inperiti; Pers. 535 mi haut imperito eueniet; Pers. 563 Verba quidem haut indocte facit; Heaut. Tim. 323 haut stulte sapis; Men. 927 Hoc quidem edepol hau pro insano uerbum respondit mihi; Stich. 205 Eos omnis tametsi hercle haut indignos iudico; Eun. 235 Conueni . . . Hominem haud in-

1) Praeterea Pseuduli uersum 1204 Ritschelius ita sanat: *Satin confidit nequam? nugas haut est meditatus male.* Quod pluribus de causis non acceperim. Pro lectione tradita, quae haec est: *Non confidit sycophanta hic nequam est. nugis meditatur male* multo melius scribit Fleckeisenus *Satin confidit nequam? nugas est meditatus hau male.* Quamquam haec quoque incerta sunt. — 2) Mil. 895 Ribbeckius ita format: *Ne paue: haut peiores conuenibunt,* quod neque agnoscere neque respuere possum. Omnino uiri docti huic loco nondum medicati sunt.

purum; Heaut. Tim. 629 sed erat hic Corinthia anus haud inpura; Adel. 886 Seruom haud inliberalem praebes te; Bacch. 1124 haud sordidae uidentur ambae (hanc librorum lectionem mutare non audeo); Men. 371 neque id haut immerito tuo; Titinius 166 (Comici) Haut luculentust, era, formaster frigidus; Capt. 695 hau sine poena feceris; Men. 521 Faxo haut inultus prandium comederis; Heaut. Tim. 918 At ne illud haut inultum, si uiuo, ferent; Asin. 224 Si papillam pertractauit, hoc haud ab re est aucupis (Ita ipse suppleo uersum lacunosum. Aliter Camerarius, quem cur non sequar, exposui in pag. 256); Truc. 521 Eia haud ab re, mea uoluptas, tibi istic obuenit labos (hanc Camerarii emendationem contra Schoellium retineo). — *(uaria)* Bacch. 41 Pol haut meretriciumst; Mil. 872 Quam digne ornata incedit haut meretricie[1]); Curc. 123 tibi dabo haud lubenter; Trin. 625 Hau sane euscheme astiterunt (Ita Brixius recte mihi uidetur scripsisse. Ceterum conf. p. 256); Poen. IV 2, 30 Haud amice facis, qui cum onere offers moram; Amph. 355 Familiaris accipiere faxo haud familiariter; Bacch. 161 Compendium edepol aetati haut optabile Fecisti (Ita muto codicum scripturam: *haut aetati optabile.* Ceterum conf. p. 255); Cas. II 2, 27 et quae habet, partum ei haud commode est; Bacch. 26 Neque id haud subditiua arbitror gloria esse; Capt. 227 hau somniculose hoc Agendumst, 402 nos fuisse ingenio hau discordabili; Curc. 165 me procul amantem abesse haud consentaneumst; Men. 333/34 Edepol haut mendacia Tua uerba experior esse; Most. 93 Atque hoc haut uidetur uerisimile uobis; Trin. 90 Edepol haud dicam dolo (haud dolo = haud dolose); Andr. 807 haud auspicato huc me appuli; Adel. 443 Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice, 450 Pol haud paternum istuc dedisti; Cas. IV 3, 4 hau salubriter A (ex Studemundo l. s. s. Ritschelius *haut saturio* legit. Cf. opusc. II 181).[2]) — *(alius, aliter, secus)* Aul. 814 Haud alius est[3]); Pseud. 474 Cauendumst mi aps te irato, atque haut alio

1) Mil. 28 cum Brixio, Lorenzio, Ribbeckio codices sequor. Qui exhibent: *At indiligenter iceram.* Pro quo Ritschelius posuit: *Hau diligenter.* Sed non est, cur mensuram *At indiligenter* spernamus. — 2) Truc. 888 Schoellium sequor: *Verum quom multum abstuli, mi hau muttum apparet quod datumst.* Optime enim adhuc rem egit, uiolentius se gerit Lorenzius, cum (Jahresbericht 1873, p. 393) commendet: *Quantum quantum abstulimus, hau tantillum apparet, quod datumst,* nec magis tolerabilia temptauerunt Muellerus, Seyffertus (de quo uide p. 257), Maehlyus, Spengelius. — 3) Trin. 97 Spengelii *Haud alia causa ad te adueni* reiciendum esse censeo, quia Ritschelii: *Et si alia huc causa ad te adueni* meliorem conexum efficit et codicum uestigiis magis ingreditur.

modo Me uerberare (*atque alio tu* cod. Ipse ad tempus cum Ritschelio facio); Bacch. 369 Nam equidem haut aliter esse duco; Most. 97, 98 quando dicta audietis Mea, haud aliter esse id dicetis (*esse* ipse inserui. Ceterum conf. p. 259); Poen. V 6, 21 Haud aliter ausim; Caecil. 181 (Comici) Insanum auspicium (haut) aliter histrionium est; Adel. 928 Haud aliter censeo; Poen. IV 2, 13 bibitur, estur: quasi in popina est: haud secus (*est* hoc loco ipse addidi. Ceterum conf. p. 257); Rud. 410 Accepit ad sese: hau secus, quam si ex se simus natae; Trin. 835 Ita iam quasi canes nauem — haud secus — circumstabant turbine uenti (Ita ipse — satis dubitanter — huic uersui mederi conor); Titinius 181 (Comici) Haec quidem quasi Osculana pugnast hau secus. — *(etiam, dum)* Merc. 386 Quippe haut etiam quicquam inepte feci; Mil. 1400 Perii. Haut etiam; Pers. 231 Tu quidem haut etiam octoginta's pondo; Pers. 137 Sicut istic leno haudum sex mensis Megaribus Huc est quom commigrauit (Debetur hoc loco egregiae coniecturae Ritschelii pro tradito *nondum*); Truc. 321 haud conuenit etiam hic dum Phronesium. — *(diu, dudum)* Merc. 541 hau sane diust; Mil. 97 Nam ego hau diu apud hunc seruitutem seruio; Poen. prol. 94 Huc in Calydonem commigrauit: haud diu est; Eun. 359 Haud diu est; Pers. 498 Quando? Hau dudum; Stich. 575 Vidi edepol hominem haut perdudum. — *(magis, minus)* Aul. 231 Tu me bos haud magis respicias (*magis haud* codices praebent. Cur ipse transposuerim cum editoribus plerisque, dixi in pag. 258); Curc. 305 Haud mage me cupis quam ego te cupio; Hecy. 260 Quem ego intellexi illam haud minus quam se ipsum magnificare; Heaut. Tim. 958 haud minus aegre patior. Hoc loco etiam commemoranda est locutio *Haud uidi magis* — 'haud magis uidi quam quidquam aliud' interpretatur Georgesius in lexico —, in qua *haud* ad *magis* pertinet. Haec sunt exempla: Merc. 723 Lys. Nescio ego quid dicam. Dor. Haeres. Lysim. Haud uidi magis[1]); Amph. 679 Expectatun aduenio? Haud uidi magis; Capt. 561 At etiam te suum sodalem esse aibat. Haud uidi magis; Poen. I 1, 13 Te ignoscere id mihi aequomst. Haud uidi magis. — *(satis)*

Idem cadit Pseud. 26 in Niemeyeri: *Interpretari (haud) alium posse neminem* (dissert. thes. 4) Malim ipse: *Interpretari, (ere), alium posse neminem.* Aliter Brixius (Nou. annal. philol. uol. 115, 1877, p. 327: I. natum posse neminem), Lorenzius, Ritschelius. — 1) Hanc librorum discriptionem ut cum Goetzio contra Ritschelium retineam, commoueor sensu, quem *haud uidi magis* profiteri cerno. Cf. Ussingii editionem I, p. 300.

Cas. II 2, 17/18 nam pol hau satis meo Corde accepi querelas tuas; Trin. 233 De hac re mihi hercle hau satis liquet (*Hercle* ipse interposui, mutato uerborum ordine. Quod cur fecerim, uidetis in pag. 258). — *(aeque, ita, sic)* Men. 201 Hercules haut aeque magno umquam abstulit periculo (*Haud Herc(u)les aeque* cod. Ceterum conf. p. 256); Cas. IV 4, 21 Nebula est haut aeque mollis atque huius corpus est (Versus est lacunosus. Cf. p. 255); Truc. 194 haud itast res; Andr. 955 Haud ita iussi; Phorm. 265 Haud itast; Hecy. 252 Haut ita decet; Eun. 1065 haud sic decet; Adel. 454 haud sic auferent. — *(uaria)* Curc. 125 mihi haud saepe euenunt tales hereditates; Poen. IV 2, 40 Facio, quod manifesti moechi hic hau ferme solent; Andr. 460 Fidelem haud ferme mulieri inuenias uirum; Hecy. 424 Haud clam me est; Adel. 783 commissatorem haud sane commodum.

Quibus adiectiuis et aduerbiis commode addi potest pronomen indefinitum *quisquam*. Quod cum *haud* coniunctum apparet in his uersibus: Amph. 130 Haud quisquam quaeret, qui siem, 680 Expectatum suom salutat magis haud quiquam quam conem, 972 faxo haud quicquam sit morae; Bacch. 59 haut faciet quisquam iniuriam; Curc. 171 sane haud quidquamst magis quod cupiam iamdiu; Merc. 116 hodie hau quisquam dignum habet decedere; Most. 857 Equidem haut usquam a pedibus apscedam tuis; Poen. I 2, 57 Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit, III 1, 24 haud quisquam hodie nostrum curret per uias; Attius 466 (Tragici) Haut quisquam potis est tolerare acritudinem, 618 Profecto hauquaquam est ortus mediocri satu; Ennius ann. 299 Haud quaquam quemquam semper fortuna secuta est; Andr. 336 At tu hercle haud quicquam mihi; Heaut. Trin. 175 haud quaquam etiam cessant; Eun. 641 certe extrema linea Amare haut nihil est.

§ 10. De propria particulae *haud* significatione.

Iam subsisto in coaceruandis locis, opportunam occasionem me nanctum esse ratus negationis *haud* uim definiendi, quia apud adiectiua principalis huius particulae indoles quae fuerit optime conspicuum esse mihi uidetur. *Haud enim* — id ex permagna copia exemplorum, quae supra commemoraui, singulariter comparatorum utique concludendum esse arbitror — **initio non usurpabatur nisi ut singulas notiones negaret**[1]) (quod nos uo-

1) Haec opinio iam radices egerat in animo meo, cum intellexi idem suspicatum esse G. T. A. Krügerum (Lateinische Grammatik

camus: **Begriffsnegation**). Excutite sultis uersus a me allatos et hanc legem semper obseruatam esse facile perspicietis, semper *haud* artissimis uinculis ad singula uocabula annexum est, nec quidquam ad totum enuntiatum ualet, semper una sententia potest fungi uice locutionis ex duabus partibus (ex negatione uidelicet et ex adiectiuo uel aduerbio) constantis. (Velut *haud malus* nihil aliud est nisi *bonus*, *haud magnus* nihil aliud nisi *paruus*, *haud quisquam* nihil aliud nisi *nemo* etc.) Dubitationem dumtaxat mouerint *Bacch. 41 Bene. pol haut meretriciumst, Mil. 872 Quam digne ornata incedit, haut meretricie, Adel. 450 Pol haud paternum istuc dedisti, Trin. 64 Faxo haud tantillum dederis uerborum mihi, Mil. 763, 64 Haut centesimam Partem dixi atque, otium rei si sit, possum expromere*, similia, quia aliquantulum arduum nobis est notiones simplices reperire idoneas, quae harum compositarum munia subeant. Sed *haut centesimam partem* quid aliud significat nisi: *minimam partem dixi earum rerum, quae...*, *haud tantillum* quid aliud nisi *nihil*? Atque etiam Adel. 450 similiter reddere licet per: *Istuc quod dedisti alienum est a patris ingenio* et *haut meretricie* ex meo quidem sensu non aliter interpretari possumus quam: *Sie schreitet nicht-meretrixartig einher*, i. e. *feminarum honestarum in modum*. Quid multa? Ad commendandam hanc sententiam a me latam omnia adiuuant.

§ 11. *Haud* particula cum uerbis coniuncta.

Sed priusquam noua adminicula proferam, pergam in explanando usu particulae *haud*, cumque ad *uerba* transeam, primum eorum exemplorum mentionem faciam, quae opinioni meae opportune succurrant. Quos locos enumero: *(nego)* Asin. 503 Haud negassim[1]); Most. 735 Ita ut dicis facta hau nego, 1080 credo haut negat, 1081 nam ille quidem edepol haut negat[2]); Truc. 390 Verum adsimulasse me esse praegnatem haud nego.[3]) — *(mentior)* Amph. 573 Verum haud mentior; Curc. 326 Ita me amabit quam

§ 512). Quem non satis ursisse uideo id, quod indagauit, nec quidquam dissertationi meae detraxisse. Ceterum gaudeo, quod uirum doctum socium sententiae meae habeo. — 1) Men. 740 *At mihi negabas dudum surrupuisse te* quod Ritschelius in *Haud mihi n.* mutat, retinendum esse censeo. — 2) *Edepol* quod deest in codicibus a Ritschelio minus recte inseritur inter *haut* et *negat*. Cf. pag. 257. — 3) Poen. V 4, 45 codices exhibent *Hau precor*, quod non intellegitur. Geppertus coniecit *Hau nego*, quod ad sensum sane quadrat. Ipse autem praefero Crainii *Hau grauor* (Zeitschrift f. d. Gymnw. 20, p. 476).

ego amo, ut ego haud mentior; Casi. V 4, 13 haud mentire hercle; Poen. I 2, 78 Pol id quidem haud mentire; Pseud. 1084 Pol hau mentitust; Truc. 109 Fit pol hoc et pars spectatorum scitis pol uos me haud mentiri (cf. p. 237). — *(parco)* Bacch. 993 Cera haut parsit; Rud. 222 uitae haud parco, 919 opera haud fui parcus mea (ita codices. Fleckeisenus *fui* exstinguit: utrum recte necne, in dubio relinquo); Hecy. 225 Meo labori haud parcens. — *(paenitet, piget, pudet)* Amph. 1124 Pol me haud paenitet; Aul. 434 Me haud paenitet; Cist. I 1, 49 Ecastor med haud paenitet (In codicibus legimus: E. *haud me p.* Vide p. 255); Truc. 528 petere hau pigeat; Rud. 1052 Hau pudet. — *(fallo)* Aul. 123 Quamquam haud falsa sum nos odiosas haberi; Men. 755 Set id quam difficile sit mi, haud sum falsus.[1]) — *(uaria)* Men. 768 et illi quoque haut abstinent saepe culpa; Epid. 549 Haud accuso fidem[2]); Bacch. 403 Utut eris, moneo, haut celabis; Mil. 1014 Tum pol ego id, quod celo, hau celo; Capt. 209 Immo edepol, si erit occasio, haud dehortor (Minus recte Fleckeisenus *id* interposuit inter *haud* et *dehortor*. Cf. p. 257); Bacch. 1010 Pol hau derides; Trin. 584 Nam certumst sine dote haud dare; Bacch. 240 Hau dormitandumst; Attius 360 (Tragici) Haut dubitarit uitam offerre, 330 Tamen haut fatiscar, quin tuam inplorem fidem; Vidul. frag. V Hau fugio sequestrum; Most. 407 Pluma haut interest patronus an cluens probior siet, 959 Triduom únum haut intermissum esse hic bibi (De scriptura mea conf. p. 237 et 256); Bacch. 1118 Haut moror[3]) (Praeterea in Asin. v. 355 C. F. G. Muellerus nulla, quantum ego intellego, necessitate coactus *hau morabor* coniecit pro tradito *non m.*); Bacch. 1203 Quod dixi semel, haut mutabo; Andr. 40 Haud muto factum; Trin. 63 Ne tu hercle faxo haud nescias quam rem egeris; 1157 Immo haud nolo; Aul. 286 Pol si quis uellet

1) Ita malim ipse scribere pro: *Sed id quam facile sit mihi* quod codices praebent. Possit enim syllaba *di* uocabuli *difficile* corrupta esse et ut dittographia pronominis *id* deleta a librario quodam. Ritschelius emendat: *Sed id quam mihi non sit facile . . .* — 2) Truc. 616 Schoellius ita reficit: *Si aequom facias, aduentores (hau tu mihi) meos incuses,* uiolentius ut opinor, et praeterea *haud* auellit a uerbo suo *incuses*. Malim ipse: *S. ae. f., aduentores non meos iniuste incuses* (*inius-* enim et *incus-* tamquam gemini sunt). — 3) Hoc loco et Enn. 460 *(Ubiuis, non moror)* Kellerhoffius (l. s. s. p. 83) *nil moror* — quod saepius apparet — restituendum esse censet. At conferte Asin. 355 *non morabor*; Mil. 1305 *Non morabitur*; Stich. 734 *Non mora erit aput me*; Phorm. 718 *Non moror*. Nihil igitur mutandum esse uidetur, praesertim cum ceteroquin hi uersus suspicionem non moueant.

ted, haud nolles diuidi; Rud. 939 bonis quod bene fit, hau perit; Truc. 581 Pol haud perit, quod illum tantum amo; Curc. 164 haud recusem quin mihi male sit; Poen. V 2, 94 Nam haud repudio hospitium (Contrarium sensum exprimit Merc. 148 Ego bonum, malum quo accedit, mihi dare haud desidero); Amph. 397 Hoc quidem hercle haut reticebo tamen; Poen. V 4, 6 haud sordere uisust Festus dies; Mil. 1072 Quomque oratricem hau spreuisti (ita Ritschelius . . . . *me hau spresti* Kochius, Fleckeisens Jahrbücher 1871, p. 827). — *(sino)* Pseud. 1222 Hercle te hau sinam moriri *(hau te sinam* traditum est in Palatinis, *hau sinam* in A secundum Studemundum. Cf. Verhandl. d. Karlsr. Philol.-Vers. 1882, p. 57); Rud. 1383 Iam ab isto auferre hau sinam te; Pacuuius 325 (Tragici) Haud sinam quidquam profari priusquam accepso quod peto; Andr. 624 haud te ulcisci sinit; Phorm. 419 immo haud desinam.[1]) — *(placeo)* Merc. 349 Dum rursum haud placet; Pseud. 653 haut places; Stich. 297 hau placet, 762 dudum haut placuit potio; Enn. trag. 417 nam omnino haut placet. — *(licet, decet, similia)* Bacch. 344 Id iam mi, utrum uelim, haut licere intellego; Most. 800 nobis istas redhibere haut liceret; Pers. 377 Verum lubere hau liceat, si lubeat mihi (ita codices omnes, etiam A secundum Studemundum l. s. s.); C. Inscr. L. I 1306 Eam quoniam haut licitumst ueiuam a matre ornarier; Hecy. 94 Nam illi haud licebat nisi praefinito loqui; Pers. 102 Mendacium edepol dicis, atque id hau decet (cf. p. 255); Capt. 208 Apage, id nos haud deceat Fugitiuos imitari (Ita emendo lectionem codicum: *haud nos id deceat.* Ceterum uide p. 255); Cas. III 5, 24 Coepit, quod haud Atticam condecet disciplinam; Vidul. frag. II 34 Defaenerare hominem egentem hau decet; Capt. 201 Eiulatione haud opus est; Attius 193 (Tragici) Cuius sit uita indecoris, mortem fugere turpem haut conuenit; Eun. 494, 95 Haud conuenit Una ire cum amica imperatorem in uia. — *(soleo)* Amph. 185 Facit ille quod uolgo haud solent; Pseud. 1333 Hercle me isti haut solent (uocare).[2]) — *(Vereor, metuo)* Cist. II 1, 19 Haud metuo, ne iusiurandum nostrum quisquam culpitet; Mil. 943 Haut uereor, ne nos subdola perfidia peruincamur; Andr. 276 Haud uerear, si

1) Cistell. II 3, 89 *(Haud) destiti* — Bentleius emendat. At conferenda Gronouii adnotatio *(perstiti)*. — 2) Pers. 170 Ritschelius pro uitiosa librorum scriptura: *Quamquam ego uinum bibo, ad mandata non consueui simul bibere una* coniecit: *Qu. e. u. b., mandata hau consueui simul bibere una.* Malim ipse, cum *con* deleam ut dittographiam uocabuli *non*, proponere: *Qu. e. u. b., at non sueui mandata simul bibere una.*

in te solo sit situm; Asin. 388 Pol haud periclumst, cardines ne foribus effrangantur.

Quod cum haec quoque exempla mihi faueant, sociorum meorum ut ita dicam copia tanta est, ut rem prospere successuram mihi esse sperem. Praeterea adhuc omisi ad argumentum aliquod prouocare, quod pugnam decernere mihi uidetur. Quod si sumimus *haud* ad singulas notiones tantum pertinuisse, mire expeditur, cur *haud* aut omnino desit aut tam raro appareat in comprehensionibus condicionalibus, consecutiuis, interrogatiuis, relatiuis et in infinitiuis. Negatione enim ad enuntiatum referenda (uerte: *Satznegation*) id tandum definitur, quod dicitur, non id, quod uerbum continet. Tum etiam liquet, cur *haud* numquam possit reddi per μή, quo tota sententia negatur. Ac quamquam *haud* nonnumquam a prisca natura tamquam degenerauit, cum a singulis uocabulis desciscat ad comprehensiones, tamen adeo sibi constitit, ut numquam huius particulae graecae personam suscipiat. Quod quicumque ad obrussam exegerit, rationem constare concedet. Neque habeo, quod diutius disseram de hac re, quoniam uerisimilia contendisse ex permultis exemplis supra collectis mihi uideor.

§ 12. Exempla uel incerta uel discrepantia eorumque explanatio.

Pergo igitur et nunc congero eos locos, qui quamquam *haud* ex meo quidem iudicio ad notionem uniuscuiusque uerbi tantum reuocent, tamen — cum haec relatio non tam perlucida sit, quam in uersibus supra positis — idonei uidentur, per quos transeamus ad ea exempla, quorum usum a lege proposita abhorrere non sine causa contenderit quispiam. Dico *haud postulo haud uolo* (nolo), *haud scio haud nosco* (ignoro), *haud possum haud queo* (ἀδυνατέω):

(postulo, uolo). Aulul. 361, 62 Nos nostras aedis postulas comburere? Haud postulo, 757 Haud te inuito postulo, sed meam esse oportere arbitror; Most. 1005, 6 Ad cenam ne me te uocare censeas. Haud postulo edepol; Poen. III 1, 41 Attrepidate saltem, nam uos approperare haud postulo, V 2, 122 Haud postulo aliter; Stich. 488 Hau postulo equidem in lecto med adcumbere: Cist. III 15 Hau uoluisti istuc seuerum facere (conf. p. 233).[1] — *(scio,*

1) Bacch. 452 Hermannus scribit: *Deos propitios me uidere quam illum haut mauellem mihi*, cum *haut* inserat. Malim ipse: *D. pr. minus*

nosco) Aulul. 426 Pol ego haudscio quid post fuat; Bacch. 581 Foris pultare hauscis. ecquis his in aedibust[1]), 1133 Haut scio, quid eo opus sit; Epid. 543 Hauscio an congrediar; Merc. 268 Atque eos esse, quos deicam, hauscio; Most. 783 Nunc hunc hauscio an conloquar; Pseud. 683 Stulti haut scimus, frustra ut simus; Poen. V 4, 38 quid sperem, haud scio[2]); Rud. 216 Haec parentes haud scitis (locum hunc sanare turbatum desisto), 1040 Ne iste hauscit quam condicionem tetulerit (cum Seyfferto stud. Plaut. p. 7)[3]); Andr. 525 Atque haud scio an quae dixit sint uera omnia; Heaut. Tim. 222 ne ille haut scit, 747 Ne ille haut scit, 999 Etiam haut scio anne uxorem ducat; Phorm. 774 Haud scio hercle; Adel. 667 Qui infelix haud scio an; Cato (ed. Jordan) p. 23, 7 atque haut scio an . .; Bacch. 276 auidi ingenium haut pernoram hospitis; Trin. 445 Hau nosco tuom; Andr. 772 Ne illa illum haud nouit, 952 Nam illam me credo haud nosse. — *(possum, queo)* Amph. 348 Haud potes; Merc. 928 Gerrae: sic me decipere haud potes[4]); Most. 793 Ego hic esse et illi simitu hau potiui (ita Ritschelius, ut metrum in suas rationes reuerteretur, pro codicum *simul hau potui*: sed uerum uidit?); Mil. 1047 meminisse haut possum[5]);

(min') uidere quam illum me uellem mihi, quoniam non intellego, qua de causa *haut* intercidere potuerit. Itemque Truc. 863 Buggei *med haud uis* reicio et Schoellio me addico. — 1) Muelleri *Hauscis* (Prosodie p. 186) Seyffertus, ut metricas difficultates solueret, pro tradito *nescis* commendauit (cf. studia Plautina p. 4) neque dubitaui eum sequi. — 2) Pers. 205 *Utrum te, hercle hauscio* . . Ritschelius *hauscio* addidit ad lacunam tollendam idemque v. 278 *Etiam dicis, ubist, uenefice? Hauscio, in quam, ulmitriba tu* . . . *hauscio* pro codicum *nescio* posuit: utrumque recte, ut mihi uidetur. Contra nolim recipere Mil. 1023 Ribbeckii et Hauptii: *Pedetemptim tu hau scis tractari solitas esse huiusmodi mercis,* quia militi mores meretricum iam dudum noti esse debebant (conf. v. 775 seqq.); apud Ritschelium legimus: *Pedetemptim tu scis tr. s. e. h. m.,* quod sententiae magis satisfacit. — 3) Men. 207 Ritschelius ita mutat: *Scin quid uolo te accurare? Hauscio* (*scio* tantum in codicibus exstat): *set curabo, quae uoles.* Ipse pro *scio* assumpserim Brixii lepidam coniecturam *cedo,* et scribo initium uersus cum Ritschelio (Neue Plaut. Exc. p. 37): *Scin quid uolo ted accurare? Cedo* . . . Deinde Most. 17 cum libris faciendum esse duco et retinendum: *Quod te in pistrinum scis* (*hauscis* Ritschelius) *actutum tradier* i. e. Du schimpfst auf das Land, weil du weisst, was für ein Loos dir dort (nach der Ankunft des Herren) erblühen wird. — 4) Hanc Schoellii scripturam, qua omnia uersus uitia elegantissime tolluntur, cum Goetzio mihi uindicare non dubitaui. — 5) Pseud. 793 Ritschelius emendauit *Peiorem hau potui* pro *Coquum non potui.* Ipse Ritschelio assentiri non possum — uiolentius enim eum rem egisse existimo —, sed ipse melius aliquid non inueni itaque corruptelam tollere omitto. Praeterea Mil. 1270 cum Ribbeckio codices

Pers. 552 Haut potui etiam in primo uerbo perspicere eius sapientiam, 612 Hau possum quin huic operam dem hospiti; Stich. 72 Aduorsari sine dedecore et scelere summo haut possumus; Turpilius 10 (Comici) apisci haut possem[1]); Andr. 792 alio pacto haud poterat fieri; Adel. 295 E re nata melius fieri haut potuit: Cas. II 2, 20, 21 nam uiri Ius suum ad mulieres obtinere haud queunt; Pers. 11 manum obstinere hau quit tamen.[2])

Iam affero ea exempla, quae opinionem meam refutare uidentur, ea dico, in quibus *haud* magis ad totum enuntiatum quam ad singulorum uerborum sententias pertineat. Quae talia sunt, ut si qua ars adhibeatur, legi a me constitutae accommodari possint, nam etiam tum non prorsus obscuratum est, quemadmodum *haud* ad singulas notiones inclinet. Sed ad propositum aggredior:

(uaria) Amph. 1142 hau promeruit, quam ob rem ultio uorteres; Aul. 710 Video recipere se senem: ille me haud uidet (*haud* est optima Guyeti coniectura pro tradito *non*, quod ad metrum non quadrat)[3]); Bacch. 1037 Neque ego haut committam, ut . .; Epid. 272 hodie haud uenerit (*non* legimus in libris, *haud* Weisius recte restituit), 664 neque ille haud obiciet mihi; Mil. 629 Nam equidem haut natus sum annos praeter quinquaginta et quattuor (Ita scribo ipse. Codices exhibent: *haut natus annos* . . . Conf. p. 256)[4]); Most. 508 guttam haut habeo sanguinis; Pseud. 654 Huc quidem hercle haut ibis intro, 1084 Ergo haut iratus fui; Truc. 843 nam haud mansisti; Lucilius 28, 25 haut litteras doceas lutum, 5, 54 et cum hau mu uisus facere est; Andr. 324 Ne iste haud mecum sentit; Hecy. perioch. 5 nuptam haut attigit, 258 At ita me diament; haut tibi hoc concedo, 814 nam hodie mihi potestas haud datast; Phorm. 269 cum illo haut stares; Adel. 373 haud aspexeram te; Heaut. Tim. 416 Haut faciam, 797 Haud faciam;

sequor: *Verbum edepol facere non potis, si accesserit prope ad te* (*V. e f. haut potis erit, si a. p. a. te* Ritschelius). — 1) Omisi Afranii locum (Comici fr. 58), quem Ribbeckius ita restituit: *Spurca gingiuast: gannit, hau dici potest,* quia paene insanabilis est aut certe nondum consanuit. — 2) Truc. 757, ubi Seyffertus *ferre haud queo* lacunae inserit, praefero Schoellii: *atque odi male mendacia.* — 3) Mil. 1216 *Ubist? Mil. Ad laeuam. Acr. Video* codices offerunt. Ribbeckius *Haud* ante *uideo* addit, quod nolim probare. Sane Ritschelii: *Ubist? Mil. Ad laeuam uidedum* palmare non indico. An simplicius sit: *Ubist? Ad laeuam uideas.* (Proximus enim uersus incipit ab *Aspicito.*) — 4) Mil. 640 Camerarius conicit pro tradita scriptura praua: *Nam ipsi qui (quod) ipse amauit, aegre amantis ingenium inspicit: Nam qui ipse haud amauit, ae. a. i. i.* Accipienda mihi autem uidetur cum Ritschelio Gruteri emendatio: *Nam nisi qui ipse amauit, ae. a. i. i.*

Hecy. 590 Haud facies.[1]) — (*audeo*) Capt. 303 Memini quom dicto haud audebat; Bacch. 1056 ne cum illo pignus haut ausim dare; Mil. 11 Tam bellatorem Mars se haut ausit dicere. — (*rogo*) Men. 574 Bonine an mali sint, id haut quaeritant; Men. 640 Pol haut rogem te, si sciam; Rud. 1152 Edepol ted haut orat (ita muto pristinam collocationem *haut te orat*. (Conf. p. 255.) — (*censeo, opinor, similia*) Merc. 828 Pol haud censebam istarum esse operarum patrem; Bacch. 322 Verum haut opinor; Most. 798 Hercle haut opinor (*hercle*, quod in codicibus deest, ab Ritschelio falso insertum esse inter *haut* et *opinor* docuit Kellerhoffius de coll. uerb. Plaut. p. 71); Hecy. 95 Haud opinor; Trin. 115 credo hau crederet[2]); Phorm. 45, 46 haud existimans Quanto labore partum; 545 Haud puto. — (*dico*) Bacch. 506 Ego faxo hau dicet nactam, quem deluserit, 864 Faxo se hau dicat nactam, quem derideat; Merc. 512 Haud equidem deico; Andr. 205 neque tu haud dices tibi non praedictum; Hecy. 232 Haud equidem dico. — (*causam dico*) Mil. 1427 Hau causam dico. Eamus intro, Cario (Verborum ordo in codicibus est hic: *Causam hau dico.* Qui cur mihi non placeat, dixi in pag. 258); Aul. 755, 56 haud causificor, quin eam Ego habeam potissumum; Most. 434, 35 hau causast, ilico Quod nunc uoluisti facere, quin facias mihi.

Proximi nunc sint ei loci, quibus duae res sibi oppositae sunt. Quos quomodo intellegere opus sit, dixi in pag. 238, ubi simul adumbraui, propriam particulae *haud* naturam etiam in hac dicendi ratione perlucere. (Nimirum ita etiam *non* saepissime usurpatum itemque explanandum est.) Hos igitur uersus inueni: Asin. 134 Nam mare haud est mare, uos mare acerrumum, 430 atque erus in hara, haud aedibus, habitat; Bacch. 321/22 Non edepol scio: Verum haut opinor; Capt. 182 Profundum uendis tu quidem, hau fundum mihi; Casi. II 6, 3 At pol ego haud credo, sed certo scio; Curc. 723 Ego te in neruom, haud ad praetorem hinc rapiam; Epid. 688 Ecquid agis? Tuon arbitratu? Meo hercle uero atque hau tuo; Men. 126 profecto me, haut uxorem, ulciscitur, 444 Dicto me emit audientem, haut imperatorem sibi; Most. 114 Atque ea haut est fabri culpa, set magna pars Morem hunc induxerunt; Poen. I 2, 148 Liberare iurauisti me haud semel, sed centies,

1) Truc. 731 Schoellius miram coniecturam excogitauit: *Thetis quoque etiam lamentando lassa hau fecit filium*, nam certe *refecit* exspectaremus. Melius est, quod adnotat: *hau rusum fecit filium*, sed ne hoc quidem salutem attulit. — 2) Truc. 242 *soli hau credimus* Schoellius proponit, fortasse recte *(soli credimus A)*.

III 5, 10 Valeant apud te, quas uolo atque haud te uolo, 5, 42 Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario; Pseud. 215, 16 Ubi tu hau somnum capias, set ubi Usque ad languorem . .; Stich. 70 Exorando, haut aduorsando sumendam operam censeo; Truc. 143 Illa, haud ego, habuit publicum, 161 haut istoc modo solita's me ante adpellare, Sed blande, 483 Manibus duella praedicare soleo ego, haud sermonibus (cf. p. 237), 929 Auro, hau ferro deterrere pote, istum ne amem, Stratophanes; Ennius ann. 274 Haud doctis dictis certantes, sed maledictis; Enn. trag. 374 Nam sapiens uirtuti honorem praemium, haud praedam petit; Afranius 12 (Comici) at haud clamor oritur, sed spiritum firmiter inflat, 51 Quod uult diserte pactum, haut dictum (temeriter); Naeuius 112 (Comici) regum filiis Linguis faueant atque adnutent, haut (animis) subseruiant; Titinius 127 (Comici) Sapientia gubernator nauem torquet, haut ualentia; Ex inc. inc. fab. 74 (Comici) audio, haut ausculto; Ter. Andr. 218 Nam inceptiost amentium, haud amantium, 495 Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego, 624 Namque hoc tempus praecauere mihi me, haud te ulcisci sinit; Heaut. Tim. 24 Amicum ingenio fretum, haud natura sua; Hecy. 106 haud propterea te rogo, Ut . ., set ut . ., 591 Mea pertinacia esse dicat factum, hau tua modestia.

Porro adiungo ea exempla, quae ita interpretanda esse mihi uisa sunt, tamquam contineant res contrarias, quarum alterum membrum omissum est. Quae sunt: Capt. 997 Set eccum incedit huc ornatus haut ex suis uirtutibus (i. e. incedit huc haud ornatus ex suis uirtutibus, sed ex flagitiis, si quae forte commisit. Nam si uerteris: *nach seinen Nicht-tugenden*, prauum sensum efficies); Capt. 627 Quid tu ais? Me tuum esse seruom et te meum erum. Haut istuc rogo; Aulul. 253 Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo; Cas. V 2, 40 Illa haud uerbum facit; Curc. 698 Bene et pudice me domi habuit. Haud uoluntate id sua; Epid. 51 quanti eam emit? Vilei: Haud istuc te rogo; Most. 919 Nempe octoginta debentur huic minae? Hau nummo amplius; Mil. 1000 Edepol huius sermo haut cinerem quaeritat; Pers. 500 Tace, dum pellego. Hau uerbum faciam; Poen. III 1, 69 Eia, haud uostrumst, iracundos esse, quod dixi ioco, IV 2, 36 Fecero, Quamquam haud otium est, V 6, 18 Num quid recusas contra me? Haud uerbum quidem (ita Turnebus — recte, ut ego opinor. *aduorsum quidem* codices); Rud. 190 Namst hoc mi haud labori, laborem hunc potiri (aliter Fleckeisenus. Vide pag. 257); Stich. 716 Hau tuumst istuc, uereri te; Trin. 362 Mentire edepol, gnate, atque id nunc facis

haud consuetudine; Attius 108 (Tragici) namque ut dicam te metu Aut segnitate adiuuere dubitare, haut meum est; Cato 16, 9 (ed. Jordan) Haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient; Andr. 652 Haud istuc dicas, si cognoris uel me uel amorem meum.

Agmen claudant ei pauci loci, quibus *haud* absolute, ut nos dicimus, usurpatum est. Quos laudo: Amph. 503 *Edepol haut quod* (i. e. *non quo*) *tui me neque domi distaedeat*; Rud. 985 *Meum quod rete atque hami nancti sunt, meum potissumumst. Immo hercle haut est*; Hecy. 277, 78 *ita animum induxerunt, socrus omnis esse iniquas: pol quidem haud me* (*haud pol me quidem* cod. Conf. p. 256).

Quoniam igitur legem propositam non utique ualere constat, nunc meum est quaerere, quomodo optime hae exceptiones explicentur. Nimirum proficiscor a definitione, quam ita constitui: *haud* principio singulorum uocabulorum notiones negasse, nullo momento fuisse ad id quod dicitur. Quod apud adiectiua euidentissimum esse supra commemoraui, quorum sententia addito *haud* in contrarium semper uerteretur, cum comprehensio ipsa nullo modo afficeretur. Inde concludo — nixus praeterea copia et qualitate exemplorum — *haud* initio fortasse ad adiectiua tantum positum esse, quibuscum tamquam in unum corpus coaluerit, ita ut respondeat *α* priuatiuo illi Graeco. Paulatim autem *haud* etiam ad uerba adhibebatur, ita ut uim suam primo retineret. (Respiciendi inprimis ii loci, quibus *haud* cum *mentior, nego, parco, placeo,* aliis coniunctum apparuit.) Ubi cum totum enuntiatum e solo uerbo per *haud* negato constaret, Romanis paulatim *haud* non solum ad singulas notiones, sed etiam ad totam sententiam referendum esse uideri poterat. Atque in medio hoc itinere, quod *haud* facit, fortasse sita erant *haud scio, haud postulo, haud possum,* quippe quae particulae *haud,* ut liberius se moueat, permittant. Potes enim *haud scio, haud postulo, haud possum* ita intellegere, tamquam uerborum tantum notiones negatae sint, sed etiam ita, tamquam *haud* ad id quod dicitur spectauerit. Quo factum est, ut, cum *haud* ad comprehensiones ualere coepisset, magis magisque principalis uis huius negationis euanesceret et postremo ita obliuione obrueretur, ut *haud* absolute usurpari posset.

§ 13. De collocatione particulae *haud*.

Ita in Romanorum mentes introspiciebam, inuestigabam, quid tandem in eorum animis accidisset, ut *haud* tali modo tractarent.

Sed scio hos conatus ut ab unius cuiusque arbitrio atque opinione profectos ab aliis aliter iudicari, sententiamque meam uacillaturam et claudicaturam, nisi quo alio modo fulta erit. Quod adminiculum mihi offert collocatio. Consentaneum enim est eam negationem, qua non enuntiata per se ipsa, sed singulae eorum notiones negantur — dico *haud* —, ut relatio statim conspicua sit, quam proxime ante ea uocabula poni, ad quae pertinet, et hanc artam coniunctionem quam minime rumpi. Simulatque autem res liberius tractari, simulatque *haud* a uerbo suo nescio quo modo longius amoueri coeptum est, tum in dies magis oblitterabatur pristina huius particulae significatio, ita ut postremo ad comprehensiones eam referre Romani non uererentur. Quam diu enim legeritis: *Hau malum huic est pondus pugno* (Amph. 312), non infitiabimini, solam sententiam adiectiui *malus* — uel si quid aliud est — adiecto *haud* in contrarium uerti; ubi autem inueneritis: *Haud te inuito postulo* (Aul. 757), dubitabitis, utrum tanta necessitudo inter *haud* et *postulo* intercedat, an non potius id negetur, quod enuntiato continetur. Quae interpretatio cum simplex sit, magis urgenda esse mihi uidetur quam prior (quam tamen non abdico). Nimirum in exemplis quibusdam, in quibus *haud* iniuria loco pulsum esse arbitrabar aduenticia quadam causa (maxime librariorum neglegentia), pristinam collocationem ut probabiliorem restituendam mihi esse censui. Velut scribo Pseud. 1222 *Hercle te hau sinam moriri* (Palatini exhibent *H. hau te s. m.*, A autem ex Studemundo l. s. s. *hau sinam.* Utrum eligamus, uix dubium est); Capt. 208 *Apage: id nos haud deceat* (Traditum est *haud nos id deceat.* Sed quam facile potuerunt permutari inter se *haud* et *id!*); Rud. 1152 *Ius bonum oras: edepol ted haud orat* (*haud te orat* exstat in libris manuscriptis; emendatio lenis est); Men. 1064 *Pol profecto est hau dissimilis* (*..haut est d.* cod. nullo labore rectum uerborum ordinem refeci); Bacch. 161 *Compendium edepol aetati haut optabile* (*haut aetati o.* cod.; sed quantulum differunt inter se syllabae *aet* et *haut!*); Most. 791 *Simul flare sorbereque haut facile factust* (*haut factu facilest* legimus in codicibus, sed commode confundere potuit aliquis librarius *facile* et *factust*); Casi. IV 4, 21 *Nebula est haut aeque mollis atque huius corpus est.* (Traditus est uersus lacunosus: *Nebula haut est mollis atque huius est.* Quem supplet Studemundus de cant. p. 24 ita: *Nebula haud est mollis aeque atque huius corpus est.* Scriptura mea propter collocationem praeferenda mihi uidetur); Cist. I 1, 49 *Ecastor med haud paenitet* (*haud me paenitet* cod.); Pers. 102 *Mendacium edepol dicis: at-*

que id hau decet (Libri praebent: *a. haud te d.*, assentior autem Ritschelio *a. id hau d.* ponendum esse, maxime propter sensum). Praeterea in Menaechmi v. 201 *Haud Herc(u)les aeque magno umquam abstulit periculo* metricae rationes postulant, ut accipiamus Lambini coniecturam: *Hercules haud aeque magno u. a. p.*[1]) Similiter Guyetus Aululariae uersum 186 inelegantem quique lima utique egeat: *Ain tu te ualere? Pol ego haud a pecunia perbene* optime ita sanauit: *A. t. t. v.? P. e. haud perbene a pecunia.* Praeterea Kellerhoffiius (de coll. u. Pl. p. 71) multorum exemplorum copia fretus damnat Hecy. v. 277/78 *ita animum induxerunt socrus Omnis esse iniquas: haud pol me quidem.* Sed quod ipse suadet: *non pol me quidem* reiciendum esse puto. Non enim est, cur aliquis pro usitatissima negatione *non* minus usitatum *haud* posuerit, cum contrarium melius intellegatur. Quare ipse scripserim: *pol quidem haud me.* Neque in Trin. 625 *Haud ineuscheme astiterunt* Ritschelium rem acu tetigisse opinor, cum ita mutet: *Haut ei euscheme astiterunt*, quoniam *ei* fartum ut ita dicam admodum superuacaneum iudico. Quare Brixii lectionem accipio: *Hau sane euscheme astiterunt.*

Nonnumquam etiam uirorum doctorum emendationibus *haud* loco suo motum est et a me, ut conuenit, restituitur. Velut si Ritschelius Mostellariae prauum uersum 959 *Triduum unum est haud intermissum hic esse et bibi* ita expolit: *Triduom unum haut esse intermissum hic bibi*, rectum eum uidisse nego codicumque uestigiis magis ingressus ipse propono: *Tr. u. haut intermissum esse hic bibi.* Idem cadit in Mil. 629, ubi Camerarius — Ritschelio probante — traditam scripturam: *Nam equidem haud natus annos praeter quinquaginta et quattuor* mutat in: *N. e. haut sum annos natus . . .* Sed nonne melius malum tollitur ita: *N. e. haud natus sum annos . . ?* (Quam facile enim *sũ* omitti potuit post *natus*!) Neque aliter tractandum esse puto Asin. 224 *Si papillam pertractauit, haud est ab re aucupis.* Quam lacunam Camerarius et Ritschelius ita farciunt: . . . *haud id est ab re aucupis.* Malim ipse: *hoc haud ab rest aucupis.* Eadem de causa Pers. 66 refu-

1) Quae adiuuari uidetur Festi testimonio. Qui dicit (Festus ed. Mueller p. 302): *(subcingul)um Herculis (aeque magno ne)utiquam abstulit periculo.* Sed cum *neutiquam* uersui inculcari non possit (mensura enim *néutiquam* qualem Muellerus statuat necesse est, ferenda non est) suspicor *utiquam* corruptum esse ex *umquam.* Tum *haud* post *Herculis* inserendum esse apparet (ante *Herculis* enim collocari non potest propter *um*) et Lambinus nouum socium sibi conciliauit. Cf. *De Festi et Pauli locis Plautinis* scripsit *E. Leidolph* (Comment. philol. Ienenses II p. 225 sq.).

tanda est Pyladis coniectura, qua praeterea prauus sensus efficitur: *Magis quam sui quaesti (haud) animus induci potest.* Ipse Ritschelii lectionem: *M. qu. s. qu. eum animus i. p.* probo (aliter Seyffertus in Philologi uol. 32, p. 284). Atque etiam in Mostellariae v. 1081 Ritschelius iniuria ordinem uerborum mutauit, cum, ut iustus uersus fiat, *edepol,* quod in libris manuscriptis deest, ita addat: *nam ille quidem haut (edepol) negat.* Lacuna enim non minus bene expeditur, si emendamus: *n. i. q. edepol haut negat* (Luchsius in Hermae uol. 8 p. 122, 1874 et Kellerhoffius l. s. s. p. 71). Itemque aqua ignique interdico Truc. 616 Schoellii: *aduentores (hau tu mihi) meos incuses* — (*a. (non) meos (iniuste) incuses* ipse excogitaui), 888 Seyfferti: *haud (id) multum* (Schoellii *hau multum* meum facio), Trin. 948 Buggei: *Catamitum hau te uelle uideo* (Spengelii: *Faciam ita ut te uelle uideo* probo). Nec magis placet mihi, quod Capt. 209 *si erit occasio, haut dehortor* Fleckeisenus *id,* quod neque propter sensum neque propter metrum necessarium est, inter *haut* et *dehortor* interposuit. Cuius eiusdem uiri docti scripturam in Rud. v. 190 *Nam hoc mi hau sit labori laborem hunc potiri* pro *Nam hoc mihi haud laborist l. h. p.* repugnandam esse censeo. Malim ipse: *Namst hoc mi haud l. l. h. p.* (— *Nam hoc mi haud est labori l. h. p.* uult Ios. Rothheimer: de enunt. condit. Plaut. diss. inaug. Gotting. 1876, p. 26). Postremo Poen. IV 2, 13: *bibitur, estur: quasi in popina: haud secus* emendationem Gepperti reicio. Qui ut hiatum deleat, *est* post *haud* inseruit. Immo inseratur post *popina: quasi in popina est: haud secus.* Non autem debilitare uidetur sententiam meam *haud equidem dico,* quod apparet in Merc. 512 et Hecy. 232. *Equidem* enim non ad *dico* pertinet, sed ad *haud,* quocum unam notionem efficit: *Wahrhaftig nicht.*

Verum *haud* post uerbum suum poni posse confidenter nego et sicubi ita usurpatum est, hos uersus, licet ceteroquin integerrimi sint, corruptos esse mihi persuadeo. Quae collocatio prorsus abhorret a propria huius negationis indole. Quis enim tum perspiciet, quomodo *haud* ad uniuscuiusque uocabuli notionem ualeat? quis omnino relationem huius particulae cognoscet? Videtisne praeterea locutiones quasdam cum *non* coniunctas subito aliam uim adipisci, si *non* succedat? Velut *nonnihil* est *etwas, einiges* — *nihil non: alles mögliche* —, *nonnumquam*: *zuweilen* — *numquam non: immer.* Nonne igitur exspectaremus *haud* his locis simile aliquid praestare? Quod cum non animaduerterim, suspicio irrepsit in animum meum, medicina ibi opus esse. Ac-

cedit aliud. Apud Terentium enim, cuius sermonem proxime ad Plautinum accedere nemo infitiabitur, ne ullum quidem huius dicendi rationis exemplum exstat, non Liuius, non Tacitus, apud quos *haud* tanta gratia floruisse apparet, Plautum imitati sunt, denique in tota reliqua latinitate (ni Forcellinii fides dubia est) nullum huius usus uestigium superest. Itaque ad sanandos hos uersus Plautinos confugio, quamuis nonnumquam uiolentia quadam uti cogar. Quod nolim ita intellegere, quasi me ipsum semper emendationes firmas ibi repperisse arbitrer, dux tantum uiae esse uolo, quam alii fortasse felicius ingrediantur. Id certe mihi persuasi uera me sensisse, cum rem ita geram. Primum repugno Aul. 231: *Tu me bos magis haud respicias* et scribo cum editoribus plerisque *Tu me bos haud magis r.* (conferte Curc. 305 Haud mage me cupis quam . .). Deinde dubiam duco in Mil. 293 lectionem Palatini B (quam Ritschelius recepit): *Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam.* Praeterea *tu istam* deest in CD. Possit igitur his uerbis a librario codicis B perperam hic locus attributus esse. Ipse, quod obstat, ita remoueo: *Verum enim, si te di ament, tu istam hau temere tollas fabulam.* (Respicite alliterationem, quam nunc efficiunt *temere* et *tollas.*) Porro perpoliendus mihi uidetur Mil. 1427: *Causam hau dico. Eamus intro, Cario.* Cui leni mutatione medeor, cum ponam: *Hau causam dico. Eamus intro, Cario.* (Sane accentum non ita elegantem adeptus sum: *Haú causám dico,* sed ipse professus sum me ad tempus tantum menda tollere uoluisse et libenter meliori coniecturae meam gratificor.) Denique aggredior ad Trin. v. 233 *De hac re mihi satis hau liquet.* Ubi maiore ui grassatus post *mihi* insero *hercle*, quod cum ab *hac re* non ita differat, praesertim cum syllaba *hi* antecedat, facile intercidere potuit. Hunc igitur uersum constituo: *De hac re mihi hercle hau satis liquet.* — At fortasse in his exemplis *haud* proprie ad uerba referendum est *(respicias, tollas, dico, liquet).* Sed quam peruersus sensus tum fieret! Velut *satis hau liquet* interpretandum esset: *Hierüber bin ich genügend im Unklaren,* cum significet: *Hierüber bin ich nicht recht im Klaren*, et *causam hau dico* si reddere uelles per *causam nego*, ita ut *haud* ad *dico* tantum pertineret, rem acu non tangeres, quia locutio *causam dico: einwenden* salua sententia discerpi nequit. Nec magis opinionem meam debilitauerunt, quae Ussingius (in editionis com. Plaut. II p. 295) monuit. Nam Aul. 231 et Trin. 233 supra emendabam, in Curc. 579 *Ut ego tua magnifica uerba neque istas tuas magnas minas Non pluris facio*

quam . . *non* iustum locum ante pluris obtinere contendo; Capt. 956 *Fui ego bellus, lepidus, bonus uir numquam neque frugi bonae* dubitatione carere puto (verte: *Ich war ein hübscher, feiner, braver Bursche niemals, ebensowenig hab' ich etwas getaugt*) (haec enim aduerbia negatiua uelut *numquam, nusquam* liberius se mouere non grauor, quia semper ad id quod dicitur ualent, ita ut, quo spectent, nemo ignorare possit); Amph. 680 *Expectatum suom salutat magis haut quiquam quam canem* non est, cur in suspicionem adducatur, quoniam *haut* cum *quiquam* coniungendum est; reliquos autem uersus ab Ussingio allatos lenibus mutationibus sano. Velut Amph. 683 traditum: *Sic salutas atque appellas, quasi dudum non uideris* facile emendare potes in: *S. s. a. a. quasi non dudum u.;* in Capt. 425 mira scriptura: *Magis non factum possum uelle quam opera experiar persequi* commode in hanc formam redigitur: *Non magis f. p. u. qu. o. e. p.* atque etiam Pseud. v. 280: *Quia tibi minas uiginti pro amica etiam non dedit* molestus esse desinit, si scribimus: *Quia t. m. u. p. a. haut etiam dedit* (*haut* enim aliquo modo corruptum ante *etiam* ut dittographia syllabae *et* intercidere potuit, et tum librarius quidam *non* post *etiam*, ubi ei melius ad metrum quadrare uisum est, inseruit ad lacunam explendam et sensum restituendum).[1] Praeterea in Mil. 1416 *Et si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia* (conf. Ussingium in ed. uol. I p. 300) Ritschelius dudum iustum uerborum ordinem refecit, cum — ni fallor metricis rationibus ductus — ita mutet: *Et si hinc non abeo intestatus, b. a. p. n.* Neque dubito, quin eodem modo *non* — in quam negationem uix inquisiui — sicubi loco motum est, nullo labore restitui possit.

Nimirum nihil demonstrant ei uersus, in quibus principalis collocatio coniecturis tantum uirorum doctorum turbata est. Velut Ritschelius in Most. v. 98 pro codicum: *Mea, haud aliter id dicetis* minus recte posuit: *Mea, aliter hau dicetis.* Suadeo ipse, ut *esse* inseramus: *Mea, haud aliter esse id dicetis* (responderet tum v. 94). Qua eadem de causa improbo, quod Poen. V 4, 6 Geppertus cum Weisio scripsit: *sordere haud uisust* pro tradito

1) Nolim certe hoc exemplo unico tamquam fundamento coniecturarum uti. Quare probare non possum, quod Goetzius Pers. 174 ad corruptelam remouendam scribit: *Tu meum ingenium fans atque infans etiam nondum edidicisti* (acta soc. phil. Lips. IV p. 353). Malim ipse: *Tu m. i. f. a. i. non etiamdum edidicisti* (*Etiamdum* uidebis in Mil. 992, Pseud. 957, Rud. 1381, Heaut. Tim. 229).

haud sordere uisust (sed emendatione interim desisto) quodque Truc. 189 Scaliger coniecit: *intus haud est* (ubi praeterea *haud* superuacaneum est), sed Schoellii *tibi quidem intust* praefero.

§ 14. Pauca de negationis *haud* usu apud scriptores aureae latinitatis.

Iam ut paucis complectar, quae in dissertatione mea indagasse mihi uideor: *haud* initio non enuntiata ipsa negabat, sed notiones tantum singulorum uerborum, quibus quam minimo spatio intermisso anteponi solebat. Ac quam ualido praesidio hanc sententiam muniri confitebuntur, qui reputabunt, Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Cornelium Nepotem, Liuium cum Plauto et Terentio concinere! Quam congruentiam casu effectam esse, quis adeo opinione praeiudicata ducitur ut contendat? Numquam enim, quantum ego perspicio, *haud* apud hos scriptores in comprehensionibus condicionalibus, consecutiuis, interrogatiuis, relatiuis et in infinitiuis apparet, uel si quando ita usurpatur, his exceptionibus lex mea etiam fulcitur. Tum enim *haud* numquam ad sententiam ipsam, semper ad singula uocabula referendum est, numquam per *μή* reddi potest. Quid enim demonstrant: quod *haud procul* (= *paulum*) absit a morte (Cic. de sen. 5, 15); ac fuere, qui tunc Albinum *haud ignarum (conscium)* consili regis existumarent (Sall. Iug. 36, 3); cognitum Iugurtham *haud procul (paulum)* abesse (Sall. Iug. 106, 2 = 113, 5)?

Atque ut exempla Liuiana congeram[1]), quae me refutare uidentur, statim intellegetis eis uim probationis prorsus deesse. Velut *haud* post *si* uel *nisi* exstat his locis: 7, 13, 6 si nos et hostes *haud secus quam (= item atque)* feminas abditas intra uallum omnibus contumeliis eludunt; 8, 8, 11 si apud principes quoque *haud satis* prospere *(ungenügend =)* esset pugnatum; 23, 1, 8 ni mare propinquum et *haud procul litore* naues *(unweit vom Ufer)* . . . peritis nandi dedissent effugium; 27, 12, 13 si uno proelio *haut incruentus (cruentus)* abeat; 42, 50, 3 si possessio *haut ambigua (unbestritten)* regni maneret. Idem cadit in *haud* post *ut* (consecutiuum uidelicet): 1, 5, 6 ut *haut procul esset quin (beinahe)*; 2, 1, 2 ut *haut inmerito (optimo iure)* omnes deinceps conditores partium certe urbis . . numerentur; 3, 13, 3

1) Quae sumpsi ex Mauritii Muelleri programmate, quod inscribitur: Zum Sprachgebrauch des Livius I. Die Negationen *haud (non) haudquaquam (nequaquam)* (Stendal 1877).

ut *haut multum (paulum)* afuerit quin . .; 3, 35, 2 metu, credo, ne tanti possessio imperii uacuo ab se relicto loco *haud satis dignis* pateret *(paulum d.)*; 8, 36, 3 ut . . *pro haud dubio (pro certo)* habitum sit; 8, 39, 7 ut *haud secus, quam* si tum integri e castris signum pugnae accepissent, concitauerint se in hostem *(ebenso als . .)*; 24, 40, 4 ut opem ferret hostemque *haud dubium (offen, erklärt)* Romanis mari ac terra a maritimis urbibus arceret *(ut finale,* pertinet ad uerbum *orabant)*; 25, 21, 10 ut ex duo deuiginti milibus hominum duo milia *haut amplius (ungefähr, kaum, nur)* euaserint; 25, 34, 12 ut et hostes *haud dubie (zweifellos)* pro uictoribus et Romani pro uictis essent fecit; 27, 51, 10 ut iam inde *haut secus (ebenso wie)* quam in pace res inter se contrahere . . auderent; 28, 19, 15 ut . . *haud satis decoro proelio (in einem wenig rühmlichen Treffen)* trepidaret; 28, 21, 4 ut prouocarent, prouocatiue *haud abnuerent (libenter adnuerent)*, traxit; 32, 4, 4 ut subiectos campos terminare oculis *haud facile (difficile, uix)* queas; 33, 33, 2 ut . . . . . *haut procul* periculo fuerint *(nahe waren)*; 37, 49, 3 ut *haud paulo plurium* maleficiorum gentis quam beneficiorum memoria subiret animos patrum *(i. e. multo plurium)*; 38, 31, 3 ut . . *haud dubie (zweifelsohne)* arma extemplo capturi fuerint; 39, 39, 12 ut *haud dubius* praetor esset *(ganz bestimmt)*; 40, 22, 4 ut *haud secus quam (ebenso sehr wie)* nocturno itinere inpedirentur. Denique *haud* in enuntiatis relatiuis et in infinitiuis — nam in sententiis interrogatiuis frustra hanc particulam requires — oculis occurrit. Quem usum ut paucis illustrem — alia enim exempla aliis simillima sunt ac fere numquam interprete egent — hos locos collegisse satis habeo: 7, 36, 7 qui sua corpora pro salute omnium *haud dubio (certo)* periculo obiecissent; 8, 40, 2 ut esset qui . . signum mittendis quadrigis daret, functusque eo *haud sane (uix paulum)* memorandi imperii ministerio se dictatura abdicaret; 8, 18, 4 si ab eo fides sibi data esset, *haud futurum noxiae (innoxium)* indicium; 38, 12, 6 Eumenem *haud in tempore* abesse *(zur Unzeit)* credere consul; 40, 50, 2 Eam deditionem oppidorum *haud cum fide (infide)* factam quidam auctores sunt.

Index locorum tractatorum.

DE PATRIARCHARUM CONSTANTINOPOLITANORUM CATALOGIS

ET DE

CHRONOLOGIA OCTO PRIMORUM PATRIARCHARUM

SCRIPSIT

FRANCISCUS FISCHER.

ACCEDUNT EIUSMODI CATALOGI DUO ADHUC NON EDITI.

I. De episcoporum et patriarcharum Constantinopolitanorum catalogis.

§ 1. De catalogorum generibus.

Episcoporum et patriarcharum Constantinopolitanorum catalogi exstant multi neque ei eisdem temporibus scripti, quare non eundem patriarcham exhibent ultimum, nec forma omnes eadem compositi sunt, sed genera eorum quinque distingui possunt haec:

1. Nomina tantum patriarcharum afferuntur et spatia regiminis.[1])

2. Cum plerumque tantummodo nomina et spatia regiminis legantur, apud nonnullos brevia exstant vel de facto quodam insigni vel de fide additamenta.[2])

3. Nomina exstant et anni: praeterea autem notae plerumque de dignitatibus ante patriarchatum Constantinopolitanum obtentis, saepe vel de fide vel de imperatore, sub quo aliquis patriarchatu functus est, vel de vitae exitu additae sunt.[3])

4. Nomina tantum exhibentur et hic illic additamenta vel de fide vel de patria brevissima. Hi autem catalogi versibus politicis duodenarum syllabarum compositi sunt.[4])

1) *Φλαβιανός μῆνας η΄.*
Ἀνατόλιος ἔτη η΄.
Γεννάδιος ἔτη ιγ΄.

2) *Φλαβιανὸς ὁ καθελὼν Διόσκορον ἔτη β΄.*
Ἀνατόλιος ὁ ἐν Χαλκηδόνι ἔτη θ΄.
Γεννάδιος ἔτη ιε΄.
οὗτος κατὰ τῶν κεφαλαίων τοῦ
ἁγίου Κυρίλλου συνεγράψατο.

3) *Φλαβιανὸς πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως ἔτος α΄ μῆνας ι΄.*
Τούτου φονευθέντος παρὰ τοῦ δυσσεβοῦς Διοσκόρου
Ἀνατόλιος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἐκκλησίας Ἀλεξανδρείας χειροτονεῖται καὶ ἄρχει ἔτη η΄ μῆνας η΄.
Γεννάδιος πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως ἔτη ιγ΄ μῆνας γ΄.

4) *ὁ Φλαβιανός, Ἀνατόλιος θύτης,*
ὁ Γεννάδιος ἀνδρικὸς καὶ γεννάδας.

5. Exstat eadem compositio rhythmica, sed additamenta multo copiosiora sunt et similia iis, quae exhibent tertii generis catalogi. Anni ne hic quidem afferuntur.[1])

Omnes autem catalogi qui mihi innotuerunt Graeca lingua confecti sunt.

§ 2. De singulorum generum catalogis qui exstant.

A. Primi generis catalogus habetur unus, editus in Philippi Labbei Protreptici ad historiam Byzantinam p. 18 sqq. ed. Ven. 35 sqq. ed. Par. Exscriptus est e codice Parisino collegii Claromontani societatis Iesu et patriarchas exhibet inde a Stachy[2]), primo eorum, usque ad Iosephum alterum (ordin. ao. 1416).

B. Ex altero etiam genere unum tantum catalogum novi, qui exstat in chronographio compendiario, quod notis Alfredi de Gutschmid instructum Eusebii chronicorum editioni ab Alfredo Schoene subiunctum est.[3]) Primus autem hoc opusculum ex codice Columnensi nunc Vaticano membraneo saec. XI notae optimae edidit Angelus Maius in Scriptorum veterum novae collectionis tom. I. part. II. p. 1—40.[4]) Hunc codicem Benedictus Niese in Vaticana bibliotheca quaesivit, sed ne vestigium quidem eius reperiri potuit, quare Schoenio in Maii editione fideliter repetenda requiescendum erat.[5]) Continentur autem chronographio inter alia patriarchae

1) *Ὀρθῶν πρόμαχος Φλαβιανὸς δογμάτων,*
πρεσβύτερος τρόφιμος ὢν ἐκκλησίας,
προεδρίαν εἴληφε μαλ' ἐπαξίως.
Οὗπερ θανόντος λακτίσει Διοσκόρου
ἐν Ἐφεσίων ληστρικῷ συνεδρίῳ
ὡς ὑπερασπίζοντος ὀρθῶν δογμάτων
θύτης Ἀνατόλιος Ἀλεξανδρείας
ποιμὴν ἀναδέδεικτο τῆς Κωνσταντίνου,
νομεὺς ἀγαθός, πύργος ὀρθοδοξίας,
ἐφ' οὗ τετάρτης συνόδου θεῖον στῖφος
καλῶς ἁλισθὲν ἐν πόλει Χαλκηδόνι
ἀλλότριον τίθησι τῆς ἐκκλησίας
Διόσκορον δύστηνον Ἀλεξανδρείας
ἅμ' Εὐτυχεῖ τε καὶ σφίσιν ὁμοτρόποις.
Ἔπειτα Γεννάδιος, ἀνὴρ γεννάδας,
τῆς εὐσεβείας καὶ καλοῦ παντὸς τύπος
ἐκκλησίας τρόφιμος ἅμα καὶ θύτης
τοὺς οἴακας ἴθυνε τῆς ἐκκλησίας.

2) Apud hunc solum copiosius narratur: *Στάχυς ἐκ τῶν ο', ὃν ἐχειροτόνησεν Ἀνδρέας ὁ ἀπόστολος τῆς Θρᾴκης ἐπίσκοπον.* 3) Append. IV. p. 59—101. 4) Cf. Ang. Maii praef. p. XVII. 5) Cf. A. Schoene, Euseb. chron. I. praef. p. XIV.

sedium quinque apostolicarum, quorum ultimum locum obtinent patriarchae Constantinopolitani inde a Metrophane usque ad Methodium (ordin. ao. 842).

C. Tertium genus plerosque catalogos complectitur. Atque ex iis quinque, de quibus tres iam antea editi erant, collegit atque Graece et Latine edidit Anselmus Bandurius in Imperii Orientalis tom. I. part. III. p. 161 sqq. V. 187 sqq. P. Sunt autem hi:

1. Catalogus episcoporum ac patriarcharum Constantinopolitanorum desumptus ex chronographia compendiaria Nicephori patriarchae Constantinopolitani, quae habetur in codice Parisino Regio ol. 2508[1]), nunc 1320.[2]) Hunc catalogum primus edidit Bandurius. Cum enim chronographiae Nicephori compendiariae duo exstent librorum genera, quorum in altero brevius, in altero copiosius narratur, omnes Nicephori editores et Anastasius interpres libros secuti sunt copiosiores et quod editio Bandurii, qui Nicephorum se editurum esse promiserat, lucem non vidit[3]), primus Carolus de Boor in editione Nicephori duo codicum genera distinxit, alterius generis textum textui alterius apposuit disseruitque de ratione inter duas recensiones intercedenti. Chronographiam autem breviorem ab ipso Nicephoro compositam, alteram paulo post, ao. circiter 850, fortasse Hierosolymis, auctam et multis locis mutatam esse satis multis probavit argumentis.[4]) Differunt inter se catalogorum priores partes inde a primo episcopo ad Nectarium usque, a quo patriarcha eundem fere textum exhibent[5]): continentur autem in omnibus libris mss. praeter unum[6]) episcopi usque ad Ignatium eunuchum (ordin. ao. 846).

2. Nicephori Callisti Xanthopuli nova enarratio de episcopis Byzantinis et patriarchis omnibus Constantinopolitanis.[7]) Hic quoque catalogus a Bandurio primo editus est ex codice saec. XIV. Paris. Reg. ol. 3502, nunc 1630[8]) ac multis locis ex aliis catalogis suppletus, quae supplementa ille uncis inclusit. Exhibentur

1) Band. l. c. I. praef. p. XIII V. X P. II. p. 613 V. 873 P. 2) Niceph. ed. de Boor, praef. p. XXXVIII. Cf. catalog. cod. mss. bibl. Reg. Paris. II. p. 287. 3) Fabric. bibl. Gr. VII. p. 603. 610 ed. Harl. 4) Niceph. ed. de Boor, praef. p. XXXI sqq. 5) Tribus locis catalogus tractatus additamenta brevissima exhibet; cf. Niceph. p. 118. 6) Codex Oxon. Auct. F. 6, 26 praeterea Photium et Stephanum habet. Cf. Niceph. p. 120. De codd. ceteris cf. praef. p. XLI sqq. 7) Band. l. c. I. p. 164 sqq. V. 191 sqq. P. 8) De hoc codice exeso et saepe difficili lectu cf. Band. l. c. I. praef. p. XIV V. X P. II. p. 614 V. 875 P. — Cf. catal. bibl. Reg. II. p. 376.

episcopi inde a primo eorum usque ad Athanasium I. restitutum (ao. 1304). Hunc eundem catalogum exhiberi existimo in cod. Barocciano 59 bibliothecae Bodleianae.[1])

3. Catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum depromptus ex Iure Graecoromano Ioannis Leunclavii[2]), cuius editionem curavit Marquardus Freherus Francofurti 1596.[3]) Unde autem Leunclavius catalogum sumpserit, neque in textu huius operis neque in praefatione docemur. Sed cum initium capiat catalogus a Stachy et deductus sit usque ad Iosephum abbatem Galesii (ordin. ao. 1268), verisimile est eum exscriptum esse ex cod. Bibl. publ. Par. 1355, ubi habetur sub no. 29 catalogus episcoporum Constantinopolitanorum ab Andrea apostolo ad Iosephum usque deductus.[4])

4. Catalogus exscriptus ex Nova variarum historiarum synopsi Matthaei Cigala[5]), episcopos enumerans inde a Stachy usque ad Neophytum (ordin. ao. 1636). Hunc librum admodum rarum editum lingua Graeca vulgari Venetis ao. 1637 ut inspicerem mihi non contigit.

5. Philippi Cyprii magnae ecclesiae protonotarii chronicum, quod continet catalogum patriarcharum et ex variis libris chronicis exscriptum est.[6]) Hunc libellum primus edidit Graece et Latine ex codice ms. Constantinopolitano Nicolaus Blanquardus Franequerae ao. 1679 et post eum Latine cum commentario et notis Henricus Hilarius rector Cellerfeldensis, Lipsiae et Francofurti ao. 1687. Exhibentur autem patriarchae inde a Stachy usque ad Parthenium (ordin. ao. 1639).

Hos igitur quinque catalogos Bandurius collegit et edidit.

6. Series viginti unius episcoporum inde a Stachy ad Metrophanem usque exstat in Dorothei episcopi Tyri syngrammate ecclesiastico a Procopio presbytero recensito · inter commentarios de septuaginta et de duodecim Christi discipulis. Hoc opusculum typis expressum cum alibi habetur tum ex duobus codd. Regiis inter Cangii Selecta ad illustrationem chronici paschalis.[7]) Hunc catalogum etiam Nicephorus Callistus in historiam suam ecclesi-

1) Catal. libb. mss. Angl. et Hib. I. p. 7: cod. Barocc. LIX...... Nicephori Callisti chronologia patriarcharum Constantinopolitanorum CXIV. Postremus est Athanasius. 2) Band. l. c. praef. p. XIV V. XI P. p. 171 V. 201 P. 3) p. 296 sqq. 4) Cf. Catal. Bibl. Reg. Par. II. p. 303. 5) Band. praef. p. XV V. XI P. p. 178 sqq. V. 209 sqq. P. 6) Band. praef. l. c. p. 185 sqq. V. 217 sqq. P. 7) Chr. pasch. ed. Bonn. II. p. 120 sqq.

asticam recepit, ubi exstat in lib. VIII cap. 6.[1]) Sed de hoc opusculo fusius infra agemus.

Praeter hos catalogos tertii generis iam editos alii exstant, qui typis nondum expressi sunt.

7. Ac primum quidem in Aug. Bibl. Caes. Vindob. cod. ms. Theol. Graec. N. CCCII. ap. Lamb. 34, qui est membranaceus, pervetustus, optimae notae in quarto constatque foliis 368[2]), catalogus eiusmodi habetur in fol. 356 r—358 v, cui antecedunt praeter alia scripta laterculi episcoporum Romanorum Alexandrinorum Antiochenorum Hierosolymitanorum. Hunc catalogum, quem Lambecius in Supplemento Corporis historiae Byzantinae ex Bibl. Caes. separatim edendo se publicaturum promisit, quod promissum non praestitit, postquam administratores Bibl. Caes. qua sunt liberalitate codicem Ienam miserunt, ut apographum facere possem, in altera huius libelli parte in publicum edam. Enumerantur autem episcopi inde a Stachy ad Ioannem usque Xiphilinum (ordin. ao. 1063), cum tamen inscriptio haec sit: *Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἱεραρχῶν ἤτοι ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ πατριαρχῶν ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μέχρι τοῦ Νικολάου.* (Vind. A).

8. Alius catalogus antecedenti simillimus, plerumque paulo copiosior nonnumquam brevior habetur in eiusdem bibl. cod. ms. Theol. Graec. N. XL. ap. Lamb. 77, qui est chartaceus et optimae notae[3]) in folio constatque nunc foliis 269, in fol. 266 v — 269 v. Libellum sequitur, qui inscribitur *Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου . . . σύνοψις εἰς τοὺς βίους καὶ τὰ τέλη τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν προφητῶν*, et hanc inscriptionem habet: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ' ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.* Hunc etiam catalogum, quem ipsum Lambecius in opere supra memorato edere constituit neque tamen edidit, postquam Henricus Gelzer apographum a se ex codice factum benignissime mihi concessit, infra publicabo, sed ita, ut ea, quibus cum anteriore conveniat, omittam varietatesque tantum scripturae infra illius textum apponam. Continentur autem hoc catalogo episcopi inde a Stachy usque ad Cosmam Hierosolymitanum, qui patriarchatu se abdicavit ao. 1081. (Vind. B.) Ceterum hic

1) Ed. Frontonis Ducaei Paris. 1630, I. p. 540 sq. 2) Cf. Lamb. comm. de bibl. Caes. III. p. 48. 55. H. Gelzer in libello, qui propediem de Dorotheo edetur. 3) Cf. Lamb. l. c. III. p. 152. 174. H. Gelzer l. c.

uterque catalogus multis locis de singulis patriarchis plura exhibet quam omnes reliqui.

9. Denique alius catalogus typis nondum expressus, qui breviore forma compositus tamen tertio generi adnumerari potest, exhibetur in eiusdem bibl. cod. ms. Hist. Graec. N. LXXVI, quem ipsum bibliothecae administratores summa cum liberalitate huc miserunt. De hoc codice apud Lambecium non commemorato agit A. F. Kollarius in Supplementis ad Lambecii commentarios compositis.[1]) Est codex forma folii quarti, foliorum 138. Catalogus exhibetur in fol. 136 r — 138 v et inscriptus est: *Ταῦτά εἰσιν τὰ ὀνόματα τῶν γενομένων πατριαρχῶν ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἀπὸ Κωνσταντίνου τοῦ πρώτου χριστιανῶν βασιλέως καὶ πόσα ἔτη ὁ καθέκαστος αὐτῶν ἱεράτευσεν.* Primus patriarcha est Metrophanes, ultimi sunt Theophylactus et Polyeuctus (ordin. 956) apud quos annorum numerus non additus est. (Vind. C.) Chronicum, quod „humili admodum, immo populari recentium Graecorum sermone scriptum" in 133 foliis exstat et de quo pluribus agit Kollarius, cum accuratius inspicerem, ab auctore satis recenti et misello ex Theophanis chronographia consarcinatum esse cognovi.

D. Quarto generi unum exemplar adnumerandum est, cuius habentur tres recensiones. Harum prima exstat in Labbei Protrept. p. 18 sqq. V. 35 sqq. P, exscripta ex cod. Paris. Regio, cuius numerum ille non affert, sed qui est 1637, ubi sub no. 3 est Theodori Prodromi catalogus patriarcharum CPorum a Metrophane ad Callistum, cui antecedit eiusdem auctoris catalogus imperatorum CPorum a Constantino M. ad Andronicum seniorem versibus politicis trimetris compositus.[2]) Altera recensio est in codice, quo. Io. Langus usus est, de quo nihil compertum habeo[3]), tertia in Reg. Bibl. Monac. cod. 48. fol. 415.[4]) Illi duo autem a Metrophane incipientes usque ad versum *Νήφων Κυζίκου καὶ γλυκὺς Ἰωάννης* eundem fere textum exhibent, deinde autem inter se discrepant et praeterea cod. Reg. habet post Ioannem quinque patriarchas usque ad Callistum

1) p. 763 sqq. Est cod. CXXXV; in primi cod. folii parte inferiore scriptum est: Kollarii Supplem. Cod. CXXVIII, quibus verbis alia manus plumbo addidit: = 135. 2) Cf. Catal. bibl. Reg. Par. II. p. 380. 3) Cf. Io. Langi Cyri Theodori Prodromi epigrammata, Basil. 1536, ubi in calce exstat *Νικηφόρου πόνημα τοῦ Ξανθοπούλου γραφικῆς πάσης σύνοψις ἠκριβωμένη*, in qua habetur patriarcharum metricus catalogus. 4) Cf. Elect. Bibl. Mon. codd. Graec. rec. et not. illustr. ab. Ign. Hardt in „Beyträge zur Gesch. u. Litt. der Pfalzbayer. Centralbibl. zu München", ed. de Aretin, vol. I.

(ordin. 1350), Langi autem codex sex usque ad Philotheum (ordin. 1354). Ultimi versus sunt hi:

cod. Reg. 1637: . . . . . . *γλυκὺς Ἰωάννης,*
γέρας μοναστῶν Γεράσιμος Μαγκάλων,
Ἡσαΐας ἄριστος ἐξ ὄρους Ἄθω.
ὁ κακοδαίμων Καλέκας Ἰωάννης.
Ἰσίδωρος ἅγιος ἐκ Θετταλίας,
φερωνύμως Κάλλιστος ἔνθεος τρόπους.

cod. Langi: . . . . *γλυκὺς Ἰωάννης*
καὶ Γεράσιμος μαγκάνων, Ἡσαΐας,
ἀκινδυνόφρων δυσσεβὴς Ἰωάννης,
ὁ θεῖος Ἰσίδωρος εὐσεβᾶν κλέος,
Κάλλιστος ὁ κράτιστος ἐξ ἡσυχίας,
Φιλόθεος φερωνύμως Θεῷ φίλος.

In Monacensi autem, ubi imperii anni et synodi ascripta sunt, idem Metrophanes initium capit, ultimus autem est Esaïas et ultima verba sunt: *Ἡσαΐας αὖθίς τε πέλων ἐξ ὄρους.* Alias etiam differentias a Labbei catalogo se invenisse Ign. Hardt affert: in fine autem notatur: *Καὶ τοῦτο ἐξισώθη τῷ ἑαυτοῦ πρωτοτύπῳ, ὃ οὐκ εἶχεν λίαν ὀρθῶς.*

Secundum Bandurium[1]) carmen iambicum de patriarchis CPanis exstat in cod. Med. Florent. 16 num. 21 plut. 87, cuius initium est: *Καὶ πατριάρχας τῆς νέας Ῥώμης βλέπε,* et finis: *φερωνύμως Κάλλιστος ἔνθεος τρόπους*, quo versu etiam Labbei catalogus concluditur. Sed in codice post versum *ὁ κάκος Ἀκάκιος κτλ.* versus subicitur *σὺν Εὐφημίῳ Μακεδονίου κλέος*, item post versum *πάλιν ὁ Πύρρος κτλ.* alius occurrit *Θωμᾶς ὁ λαμπρὸς, δυστυχὴς Ἰωάννης*, denique post versum *χάρις θεοπρόβλητος κτλ.* legitur *ὁ Ἀγαπητὸς τοὐπίκλην Ἰωάννης*, qui in Labbei catalogo desiderantur, exstant apud Langum. Utrum hi versus in Labbei codice desint an eius vel librariorum incuria interciderint nescio: Labbei autem recensionem eandem esse atque Mediceam vel ex ultimis verbis concludendum est.

Quarto generi et fortasse uni ex recensionibus commemoratis praeterea hi catalogi accedunt:

1. In cod. bibl. Reg. Par. 532 sub no. 34 est Nicephori Callisti catalogus imperatorum et patriarcharum CPorum iam pridem editus.

1) Catal. bibl. Laur. I. p. 399.

2. In eiusdem bibl. cod. 1303 est sub no. 13 catalogus patriarcharum CPorum versibus iambicis.

3. Sub eiusdem bibl. cod. 1726 no. 3 auctor catalogi libb. mss. haec affert: Codini de officiis capita duodecim. Index praefixus addit caput decimum tertium, cuius priore parte exhibetur catalogus chronologicus et historicus imperatorum a Constantino M. ad Constantinum Palaeologum, altera patriarcharum CPorum a Metrophane ad Esaïam nomenclatio versibus iambicis Graeca lingua vulgari scriptis. An Codinus capitis illius auctor sit dubitari potest. — Hanc recensionem eandem atque Monacensem esse verisimile est.

4. In eiusdem bibl. cod. 1783 sub no. 6 est catalogus patriarcharum CPorum a Metrophane ad Iosephum usque, qui concilio Florentino (ao. 1439) interfuit. Hic idem codex est, de quo (tum no. 3058. 4) in Imp. Or. part. I. praef. p. VI P. dicit Bandurius, qui versibus iambicis eum scriptum esse addit.

5. In eiusd. bibl. cod. 1785 sub no. 4 est catalogus ad Dionysium usque Heracleensem deductus, ab auctore anonymo versibus politicis conscriptus.

6. In bibl. Reg. Neapol. cod. 19 habetur series imperatorum et patriarcharum CPorum versibus iambicis et antecedunt Nicephori Callisti Xanthopuli festa sanctorum per annum versibus iambicis.[1])

E. Quinto denique generi unus catalogus adnumerandus est, qui exstat in Ephraemii monachi recensu imperatorum et patriarcharum[2]), iambico metro eodem quo antecedentes diligenter compositus. Ephraemii librum primus Angelus Maius, postquam ante eum Leo Allatius fragmenta tantum libris suis inseruit, ex unico cod. Vatic. 1003 in fronte mutilo edidit, cuius editionem recognovit Imm. Bekker. Continet catalogus episcopos inde a Stachy usque ad Esaïam (obiit 1333).

Addere hic liceat eos catalogos, qui mihi innotuerunt de quibusque nihil afferre possum nisi quae in bibliothecarum catalogis leguntur, ita ut ne dicere quidem possim, cui generi adnumerandi sint. Sunt autem hi:

1. Florentiae in bibl. Laur. Med. cod. 13 num. 23 plut. 59 in pag. 162—165 exstat catalogus patriarcharum Hiersolymitanorum Antiochenorum Alexandrinorum Romanorum CPorum.[3]).

2. Neapoli in bibl. Reg. cod. 167 sunt anni episcoporum et patr. ecclesiae CPae Rom. Hieros. Alex. Ant.[4])

1) V. catal. libb. mss. bibl. Reg. Neap. ap. Fabric. VI. p. 775 H.
2) Ed. Bonn. p. 383—417, vv. 9565—10392. 3) Cf. Band II. p. 521.
4) Cf. catal. libb. msc. ap. Fabr. l. c.

3. Parisiis in bibl. publ. est in cod. 532 anonymi catalogus patr. CPorum ab Andrea apostolo ad Lucam usque Chrysobergem productus (ob. 1169).

4. In eiusdem bibl. cod. 1356 sub no. 14 est series chronologica regum, prophetarum, imperatorum, item pontificum Romanorum et patriarcharum ecclesiae Orientalis.

5. In eiusdem bibl. cod. 1555 A exstat sub no. 7 catalogus patriarcharum, metropolitarum et autocephalorum.

6. In eiusdem bibl. cod. 1784 sub 5—9 sunt catalogi patr. Rom. (ultimus Honorius) Hieros. (u. Modestus) Alex. (u. Petrus) Ant. (u. Anastasius Sinaïta) Const. (u. Esaïas). Hic idem catalogus exhiberi videtur in bibl. Coislin. cod. 120 foll. 244 v sqq., ubi pro Esaïa ultimus est Nicolaus II.

7. In eiusdem bibl. Coisl. cod. 2087 sub no. 4 est catalogus patr. Const., quorum ultimus est Leo Stypes.

8. Ibidem in bibl. Coisl. cod. 234 fol. 376 est catalogus episc. Byzantii a Christo ad Constantinum M. et patr. Const. a Const. M., qui mutilus videtur esse uno folio.

9. Oxoniae in cod. Barocc. 142 num. 23 est catalogus episc. Const., inde a fol. 288. Exhibet post Photium circiter quadraginta episcopos usque ad tempora Ioannis Ducae.[1])

10. Augustae Vindelicorum in codice, de quo dicit Reiser in catal. p. 80, exstat catalogus episc. Const. Rom. Hier. Ant. Alex.

§ 3. De Dorothei catalogo.

Omnes catalogos quos enumeravi si inter se comparabimus, praeter compositionis differentias aliud discrimen nobis occurret. Plerique enim catalogi episcopos exhibent inde a Stachy, quem ab Andrea apostolo episcopum Argyropolis institutum esse narrant, tres contra seriem episcoporum incipiunt inde a Metrophane.[2]) Seriem autem inde a Stachy usque ad Metrophanem exstare inter Dorothei episcopi Tyri opuscula a Procopio presbytero recensita supra iam attuli.[3]) Viri autem docti, cum apud alios auctores Metrophanes primus Byzantii episcopus nominetur, brevem illum catalogum esse ficticium iamdudum animadverterunt. Ac de Dorotheo et eius libello pluribus agit Henricus Gelzer.[4]) Qui primum quidem cum Caveo et Cangio Dorotheum episcopum unquam vixisse negat. Deinde de opusculo illo verba faciens duas exstare recensiones dicit, quarum

1) V. catal. libb. mss. Angl. et Hib. I. p. 18. 2) Catal. chron. comp.; Labb., Langi, Monac. catal. metr.; Vind. C. 3) p. 268. 4) In libello, quem edet de Dorotheo propediem.

altera inscribatur *Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου κτλ. σύνοψις εἰς τοὺς βίους καὶ τὰ τέλη τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν*, altera autem *σύγγραμμα ἐκκλησιαστικὸν Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου κτλ.* In hac autem recensione series illa episcoporum exhibetur, etsi in prologo non commemoratur, ubi legitur: *οὗτος τοίνυν ὁ μέγας πρεσβύτης καὶ συγγράμματα ἡμῖν ἐκκλησιαστικὰ καταλέλοιπεν, ἐν οἷς καὶ περὶ τῶν ο' μαθητῶν τοῦ σωτῆρος ἱστόρησεν, καὶ ἔνθα ὁ καθεὶς τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων τὸν βίον ἐτέλεσεν. Ἐν πρώτοις μὲν οὖν τοὺς ο' ἐκείνους εἶναι λέγει.* Cum praeterea in contextu complura inveniantur, quae in prologo non indicata sint, Gelzer prologum a redactore ex alia priore recensione petitum esse dicit et illam recensionem, quae inscribatur *σύνοψις κτλ.* et exstet nunc in solo cod. Vindob. Caes. bibl. num. XL., ubi titulus optime cum contextu conveniat, esse priorem recte concludit. Differunt igitur inter se duae recensiones maxime eo, quod in syngrammate catalogus ille episcoporum exstat, in synopsi deest. Atque illam recensionem a Procopio presbytero factam esse in libello ipso legimus, quod haud multo post annum 525, quo Ioannes papa Romanus Constantinopolim venit [1]), factum esse Gelzer existimat. Eundem vero Procopium totum opus composuisse et Dorotheo tribuisse, quemadmodum Cave existimat, Gelzero non verisimile videtur, sed id unum concedi posse illo tempore syngrammatis catalogum compositum esse. Hunc autem esse ortum intra annos 476 et 525, infra, ubi de Metrophane agemus, probare studebimus. Statim autem, postquam catalogus compositus est, a patriarcha Constantinopolitano diptychis ecclesiasticis, quae quin ab initio episcopatus exstiterint non dubitandum est, praepositus videtur esse, sed forma paulo breviore et chronicorum stilo magis accommodata. Haec autem forma brevior in posteriorum temporum catalogis plerisque redit et saepe eadem etiam verba exhibentur, cum invicem vix credibile sit catalogum huius brevioris formae latum esse ut opusculum seorsum compositum. Quod ut exemplo illustretur, catalogorum complurium prima verba afferre liceat.

Catal. Dorothei: [2])

Ὁ γὰρ Ἀνδρέας ἐπὶ τὸν Πόντον διαπεραιούμενος ἤθελεν τοῖς ἐν τῷ Βυζαντίῳ τὸν Χριστὸν καταγγεῖλαι. Ἀλλ' ἐπειδήπερ Ζεύξιππος ὁ τὸν τόπον τότε ἡγεμονεύων αἱμοβόρος τις ὢν πάντας τοὺς προσβάλλοντας ξένους τῷ Βυζαντίῳ πρότερον διερωτωμένους τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ, εἶθ' οὕτως εἰσιέναι συνεχώρει,

1) cf. Gelzer. l. c. 2) Chr. pasch. II. p. 132. Quae a Cangii contextu discrepant, debeo cod. Coislin. 205. XI. saec.

καὶ ἐαν τις ὡμολόγησεν τὸν Χριστον εἰς δέσμα τοῦτον εὐθὺ καὶ παρ' αὐτὰ δεσμευθέντα τοὺς πόδας τε καὶ χεῖρας θαλλαττοῦσθαι προσέταττεν· διὰ τὴν τοιαύτην οὖν ὠμότητα παραπλεύσας ὁ Ἀνδρέας τὸ Βυζάντιον κατῴκησεν ἐπὶ διέτη χρόνον πλησίον τοῦ Βυζαντίου τῷ Θρακῴῳ μέρει, ὡς ἀπὸ σταδίου ἑνὸς τῆς Ἀργυροπόλεως, ἐκεῖ ἐπισυναγωγὴν τῶν ἐνθέσμων καὶ φιλαλήθων ἀνδρῶν ποιούμενος. Ὡς οὖν περὶ τοὺς δισχιλίους ἐπισυνάξας, τῷ Χριστῷ θυσιαστήριον ἑδράσας ἐν τῇ Ἀργυροπόλει καὶ τὸν Στάχυν ἐπίσκοπον καταστήσας εἰς Σινώπην τοῦ Πόντου μεθίσταται.

Niceph. tractat.:[1]) *α' Ἀνδρέας ὁ ἀπόστολος ἐν Βυζαντίῳ τὸν λόγον κηρύξας, εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν Ἀργυροπόλει δειμάμενος χειροτονεῖ ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως Στάχυν, οὗ μέμνηται ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*[2])

Vindob. B: *Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν παραγενόμενος καὶ ἐν Βυζαντίῳ καὶ κηρύξας κἀκεῖ τὸν σωτήριον λόγον ἐκκλησίαν τε πιστῶν κἀκεῖ συστησάμενος καὶ εὐκτήριον ἀνεγείρων οἶκον πέραν ἐν τοῖς Θρακῴοις μέρεσι τῆς πόλεως ἐν τῇ καλουμένῃ Ἀργυροπόλει, ἐν ᾧ ναῷ χρόνῳ ὕστερον ἀπετέθη καὶ τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ, ἐκεῖσε χειροτονεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον τῆς πόλεως Στάχυν, ἕνα τῶν ο' ἀποστόλων, οὗ μέμνηται καὶ ὁ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*

Leunclav.:[3]) *Πρῶτος ὁ μέγας ἀπόστολος Ἀνδρέας ἐν αὐτῷ (Βυζαντίῳ) τὸν λόγον κηρύξας καὶ εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν Ἀργυροπόλει δειμάμενος χειροτονεῖ ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως Στάχυν, οὗ μέμνηται ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*

Ephraem.:[4])

Ὁ πρωτόκλητος Ἀνδρέας ἀποστόλων,
τῆς εὐσεβείας ἐγκατασπείρων σπόρον
τοῖς Ποντικοῖς κλίμασι καὶ Βιθυνίας,
ὁδῷ προϊὼν καὶ Βυζαντίδα φθάνει·
ἣν φαιδρύνας δόγμασιν ἐνθέου λόγου,
Χριστῷ τ' ἀγείρας εὐσεβῶν ἐκκλησίας,
εὐκτήριον τεύξας τε τοῖς πιστοῖς δόμον
ἐν Χρυσοπόλει τῇ κεκλημένῃ πόλει,
ἐπίσκοπον τίθησιν ἐν ταύτῃ Στάχυν,
ἕνα μαθητῶν ἑβδομήκοντα λόγου.

1) Niceph. ed. de Boor, p. 112. 2) Verba *οὗ μέμνηται κτλ.* neque in Dorothei catalogo insunt neque in diptychis exstitisse videntur, sed ab aliquo editore catalogi addita esse et inde ab aliis recepta existimo. 3) Band. l. c. I. p. 171 V. 201 P. 4) vv. 9565—9574.

§ 4. De fontibus reliquorum catalogorum.

Postquam Dorothei opusculum mutata forma in fastos episcoporum genuinos receptum et ita unum fastorum corpus effectum est, ex hoc fonte complures hauserunt, qui postea patriarcharum catalogos ediderunt. Hos autem non omnes fastos ipsos inspexisse, sed nonnullos antecessorum catalogis receptis episcopos suorum tantum temporum addidisse consentaneum est. Cum autem catalogi imprimis tertii generis in universum inter se simillimi in singulis rebus saepenumero et maxime in annorum numeris inter se discrepent, ita ut ex his quidquam concludere non liceat, nisi alia praesto sunt connexus alicuius argumenta, vix fieri potest, ut pro certo affirmemus, quo quisque auctorum fonte usus sit et quibus partibus variis temporibus compositis singuli catalogi constent. Quae tamen et de tertii generis catalogis maxime ex vitiis in iis comparentibus suspicari licet et de ceteris paulo certius proferri possunt, nunc sequantur.

Ac primum quidem de fonte catalogi codicis Claromontani nihil habeo, quod pro certo affirmem, sed eum ex uberiore aliquo catalogo, qui tertio generi adnumerandus erat, exscriptum esse suspicor.

Deinde de catalogo chronographii compendiarii nuper egit Henricus Gelzer. Postquam enim Alfredus de Gutschmid in notis suis ad chronographium compendiarium a Schoenio exhibitis in catalogis patriarcharum Alexandrinorum Antiochenorum Constantinopolitanorum vestigia esse auctoris alicuius monophysitici catalogumque monophysiticum desinere in Dioscorum alterum Alexandrinum animadvertit, Gelzer catalogorum partes monophysiticas desumptas esse e Zachariae Mitylenensis historia ecclesiastica Graece scripta probavit, quam intra annos 517 et 519 conclusam esse cum Landio existimat.[1]) Zachariam autem fonte priorum temporum Ioanne Diacrinomeno usum esse putat, quem historiam suam ecclesiasticam circa annum 513 conclusisse verisimile sit. Si haec ita se habent, patriarchas usque ad Macedonium alterum debemus Ioanni Diacrinomeno, deinde Zacharias Timotheum fortasse addidit, reliqui autem a continuatoribus Constantinopolitanis subiuncti sunt. Nam catalogum ex chronico Constantinopolitano desumptum esse recte existimat Alfredus de Gutschmid, cui etiam dicenti numeris annorum in fine omissis catalogum

1) Zeitschrift für wissenschaftl. Theol. ed. D. A. Hilgenfeld. Jahrg. XXVI. Heft 4. p. 505 sqq.

sub Nicephoro scriptum et postea demum ad Methodii finem continuatum esse ostendi assentior. Quod autem hic factum est, ut complures auctores catalogum qui nunc exstat composuerint et ad sua quisque tempora usque episcopos addiderit, plerisque catalogis contigisse existimandum est.

Quin ex fastis ipsis hauserit Nicephorus, propterea non dubium videtur, quod cum ipse patriarcha esset facilem ad fastos aditum eum habuisse apparet. Sed alium catalogum copiosius scriptum iam tum exstitisse ex eo concludendum est[1]), quod paulo post Nicephori mortem additamenta illa, de quibus iam supra dictum est[2]), Hierosolymis facta sunt.

Quod attinet ad catalogum Vindobonensem B, cum vel obiter opusculum inspiciens animadvertas duos ultimos episcopos, Ioannem Xiphilinum et Cosmam Hierosolymitanum et praecipue Ioannem, tam copiose tractatos esse, ut ratio horum tractatorum maxime diversa sit ab aliis, quoniam in fine catalogi positi sunt, facillime concluditur auctorem per horum patriacharum tempora vixisse et cum is qui Cosmae suffectus est patriarcha non nominetur, statim post Cosmae resignationem opusculum suum edidisse. Ceterum non ab uno auctore catalogum confectum esse suspicatus sim ex eius titulo, ubi haec verba exstant: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ' ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.* Hunc titulum duabus ex partibus constare apparet et episcopos dividi in eos quos Dorotheus enumeravit, et in eos, quos post eius mortem alius auctor anonymus addidit. Iam quaeramus, ubi prior auctor finierit. Legimus autem in catalogo inter Nicolai I. (906—925) duo regiminis spatia sede eum depulsum fuisse per quinque annos et menses quattuor, qui autem eum hoc tempore secutus sit, auctor narrare omittit. In aliis autem catalogis Nicolao tum suffectus esse traditur Euthymius. Cum autem Euthymii nomen a Nicolao e sacris diptychis erasum postea demum sub Polyeucto patriarcha, sub quo Nicolaïtarum et Euthymianorum reliquiae in concordiam rediere, restitutum esse sciamus[3]), sequitur, ut auctor catalogi exemplar exscripserit, quod temporibus quinque episcoporum inde a Nicolao ad Polyeuctum usque (ca. 925—956) secundum diptycha fortasse compositum erat. Cum praeterea in catalogo de ipso Nicolao pluribus narretur, eum in fine

1) Hunc catalogum in stemmate indicamus littera X. 2) p. 267.
3) Cf. Lequien, Or. christ. I. p. 250 sqq.

quondam positum fuisse verisimile est. Invenit igitur auctor catalogi, ut nunc exstat, catalogum episcopos inde a Stachy ad Nicolaum usque Mysticum continentem, qui ab auctore, quod seriem illam commenticiam recepit, quae iamdudum S. Dorothei auctoritate sancita erat, totus ei attributus et calci eius opusculi affixus est. Huic catalogo auctor noster episcopos addidit inde a Stephano, qui Nicolaum secutus est, ad suum tempus usque, quam continuationem his verbis indicat: *οἱ δὲ μετα τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.*

Catalogum Vindobonensem B multis locis cum A convenire iam supra dixi.[1]) Atque cum in A patriarchae enumerentur usque ad Ioannem Xiphilinum, in inscriptione seriem ad Nicolaum usque deduci legimus et eadem manus ad Nicolaum Chrysobergem scripsit, inde a quo alia manus episcopos ad Ioannem usque Xiphilinum addidit. Cum in A autem de Nicolao Mystico eadem fere atque in B afferantur, quare in fine quondam eum positum fuisse putaverim, et ibidem Euthymius omissus sit, tres auctores catalogi A erui posse existimo et a primo catalogum ad Nicolaum Mysticum, ab altero ad Nicolaum Chrysobergem, a tertio ad Ioannem usque Xiphilinum conscriptum esse, primum autem catalogum eundem esse, quo secundus auctor catalogi B usus sit.

Utrum Nicephori Callisti catalogus e diptychis ipsis ecclesiasticis haustus sit an aliunde in medio relinquam. Ceterum ordo et nomina patriarcharum in catalogis Nicephori duobus, Vindob. A et B, Nicephori Callisti optime inter se congruunt.[2])

Catalogos autem, quos exhibent Leunclavius Matthaeus Cigala Philippus Cyprius arctius inter se cohaerere existimo. Ut enim omittam et errores, quos multos per se quisque admisit, et commutationes, quae consulto factae sunt, e. g. ubi alius aliud vel addit vel omittit, in tribus catalogis vitia inveniuntur communia, quae fortuito orta esse putare vix licet. Ac primum quidem complurium episcoporum nomina corrupta sunt. Legimus enim apud Leunclavium: *Ἀθηνογένης* pro *Ἀθηνόδωρος*, *Κυριακὸς* pro *Κυριλλιανός*, *Τράτος* pro *Τίτος*, *Δομετιανὸς* pro *Δομέτιος*, apud Cigalam: *Ἀθηνογένης*, *Κυριακός*, *Τάρατος ὁ καὶ Τῖτος*, *Δομετιανός*, apud Philippum Cyprium: *Ἀθηνογένης*, *Κυριακός*, *Τάρατος ὁ Κιτήτης*.[3]) Deinde apud Neophytum, Constantinum


1) p. 269. 2) Errore apud Nic. Call. Acacius bis positus est et omissus Constantinus Lichudes. 3) *Δομετιανὸς* correxit in *Δομέτιος*.

Chliarenum, Lucam Chrysobergem omnes exhibent annorum lacunam. Denique numeri annorum, qui a ceteris catalogis saepe differunt, plerumque ita consentiunt, ut inter se catalogos cohaerere apertum sit. Ac Leunclavii catalogus desinit in Iosepho abbate Galesii, duo autem reliqui catalogi episcopos ad auctorum tempus usque deducunt. In chronico autem Philippi Cyprii error in ordine episcoporum est gravissimus. Postquam enim auctor restitutionem Iosephi abbatis Galesii et sequentes episcopos Gregorium, Athanasium, Ioannem, Athanasium iterum episcopum, Niphonem commemoravit, subito transit ad Esaïam, in cuius annis captam a Turcis ponit Constantinopolim, nec minus quam quattuordecim episcopos omittit, quos cognoscere licet ex catalogo codicis Claromontani et Phrantzae historia. Hunc errorem, quem Blancardus Philippi Cyprii editor animadvertisse non videtur, primus annotavit illumque nec minus Philippum verbis acerbis castigavit Henricus Hilarius.[1]) Haec eadem autem lacuna exstat apud Matthaeum Cigalam. Praeterea autem inde ab Esaïa verba catalogorum ita consentiunt, ut nullo modo dubitandum sit, quin ex eodem fonte fluxerint, ex catalogo scilicet lingua Graeca vulgari composito, qui patriarchas inde a capta urbe exhibuit. Ac rem

1) Post Hilarium vero lacunam animadvertit Bandurius, qui dicit (l. c. I. praef. p. XV V. XI P.): Quam vero imperfecti sint, inquit, catalogi patriarcharum Constantinopolitanorum editi a Matthaeo Cigala et Filippo Cyprio et maxime post Athanasium ad captam usque a Turcis urbem, in commentariis nostris monuimus. — In his autem commentariis, qui continentur tom. II. lib. VIII. Imperii Orientalis, Nicephori Callisti secutus catalogum de singulis patriarchis agit pluribus. Ubi vero Nicephori catalogus desiit, inde a Iosepho usque ad urbem a Turcis captam patriarchas affert ex Georgii Phrantzae historia. Hucusque cum ei propositum fuerit res Constantinopolitanas persequi, de reliquis, qui apud Matthaeum Cigalam et Philippum Cyprium inveniuntur patriarchis non agit in commentariis, sed quemlibet lectorem hos catalogos conferre posse dicit, quantum ad seriem patriarcharum, qui post captam urbem sederint, cum historia patriarcharum Constantinopolitanorum Emanuelis Malaxi in Turcograecia Crusii, quae desinat in annum 1577. Sed cum ultima folia typis ederentur, obtulit ei abbas Eusebius Renaudotius catalogum patriarcharum non multo ante sibi Constantinopoli missum, qui descriptus fuit ex codice ecclesiae Constantinopolitanae patriarchalis et seriem patriarcharum exhibet ab ao. 1594 ad annum 1702. Hunc etiam catalogum, ut opus usque ad sua tempora absolutum fieret, ultimo loco adiecit. — Cum horum temporum patriarchis nihil nobis negotii est, sed priorum tantum chronologiam tractare in animo habemus. Ceterum idem Bandurius integram de patriarchis Constantinopolitanis historiam texere sibi proposuit, sed morte videtur impeditus esse, quominus eam conficeret.

ita se habere existimo. Matthaeus Cigala primum Leunclavii catalogo usus est et deinde codice aliquo, in quo lacuna illa fuit magna quemque patriarchas continuisse verisimile est usque ad urbem a Turcis captam.[1]) Idem autem, cum saepe numeros habeat qui apud Leunclavium desunt, hos de suo fortasse addidit, praeterea autem catalogo illo usus est vulgari lingua Graeca composito continenti patriarchas a capta urbe ad suum tempus usque. Philippus denique Cyprius in manibus habuit Leunclavii et Matthaei Cigalae libros et fortasse ipsos codices quibus hic usus est, in his catalogum illum recentem.[2]) Multos autem errores a singulis commissos et catalogos sine magna diligentia compositos esse neminem fugere existimo.

Quomodo autem catalogi Leunclavii Matthaei Cigalae Philippi Cyprii cum ceteris, de quibus diximus, cohaereant, pro certe affirmare vix ausus sim. Neque tamen tacendum est primum in catalogo Nicephori tractato *Κυριακὸς* haberi pro *Κυριλλιανός*, quam formam etiam in illis tribus catalogis exstare vidimus. Si quis autem propterea statuet catalogos illos tres cum hoc cohaerere et in eum catalogum, quo Leunclavius et post eum Matthaeus Cigala usus est quique fortasse a compluribus continuatoribus confectus erat[3]), reliqua illa nominum et rerum vitia irrepsisse, ei non adversabor. Catalogorum deinde hoc stemma habemus:



1) In stemmate appellatur V. 2) Hunc in stemmate indicamus signo Z. 3) Significatur in stemmate littera Y.

Restat nunc, ut dicamus de iis catalogis quarti generis, de quibus supra pluribus egimus, et de Ephraemii catalogo, quos ita inter se cohaerere, ut illi ex Ephraemii catalogo hausti sint, duobus argumentis me probare posse spero. Primum enim in iis saepe eadem episcoporum epitheta inveniuntur.[1]) Deinde autem Ephraemii catalogus desinit in Esaïam et in eundem catalogus Monacensis: Labbei autem et Langi catalogi usque ad Gerasimum, Esaïae antecessorem, eundem textum exhibent, deinde inter se dissentiunt. Quae cum ita sint, ab aliquo auctore Ephraemii catalogum excerptum et postea a duobus aliis, qui eodem fere tempore fuerunt episcopos ad sua usque tempora adiunctos esse verisimile est. Ephraemium autem in compositione carminis sui catalogum aliquem tertii generis adhibuisse nemo, qui illud cum his comparaverit, infitiabitur.[2])

1) Locos collectos afferre mihi liceat:

Ephraem. ed. Bonn. p. 383 sqq.		Labbei protr. p. 18 sq. V. 35 sq. P.	
v. 9617.	ὀρθοδοξίας στῦλος Παῦλος	v. 4.	εὐσεβῶν στύλος Παῦλος
9640.	ἄδοξον Εὐδόξιον Ἀρείου φίλον	7.	ἄδοξος Εὐδόξιος Ἄρειος νέος
9655.	ὁ γρήγορος νοῦς	9.	ὁ Γρηγόριος νοῦς (ὁ γρήγορος νοῦς Lang.)
9670.	στόμα τὸ χρυσοῦν ἡ θεόςδοτος χάρις	10.	τὸ χρύσεον χάρισμα τοῦ Χρυσοστόμου
9682.	γηραιὸς Ἀρσάκιος	11.	γέρων ὁ Ἀρσάκιος
9731.	Γεννάδιος ἀνὴρ γεννάδας	15.	ὁ Γεννάδιος . . . γεννάδας
9763.	Τιμόθεον ἄτιμον	17.	Τιμόθεος ἄτιμος
9897.	θεῖος Γερμανός	30.	θεῖος Γερμανός
10113.	Εὐστράτιος Γαριδᾶς θέσιν	48.	Εὐστράτιος Γαριδᾶς θέσιν
10120.	θεῷ προβληθεὶς Νικόλαος ἀξίως	49.	χάρις θεοπρόβλητος ἡ Νικολάου
10230.	ἐφ' οὗ παρεστήσαντο Λατῖνοι πόλιν	59.	ἐφ' οὗ πόλις ἔκλινε Λατίνοις κάραν
10286.	Νικηφόρος πρόεδρος ὢν Ἐφεσίων	66.	τῆς Ἐφέσου πρόεδρος ὢν ὁ Νικηφόρος (ὢν deest ap. Lang.)
10291.	Ἀρσένιος πρώτιστος	67.	Ἀρσένιος πρώτιστος (πρ. Ἀρσ. ap. Lang.)
10297.	τῆς Ἀδριανοῦ Γερμανὸς ἀρχιθύτης	68.	τῆς Ἀδριανοῦ Γερμανὸς ἀρχιθύτης
10300.	Ἰωσήφ, ὀρθοδοξίας στῦλος	69.	Ἰωσήφ, ὁμολογίας στύλος
10325. 10326.	Ἰωάννης Βέκκος . . . . συμφρονῶν τοῖς Λατίνοις	70.	Λατινόφρων Ἰωάννης ὁ Βέκκος
10334.	Γρηγόριος Κυπρόθεν	71.	Γρηγόριος Κυπρόθεν
10348. 10350.	Ἀθανάσιος . . . . . . γεννάδας ἀνήρ.	72.	Ἀθανάσιος ἀνὴρ γεννάδας.

2) Cf. in p. 275 initium Ephr. catalogi cum ceteris.

Haec habui quae de catalogorum fontibus dicerem. Sequuntur nunc in altera parte huius libelli catalogi illi duo, de quibus supra diximus in pag. 269.

II. Catalogus ex Aug. Bibl. Caes. Vind. cod. ms. Theol. Graec. N. CCCII. ol. 34. desumptus.

Fol. 356 r:

Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἱεραρχῶν ἤτοι ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ πατριαρχῶν ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μέχρι τοῦ Νικολάου.

Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος παραγενόμενος ἐν τῷ Βυζαντίῳ καὶ κηρύξας τὸν σωτήριον λόγον, ἐκκλησίαν πιστῶν συστησάμενος καὶ εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν τῇ νῦν λεγομένῃ Ἀργυροπόλει ἀνεγείρας, ἐν ᾧ ὕστερον ἀπετέθη τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ, χειροτονεῖ ἐπίσκοπον

α΄. Στάχυν τῆς αὐτῆς πόλεως πρῶτον, οὗ καὶ μέμνηται Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ, ὃς ἐπεσκόπησεν ἔτη ις΄.
β΄. Ὀνήσιμος ἔτη ιδ΄.
γ. Πολύκαρπος ἔτη ιη΄.
δ΄. Πλούταρχος ἔτη ις΄.
ε΄. Σεδεκίων ἔτη θ΄.
ς΄. Διογένης ἔτη ιε΄.
ζ΄. Ἐλευθέριος ἔτη ιζ΄.

Catalogus ex eiusd. Bibl. cod. ms. Theol. Graec. N. XL. ol. 77. exscriptus.

Fol. 266 v:

1. Inscriptio: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ' ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.*

5. *ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν παρ. καὶ ἐν Βυζ.*

6. *κηρ. κἀκεῖ τόν. — ἐκκλ. τε πιστ. κἀκεῖ συστ. καὶ εὐκτ. ἀνεγείρων οἶκον πέραν ἐν τοῖς Θρᾳκῴοις μέρεσι τῆς πόλεως ἐν τῇ καλουμένῃ Ἀ., ἐν ᾧ ναῷ χρόνῳ ὕστ. ἀπ. καί.*

9. *ἐκεῖσε χειρ. πρῶτον ἐπ. τῆς πόλεως Στ., ἕνα τῶν ο΄ ἀποστόλων, οὗ μέμν. καὶ ὁ Π.*

11. *ὃς δὴ ἐπ.*

12. *Ὁ. μετὰ τοῦτον δεύτερος καταστὰς ἐπεσκόπησεν ἔ. ιδ΄.*

η'. Φίληξ ἔτη ε'.

θ'. Πολύκαρπος ἄλλος ἔτη ιζ'.

Οὗτοι πάντες ἐν τῷ εἰρημένῳ εὐκτηρίῳ τῷ ἐν Ἀργυροπόλει τὰς συνάξεις ἐποιοῦντο διὰ τοὺς γινομένους διωγμοὺς ὑπὸ τῶν ἀπίστων.

ι'. Ἀθηνόδωρος ἔτη δ'.

Οὗτος ἕτερον εὐκτήριον κτίσας ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Ἐλαία τὸ μετὰ ταῦτα ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως περιφανῶς οἰκοδομηθὲν ἐκεῖ τὰς συνάξεις σὺν τοῖς λοιποῖς ἐπετέλει.

ια'. Εὐζώϊος ἔτη ς'.

ιβ'. Λαυρέντιος ἔτη ια' μῆνας ς'.

ιγ'. Ἀλύπιος ἔτη ιγ' μῆνας ς'.

ιδ'. Περτίναξ ὑπατικὸς καὶ συγκλητικὸς Ῥώμης ἔτη ιθ'.

Οὗτος ἑτέραν ἐκκλησίαν ἀνίστησιν ἐν τῷ παραθαλασσίῳ τόπῳ τῷ ἐπιλεγομένῳ Συκαί.

ιε'. Ὀλυμπιανὸς ἔτη ια'.

ις'. Μάρκος ἔτη ιγ'.

ιζ'. Κυριλλιανὸς ἔτη ις'.

ιη'. Καστῖνος ἔτη ζ'.

Οὗτος ἐν αὐτῷ τῷ Βυζαντίῳ ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Πετρίῳ εὐκτήριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας ἀνήγειρεν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν μαρτυρησάσης.

ιθ'. Τῖτος μετ' ἐκεῖνον ἔτη λε' μῆνας ς'.

2. ἄλλος deest.

4. γιν. κατ' αὐτῶν ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀπίστων συνεχεῖς διωγμούς. Εἶτα ἐπὶ τούτοις

6. Ἀ. ἐπίσκοπος καταστὰς ἕτ. εὐκτ. οἶκον ἔκτισεν ἐν τοπ. τῇ λεγομένῃ Ἐ. τὸν καὶ χρόνοις ὕστερον ὑπὸ τοῦ ἐν ἁγίοις Κ . . . . . ἀνοικοδομηθέντα κἀκεῖσε τ. σ. ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. δ'.

11. Ε. μετὰ τοῦτον ἔ. ς'.

13. μῆνας ς' deest.

14. Π. μετὰ τούτους ὑπατικὸς μὲν ὑπάρχων τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου, ἐπίσκοπος δὲ Βυζαντίου καταστὰς ἑτέραν αὖθις αὐτὸς ἐκκλ. ἀν., ἐγγυτέρω τῆς πόλεως ἐν . . . τόπῳ ἐπιλεγ. Συκαῖς, Εἰρήνην τὸν ναὸν προσαγορεύσας, κἀκεῖσε τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ιθ'.

20. Καστῖνος μετὰ τούτους ἐπίσκοπος γεγονὼς Βυζαντίου (fol. 267 r) μετέθηκε τὴν ἐπισκοπὴν ἀπὸ τοῦ ἀντιπέραν μέρους ἐν αὐτῇ τῇ πόλει εὐκτήριον οἶκον πρῶτον ἀνοικοδομήσας ἔνδον αὐτῆς ἐπ' ὀνόματι τῆς ἁγ. μ. Εὐφ. κατ' ἐκ. . . . . μαρτ. ἐν αὐτῇ τῇ τοποθεσίᾳ τῇ ἐπιλεγομένῃ μέχρι καὶ νῦν Πετρίῳ κἀντεῦθεν τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ζ'.

24. ἔτη λς'. μῆνας ς' deest.

Haec habui quae de catalogorum fontibus dicerem. Sequuntur nunc in altera parte huius libelli catalogi illi duo, de quibus supra diximus in pag. 269.

II. Catalogus ex Aug. Bibl. Caes. Vind. cod. ms. Theol. Graec. N. CCCII. ol. 34. desumptus.

Fol. 356 r:

Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἱεραρχῶν ἤτοι ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ πατριαρχῶν ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μέχρι τοῦ Νικολάου.

Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος παραγενόμενος ἐν τῷ Βυζαντίῳ καὶ κηρύξας τὸν σωτήριον λόγον, ἐκκλησίαν πιστῶν συστησάμενος καὶ εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν τῇ νῦν λεγομένῃ Ἀργυροπόλει ἀνεγείρας, ἐν ᾧ ὕστερον ἀπετέθη τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ, χειροτονεῖ ἐπίσκοπον

α΄. Στάχυν τῆς αὐτῆς πόλεως πρῶτον, οὗ καὶ μέμνηται Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ, ὃς ἐπεσκόπησεν ἔτη ις΄.

β΄. Ὀνήσιμος ἔτη ιδ΄.

γ. Πολύκαρπος ἔτη ιη΄.

δ΄. Πλούταρχος ἔτη ις΄.

ε΄. Σεδεκίων ἔτη θ΄.

ς΄. Διογένης ἔτη ιε΄.

ζ΄. Ἐλευθέριος ἔτη ιζ΄.

Catalogus ex eiusd. Bibl. cod. ms. Theol. Graec. N. XL. ol. 77. exscriptus.

Fol. 266 v:

1. Inscriptio: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ᾽ ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ᾽ ἡμῶν.*

5. *ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν παρ. καὶ ἐν Βυζ.*

6. *κηρ. κἀκεῖ τόν. — ἐκκλ. τε πιστ. κἀκεῖ συστ. καὶ εὐκτ. ἀνεγείρων οἶκον πέραν ἐν τοῖς Θρᾳκῴοις μέρεσι τῆς πόλεως ἐν τῇ καλουμένῃ Ἀ., ἐν ᾧ ναῷ χρόνῳ ὕστ. ἀπ. καί.*

9. *ἐκεῖσε χειρ. πρῶτον ἐπ. τῆς πόλεως Στ., ἕνα τῶν ο΄ ἀποστόλων, οὗ μέμν. καὶ ὁ Π.*

11. *ὃς δὴ ἐπ.*

12. *Ὁ. μετὰ τοῦτον δεύτερος καταστὰς ἐπεσκόπησεν ἔ. ιδ΄.*

η'. Φίληξ ἔτη ε'.

θ'. Πολύκαρπος ἄλλος ἔτη ιζ'.

Οὗτοι πάντες ἐν τῷ εἰρημένῳ εὐκτηρίῳ τῷ ἐν Ἀργυροπόλει τὰς συνάξεις ἐποιοῦντο διὰ τοὺς γινομένους διωγμοὺς ὑπὸ τῶν ἀπίστων.

ι'. Ἀθηνόδωρος ἔτη δ'.

Οὗτος ἕτερον εὐκτήριον κτίσας ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Ἐλαία τὸ μετὰ ταῦτα ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως περιφανῶς οἰκοδομηθὲν ἐκεῖ τὰς συνάξεις σὺν τοῖς λοιποῖς ἐπετέλει.

ια'. Εὐζώϊος ἔτη ϛ'.

ιβ'. Λαυρέντιος ἔτη ια' μῆνας ϛ'.

ιγ'. Ἀλύπιος ἔτη ιγ' μῆνας ϛ'.

ιδ'. Περτίναξ ὑπατικὸς καὶ συγκλητικὸς Ῥώμης ἔτη ιθ'.

Οὗτος ἑτέραν ἐκκλησίαν ἀνίστησιν ἐν τῷ παραθαλασσίῳ τόπῳ τῷ ἐπιλεγομένῳ Συκαί.

ιε'. Ὀλυμπιανὸς ἔτη ια'.

ιϛ'. Μάρκος ἔτη ιγ'.

ιζ'. Κυριλλιανὸς ἔτη ιϛ'.

ιη'. Καστῖνος ἔτη ζ'.

Οὗτος ἐν αὐτῷ τῷ Βυζαντίῳ ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Πετρίῳ εὐκτήριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας ἀνήγειρεν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν μαρτυρησάσης.

ιθ'. Τῖτος μετ' ἐκεῖνον ἔτη λε' μῆνας ϛ'.

2. ἄλλος deest.

4. γιν. κατ' αὐτῶν ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀπίστων συνεχεῖς διωγμούς. Εἶτα ἐπὶ τούτοις

6. Ἀ. ἐπίσκοπος καταστὰς ἕτ. εὐκτ. οἶκον ἔκτισεν ἐν τοπ. τῇ λεγομένῃ Ἐ. τὸν καὶ χρόνοις ὕστερον ὑπὸ τοῦ ἐν ἁγίοις Κ . . . . . ἀνοικοδομηθέντα κἀκεῖσε τ. σ. ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. δ'.

11. Ε. μετὰ τοῦτον ἔ. ϛ'.

13. μῆνας ϛ' deest.

14. Π. μετὰ τούτους ὑπατικὸς μὲν ὑπάρχων τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου, ἐπίσκοπος δὲ Βυζαντίου καταστὰς ἑτέραν αὖθις αὐτὸς ἐκκλ. ἀν., ἐγγυτέρω τῆς πόλεως ἐν . . . τόπῳ ἐπιλεγ. Συκαῖς, Εἰρήνην τὸν ναὸν προσαγορεύσας, κἀκεῖσε τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ιθ'.

20. Καστῖνος μετὰ τούτους ἐπίσκοπος γεγονὼς Βυζαντίου (fol. 267 r) μετέθηκε τὴν ἐπισκοπὴν ἀπὸ τοῦ ἀντιπέραν μέρους ἐν αὐτῇ τῇ πόλει εὐκτήριον οἶκον πρῶτον ἀνοικοδομήσας ἔνδον αὐτῆς ἐπ' ὀνόματι τῆς ἁγ. μ. Εὐφ. κατ' ἐκ. . . . . μαρτ. ἐν αὐτῇ τῇ τοποθεσίᾳ τῇ ἐπιλεγομένῃ μέχρι καὶ νῦν Πετρίῳ κἀντεῦθεν τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ζ'.

24. ἔτη λϛ'. μῆνας ϛ' deest.

κ'. Δομέτιος ἀδελφος Πρόβου βασιλέως ἔτη κδ' μῆνας ϛ'.

κα'. Πρόβος υἱὸς ϳοῦ αὐτοῦ Δομετίου ἔτη ιβ'.

Ὅσοι ἀπὸ Μητροφάνους.

κβ'. Μητροφάνης, υἱὸς μὲν τοῦ προγεγραμμένου ἐπισκόπου Δομετίου, ἀδελφὸς δὲ τοῦ μετὰ τὸν Δομέτιον ἐπισκοπήσαντος Πρόβου ἔτη ι'. Ἐπὶ τούτου ὁ ἐν ἁγίοις Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς παρεγένετο ἐν Βυζαντίῳ διὰ τὸν πρὸς Λικίννιον πόλεμον.

(fol. 356 v) *κγ'. Ἀλέξανδρος ἔτη κγ'.*

κδ'. Παῦλος διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἔτη γ'. Τούτου ἐξωσθέντος ὑπὸ Κωνσταντίου

κε'. Εὐσέβιος ἀρειανός, πρότερον γενόμενος ἐπίσκοπος Βηρυτοῦ, εἶτα μετατεθεὶς εἰς Νικομήδειαν, πάλιν μετῆλθεν ἐν ΚΠ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ιβ'. Εἶτα μετὰ θάνατον αὐτοῦ πάλιν ἀποκαθίσταται ὁ αὐτὸς

Παῦλος καὶ παραχρῆμα ἐκβάλλεται καὶ ἐν Κουκουσῷ ἐξορίζεται κἀκεῖσε ὑπὸ τῶν δυσσεβῶν ἀρειανῶν ἀναιρεῖται. Χειροτονεῖται δὲ

κϛ'. Μακεδόνιος πρεσβύτερος ὁ πνευματομάχος ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ι'. Τούτου καθαιρεθέντος καὶ ἐκβληθέντος ὑπὸ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως

κζ'. Εὐδόξιος ἀρειανὸς μετατεθεὶς πρότερον ἀπὸ Γερμα-

1. *μῆνας ϛ'* deest.

3. *Ὅ. ἀ. Μ.* desunt.

4. *Μ. υἱὸς μὲν καὶ αὐτὸς τοῦ αὐτοῦ Δομετίου, ἀ. δὲ τοῦ Πρόβου τοῦ ἐπισκοπήσαντος καὶ ἀδελφόπαις Πρόβου τοῦ βασιλέως, ἐπεσκόπησεν καὶ οὗτος τοῦ Βυζαντίου ἔ. ι'. Ἐπὶ τούτου τοῦ Μητροφάνους ὁ . . . Κ. ὁ βασ.*

9. *Ἀ. μετὰ τοῦτον ἐπεσκόπησε τῆς ΚΠ ἔ. κγ', μακρόβιος γεγονὼς καὶ ζήσας τὰ πάντα ἔτη ϙζ'.* .

10. *Π. μετὰ τοῦτον ὁ ὁμολογητὴς ἐπεσκόπησε διάκονος ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ἐκράτησεν ἔ. ϛ'. Ἔπειτα ἐξεβλήθη ὑ. Κ. βασιλέως καὶ ἀντ' αὐτοῦ εἰσήχθη*

12. *Ε. ἀ., ὃς πρώην μὲν ἐπ. ἐγένετο Β., εἶτα δὲ μετηνέχθη εἰς Ν. Καὶ αὖθις ἐκεῖθεν μετῆλθεν εἰς ΚΠ καὶ ἐπ. αὐτῆς ἔ. ιϛ'.*

14. *εἶτα . . . αὐτὸς* desunt.

16. *Π. πάλιν ὁ ὁμοληγητὴς μετὰ θάνατον Εὐσεβίου ἀποκαθίσταται εἰς τὸν ἴδιον τοῦτον θρόνον, ἀλλὰ πάλιν παραχρῆμα ἐκβ. καὶ εἰς Κουκουσὸν ἐξορ. Ἐκεῖσε δὲ ὑπὸ τῶν ἀρ. ἀν. Ἀντὶ δὲ τούτου πάλιν ἐχειροτονήθη*

19. *Μ. ὃς πρεσβ. μὲν τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ὑπῆρχε, πνευμ. δὲ ἀπηλλάχθη καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. η'. Τούτου δὲ διὰ τὴν οἰκείαν αἵρεσιν ὑπὸ τῆς ἱερᾶς συνόδου καθ. κ. ἐκβ. ὑπὸ Κ. τ. β.*

22. *Ε. ἀ. προχειρίζεται, ὃς δὴ καὶ αὐτὸς ἐπίσης τῷ Εὐσεβίῳ τρεῖς*

νικείας εἰς Ἀντιόχειαν, αὖθις ἐκεῖθεν ἐν ΚΠ ἐπεσκόπησεν ἔτη η'.

κη'. Δημόφιλος ἀρειανὸς Βερόης τῆς ἐν Θρᾴκῃ πόλεως ἐν ΚΠ μετατεθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔτη ια' μῆνας ε'.

κθ'. Εὐάγριος ὀρθόδοξος, ὑπὸ Εὐσταθίου τοῦ Ἀντιοχείας χειροτονηθεὶς παρευθὺ εἰς ἐξορίαν ὑπὸ Οὐάλεντος τοῦ βασιλέως παραπέμπεται.

λ'. Γρηγόριος ὁ Ναζιανζοῦ ἤτοι ὁ θεολόγος προέστη τῆς ἐκκλησίας τῶν ὀρθοδόξων ἔτη ιβ'. Τούτου εἰς τὴν πατρίδα ἐπανελθόντος

λα'. Νεκτάριος ἀξιωματικὸς ὑπάρχων καὶ χριστιανὸς μὲν κατηχούμενος δὲ καὶ μήπω μετέχων τοῦ ἁγίου βαπτίσματος (τότε γὰρ τριακονταέτεις ἐβαπτίζοντο κατὰ μίμησιν τοῦ Χριστοῦ) ἅμα καὶ βαπτίζεται καὶ χειροτονεῖται ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου τῶν ρν' καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ιϛ' μῆνας γ'.

λβ'. Ἰωάννης πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, ὁ Χρυσόστομος ἐπεσκόπησεν ἔτη ε' μῆνας ϛ'. Οὗτος ἐκβληθεὶς καὶ εἰς ἐξορίαν παραπεμφθεὶς ὑπὸ ἀδοξίας τῆς βασιλίσσης ἐν Κομάνῃ τῇ πόλει τῆς δευτέρας τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας ἐτελεύτησεν καὶ κατετέθη, ἔνθα τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου Βασιλίσκου.

λγ'. Ἀρσάκιος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως, ὁ

μετῆλθεν ἐπισκοπάς, Γερμανικείας πρότερον, εἶτα τῆς Ἀντιόχου καὶ τρίτης τῆς ΚΠ, ἧς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ι'.

3. Δ. μετὰ τοῦτον ἀ. καὶ αὐτὸς ἐπίσκοπος ὢν Β. πόλεως τῆς ἐν Θ. μετατίθεται εἰς ΚΠ καὶ ἐπεσκόπησεν αὐτῆς ἔ. ια' μ. ε'.

5. Ε. ὀ. χειροτονηθεὶς ὑ. Ε. τ. Ἀ. π. ἐξορίζεται . . . βασιλέως καὶ ἐκράτουν τῆς ἐκκλησίας οἱ ἀρειανοὶ ἐπὶ πολύ· εἶτα

8. Γ. ὁ θεολόγος ἀπὸ Ν. μετεκλήθη καὶ πρὸς τὰς πολυειδεῖς αἱρέσεις ἀντικαταστὰς καὶ λόγου τε δυνάμει καὶ βίου λαμπρότητι καὶ συμμαχίᾳ τοῦ πνεύματος τὴν ὀρθόδοξον πίστιν κρατύνας καὶ τὴν τριάδα τὸν ἕνα θεὸν φανερώτερον γνωρίσας τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὴν ὀρθὴν πίστιν αὐξήσας καὶ πλατύνας προέστη καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιβ'. Τούτου δὲ πάλιν ε. τ. ἰδίαν π. ἐπανακάμψαντος

12. κατηχούμενος, οὔπω δὲ τυχὼν τοῦ β. τότε κατὰ ταὐτὸ καὶ β. κ. χ. ἐπίσκοπος Κπόλεως ὑ. τ. ἱερᾶς σ. τ. ρν' ἐπισκόπων καὶ ἐπ. ἔ. ιϛ'.

16. Ἰ. μετὰ τοῦτον ὁ Χρ. πρεσβ. ὢν τῆς ἐ. Ἀ. μετακληθεὶς ἐπεσκ. ἔ. ε'. Εἶτα ἐκβλ. κ. ε. ἐ. πεμφθεὶς (fol. 267 v) ἐν Κομ. . . . . ἐτελεύτησεν, ὅπου ἦν τεθαμμένος ὁ ἅγιος Βασιλίσκος. Μετετέθη δὲ ὕστερον τὸ λείψανον τοῦ αὐτοῦ Χρυσοστόμου ἐνδόξως εἰς ΚΠ καὶ ἐτέθη ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ὑπὸ Θεοδοσίου βασιλέως τοῦ μικροῦ.

22. Ἀ. μετὰ τὴν τοῦ Χρυσοστόμου ἐξορίαν προχειρίζεται ἐπίσκοπος, πρεσβ. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ., ἀδ. δὲ τοῦ προλεχθέντος Ν. τοῦ μετὰ τὸν θεολόγον ἐπισκοπήσαντος καὶ ἐπεσκόπησε καὶ αὐτὸς ἔ. β'.

ἀδελφὸς Νεκταρίου τοῦ προγεγραμμένου μετὰ τὴν τοῦ Χρυσοστόμου ἐκβολὴν ἐπεσκόπησεν ἔτη β'.

λδ'. Ἀττικὸς πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἐπεσκόπησεν ἔτη κ'.

λε'. Σισίννιος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἐπεσκόπησεν ἔτος α' μῆνας ι'.

(fol. 357 r) λϛ'. Νεστόριος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, αἱρετικός, ἔτη γ' μῆνας β'. Οὗτος καθαιρεθεὶς εἰς ἐξορίαν παρεπέμφθη.

λζ'. Μαξιμιανὸς πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως, τῷ γένει Ῥωμαῖος, ἔτη β' μῆνας ε'.

λη'. Πρόκλος, ὑπὸ τοῦ προειρημένου Σισιννίου χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος καὶ μὴ δεχθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκεῖσε, τὸν μεταξὺ σχολάσας χρόνον, εἶτα μετὰ τὴν κοίμησιν Μαξιμιανοῦ, κειμένου τοῦ λειψάνου ἐν τῷ ἱερατείῳ τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, ἐνθρονίζεται ἐν τῇ αὐτῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ (ἦν δὲ ἡ ἁγία πέμπτη τοῦ σωτηρίου πάθους) καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ια' μῆνας[1]) —.

λθ'. Φλαβιανὸς πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἔτος α' μῆνας —. Τούτου ἐκβληθέντος ὑπὸ τοῦ δυσσεβοῦς Διοσκόρου χειροτονεῖται

μ'. Ἀνατόλιος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἐκκλησίας Ἀντιοχείας ἐπισκοπήσας ἔτη η' μῆνας —.

μα'. Γεννάδιος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἔτη ιγ' μῆνας —.

1) A Proclo usque ad Acacium numeri mensium interciderunt.

3. Ἀ. π. καὶ αὐτὸς ὑπάρχων τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐ. ΚΠ ἐ. ἔ. κ'.

5. Σ. π. ὁμοίως καὶ αὐτὸς ὑπάρχων τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐ. ΚΠ. ἐ. ἔ. α' μῆνας β'.

8. αἱρετικὸς ὢν ἐπεσκόπησε τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἔτη γ' μῆνας β'. — Οὗτος . . . παρεπέμφθη desunt.

10. Μ. π. τ. αὐτῆς ἐκκλ . . . . Ῥωμαῖος ἐπεσκόπησεν.

12. Π. ὑ. τ. προλεχθέντος . . . . ἐπίσκοπος Κυζίκου καὶ . . . .

13. ἐκεῖσε καὶ σχολάσας τ. μ. χ. ὕστερον μετὰ θάνατον Μ. ἔτι κειμ. τ. λ. αὐτοῦ ἐ. τ. ἱ. τ. μεγάλης ἐ. ἐνθρ. ἐν αὐτῇ (ἦν δὲ ἡ ἁγία καὶ μεγάλη . . . πάθους τοῦ κυρίου) κ. ἐ. ἔ. ιβ' μῆνας γ'.

18. Φ. π. τ. αὐτῆς μεγάλης ἐ. ἐπεσκόπησεν ἔ. α'. μῆνας ι'. τούτου δὲ . . . Διοσκόρου καὶ τελευτήσαντος μηνὸς Ἰουλίου τετάρτῃ χειρ. ἐπίσκοπος.

22. Recte Ἀλεξανδρείας pro Ἀντιοχείας. Ἀλ., ὃς δὴ ἐπεσκόπησεν ἔ. η' μῆνας η'.

23. Γ. π. τῆς αὐτῆς μεγάλης ΚΠ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιγ' μῆνας β'.

μβ'. *Ἀκάκιος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ ὀρφανοτρόφος ἔτη ιζ' μῆνας —.*

μγ'. *Φραυίτας τῆς ἁγίας Θέκλας Συκῶν πρεσβύτερος μῆνας γ' ἡμέρας ιζ'.*

μδ'. *Εὐφήμιος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ ὀρφανοτρόφος Νεαπόλεως, ὁ καὶ ἐκβληθεὶς ὑπὸ Ἀναστασίου βασιλέως, ἐπεσκόπησεν ἔτη ϛ' μῆνας ϛ'.*

με'. *Μακεδόνιος πρεσβύτερος καὶ σκευοφύλαξ, ὃς καὶ οὗτος ἐξεβλήθη ὑπὸ Ἀναστασίου βασιλέως, ἐπεσκόπησεν ἔτη γ'.*

μϛ'. *Τιμόθεος πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ σκευοφύλαξ ἐπεσκόπησεν ἔτη ϛ'.*

μζ'. *Ἰωάννης πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ σύγκελλος ὁ Καππαδόκης ἐπεσκόπησεν ἔτος α' μῆνας ι'.*

μη'. *Ἐπιφάνιος πρεσβύτερος Κπόλεως καὶ σύγκελλος ἐπεσκόπησεν ἔτη ιϛ' μῆνάς γ'.*

μθ'. *Ἄνθιμος αἱρετικός, Τραπεζοῦντος γενόμενος ἐπίσκοπος, καθῃρέθη καὶ ἐξεβλήθη ὑπὸ τῆς ἐν ΚΠ συνελθούσης συνόδου κατ' αὐτοῦ καὶ τοῦ δυσσεβοῦς Σευήρου μῆνας ι'.*

ν'. *Μηνᾶς πρεσβύτερος Κπόλεως καὶ ξενοδόχος τῶν Σαμψὼν ἐπεσκόπησεν ἔτη ιϛ' μῆνας ϛ'. Ἐχειροτονήθη δὲ οὗτος ὑπὸ Ἀγαπητοῦ πάπα Ῥώμης τῷ θ' ἔτει τῆς Ἰουστινιανοῦ βασιλείας. Καὶ μετὰ τὴν τούτου τελευτὴν κειμένου τοῦ λειψάνου ἐν τῷ ἱερατείῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας χειροτονεῖται*

1. *Ἀ. π. ὁμοίως τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ πτωχοτρόφος ἐπεσκόπησε ταύτης ἔ. ιζ' μῆνας θ'.*

3. *Φ. πρεσβ. . . . . Συκῶν ἐπεσκόπησε μῆνας γ'.* Dies desunt.

5. *Ε. π. τ. αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ πτωχοτρόφος Ν. ἐπεσκόπησεν ἔ. ϛ' μ. ϛ'. Τούτου δὲ ἐκβληθέντος ὑ. Ἀ. τοῦ β.*

8. *Μ. χειροτονεῖται πρεσβ. ὢν τῆς αὐτῆς ἐκκλ. Κπόλεως καὶ σκευοφ., ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιϛ'. Καὶ τούτου δὲ πάλιν ἐκβληθέντος ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἀναστασίου*

10. *Τ. χειροτονεῖται πρεσβ. ὢν καὶ αὐτὸς τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ σκ., ὃς δὴ καὶ ἐπ.*

12. *Ἰ. ὁ Καππαδόκης πρεσβ. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. κ. σύγκ. ἐπεσκ.*

14. *Ἐ. π. ὢν καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ σ.*

16. *Ἄ. α. Τ. ὢν ἐ. μετετέθη ἐκεῖθεν εἰς ΚΠ. καὶ ἐπεσκόπησε μ. ι'. Τούτου δὲ καθαιρεθέντος ὑπὸ τῆς τηνικαῦτα συνελθούσης κατ' αὐτοῦ τε καὶ . . . . Σευήρου ἁγίας συνόδου καὶ ἐκβληθέντος χειροτονεῖται ἀντ' ἐκείνου ἐπίσκοπος*

19. *Μ. π. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. Κπόλεως . . . Σαμψών. Χειροτονεῖται δὲ*

20. *οὗτος* deest. *Ῥώμης ἰνδικτιῶνι ιδ' ἔτους θ' τῆς Ἰ. β., ὃς δὴ*

να'. Εὐτύχιος πρεσβύτερος καὶ μοναχὸς γεγονὼς μοναστηρίου τινὸς ἐν Ἀμασείᾳ διακειμένου ἔτη ις' μῆνας ια'. Τούτου ἐκβληθέντος ὑπὸ Ἰουστινιανοῦ τῷ λη' ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας χειροτονεῖται

νβ'. Ἰωάννης πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, ὁ ἀπὸ σχολαστικῶν, ἐπεσκόπησεν ἔτη ιβ' μῆνας ζ'.

Καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ ὁ πρὸ αὐτοῦ Εὐτύχιος πάλιν ἔτη δ' μῆνας ς'.

(fol. 357 v) *νγ'. Ἰωάννης διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ σύγκελλος ὁ νηστευτὴς ἐκ τοῦ ἔργου καλούμενος ἐπεσκόπησεν ἔτη ιγ' μῆνας ε'.*

νδ'. Κυριακὸς πρεσβύτερος καὶ οἰκονόμος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἐπεσκόπησεν ἔτη ια'.

νε'. Θωμᾶς διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ σακελλάριος ἔτη γ' μῆνας β'.

νς'. Σέργιος διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως καὶ πτωχοτρόφος τῶν ἐν Φρίξου καὶ Φιάλου λιμένος πτωχείων ἔτη κδ' μῆνας ς'.

νζ'. Πύρρος πρεσβύτερος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας μοναχὸς καὶ ἄρχων τῶν μοναστηρίων καὶ ἡγούμενος τῆς ἐν Χρυσοπόλει μονῆς ἔτη β' μῆνας β' ἡμέρας θ'. Καὶ στάσεως αὐτῷ γενομένης δεδωκὼς λίβελλον παρῃτήσατο.

νη'. Παῦλος πρεσβύτερος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, οἰκονόμος καὶ ἐπὶ τῶν φυλακῶν ἔτη β' ἡμέρας κς'.

καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ις' μ. ς'. Τῇ δὲ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς τελευτῆς αὐτοῦ ἔτι κειμένου τ. λ. (fol. 268 r) *αὐτοῦ.*

1. *Ε. . . . . μοναχὸς τοῦ ἐ. Ἀ. μοναστηρίου, ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ις' μ. ε'. Τ. δὲ ἐ. . . . . χειροτονεῖται ἀντ' ἐκείνου*

5. *Ἰ. π. ὑπάρχων τ. . . . σχολ. καὶ ἐπ.*

7. *Καὶ . . . αὐτοῦ* desunt.

8. *Ε. ὁ προλεχθεὶς πάλιν μετὰ τὴν Ἰωάννου τελευτὴν ἀποκατέστη εἰς τὸν ἴδιον θρόνον καὶ ἐπεσκόπησεν ἕτερα ἔ. δ'.*

9. *Ἰ. δ. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ σακελλάριος. ὁ . . . καὶ.* desunt. *σακ. χειροτονηθεὶς τῷ δ' ἔτει τῆς βασιλείας Τιβερίου ἐπεσκ.*

12. *Κ. π. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ οἰκ. χειροτονηθεὶς ἐπ.*

14. *Θ. δ. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ σ. χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔ. ιγ'.*

16. *Σ. δ. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. καὶ . . . λιμένι πτ. ἐπεσκόπησεν ἔ. κη' μ. ζ'.*

18. *Π. π. ὢν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ.*

20. *μονῆς τῆς τοῦ Φιλιππικοῦ ἐπεσκόπησεν ἔτη β' μῆνας θ'. Συστάσεως δὲ γενομένης ἐπ' αὐτὸν δεδ. λ. παρ. καὶ ἐχειροτονήθη ἀντ' αὐτοῦ ἐπίσκοπος*

22. *Π. π. ὢν τ. α. μεγάλης ἐκκλ. ἐπὶ τῶν φυλακῶν καὶ οἰκονόμος. Καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιβ'.*

νθ'. Πέτρος διάκονος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, οἰκονόμος, καγκελλάριος, ῥαιφερενδάριος, περιοδευτὴς Θράκης καὶ γηρωκόμος τῶν ἐν τῷ ἁγίῳ Κλήμεντι γηρωκομείων β' ἀνδρείου καὶ γυναικείου ἔτη ιβ' μῆνας δ'.

Καὶ διὰ μέσου ἐχήρευσεν ὁ θρόνος μῆνας ς' ἡμέρας δ'.

ξ'. Θωμᾶς διάκονος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας Κπόλεως, νοτάριος, καγκελλάριος, ῥαιφερενδάριος, χαρτοφύλαξ, σκευοφύλαξ, γηρωκόμος τοῦ γηρωκομείου τῆς Σκάλας καὶ πτωχοτρόφος τοῦ ἐν Νεαπόλει πτωχείου ἐχειροτονήθη τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη β' μῆνας ζ'.

ξα'. Ἰωάννης πρεσβύτερος καὶ πρωτέκδικος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας καὶ σκευοφύλαξ, σύγκελλος, οἰκονόμος, γηρωκόμος τῶν ζῶσα καὶ τῶν Δεξικάρπου[1]) *ἔτη ε' μῆνας θ'.*

ξβ'. Κωνσταντῖνος διάκονος, οἰκονόμος, σκευοφύλαξ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, καγκελλάριος, περιοδευτὴς Θράκης καὶ ἐπὶ τῶν χειροτονιῶν ἐπεσκόπησεν ἔτος α' μῆνας ια'.

ξγ'. Θεόδωρος πρεσβύτερος, σύγκελλος, σκευοφύλαξ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνδρείων μοναστηρίων ἔτη β' μῆνας γ'.

ξδ'. Γεώργιος πρεσβύτερος, σκευοφύλαξ καὶ σύγκελλος ἔτη κ' μῆνας γ'. Καὶ πάλιν

Θεόδωρος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἔτος α' μῆνας ια'.

ξε'. Παῦλος ἀπὸ λαϊκῶν ἀσηκρῆτις ἔτη ς' μῆνας η'.

1. *Π. . . . αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ., ῥαιφ. καγκ. περ. Θ., γηρωκ. τοῦ ἐν . . . . γηρωκομείου καὶ οἰκονόμος χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔ.*

5. *Καὶ . . . . δ'* desunt.

6. *Θ. δ. ὧν τῆς αὐτῆς μεγάλης ἐκκλ. . . . χαρτ. καὶ σκευοφ., γηρ.*

9. *ἐχειροτ. . . καὶ* desunt.

12. *τῆς μεγάλης ἐκκλ., σκευοφ., σ., οἰκ. καὶ γηρωκόμος τῶν Δεξιοκράτους* (?)[1]) *χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν.*

14. *οἰκ.* deest. *σκ. τ. μεγάλης ἐκκλ. κ., π. τῆς Θ. . . . . χειροτ. ἐπεσκόπησεν ἔτη β'.*

18. *ἀνδρῴων μ. χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔ. β' μ. γ'. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐξεβλήθη καὶ ἀντ' αὐτοῦ χειροτονεῖται*

19. *Γ. π. τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, σύγκ. καὶ σκευοφ., ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. κ'. μ. γ'. Τούτου δὲ τελευτήσαντος πάλιν εἰσήχθη εἰς τὸν ἴδιον θρόνον*

21. *Θ. ὁ προδηλωθεὶς καὶ ἐπεσκόπησεν ἕτερα ἔ. β'.*

22. *Π. ἀ. λ. ἀ. χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔ. ς' μ. ε'.*

1) *ζῶσα καὶ τῶν Δεξικάρπου* corrupta videntur esse. Eodem loco in cod. XL. lacuna est. Lectio genuina fortasse est quae exstat apud Ephraemium (v. 9846. ed. Bonn. p. 894): *γηρωκόμος τε Ῥωσῶν Δεξιοκράτους.*

ξϛ'. Καλλίνικος πρεσβύτερος καὶ σκευοφύλαξ Βλαχερνῶν ἔτη ιβ'.

ξζ'. Κύρος πρεσβύτερος καὶ μοναχὸς ὁ ἐξ Ἀμάστριδος ὁ καὶ ἐκβληθεὶς ἔτη ϛ'.

ξη'. Ἰωάννης διάκονος καὶ χαρτουλάριος τῆς οἰκίας τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ὁ καὶ ἐκβληθεὶς ἔτη ιε'.

ξθ'. Γερμανὸς ὁ ἐκβληθεὶς ὑπὸ Λέοντος τοῦ Ἰσαύρου ἔτη ιε'.

ο'. Ἀναστάστος πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος ἔτη κδ'.

οα'. Κωνσταντῖνος ὁ γεγονὼς ἐπίσκοπος τοῦ Συλαίου, ὡς διηνέχθη μετὰ τοῦ ἐπισκόπου Πέργης, ἀπετάξατο καὶ ἐσχόλασεν ἐν εὐκτηρίῳ τοῦ πατριαρχείου ἔτη β'. Καὶ ἀπεκεφαλίσθη.

οβ'. Νικήτας πρωτοπρεσβύτερος τῶν ἁγίων ἀποστόλων, σκευοφύλαξ τῶν Χαλκοπρατείων, ἔκδικος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ἄρχων τῶν μοναστηρίων ἔτη ιϛ' μῆνας δ'.

ογ'. Παῦλος ὁ Κύπριος, ὃς ἐχειροτονήθη μηνὶ Φεβρουαρίῳ κγ', ἰνδικτιῶνι γ', ἔτη δ' μῆνας ϛ'. Οὗτος ἐν τῷ τελευτᾶν ἐν τῷ μοναστηρίῳ τῶν Φλώρου τὸ μοναχικὸν περιβάλλεται σχῆμα. (fol. 358 r) *Καὶ ἐτάφη ἐν τῷ γυναικείῳ μοναστηρίῳ τῶν Ῥωμαίου ἐν τῷ Πετρίῳ.*

Καὶ διὰ μέσου ἔμεινεν ἀνεπισκόπητος ὁ θρόνος μῆνας δ' ἡμέρας ϛ'.

1. *των Β. χειροτονηθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔτη ιβ'. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐτυφλώθη καὶ ἐξωρίσθη καὶ ἀντ' αὐτοῦ ἐχειροτονήθη*
3. *Κ. π. κ. μ. ὁ ἐ. Ἀ., ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ϛ'. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ἐξεβλήθη καὶ ἀντ' αὐτοῦ ἐγένετο*
5. *Ἰ. δ. κ. χ. τοῦ οἰκονομείου, ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιε'. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐξεβλήθη καὶ αὐτὸς καὶ χειροτονεῖται ἀντ' αὐτοῦ*
7. *Γ. ὁ ἅγιος, ὃς καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ιε'.* (fol. 268 v) *Εἶτα ἐξίσταται καὶ αὐτὸς τοῦ θρόνου ἑκὼν διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συναινέσαι τῇ καθαιρέσει τῶν ἁγίων εἰκόνων τῇ παρὰ τοῦ τηνικαῦτα βασιλεύοντος Λέοντος τοῦ Ἰσαύρου δογματισθείσῃ καὶ ἀντὶ τούτου χειροτονεῖται πατριάρχης*
9. *Ἀ. π. κ. σ., ὃς καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. κδ'.*
10. *Κ. ὁ πρώην μὲν ἐπίσκοπος γεγονὼς Συλαίου, ἔπειτα δὲ ἀποταξάμενος καὶ σχολάσας ἐν τῷ ε. τ. πατριάρχου ἀναχθεὶς εἰς τὸν πατριαρχικὸν θρόνον ἐπεσκόπησεν ἔ. β'. Μετὰ δὲ ταῦτα πολλὰ πρότερον τιμωρηθεὶς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ καὶ προχειρισαμένου αὐτὸν βασιλέως καὶ συντέκνου αὐτοῦ τοῦ Κοπρωνύμου τέλος καὶ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη ὁ ἄθλιος.*
13. *Ν. πρωτοπαπᾶς γεγονὼς τῶν.*
15. *μοναστηρίων, ὃς καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιϛ'. μ. δ'.*
16. *Π. ὁ Κ. ἐπεσκόπησεν ἔ. δ. μ. ϛ'.*
17. *ἐν τῷ μέλλειν τ. τὸ μ. σχ. περιεβάλετο.* Reliqua omnia usque ad *ἡμέρας ϛ'* desunt.

οδʹ. *Ταράσιος ὁ ἀπὸ ἀσηκρῆτις, υἱὸς Γεωργίου πατρικίου καὶ κοιαίστωρος, ἔγγονος Σισιννίου πατρικίου, γεγονότος δὲ καὶ κόμητος τῶν ἐκσκουβίτων καὶ μαγίστρου, κατὰ δὲ τὴν μητέρα ἔγγονος Ταρασίου πατρικίου, χειροτονεῖται μηνὶ Δεκεμβρίῳ κεʹ, αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Χριστοῦ γενέσεως, ἰνδικτιῶνι ηʹ καὶ ἐκοιμήθη Φεβρουαρίῳ κεʹ ἔτους ϛτιδʹ ἡμέρᾳ δʹ ὥρᾳ ζʹ τῇ αʹ ἑβδομάδι τῶν νηστειῶν, ἀρξαμένων ψάλλειν τῶν ἀναγνωστῶν· κλῖνε, κύριε, τὸ οὖς σου. Καὶ ἐτάφη ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντι μοναστηρίῳ ἐν τοῖς ἀναπλεομένοις ἐν ἀριστεροῖς μέρεσιν τοῦ στενοῦ ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων πάντων, ἐπισκοπήσας θεαρέστως ἔτη καʹ μῆνας*[1]) —.

οεʹ. *Νικηφόρος ἀπὸ ἀσηκρῆτις. Οὗτος προτραπεὶς ἠρετίσατο τὸ μοναδικὸν ἀμφιάσασθαι σχῆμα καὶ οὕτως εἰς τὴν ἱερωσύνην προελθών, ὃς καὶ γεγονὼς μηνὶ Ἀπριλλίῳ εʹ τῇ ἡμέρᾳ τῶν βαΐων ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Σεργίου καὶ ἀνῆλθεν ἐν τῷ πατριαρχείῳ τῇ ἁγίᾳ δʹ καὶ αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ γέγονε διάκονος, καὶ τῇ ἁγίᾳ εʹ πρεσβύτερος ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ τῇ ἁγίᾳ ἀναστάσει εἴσοδος μετὰ τῶν βασιλέων καὶ πρεσβυτέρων καὶ χειροτονεῖται ὑπὸ Νικολάου ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας καὶ Λέοντος μητροπολίτου Ἡρακλείας Θράκης καὶ Θωμᾶ ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης. Οὗτος ἐπισκοπήσας ἔτη θʹ ἐξεβλήθη ὑπὸ Λέοντος τοῦ εἰκονομάχου· ἔτη θʹ.*

οϛʹ. *Θεόδοτος ὁ Κασσιτηρᾶς ὁ εἰκονομάχος ἔτη ϛʹ.*

οζʹ. *Ἀντώνιος ἐπίσκοπος Συλαίου ὁ Κασσυματᾶς ἔτη ιγʹ.*

οηʹ. *Ἰωάννης ὁ εἰκονομάχος ἔτη ηʹ μῆνας γʹ.*

οθʹ. *Μεθόδιος πρεσβύτερος μοναχὸς καὶ ὀρθόδοξος ἔτη δʹ μῆνας βʹ.*

πʹ. *Ἰγνάτιος μοναχός, υἱὸς Μιχαὴλ βασιλέως, ὀρθόδοξος ὁ καὶ ἐκβληθεὶς ἔτη ιʹ.*

1) menses interciderunt.

1. *Τ. ἀπὸ λαϊκῶν, συνετὸς ἀνὴρ καὶ λόγιος καὶ εὐγενής, πρωτασηκρῆτις γενόμενος ἐπεσκόπησεν ἔτη καʹ μῆνας βʹ.* Nihil praeterea de hoc.

12. *Ν. ἀπὸ λαϊκῶν, καὶ οὗτος ἀσηκρῆτις ὤν, ἐν δὲ τῷ μέλλειν χειροτονεῖσθαι τὸ μοναχικὸν ἠμφιάσατο σχῆμα καὶ οὕτως ε. τ. ἱ. προῆλθε καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη θʹ. Εἶτα ἐξεβλήθη ὑπὸ τοῦ τηνικαῦτα βασιλεύοντος Λέοντος Ἀρμενίου καὶ εἰκονομάχου καὶ ἀντ' ἐκείνου προεχειρίσθη*

23. *Θ. ὁ λεγόμενος Κ., ὃς καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ϛʹ.*

24. *Ἀ. ὁ λεγόμενος Κ., ὃς καὶ ἐπίσκοπος γεγονὼς Συλαίου μετετέθη καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιγʹ.*

25. *Ἰ. αἱρετικὸς εἰκ. ἐπεσκόπησεν ἔ. ηʹ.* Menses desunt.

26. *Μ. ὁ ἅγιος ἀπὸ μοναχῶν καὶ πρεσβύτερος ἐπεσκόπησεν ἔ. δʹ. μ. βʹ.*

28. *Ἰ. ἀπὸ μοναχῶν, υ. Μ. β. τοῦ Ῥαγκαβᾶ, ἐπεσκόπησεν ἔ. ιʹ. Εἶτα ἐξεβλήθη καὶ ἀντ' αὐτοῦ εἰσήχθη εἰς τὸν ἐκείνου θρόνον*

πα'. Φώτιος, ἀνὴρ σοφός, τὴν ἐγκυκλίαν παίδευσιν ἐξησκηκώς, ἐλεημοσύνῃ τε καὶ τοῖς ἄλλοις προτερήμασι σεμνυνόμενος ὁ ἐκβληθεὶς ἔτη θ'.

Ἰγνάτιος πάλιν, ἔτη ι'.

Φώτιος πάλιν, ἔτη θ'.

πβ'. Στέφανος, υἱὸς Βασιλείου βασιλέως, πρότερον διὰ τῆς τοῦ κληρικοῦ τάξεως τῷ θεῷ καθιερωθεὶς παρὰ τοῦ πατριάρχου, εἶτα νεάζων ἔτι τῷ χρόνῳ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξιωθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔτη ζ'.

πγ'. Ἀντώνιος ἀσκητικὸς ἀνήρ, ἐκ παιδὸς τὸν μονάδα βίον ἑλόμενος, ἐλεημοσύνῃ καὶ νηστείαις, λιταῖς καὶ προσευχαῖς ἀδιαλείπτως σχολάσας ἔτη η' καὶ διὰ πάσης ὁδεύσας ἀρετῆς ἐπεσκόπησεν ἔτη η'.

πδ'. Νικόλαος μυστικὸς καὶ πρωτασηκρῆτις, ἑκουσίως μονάσας ἐπὶ χρόνους ἱκανοὺς κοινῇ ψήφῳ ἀποδείκνυται ἀρχιερεὺς τῇ ἑορτῇ τῆς ὀρθοδοξίας καὶ ἐπὶ ἐνιαυτοὺς ϛ' κατασχὼν τὸ πατριαρχεῖον διὰ τὴν τῶν κακῶν ἀκρίβειαν καὶ τὸ μὴ βούλεσθαι (fol. 358 v) *δ' γάμον δέξασθαι ἐκβάλλεται τοῦ θρόνου ὑπὸ Λέοντος βασιλέως καὶ μετὰ ε' ἐνιαυτοὺς καὶ μῆνας δ' πάλιν ἀποκαθίσταται τὸ δεύτερον γνώμῃ τοῦ Λέοντος συγγνώμην αἰτησαμένου ἐν τῇ τελευτῇ μετὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Καὶ χρόνους ἄρξας τὸ β' ιγ' καταλύει τὸν βίον τῇ ιε' τοῦ Μαίου μηνὸς περὶ μέσας νύκτας, ἐν ᾗ τὸ δεύτερον τὸν*

1. *Φ. ἀνὴρ καὶ τοῖς λόγοις πολὺς καὶ τοῖς ἔργοις δραστήριος, ὃς δὴ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. θ'. Εἶτα ἐξεβλήθη μὲν καὶ αὐτός, ἀντεισήχθη δὲ πάλιν ὁ πρότερον*

4. *Ἰ. καὶ ἐπεσκόπησεν ἕτερα ἔ. ι'. Ἐτάφη δὲ ἐν τῇ μονῇ τῇ λεγομένῃ τοῦ Σατύρου τῇ καὶ ὑπ' αὐτοῦ κτισθείσῃ καὶ πάλιν ἐπανήχθη ὁ προδηλωθεὶς*

5. *Φ. καὶ ἐπεσκόπησεν ἕτερα ἔ. θ'. Ἐτάφη δὲ ἐν τῇ μονῇ τοῦ Μανουήλ.*

8. *εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην καὶ τὸν πατριαρχικὸν θρόνον ἀναχθεὶς ἐκεῖσε.*

10. *ἀνὴρ καὶ ἐκ.*

11. *ἐλεη . . . . . σχολ. ἔ. η'* desunt.

14. *Ν. πρότερον μὲν ἐν τῇ συγκλήτῳ διαπρέψας μυστικὸς καὶ πρωτασηκρῆτις γενόμενος ἔπειτα δὲ ἑκουσίως . . . . ψήφῳ χειροτονεῖται πατριάρχης κατ' αὐτὴν τὴν ἑορτὴν τῆς ὀρθ. καὶ τὸ μὲν πρῶτον κατέσχε τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὸν θρόνον ἔτη ϛ', ἔπειτα δὲ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι καταδέξασθαι τὴν τετραγαμίαν τοῦ βασιλέως Λέοντος ἐκβάλλεται ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἦν ἀπόθρονος ε' ὅλους ἐνιαυτοὺς καὶ μῆνας δ'. Εἶτα πάλιν παρὰ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως* (fol. 269 r) *μεταμεληθέντος ἐπὶ τῷ παραλόγῳ καὶ ἀδίκῳ τούτῳ ἔργῳ καὶ συγγνώμην αἰτησαμένου ἀνεκλήθη καὶ ἀποκατέστη εἰς τὴν ἰδίαν ποίμνην καὶ ἐπεσκόπησεν αὐτῆς πάλιν τὸ δεύτερον ἔτη ιγ'.*

21. *ἐν τῇ . . . . ἀπείληφεν* desunt.

οἰκεῖον θρόνον ἀπείληφεν. Ἦν δὲ τὸ γένος Ἰταλός, περὶ λόγον εὐφυής, φιλοσοφίαν καὶ ῥητορικὴν εἰς ἄκρον ἐξησκηκὼς καὶ πάσῃ ἀρετῇ κεκοσμημένος. Ἐβίου μὲν οὖν τοὺς πάντας χρόνους ογ', προέστη δὲ τὸ συναμφότερον τῆς ἐκκλησίας ἔτη ιθ', ἐτάφη δὲ ἐν τῇ μονῇ τῶν Γαλακρήνης τῇ ὑπ' αὐτοῦ ἀνοικοδομηθείσῃ.

πε'. *Στέφανος μητροπολίτης Ἀμασείας ψήφῳ πάσης τῆς ἐκκλησίας μετετέθη ἐν ΚΠ, προέστη δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔτη γ' παρ' ἡμέρας ιθ'.*

πϛ'. *Τρύφων ἐξ ἀρχῆς τὸν ἀσκητικὸν αἱρετισάμενος βίον κρίσει πάσης τῆς ἐκκλησίας ἀρχιερεὺς ἀναδείκνυται· εἶτα ἐξέστη τοῦ θρόνου ἑκουσίως ἐπισκοπήσας ἔτη γ'. Καὶ ἐπὶ τῆς προτέρας διαγωγῆς γενόμενος μετ' ὀλίγον τὸν βίον μετήλλασσεν.*

πζ'. *Θεοφύλακτος, ὁ υἱὸς Ῥωμανοῦ τοῦ βασιλέως, ἔτη κγ'.*

πη'. *Πολύευκτος ὁ ἀσκητὴς ἔτη ιδ'.*

πθ'. *Βασίλειος ὁ Σκαμανδρηνὸς ἔτη δ'.*

ϙ'. *Ἀντώνιος ἀνὴρ θεοσεβὴς καὶ ἀξιόλογος ὁ Στουδιώτης ἔτη ϛ'.*

ϙα'. *Νικόλαος ὁ ἐπιλεγόμενος Χρυσοβέργης ἔτη ιβ' μῆνας η'.*

ϙβ'. *Σισίννιος ἔτη δ'.*

ϙγ'. *Σέργιος ὁ ἡγούμενος τῶν Μανουὴλ ἔτη ιη'.*

ϙδ'. *Εὐστάθιος ὁ πρωτοπαπᾶς τοῦ ναοῦ ἔτη δ'.*

1. *ἦν δὲ ὁ ἀνὴρ τὸ γένος Ἰταλὸς καὶ τὴν μὲν παίδευσιν πολὺς καὶ σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακώς, τὸν δὲ βίον καὶ τὴν πολιτείαν ἀκριβὴς καὶ ἀνεπίληπτος. Ἐβίω . . . ογ', τῆς δὲ ἐκκλησίας ἦρξε τὸ σ . . . . μονῇ τῆς Γ. τῇ καὶ ὑπ' αὐτοῦ κτισθείσῃ.*

6. *Σ. μ. ὢν Α . . . . ΚΠ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη γ'.*

9. *Τ. μοναχὸς ὢν καὶ ἐκ παίδων τὸν ἀσκητικὸν βίον αἱρετισάμενος ἀνάγεται εἰς τὸ πατριαρχεῖον καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη γ'. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐξέστη ἑκουσίως τοῦ θρόνου καὶ εἰς τὴν προτέραν τῆς ἡσυχίας ἐπαλινδρόμησε διαγωγήν.*

13. *Θ. υἱὸς Ῥ., β., ὁ κτήτωρ τῆς μονῆς τοῦ Ῥουφίνου, ἐπεσκόπησεν ἔ. κγ'.*

14. *Π. μοναχὸς ὢν καὶ ἐπὶ χρόνους ἱκανοὺς ἀσκήσας ἀνήχθη εἰς τὸ πατριαρχεῖον καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιδ'.*

15. *Β. ὁ Σκ. ἐπεσκόπησεν ἔ. δ'. Ἔπειτα διαβληθεὶς ἐξωρίσθη παρὰ τοῦ Τζιμισκῆ καὶ ἀντ' αὐτοῦ*

16. *Ἀ. μοναχὸς ἀπὸ τῆς μονῆς τῶν Στουδίου ἀνήχθη εἰς τὸ πατριαρχεῖον καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ϛ'.*

18. *Ν. ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Χ. ἐπεσκόπησεν ἔ. ιβ' μ. β'.*

19. *Σ. ὁ ἀπὸ ἐπαρχῶν ἔ. δ'.*

20. *Σ. μοναχὸς ὢν καὶ ἡγ. τῆς μονῆς τῶν Μ. ἀνήχθη εἰς τὸ πατριαρχεῖον καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιη'.*

21. *Ε. πρ. τ. ν. τοῦ Παλατίου χειροτονεῖται πατριάρχης καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. δ'.*

ϘΕʹ. *Ἀλέξιος μοναχὸς καὶ γεγονὼς ἐκκλησιάρχης μονῆς τῶν Στουδίου ἔτη*[1]) —.

ϘϚʹ. *Μιχαὴλ ὁ λεγόμενος Κηρουλάριος ἔτη* —.

ϘΖʹ. *Κωνσταντῖνος ὁ Λιχούδης ἔτη* —.

ϘΗʹ. *Ἰωάννης ἐκ τοῦ Ὀλύμπου ἀχθεὶς ὁ ἐπικαλούμενος Ξιφιλῖνος ἔτη ιαʹ μῆνας* —.

1) Numerus apud hunc et apud sequentes praeter Ioannem Xiph. omissus est.

1. *Ἀ. μ. ὢν καὶ ἐκκλησ. τῆς μ. τ. Σ. ἀνήχθη εἰς τὸ πατριαρχεῖον καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. ιηʹ.*

3. *Μ. ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Κ., ἐκ μοναχῶν καὶ αὐτός, εἰς πατριαρχεῖον ἀναχθεὶς ἐπεσκόπησεν ἔ. ιεʹ.*

4. *Κ. ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Λειχούδης, τὰ πρῶτα τῆς συγκλήτου φέρων (πρόεδρος γὰρ καὶ πρωτοβεστιάριος ἦν) εἰς τὸ πατριαρχεῖον ἀνάγεται κἀκεῖσε πρῶτον μὲν διάκονος, ἔπειτα δὲ πρεσβύτερος καὶ εἶθ' οὕτως πατριάρχης, τὸ γένος Κπολίτης, εὐνοῦχος καὶ ἐπεσκόπησεν ἔ. δʹ μ. ϛʹ.*

5. *Ἰ. ὁ τὴν ἐπωνυμίαν Ξιφιλῖνος, ἐν τῇ συγκλήτῳ αὐτὸς διαπρέψας τὸ πρότερον, μάγιστρος τε καὶ δρουγγάριος τῆς βίγλας γενόμενος, ἔπειτα εἰς τὸν μοναδικὸν βίον διὰ θεοφίλειαν ἀποκλίνας καὶ ἐν τῷ ὄρει τῷ Ὀλύμπῳ μονάσας ἐφ' ὅλους ιʹ ἐνιαυτοὺς ὕστερον παρὰ τοῦ τηνικαῦτα βασιλέως Κωνσταντίνου τοῦ Δούκα μετεκλήθη ἐκεῖθεν καὶ εἰς τὸ πατριαρχεῖον ἀνήχθη ἐξ ἐπιλογῆς καὶ προκρίσεως πάντων τῶν τότε διὰ βεβαιότητα καὶ ἐπ' ἀρετῇ. Ἐν ὅλοις τοῖς πέντε μησὶν ἤγουν ἀπ' ἀρχῆς Αὐγούστου καὶ μέχρις ὅλου Δεκεμβρίου ἐχή[ρ]ευε*[1]) *μὲν ἡ ἐκκλησία τοῦ προστατεύοντος, ἡ φροντὶς δὲ καὶ ζήτησις ἦν τῷ κρατοῦντι, τέλος δὲ τὸν ἀξιολογώτερον πάντων εὗρον καὶ ἀνεπιληπτότερον, ὁποῖος δὴ καὶ ἀνεφάνη ἐκεῖνος ἀνὴρ πρῶτον μὲν καθαρώτατος καὶ ἁγνό[τατος] καὶ παντὸς ῥύπου σωματικοῦ καθάπαξ ἀπεχόμενος, ἔπειτα δὲ τὰ εἰς καταφρόνησιν χρημάτων καὶ ἀκτημοσύνην τελείαν καὶ τὴν πρὸς τοὺς πένητας φιλανθρωπίαν καὶ μετάδοσιν* (fol. 269 v) *κατ' οὐδὲν ἐλάττων τοῦ περιβοήτου ἐκείνου ἐλεήμονος, καὶ ταῖς ἄλλαις δὲ ἀρεταῖς πάσαις συλλήβδην εἰπεῖν ἀφθόνως κοσμούμενος, ἀλλὰ καὶ τῷ λόγῳ πολὺς καὶ παιδεύσεως πάσης μετειληχὼς καὶ νομομαθείᾳ*[2]) *ἐξαίρετ[ος]. ** Τό δὲ γένος εἷλκεν ἐκ Τραπεζοῦντος καὶ γονέων ἐτύγχανεν εὐγενῶν καὶ ἐπιφανῶν. Οὗτος χειροτονεῖται πρεσβύτερος μὲν ἐν τῷ ναῷ τοῦ Παλατίου κἀκεῖσε τὰς ἑπτὰ ἡμέρας διετέλεσε λειτουργῶν· μετὰ δὲ ταῦτα προαχθεὶς εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν τελειοῦται τῷ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξιώματι κατ' αὐτὴν τὴν ἑορτὴν τοῦ ἁγίου Βασιλείου, τῇ αʹ δηλονότι τοῦ Ἰαννουαρίου μηνός. Γενόμενος δὲ πατριάρχης πρῶτον μὲν αὐτὴν τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἐκόσμησε καὶ ἐλάμπρυνε τὰς ἐν αὐτῇ ἀνεστηλωμένας εἰκόνας ἀνακαινίσας ἁπάσας καὶ τὰ καλούμενα τέμπλα κύκλῳ τοῦ ἱερατείου ἀπαιωρήσας, ἐξ ἀργύρου διαχρύσου πεποιημένα. Ἔτι δὲ καί, εἴ τι μέρος ἐκείνης ὑπόσαθρον ἢ καταπεπτωκὸς, τοῦτο ἀνανεώσας καὶ βελτιωσάμενος,*

1) Litterae uncis inclusae in codice desunt. 2) Post *νομομαθείᾳ* exstant vestigia trium litterarum, quorum superiores partes, quod chartae particula intercidit, deletae sunt. Videntur significare *αὐτοῦ*. Post *ἐξαίρετ* charta abscissa est.

III. De annis episcoporum inde a primo ad Demophilum usque.

§ 1. De primis episcopis a Symeone Logotheta commemoratis.

Ad annos regiminis singulorum episcoporum constituendos nunc si transimus, primum quaerendum est, quisnam primus Byzantii fuerit episcopus. Atque seriem episcoporum inde a Stachy ad

ἔπειτα δὲ καὶ τὰς ἄλλας πάσας ἐκκλησίας τὰς ἐν παντὶ μέρει τῆς πόλεως ἱδρυμένας μεγέθει μὲν καὶ κάλλει μεγίστας καὶ διαπρεπεῖς, τῷ δὲ μακρῷ χρόνῳ καὶ τῇ τῶν προεστώτων ἀμελείᾳ κλιθείσας ἤδη πρὸς γόνυ, τάχα δὲ καὶ πτῶσιν τελείαν οὐκ εἰς μακρὰν προσδοκώσας ἀνήγειρεν εὖ μάλα προθύμως καὶ ἀνωρθώσατο καὶ εἰς τὴν προτέραν εὐκοσμίαν ἐπανεσώσατο. Καὶ νέος κτήτωρ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἐκεῖνος καθαρῶς ἀνεδείχθη, ὡς ἀνακτησάμενος ταύτας σχεδὸν καταλυθείσας καὶ ἀνανεωσάμενος. Οὗτος καὶ τοῖς ἐν τῇ Μεγαλοπόλει πένησιν ἅπασιν καὶ δεομένοις ἄρτους ἡμερησίους χορηγεῖσθαι εἰς τὸ διηνεκὲς ἐν αὐτῇ τῇ φιάλῃ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας παρεσκεύασε, μαγκιπεῖα καὶ ἀρτοποιοὺς καὶ σίτου διαρκῆ χορηγίαν εἰς τοῦτο τάξας καὶ ἀφορίσας καὶ τηλικαύτην χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν πρῶτος ἐπιδειξάμενος. Ἦρξε δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔτη ιά μῆνας ζ' καὶ ἐτάφη ἐν τῇ περατικῇ μονῇ τῇ καλουμένῃ τοῦ Ἀγγουρίου κατὰ τὸ δεξιὸν μέρος τῷ ἀναπλέοντι τὸν οὕτω καλούμενον στενὸν πορθμὸν, βιώσας τὰ πάντα ἔτη ο' ἑνὸς οὐδὲ ὅλου δέοντος, μηδὲν δὲ ἴδιον μηδέποτε κτησάμενος, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν τάφον αὐτοῦ παρ' ἑτέρου οἰκοδομηθῆναι διὰ τὴν πρὸς ἐκεῖνον πίστιν τοῦ καὶ χαριστικαρίου δηλονότι τῆς ῥηθείσης μονῆς.

Κοσμᾶς μοναχὸς Ἱεροσολυμίτης, πρὸ ὀλίγου ἐκ τῶν τῆς Ἀντιοχείας μερῶν μετακληθεὶς εἰς Κπολιν παρὰ Μιχαὴλ βασιλέως τοῦ Δούκα διὰ τὴν φήμην τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ καὶ ἐν ἡσυχαστηρίῳ ἔνδον τοῦ λεγομένου Φιλοπατίου τῶν Βλαχερνῶν ἐγκατοικισθεὶς, τηνικαῦτα ὁλοσχερεῖ καὶ ἀδιστάκτῳ ψήφῳ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως εἰς τὸ πατριαρχεῖον ἀνήχθη καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ε' μῆνας θ'. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐξέστη ἑκὼν τοῦ τοιούτου θρόνου καὶ πρὸς τὴν φίλην ἡσυχίαν αὖθις ἐπαλινδρόμησεν. Ἦν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἁπλοῦς τὸ ἦθος καὶ ὄντως μοναστής, πραγμάτων δὲ καὶ βιωτικῶν περιπλοκῶν τελέως ἀδαὴς καὶ φύσει καὶ προαιρέσει, ἅτε δὴ ἐξ ἔτι παιδὸς τὴν μοναχικὴν ἐνστερνισάμενος διαγωγήν, μέχρι βαθυτά[του[1]) γήρ]ως μηδὲν πλέον τῆς ἡσυχίας καὶ ἐρημίας ἐγνωκὼς — ἐγγὺς γὰρ ἐνενήκοντα ἐτῶν ὁ πρεσβύτης ἐτύγχανε — διὰ ταῦτα καὶ ὥς τι πάρεργον ἢ μᾶλλον εἰπεῖν βάρος καὶ ἀγγαρείαν[2]) τὴν τοῦ πατριαρχείου διοίκησιν καὶ φροντίδα ἡγούμενος παρ' ὅλον τὸν τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ καιρὸν, τέλος ἀπέσπασεν ἑαυτὸν τῶν πραγμάτων καὶ εἰς τὴν ἀπραγμοσύνην καὶ ἡσυχίαν ἡδέως πάλιν κατήντησεν.

[1]) In codice nihil nisi *βαθυτά . . . . ως.* [2]) *καὶ ἀγγαρείαν* difficile lectu. Sed *ἀγγαρείαν* sine dubio scribendum est. Cf. Suid.: *ἀγγαρεία· καὶ ἄγγαρος ἐργάτης, ὑπηρέτης, ἀχθοφόρος. ὅθεν ἀγγαρείαν ἀνάγκην ἀκούσιον λέγομεν καὶ ἐκ βίας γινομένην ὑπηρεσίαν.* Hesych.: *ἀγγαρεία δουλεία.*

Probum usque esse ficticiam inter omnes constare iam supra diximus.[1]) In compluribus autem catalogis[2]) et praeterea apud Socratem[3]), in Chronico paschali[4]), apud Theophanem[5]) Metrophanes primus affertur episcopus. Sed his ne fidem habeamus obsistunt ea, quae exstant in chronico anonymo Cangii errore Symeoni Logothetae attributo et apud eius compilatorem Georgium Cedrenum. Legimus enim[6]) sub Antonino Caracallo (211—217) primum episcopum Byzantii institutum esse Philadelphum et in honore fuisse annis tribus, antea autem presbyterum quendam ecclesiae per octennium praefuisse.[7]) Deinde sub Gordiano imperatore (238—244) Eugenium episcopum Byzantii factum per annos viginti quinque sedisse. Tertium episcopum Pseudosymeo solus affert Rufinum, qui Numeriano regnante (284) creatus novem annis sedem episcopalem obtinuerit. Hunc autem Cedrenus omittit: sed cum postea Metrophanem quartum afferat episcopum[8]), errore eius facta esse omissio videtur.

Ac de his tribus episcopis Cuperum in dissertatione ad historiam chronologicam patriarcharum Constantinopolitanorum praevia[9]) non recte sensisse existimo. Ei enim verisimile videtur Metrophanem primum ecclesiae Byzantinae antistitem fuisse tum quod id ex scriptoribus et antiquis catalogis stabiliatur tum quod sententia Cedreni et Pseudosymeonis sedem relinquat nimis diu vacantem. Nam Antoninum Caracallum, sub quo Philadelphus primus episcopus sedisse dicatur, obiisse ao. 217, centum fere annis, antequam Metrophanes cathedram ascenderet. Si igitur Philadelphus dumtaxat tribus annis, deinde Eugenius viginti quinque ac denique Rufinus annis novem ecclesiam Byzantinam gubernaverint, plus quam quinquaginta annorum hiatum relinqui. Itaque illos tres vice Heracleensis episcopi, cui Byzantina civitas subfuisset, aliquando Byzantii curam christianorum gessisse atque inde per errorem appellatos esse episcopos Byzantinos. Huius igitur opinionem ipse minime amplector. Sine dubio nomina illa tria episcoporum debentur chronico vetusto alicui Constantinopolitano, quo usus est Pseudosymeo, et casu accidit, ut tria tantum eius fragmenta aetatem tulerint. Sane si totum chronicum exstaret, series episcoporum qui ante Metrophanem sederunt continua nobis tradita esset. Itaque Cuperi argumentum ex chronographi illius sententia sedem nimis

1) p. 273. 2) Chron. comp.; cod. Clarom. Lang. Mon.; Vind. C. 3) I. 37. 4) I. p. 522. II. p. 368 ed. Bonn. 5) sub anno m. 5799. 6) Cedr. I. p. 449 ed. Bonn. 7) pro η′ Pseudosymeo habet κ′. 8) p. 477. 9) Act. SS. Aug. I. p. 11. 1733.

diu vacasse reiciendum est. Sed id quidem verum est ecclesiam Byzantinam tum subditam fuisse metropolitae Heracleensi. Cum autem posteriore tempore Socrates historiam ecclesiasticam componeret, episcopi illi qui ante Metrophanem fuerunt aut oblivione obruti erant et solius Metrophanis, qui sub Constantino M. episcopus a metropolita Heracleensi institutus erat, memoria manserat, aut cum Constantinopolis et magnitudo et auctoritas maxime tunc crevisset, eam urbem Constantini M. etiam temporibus Heracleae subditam fuisse rerum scriptores consulto reticuerunt, quare etiam auctoritas Metrophanis ita crevit, ut a prioribus scriptoribus primus Byzantii episcopus, a posterioribus etiam primus patriarcha a Constantino M. institutus appellaretur. Ita auctorem quoque catalogi Dorothei episcopos illos ante Metrophanem fuisse fugit, quare eos in catalogo non affert, nisi forte statuere volumus consulto illos ab eo omissos esse, ut Byzantii priorem obscuritatem dissimularet. Itaque, quod apud hunc episcopi tres supra memorati non exstant, chronici illius narrationem fide dignissimam reddi existimo. Sed iure quodam Metrophanes primus Byzantii episcopus propterea appellari potest, quod ab eo nunc incipit series episcoporum continua et omnes scriptores, qui catalogum omittunt ficticium, praeter Pseudosymeonem illius nomen primum exhibent.

§ 2. De Metrophane, Alexandro, Paulo, Eusebio.

Quibus annis Metrophanes sedem episcopalem obtinuerit, summi momenti est constituere. Quae quaestio cum iam a multis viris doctis tractata sit et alius aliam sententiam protulerit[1]), omnes nunc locos, quibus Metrophanes in veterum scriptorum libris vel commemoratur vel commemorari putatur, hic suggerere et, cum difficultates tolli non possint, nisi Alexandrum quoque et Paulum et Eusebium, Metrophanis successores, spectamus, hos omnes una quaestione complecti necesse est.

1) De hac quaestione dicit Conradus Ianningus (Act. SS. Iun. I. p. 386. 1695): Accidisse, inquit, Metrophani dici potest quod sideribus solet, quae plerumque latent aut dubia tantum luce indicium sui vix praebent. Si haec insolito astrorum concursu lucidiora subinde apparent, astrologorum in se oculos convertunt animosque ad disputandum parant: fitque saepe, ut qui lucem novo ac splendenti sideri sic afferre maiorem nituntur, tenebras potius affundant luci et quae oculis per se clara apparent, animis obscura reddant disputatione sua. — Lepide sane dictum: sed ut tenebras fugaret ne ipsi quidem contigit.

Ac primum quidem in Dorothei opusculo, de quo supra dictum est[1]), Metrophanes ultimus enumeratur episcopus, qui locus, cum eum in breviorem formam redactum plerique catalogorum auctores receperint, hic afferatur[2]): *Μεθ' ὧν Μητροφάνης, ἀδελφὸς Πρόβου καὶ Δομετίου υἱός[3]), ἐπίσκοπος Βυζαντίου καθίσταται δέκα ἔτη προσμείνας τῇ ἱερατείᾳ. Ἐφ' οὗπερ καὶ Κωνσταντῖνος ὁ ἀεισέβαστος ἕνεκεν τῆς πρὸς Λικίνιον παρατάξεως καταλαβὼν τὸ Βυζάντιον καὶ ἀρεσθεὶς τῇ τοῦ ἀνδρὸς σεμνότητι καὶ τὴν τῶν τόπων εὐκοσμίαν ἐννοήσας, τελέως ταῖς εὐχαῖς τοῦ Μητροφάνους ἐγκρατὴς τοῦ κατὰ Λικίνιον πολέμου ἐγένετο καὶ εὐθὺς τὰ τῆς Ῥώμης βασίλεια εἰς τὸ Βυζάντιον μετατίθησιν, τείχεσίν τε αὐτὴν ὀχυρώσας καὶ ὀρόφοις παροχάς τε δαψιλεῖς τοῖς πολίταις χαρισάμενος, κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐπωνυμίαν.* Atque hoc loco omnes catalogi, qui seriem habent commenticiam, Metrophanem exhibent eique decem regiminis annos tribuunt et ubique ei succedit Alexander, huic autem Paulus et Eusebius.

Legimus deinde apud Eusebium, ubi de iis agit, qui concilio Nicaeno interfuerunt[4]): *Αὐτῶν δὲ Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων· τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας, πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν.*

Hic Eusebii locus in actis concilii Nicaeni a Gelasio Cyziceno redactis affertur, ubi tamen haec habentur[5]): *Αὐτὸς δὲ Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου, σὺν πρεσβυτέροις Ῥώμης Βίτωνι καὶ Βικεντίῳ τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. Τῆς τε νῦν βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστώς, Μητροφάνης τοὔνομα, διὰ γῆρας ὑστέρει, πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ τάξιν ἐτέλουν. Ὧν ὁ εἷς Ἀλέξανδρος ἦν, ὁ μετ' αὐτὸν ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς γεγονὼς πόλεως.*

Haec acta se legisse testatur Photius in bibl. codd. 15 et 88, ubi hunc ipsum locum affert. Idem in cod. 256 legisse se librum

1) p. 268. 273 sqq. 2) Chron. pasch. II. p. 134 sq. 3) Frustra quaesivi, num apud illorum et posteriorum temporum scriptores fortasse invenirem, quae Domitium Probi imperatoris fratrem, Probum et Metrophanem filios Domitii exstitisse probarent. Itaque ne his quidem auctoris verbis, quae etiam apud Zonaram (lib. VIII. cap. 3) exstant quibusque ille episcopos cum domo imperatoria coniungere nobilitatemque iis addere studet, fidem habendam esse existimo. 4) de vit. Const. lib. III. cap. 7. 5) Mansi, concil. gen. II. p. 806.

dicit, qui inscriptus fuerit: *Πολιτεία τῶν ἁγίων πατέρων Μητροφάνους καὶ Ἀλεξάνδρου*, et eius argumentum ad verbum fere in bibliothecam transfert. Exstat enim ipse adhuc libellus, qui inscribitur: *τὰ πραχθέντα ἐν Νικαίᾳ* in duobus codicibus Parisinis et editus est a Combefisio in historiae haeresis Monothelitarum p. 574 sqq. De hoc autem opusculo, in quo similia atque apud Gelasium narrantur, infra paulo fusius agemus.

Praeterea hunc Gelasii locum commemorat Nicetas Choniata in Panopliae dogmaticae lib. V. cap. 6, Epiphanius autem scholasticus in historiae tripartitae per Cassiodorum Senatorem in epitomen redactae lib. II. cap. 1. Eusebii locum de Alexandro episcopo Constantinopolitano intellegit.

Eundem locum ex vita Constantini desumpsit Socrates[1]), qui eadem verba exhibet atque Eusebius. Theophanes ad a. m. 5816 affert concilio Nicaeno praefuisse pro episcopo Romano presbyteros duos itemque Alexandrum episcopum Byzantinum propter senectutem presbyteros misisse, qui vices suas explerent, a quo dissentiunt Georgius Cedrenus[2]) et Michael Glycas[3]), qui Metrophanem ipsum cum aliis concilio praefuisse dicunt.

Metrophanis primum annum chronicum paschale ponit in ao. m. 5821, p. Chr. n. 313[4]), et, cum ei decem annos assignet, paulo post ad a. m. 5831, p. Chr. n. 323, Alexandri refertur initium.[5]) Mortem autem Alexandri Socrates affert sub. ao. 340[6]):

1) hist. eccl. I. 8. 2) hist. comp. ed. Bonn. p. 499. 3) ann. ed. Bonn. part. IV. p. 502. 4) chron. pasch. I. p. 522. II. p. 368. 5) Alexandro episcopo Byzantino septem anni h. l. assignantur: paulo inferius sub ao. 330 legitur hoc anno Alexandrum episcopum Alexandrinum mortuum esse a. d. XIV. Kal. Mai., Pharmuthi XXII. et pro eo episcopum Athanasium factum esse. Ad hunc locum Cangius annotat: De mense et die, inquit, quo obiit Alexander, consentit auctor chronici Orientalis additque diem fuisse Lunae: annum vero mortis Christi 332 notat. — Apparet h. l. auctorem chronici paschalis duos Alexandros inter se confudisse: quod autem illi Byzantino septem annos errore dedit, huic Alexandrino mortis annum falso posuit, illius autem mortem afferre omittit. Alexandrum autem Alexandrinum a. d. XIV. Kal. Mai. anni 328 mortuum esse constat. Cf. Larsow, die Festbriefe des heiligen Athanasius, p. 26. Ceterum Larsow in p. 26. annot. 2. simile vitium committit, qui errore captus in politia Metrophanis et Alexandri (Phot. cod. 256), de Alexandro episcopo Alexandrino agi putat. Inde sequitur, ut id occasione oblata commemorem, ex hoc loco Alexandrum Alexandrinum ao. 328 mortuum esse non demonstrari. Ac ne tempus quidem trium annorum et sex mensium, quod illa politia concilio tribuitur, recipere licet sicut facit Larsow. 6) Socr. II. 6. Soz. III. 3. Holzhauseno, qui in

ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον (ἐν ὑπατείᾳ Ἀκινδύνου καὶ Πρόκλου) κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν ἑτέρα ταῖς προτέραις ἐπισυμπλέκεται ταραχὴ ἐξ αἰτίας τοιαύτης· Ἀλέξανδρος ὁ κατὰ τήνδε τὴν πόλιν τῶν ἐκκλησιῶν προεστώς, ὁ τὴν πρὸς Ἄρειον μάχην ἀγωνισάμενος, τὸν ἐνθάδε βίον ἀπέλειπεν, εἴκοσι τρία μὲν ἔτη κατὰ τὴν ἐπισκοπὴν διατρίψας, ἐνενήκοντα καὶ ὀκτὼ δὲ ἔτη τὰ πάντα βιούς. Theophanes primum Metrophanis annum ponit in ao. m. 5799 et Alexandri primum annum in ao. m. 5812, sed quomodo hos numeros sua ipsius computatione invenerit, ipse affert sub ao. m. 5827. Deinde Georgius Cedrenus haec habet[1]): τῷ θ' ἔτει τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου Μητροφάνης ἐπίσκοπος Βυζαντίου δ' γέγονε, a quo dissentit Theodoretus[2]): κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον (quo primum Arii haeresis ab Alexandro Alexandrino damnata est) τῆς μὲν Ῥωμαίων ἐκκλησίας Σίλβεστρος κατεῖχε τὰς ἡνίας . . . τῆς δὲ Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τοῦτον αὐτὸν τὸν καιρὸν Ἀλέξανδρος τῆς ἱερατικῆς ἠξιοῦτο λειτουργίας, ἀποστολικοῖς χαρίσμασιν λαμπρυνόμενος. Idem Theodoretus sequenti capite epistolam affert, quam Alexander Alexandrinus misit ad episcopos de Ario quaeque in plerisque codicibus hanc habet inscriptionem: Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐπιστολὴ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως.

Quae in his testimoniis adeo diversis et inter se non convenientibus de duobus episcopis traduntur, paucis nunc repetamus. Ut igitur quam Theophanes adhibuit computationem omittamus, chronicum paschale primum Metrophanis annum ponit in ao. 313, Alexandri initium in ao. 323, Socrates et Sozomenus Alexandri mortem in ao. 340. Cedrenus Metrophanis primum annum 314 esse dicit, cum Theodoretus Alexandrum episcopum factum esse afferat, cum Arius surgeret. Omnes catalogi Metrophani decem et Alexandro viginti tres annos assignant praeter chronographium compendiarium, quod tredecim annos ei tribuit. Omnes etiam catalogi Metrophanem primum fuisse qui patriarcha appellaretur

commentatione de fontibus Socratis Sozomeni Theodoreti (Gott. 1825) Socratem et Sozomenum alterum alterius opus neque novisse neque ex eo hausisse probare conatur, assentiri non possum, sed Valesium (praef. ed. Socr. et Soz.) et Güldenpenningum (die Quellen zur Geschichte des Kaisers Theodosius des Grossen. diss. inaug. Halle 1878. p. 21—32) secutus Sozomenum ex Socrate multa hausisse existimo. Itaque ubi illi consentiunt, in textu semper Socratem solum commemorabo, in annotatione autem locos et Socratis et Sozomeni afferam.

1) hist. comp. I. p. 477. 2) hist. eccl. I. 3.

consentiunt: praeterea duo catalogi eum sub Constantino M. patriarcham factum esse[1]), duo autem eum primo concilio interfuisse[2]), quattuor denique sub eo Constantinum M. propter bellum contra Licinium gestum Constantinopolim venisse narrant.[3]) Secundum Cedrenum, Glycam Metrophanes ipse in concilio Nicaeno fuit, secundum Gelasium Cyzicenum vicarium in concilio habuit Alexandrum, cui assentitur politia patrum Metrophanis et Alexandri, quae eadem illum centum septendecim annos natum post concilium mortuum esse dicit. Theophanis autem testimonio Alexander ipse presbyteros habuit vicarios. Utrum in Eusebii loco de Silvestro an de Metrophane dicatur, et apud veteres et apud recentes variae proferuntur sententiae: veterum locos, qui de episcopo Byzantino verba putarunt intellegenda esse, modo attulimus. Metrophanem silentio praetermittunt et Eusebii locum episcopo tribuendum esse Romano Sozomenus et Theodoretus existimant.[4])

Quantum igitur veterum testimonia de primis Constantinopolis episcopis inter se dissentiant, satis vidimus. Neque vero minus quam veterum loci recentiorum etiam virorum doctorum opiniones sibi obsistunt. Cardo autem totius dissensionis vertitur in quaestione, utrum Metrophanes tum, cum concilium Nicaenum habitum est, fuerit in vivis necne.

Ac Baronius in Annalibus ecclesiasticis[5]) ad annum 314 Cedreni locum affert Metrophanemque sedisse annos tantummodo tres existimat, quam pluribus probat sententiam ad annum 317. Hoc anno, cum Metrophanes sedisset annos tres, senio confectum Alexandrum sibi substituendum eum curavisse dicit, qui Sozomeno teste annos viginti tres sederit. Itaque eludi eos, qui Metrophanem ecclesiae praefuisse tradant annos decem et quae de eo ferantur incerto auctore ex quadam oratione de Nicaeno concilio, ubi habeatur Metrophanem post illud concilium coram patribus, qui eidem interfuissent, egisse de subrogatione Alexandri. Nam si constet Alexandrum sedisse annis viginti tribus atque decessisse eodem teste Sozomeno eo anno, quo Constantinus iunior, filius Constantini M., necatus esset, ao. videlicet 340, necesse esse affir-

1) Leunclav.; Phil. Cypr. 2) Nic. Call.; Cig. 3) Nic. tract.; Vindob. AB.; Nic. Call. 4) Soz. I. 17: *Ἰούλιος δέ* (errore hic positus est pro Silvestro) ὁ *Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, διὰ γῆρας ἀπελιμπάνετο· παρῆσαν δὲ ἀντ' αὐτοῦ Βίτως καὶ Βικέντιος, πρεσβύτεροι τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας.* — Theodoret. I. 7: *ὁ δὲ τῆς Ῥώμης διὰ γῆρας ἀπελείφθη βαθύ, δύο μέντοι πρεσβυτέρους ἀπέστειλε, συνθέσθαι τοῖς πραττομένοις παρεγγυήσας.* 5) tom. III. p. 157 sqq.

mare ao. 317 Alexandrum loco Metrophanis sedem Byzantinam capessivisse.

Deinde Henricus Valesius in annot. in lib. III. Euseb. de vit. Const.[1]) ad verba *τῆς δὲ βασιλευούσης πόλεως* affert Gelasium et Epiphanium scholasticum his verbis episcopum urbis Constantinopolitanae designari credidisse. Quam explicationem ferri non posse: nondum enim dedicatam fuisse Constantinopolim nec regiae urbis vocabulo decoratam, cum synodus in urbe Nicaea congregata esset. Itaque haec Eusebii verba de episcopo urbis Romae necessario intellegenda esse dicit, quod confirmetur per Sozomenum et Theodoretum.

Huius explicationem refutare conatur Petrus de Marca[2]), cui Eusebii locus mutilus videtur esse: proclivum esse errorem ex amanuensium incuria, qui unum aut alterum versum exscribendum omiserint. Eusebii autem verba de Metrophane propterea intellegenda esse dicit, quod Silvester Romanus superstes fuerit concilio Nicaeno, Metrophanes vero morbo et aetate fessus statim post concilium obierit, in cuius locum suffectus sit Alexander.

Huius viri sententiam confirmare studet Baluzius in annotatione cap. 3. subiuncta. Atque contra Valesium affert libros illos de vita Constantini Eusebium non scripsisse nisi post huius imperatoris mortem adeoque diu post dedicatam Constantinopolim, quae ideo post Constantini obitum urbis regiae vocabulo decorari potuerit habita ratione non ipsius rei sed temporis, quo ista scripserit Eusebius. Neque enim Eusebium simpliciter loqui de urbe regia, sed de urbe, quae tunc regnaverit, *βασιλευούσης*, quam infra in lib. IV. cap. 69 *βασιλίδα πόλιν* duobus locis vocet. Propterea erratum esse a librario apud Socratem in nota numeri, ut saepe contingat, proque *εἴκοσι τρία* legendum esse *τρισκαίδεκα*. Nam cuius magni boni gratia fingi potuisse totam illam narrationem, quae exstaret apud Gelasium et auctorem politiae de summa senectute et de morte Metrophanis, si vera non esset? Agit etiam de titulo epistolae illius a Theodoreto allatae eumque deesse dicit in duobus codicibus mss. bibliothecae Regiae et in editione Graeca Roberti Stephani, editionem vero Latinam Basileae emissam ao. 1611 haec tantum in titulo habere: Epistola missa ab episcopo Alexandrino ad suum cognominem. Hunc autem Alexandrum episcopum Thessalonicensem fuisse putat. Haec Baluzius: sed quis non miratur viri docti fidei Romanae addicti sim-

1) p. 221. 2) de concordia sacerdotii et imperii, l. V. c. 8.

plicitatem, qui nimis in his rebus fidit Byzantinis neque causam sibi fingere potest, cur illi in Metrophanis vitae annis constituendis fraudem commiserint?

Similiter Conradus Ianningus, cum in tractatu de vita Metrophanis[1]) Gelasii auctoritatem tum quod saeculo tantum uno post Eusebium vixerit tum quod historiam tantum concilii ex instituto tractet, maximam esse putet, Eusebii locum de Metrophane intellegendum esse probare conatur. Existimat igitur Metrophanem superfuisse concilio Nicaeno et mortuum esse mense Septembri vel Octobri anni 325 aut prid. Id. Iun. anni 326. Cum autem cum Socrate Alexandri mortem ponat in ao. 340, eidem assignat annos regiminis quattuordecim excogitatis omnimodis errorum generibus, quibus numerum viginti trium annorum traditum subvertere studet. Huic assentitur Guilelmus Cuperus in historia chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ab inchoato saeculo IV. usque ad initium decimi octavi.[2])

Petrum de Marca et Baluzium sequitur etiam Pagius in Critica historicochronologica in ann. eccles. Baronii ad annum 317: concludit ergo Metrophanem tempore concilii Nicaeni in vivis adhuc fuisse. Quodsi annos decem sederit, ut Nicephorus in chronico et Theophanes habeant, vix ante annum 317 episcopum Byzantinum eum renuntiatum esse dicit.

Horum virorum ratiocinationem evertere studet Abbas de Longuerue, cuius sententia affertur apud Bandurium.[3]) In dubium enim vocat Gelasii Cyziceni et — id quod ante eum Baronium fecisse vidimus — librum, qui inscribitur: *τὰ πραχθέντα ἐν Νικαίᾳ*, sive excerpta politiae Photianae et laudat locos Sozomeni et Theodoreti. Ex huius autem locis illos omittere lib. I. cap. 3, ubi episcopi illi aequales enumerentur. Bandurius praeterea addit, quod iam antea animadvertit Valesius[4]), Eusebium in vita Constantini Romam veterem passim appellare *πόλιν βασιλεύουσαν* velut in lib. I. capp. 26. 33. 39. 40.

Cum his consentit etiam Lequien[5]), qui acta illa et politiam a Gelasio vel ab altero nugatore conficta esse et Metrophanem diu ante concilium Nicaenum fatis concessisse existimat Alexandrique initium ponit in ao. 316 vel 317.

Sed nostris temporibus Clinton in fastis Romanis[6]) sequitur Gelasium et Pagium.

1) Act. SS. Iun. I. 1695. p. 384—395. 2) Act. SS. Aug. I. 1733. p. 12—14. 3) Imp. Or. II. p. 621 V. 889 P. 4) In annot. in Euseb. vit. Const. lib. IV. p. 231. 5) Orient. christ. I. p. 207. 6) II. p. 558.

Nunc si ipsi transimus ad quaestionem, de qua tam multi viri docti disputaverunt, absolvendam, rationem, qua nobis utendum sit, per catalogum Dorotheo attributum et a multis scriptoribus repetitum suppeditari nobis existimo. Cum enim episcopi Romani Byzantinorum conatum, qui postquam Byzantium urbs a Constantino M. Nova Roma appellari coepta est secundum in ecclesia locum sibi vindicabant, repellere studerent, Byzantini ipsi, ut ecclesiae suae dignitatem augerent, Romanos imitati ne mendaciis quidem abhorruerunt. Ac postquam iam tertio canone concilii Constantinopolitani ao. 381 habiti episcopo Novae Romae *τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον* data sunt[1]), vehementissime haec discordia inter utrosque eo tempore exarsit, cum Leo Romae Constantinopoli Anatolius sedem patriarchalem obtinuit et canone XXVIII. concilii Chalcedonensis II. ao. 451 habiti sedi Constantinopolitanae illa iura confirmata sunt.[2]) Ut vero ipsorum sedem Byzantini per fraudem faciant apostolicam, locus invitare etiam videtur in Leonis papae epistola ad Marcianum imperatorem scripta, ubi de Anatolio dicit[3]): Habeat, inquit, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam ac protegente dextera Dei diuturno clementiae vestrae fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum saecularium alia divinarum nec praeter illam petram, quam dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit praedicto, quod vestrae pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantae urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem: nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri.

Quo statu ecclesia Byzantina primis tribus p. Chr. n. saeculis et initio quarti fuerit, inde apparere existimo, quod nusquam apud horum temporum scriptores episcopi Byzantini commemorantur, praeterquam quod Pseudosymeo Logotheta tres episcopos ante Metrophanem affert. Sed cum hi tres etiam tanta oblivione obruti sint, ut neque apud alios scriptores, qui Metrophanem primum afferunt episcopum, neque in catalogo conficto commemorentur, episcoporum auctoritatem magnam fuisse non verisimile est. Atque acta si evolvimus concilii Nicaeni genuina[4]), in episcopis, qui canonibus subscripserunt, Osius et Victor Vincentiusque presby-

1) Mansi III. p. 560. 2) Cf. Lequien. Or. christ. I. p. 30 sqq. 3) Leon. pap. epist. Lovanii 1566. ep. 54. p. 73. 4) Mansi II. p. 692 sqq.

teri inveniuntur, nusquam autem episcopus Byzantinus, sed solus Paederos[1]) quidam episcopus Heracleensis, cui urbi ecclesia Byzantina erat subdita. Certe autem, cum in subscriptionibus nomina exstent episcoporum ex oppidis valde remotis et obscurioribus quam Byzantium tum erat, episcopus Byzantinus subscripsisset, si id ei per episcopum Heracleensem licuisset. Sed dixerit quispiam, cum non omnium episcoporum qui concilio interfuerint nomina inveniantur, inde sequi nonnullos eorum decessisse, antequam canonibus subscriberent, et inter eos episcopum Byzantinum fuisse. Sed hoc mihi propterea non verisimile videtur, quod Byzantium prope Nicaeam situm est et illius urbis episcopo, etiam si abfuit, facillime subscribendi causa Nicaeam proficisci licuit. Praeterea cum Sozomenus et Theodoretus locum Eusebii de Romano episcopo interpretati sint neque episcopum Byzantinum concilio Nicaeno interfuisse commemorent, nullo modo videtur dubium esse, quin concilii temporibus ecclesia Byzantina nulla floruerit auctoritate eiusque episcopus concilio non interfuerit, sed eius vices ab episcopo Heracleensi suppletae sint. Eusebii igitur et Socratis locos de Romano episcopo interpretandos esse eosque qui aliter sentiant vel mentiri vel errare existimo. Neque id mihi dubium videtur, quin, cum principatus contentio multum crevisset, Gelasius, ut Byzantium iam concilii Nicaeni temporibus auctoritatem in rebus ecclesiasticis habuisse probaret, in actis concilii suis consulto Eusebii locum falso intellexerit et interpolaverit[2]) eiusque dolo complures ex sequentibus scriptoribus vel gnari fraudis vel ignari subvenerint, velut politia Metrophanis et Alexandri, quae auget illius mendacia, quorum genus ut intellegatur, locum unum afferre mihi liceat, quo res post concilium Constantinopoli gestae narrantur[3]): *Τελεσθείσης οὖν τῆς ἁγίας συνόδου στὰς ὁ βασιλεὺς μέσος τοῦ χοροῦ τῶν ἀρχιερέων ᾔτει χάριν αὐτῷ μίαν*

1) Aliae formae quae inveniuntur sunt Pedorus, Prederus, Phaedrius. Nomen huius viri, cum posteros significatione offenderet, consulto videtur mutatum esse. 2) Natalis Alexander in selectorum hist. eccl. capitum saec. IV. part. II. dissert. XIII. p. 125—128 (Paris. 1679) Gelasii Cyziceni auctoritatem, cum in epocha concilii Nicaeni uti in multis aliis allucinatus sit, levissimi ponderis esse nisi cum aliis consentiat auctoribus dicit et exempla affert huius iudicii, quod, quamvis Gelasium defendant, qui eum sequuntur, rectum esse existimo. 3) Huius politiae fidem iam Baronium, Valesium, Lequienum in dubium revocasse supra vidimus. Photius autem ipse in fine opusculi mendaciorum culpam a se repellit: *εἰ δέ τινα παρὰ τοὺς ἄλλους ἱστορεῖ τοῦτο διαίτης καὶ κρίσεως ἄλλης ἀλλ' οὐκ ἐκλογῆς οὐδὲ συντομίας.*

παρ' αὐτῶν δοθῆναι· οἱ δὲ προθύμως κατένευον. Ἡ δὲ χάρις συνεισελθεῖν αὐτῷ ἐν τῇ πόλει, ἐφ' ᾧ θεάσασθαί τε τὸν ἀρχιερέα, ὃν πατέρα ὁ βασιλεὺς ἑαυτοῦ ἀνωμολόγει καὶ ὥστε τῇ πόλει, ἣν αὐτὸς ἀνέστησε, διὰ τῆς αὐτῶν παρουσίας καὶ εὐχῆς τὸ τοῦ κτίσαντος ὄνομα ἐγκαινισθῆναι. Ἐπισκεπτομένων δὲ τῶν ἀρχιερέων τὸν διορατικώτατον Μητροφάνην ἡμέρας κυριακῆς ἐνισταμένης καὶ τοῦ βασιλέως συμπαρόντος ἄλλοι τέ τινες προῆλθον λόγοι καί· Ὁρῶ σε, φησὶν ὑπολαβὼν ὁ βασιλεύς, ὦ πατέρων ἐμοὶ τιμιώτατε, καὶ γήρᾳ καὶ νόσῳ κάμνοντα καὶ δυσωπῶ ἀνειπεῖν καὶ ἀναδεῖξαι ἡμῖν τὸν μετὰ σὲ τοῦ ποιμνίου ἡγησόμενον. Ὁ δὲ πρὸς τὸν βασιλέα ἐνθυμοῦντι προσώπῳ· Πέπεισμαι, φησίν, ἐν κυρίῳ, ὅτι νῦν τὸ πανάγιον πνεῦμα διὰ γλώσσης, ὦ τέκνον, εἶπε τῆς σῆς. Φροντίζοντι γάρ μοι περὶ τούτου ἐφανέρωσεν ὁ κύριος πρὸ τῶν ἑπτὰ τούτων ἡμερῶν καὶ ὅτι μετὰ δεκάτην ἡμέραν μεταλλάξω τὸν βίον καὶ ὃς τὸ ἱερὸν ἀξίωμα ἀναδέξοιτο, καὶ ἔστιν οὗτος ὁ συμπρεσβύτερός μου Ἀλέξανδρος, ἄξιος ὡς ἀληθῶς τῆς ἐκλογῆς ὑπάρχων καὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος προρρήσεως. Sequitur deinde vaticinatio ad Alexandrum Alexandriae episcopum. Quodsi auctor opusculi addit: *Γίνεται οὖν ὡς προέφη καὶ ἐνετείλατο ἅπαντα: ἐτῶν δὲ ἀνεπαύσατο ἑπτακαίδεκα καὶ ἑκατὸν Ἰουνίου μηνὸς τετάρτην ἄγοντος*, quae huic testimonio fides sit habenda luce clarius apparet. Tamen id unum credere nos posse existimo Metrophanem prid. Non. Iun. mortuum esse.[1]) Nam de mortis tempore auctor politiae a se ipse dissentit, cum Metrophanem post concilium mortuum, concilium autem Septembri mense finitum esse eundemque Metrophanem prid. Non. Iun. obiisse dicat, destitutus videlicet bona memoria, qua secundum proverbium nostrum mendaci utendum est. Quomodo autem in diem quartum Iunii mensis auctor inciderit, nisi eo die revera Metrophanem mortuum esse statuimus, vix intellegi potest.

Ceterum cum Gelasius ca. annum 476 clareret[2]), illo tempore sed post Gelasii acta et politiam patrum et Dorothei catalogum composita esse suspicari licet. Nam cum Gelasio, qui Metrophanem tempore concilii adhuc vixisse affert, politia patrum consentit, quae post concilium eum mortuum esse dicit. Atque si in Gelasii acta

1) Hoc die etiam Metrophanis memoria in ecclesia Graeca celebratur. Cf. Menologium ap. Migne, Patrol. graec. tom. CXVII. p. 487, cuius vita Metrophanis ex hac politia videtur hausta esse, et Menaea, ubi eadem vita invenitur. 2) Cf. Guil. Cavei script. eccles. hist. litt. I. p. 259.

et politiam accuratius inquisiverimus, huius priorem partem ex illis excerptam esse inveniemus.[1]) Ac nonnumquam ad verbum paene consentiunt, plerumque autem politia breviorem eiusdem rei narrationem exhibet. Quod ut facilius perspiciatur, tabellam locorum ex politia et Gelasio allatorum subiungam:

Politia patrum. Phot. ed. Bekk.		Acta Gelasii. Mansi tom. II.
p. 470 a 6—13	=	p. 768 AB
a 13—22	=	p. 769 C. 771 C.
a 22—34	=	p. 772 D—773 A.
a 34—43	=	p. 784 CD.
a 43—b 10	=	p. 788 C—E.
b 11—22	=	p. 792 B—793 A.
b 23—33	=	p. 793 C—E.
b 33—471 a 1	=	p. 802 B—805 B
p. 471 a 1—5	=	p. 805 C.
a 5—8	=	p. 808 C.
a 10—23	=	p. 805 C—808 B.
a 24—b 7	=	p. 821 A—824 B.
b 8—20	=	p. 817 CD.
b 20—31	=	p. 928 D—929 C.
b 42—472 a 4	=	p. 805 C. 928 B.

Initium autem opusculi auctor aliunde sumpsit et locum supra allatum de suo addidit. Atque ex uno loco optime intellegitur, quomodo auctor fontis sui fraudem receperit adeoque auxerit. Legimus enim apud Gelasium in p. 805 C et p. 928 B Constantinum concilium convocasse regni sui *ἔτει ἑκκαιδεκάτῳ καὶ μηὸὶν* ΈΞ patresque dimisisse anno regni vicesimo. Cum haec Gelasius *κατὰ τὰ παλαιὰ διηγήματα* attulisse se testetur, auctor politiae ea reicere noluit et tempus concilii accurate definiit a die 15. Aprilis mensis anni 325 usque ad Septembrem mensem anni 328. Etsi autem annos non numerat, tamen annos 325—328 eum spectare statuere licebit. Nam cum Gelasio concilium ante annum 325 ponenti eum non consentire, sed verum concilii initium spectare ex eo concludere possumus, quod illius notam de annis Constantini omittit. Quod autem dicit Alexandrum sapientem in actis concilii hoc modo tempora notasse, hoc fide non dignum esse Alexandrique

1) Hoc iam animadvertit Conradus Ianningus in Act. SS. Iun. I. p. 885. 1695.

nomine ea, quae ex Gelasii actis attulit, eum dissimulare et quae ipse addidit sancire voluisse existimo[1]).

Cum nota autem chronologica huius politiae optime consentit chronologia in catalogo Dorothei observata. Post mortem enim Christi Andreas apostolus Byzantium profectus ἐπὶ διέτη χρόνον[2]) habitavit in ea Thraciae parte, quae Byzantio adiacet, stadio circiter uno ab Argyropoli, deinde altari Argyropoli Christo erecto et Stachy episcopo instituto Sinopen transgressus est. Quodsi, cum Christi mors a plerisque inde ab Eusebio ponatur in ao. mundi 5533, Andream Argyropolim venisse ao. m. 5534 statuimus, ibi secundum Dorotheum moratus est usque ad annum 5536. Cum autem episcopi inde a Stachy ad Probum usque sederint per 290 annos[3]), Metrophanis initium ponendum est in ao. m. 5826, qui est annus p. Chr. n. 318. Deinde cum secundum politiam patrum concilium Nicaenum haberi coeptum sit a. d. XVII. Kal. Mai. anni 325 et finitum mense Septembri anni p. Chr. n. 328, mundi 5836, cum praeterea Metrophanes moriatur statim post concilium, si Metrophani, ut habent catalogi, decem annos assignamus, in eundem annum 318 (5836) pervenimus. Hi trecenti autem anni spatium temporis inde a Stachy usque ad Metrophanem complectentes numerus sunt cyclicus. Itaque ne decem quidem Metrophanis anni, quos ex Dorothei catalogo omnes catalogi et chronicum paschale receperunt, pro vero numero putandi sunt.

De tempore autem, quo Dorothei catalogus confectus est, haec fortasse statui possunt. Cum catalogi chronologia consentiat cum

1) Ex Gelasii actis auctor politiae hausit usque ad p. 472 a 4, deinde a p. 472 b 8 Socratem secutus est. Posterioris etiam partis narratiunculas cum Socratis locis hic componamus:

Politia patrum. Phot. ed. Bekk.		Socratis histor. eccles. ed. Vales.
p. 472 b 8—473 a 3	=	I. 25—27.
a 3—12	=	I. 38. init.
a 13—29	=	I. 29. 40. II. 2.
a 29—474 a 10	=	I. 37. 38.
a 11—14	=	II. 6.

Animadvertendum etiam est ab auctore orthodoxo, ne Constantino M., quem summis laudibus effert, probro quid dare cogatur, Arii mortem poni sub Constantio τῷ ἀνδρακόδῳ. Hoc opusculum Zonaram etiam novisse et ex eo historiunculam de morte Arii hausisse suspicatus sim. Solus enim is cum politiae auctore mortem Arii ponit sub Constantio (Zon. l. XIII. C. 11). 2) Chron. pasch. II. p. 180. 3) Haec annorum summa ex iis numeris efficitur, qui in catalogo sunt Dorothei, secundum quem numeri ceterorum catalogorum, ubi dissentiunt, corrigendi sunt.

annis politiae, eam autem ex Gelasio desumptam esse vidimus, ante annum 476, quo Gelasius claruit, catalogum compositum esse

Catalogus Dorothei.

Nomina.	Nic.	Nic. tract.	Vindob. A.	Vindob. B.	Nic. Call.	Leuncl.	Matth. Cigala.	Phil. Cypr.	cod. Clarom.	num. recti chron. pasch. II. p. 120.
1. Andreas	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
2. Stachys	16	16	16	16	16	16	16	16	6	16
3. Onesimus	14	14	14	14	14	14	14	14	13	14
4. Polycarpus I.	18	18	18	18	18	18	18	18	18	18
5. Plutarchus	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16
6. Sedecion	9	9	9	9	9	9	19	9	9	9
7. Diogenes	15	15	15	15	15	15	15	15	15	15
8. Eleutherius	7	7	17	17	7	7	7	7	7	7
9. Felix	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5
10. Polycarpus II.	17	17	17	17	3	—	17	17	17	17
11. Athenodorus	4	4	4	4	—	4	4	4	4	4
12. Euzoius	6	16	6	6	6	16	16	16	6	6
13. Laurentius	11, 6	11, 6	11, 6	11, 6	—	11, 6	11, 6	11, 6	11	11, 6
14. Alypius	3, 6	13, 6	13, 6	13	13, 6	13, 6	13, 6	13, 6	13	13, 6
15. Pertinax	19	19	19	19	19	19	19	19	14	19
16. Olympianus	11	11	11	11	—	11	11	11	14	11
17. Marcus	13	13	13	13	—	13	13	13	13	13
18. Cyrillianus	16	16	16	16	—	16	16	16	15	16
19. Castinus	7	7	7	7	—	7	7	7	7	7
20. Titus	30, 6	35, 6	35, 6	36	35, 6	35, 6	35, 6	35, 6	35	35, 6
21. Domitius	24, 6	24, 6	24, 6	24	24, 6	24, 6	24, 6	24, 6	24	24, 6
22. Probus	12	12	12	12	12	12	12	—	12	12
23. Metrophanes	10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
										Sa. 298 a. 24 m. = anni 300.

4—9. Ap. Matth. Cig. hoc ordine: *Πλούταρχος Διογένης Φῆλιξ Πολύκαρπος Σεδεκίων Ἐλευθέριος*. 9. *Φίλης* Nic. Vindob. A. B. Clarom. *Φῆλιξ* Nic. tract. Nic. Call. Cigal. chron. pasch. 10. *Ἀθηνογένης* ap. Cig. Phil. Cypr. *Πολύκαρπος* deest ap. Leuncl. 11. *Πολύκαρπος* ap. Cig. Phil. Cypr. *Ἀθηνογένης* ap. Leuncl. 13. numerus deest. ap. Nic. Call. 14. *Ὀλύμπιος* Nic. 15. *Περτήναξ* Phil. Cypr. 16. *Ἀλυπιανός* Clarom. — numerus deest ap. Nic. Call. 17. numer. deest ap. Nic. Call. 18. *Κυριακός* Nic. tract. Leuncl. Cig. Cypr. — numer. deest ap. Nic. Call. 19. *Κηστῆνος* Phil. Cypr. — numer. deest. ap. Nic. Call. 20. *Τράτος* Leuncl. *Τάρατος ὁ καὶ Τίτος* Cig. *Τάρατος ὁ Κιτήτης* Phil. Cypr. 21. *Δομετιανός* Leuncl. Cig. 22. numer. deest ap. Phil. Cypr.

non verisimile est. Cum idem anno 525, quo Ioannes papa Romanus Constantinopolim venit, quod compluribus locis traditur[1]), iam compositus esset, intra annos 476 et 525 eum ortum esse sequitur.

Quin igitur Gelasius locum Eusebii falso interpretatus sit, non dubitandum est idemque in actis suis Alexandri nomen intrusit inter nomina aliorum, quos fidei Nicaenae subscripsisse et concilii constituta ad omnes ecclesias misisse affert[2]): *Ἀλέξανδρος Κωνσταντινουπόλεως, τότε πρεσβύτερος ἔτι ὤν, εἰς ὕστερον δὲ καὶ τῆς ἐπισκοπικῆς ἱερατείας τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας λαχὼν σὺν Παύλῳ ἔτι τότε ἀναγνώστῃ ὄντι καὶ νοταρίῳ αὐτοῦ, ταῖς ἐν ταῖς νήσοις πάσαις Κυκλάσιν.*

Ex his quae dicta sunt compluria testimonia de Metrophane et Alexandro a scriptoribus allata nullam fidem mereri et reicienda esse intellegimus. Sed antequam ad eos locos de Metrophane allatos qui fide digni videntur esse tractandos transeamus, constituatur necesse est, quo anno Alexander mortuus sit, quo invento, cum ubique in catalogis et historiis ecclesiasticis ei viginti tres anni tribuantur, quando Metrophanes mortuus sit, concludere facile possumus. Ac Socrates, qui in rebus chronologicis diligens existimatur[3]), mortem Alexandri ponere in consulatu Acindyni et Procli, ao. p. Chr. n. 340, supra vidimus[4]) eiusque testimonio fides habita est, dum id Valesius in suspicionem revocavit in observat. eccles. in Socratem et Sozomenum horum editioni adnexarum lib. II.

Ac Valesius cum Alexandrum anno 331 mortuum esse et Paulum iam Constantino M. regnante episcopum fuisse evincere studeat, primum affert locum ex epistola synodica Orientalium apud Sardicam episcoporum, quam refert Hilarius, Pictavorum episcopus, in fragmentis libri de synodis[5]), deinde alium locum ex Athanasii ad solitarios epistola[6]), quibuscum etiam consentiant Philostorgius in lib. II. capp. 9. 10. et Theodoretus in hist. eccles. lib. I. cap. 19.[7]) Sed quod apud scriptores Arium in concilio Tyrio ao. 335 habito in communionem ecclesiae receptum et deinde Alexandro

1) Cf. Gelzer, de Dorotheo. 2) Mansi II. p. 881. 929. 3) Cf. Vales. praef. ad ed. Socr. ac Theod. 4) p. 299 sq. 5) Hilar. op. ed. Paris. 1652. p. 471 sqq. Mansi tom. III. p. 126 sqq. 6) Athan. op. ed. ord. S. Benedicti e congreg. S. Mauri. Paris. 1698. tom. I. p. 347. cap. 7. 7) Theophanem, qui ad annum 5827 haec habet: *ταῦτα τῷ τριακοστῷ πρώτῳ ἔτει γέγονε τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τοῦ θείου Ἀλεξάνδρου ἐπισκοποῦντος τὴν Κωνσταντινούπολιν καὶ οὐχ ὥς φησιν Εὐσέβιος μόνος, ὅτι ὁ Νικομηδείας Εὐσέβιος, ὅτε εἰς τὰ ἐγκαίνια τὰ κατὰ Ἀθανασίου ἐσκεύαζεν, τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἐπεῖχεν*, memoria lapsum esse et Eusebium pro Theodoreto posuisse recte Valesius annotat.

adhuc vivente Constantinopoli mortuum esse traditum est, eius mortem diu ante concilium illud incidisse probare conatur.

Huius argumenta evertere et cum Socratis auctoritate priorem chronologiam restituere studet Pagius, qui sub. ao. 340. num. X. ea, quae in epistola illa synodica plena Arianorum adversus orthodoxos calumniis insunt, merito in suspicionem revocat Ariumque in concilio Tyrio revera receptum et postea Constantinopoli mortuum esse demonstrat, ex quo Alexandrum nullo modo ante concilium illud mortem obisse sequitur. Sed ut iam videamus, quid de eo, quod Valesius eum Constantino M. adhuc regnante mortuum esse dicit, existimandum sit, Athanasii locum afferre liceat. Verba autem eius haec sunt[1]: *Περὶ δὲ Παύλου τοῦ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπου νομίζω μηδένα ἀγνοεῖν· ὅσῳ γὰρ ἐπιφανὴς ἡ πόλις, τοσούτῳ καὶ τὸ γενόμενον οὐ κέκρυπται. Καὶ κατὰ τούτου τοίνυν πρόφασις ἐπλάσθη. Καὶ γὰρ ὁ κατηγορήσας αὐτοῦ Μακεδόνιος, ὁ νῦν ἐπίσκοπος ἀντ' αὐτοῦ γενόμενος, παρόντων ἡμῶν κατὰ τὴν κατηγορίαν, κεκοινώνηκεν αὐτῷ καὶ πρεσβύτερος ἦν ὑπ' αὐτὸν τὸν Παῦλον· καὶ ὅμως ἐπειδὴ Εὐσέβιος ἐπ' ὀφθαλμίᾳ θέλων ἁρπάσαι τὴν ἐπισκοπὴν τῆς πόλεως — οὕτω γὰρ καὶ ἀπὸ Βηρυτοῦ εἰς τὴν Νικομήδειαν μετῆλθεν — ἔμεινεν ἡ πρόφασις κατὰ Παύλου καὶ οὐκ ἠμέλησαν τῆς ἐπιβουλῆς, ἀλλ' ἔμειναν διαβάλλοντες. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον εἰς τὸν Πόντον ἐξωρίσθη παρὰ Κωνσταντίνου, τὸ δὲ δεύτερον παρὰ Κωνσταντίου δεθεὶς ἁλύσεσι σιδηραῖς εἰς Σίγγαρα τῆς Μεσοποταμίας ἐξωρίσθη καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὴν Ἔμισαν μετηνέχθη καὶ τὸ τέταρτον εἰς Κουκουσὸν τῆς Καππαδοκίας περὶ τὰ ἔρημα τοῦ Ταύρου, ἔνθα καί, ὡς οἱ συνόντες ἀπήγγειλαν, ἀποπνιγεὶς παρ' αὐτῶν ἐτελεύτησεν.* Ex hoc loco manifeste colligi Valesius dicit Paulum iam tum episcopum fuisse, cum a Macedonio impulsu Eusebii Nicomedensis accusaretur. Id autem factum esse regnante adhuc Constantino M., ao. videlicet 336, ipsum Athanasium docere, cum se tum praesentem fuisse dicat Constantinopoli. Atqui Athanasium nisi post concilium Tyrium, cum factione inimicorum tunc opprimi se vidisset, non venisse Constantinopolim. Praeterea Athanasium diserte scribere Macedonium Pauli accusatorem eo ipso tempore cum Paulo communicasse et sub eo fuisse presbyterum. Ex quo sequi Paulum tum fuisse episcopum.

Valesium refutare studet Pagius sub. ao. 340. num. XI. XII. et Athanasii locum ita interpretatur: Athanasium h. l. omnes Pauli persecutiones enumerare dicit sive quas ante episcopatum sive quas

1) Ath. ep. ad. sol. c. 7. I. p. 347.

post eum adeptum passus sit, et afferre a Constantino M. eum, cum adhuc presbyter esset, in Pontum relegatum esse, post concilium nempe Antiochenum ca. annum 328 habitum, quo tempore Eustathius episcopus Antiochenus multique cum eo presbyteri in exilium missi essent, ut paulo ante scripserit Athanasius his verbis[1]): *Καὶ εὐθὺς ἐξόριστος (Εὐστάθιος) αὐτός τε γίγνεται καὶ πολὺς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἀριθμός.* Inter hos presbyteros Paulum fuisse ex sequentibus Athanasii verbis manifestum fieri. Ceterum etsi Athanasium ao. 335 post concilium Tyrium Constantinopolim venisse verum sit, tamen Valesium, si illum nunquam deinceps in eam urbem profectum esse dicat, ex silentio Athanasii concludere. Ex laudato autem Athanasii loco intellegi eum ao. 340 post Alexandri mortem, cum seditio vehemens inter Arianos et Homousianos exorta esset, Constantinopolim venisse intentum ecclesiae ab Arianis defendendae eoque praesente Paulum iam ordinatum a Macedonio accusatum esse. Cum Athanasius ao. 341 Romam navigaverit et initio anni 342. Paulus a sede Constantinopolitana deiectus sit Athanasio in occidente agente, factum illud esse 340. Cum interim ab Eusebio Nicomedensi Paulus sede pulsus esset, Alexandrinos hac re audita concilium celebravisse et egregiam illam epistolam synodicam scripsisse, in qua cum dicant Eusebianos veritos non esse Athanasium apud tres imperatores calumniari, satis eos indicare Constantini iunioris caedem hoc anno patratam se ignorasse, cum eam synodicam componerent. Haec fere affert Pagius, ut Socratis tueatur auctoritatem.

Atque illorum temporum chronologiam Socratis imprimis auctoritate nitentem post Valesium emendare studuit Mansius in commentatione tomo III. concil. general. inserta[2]), in qua concilium Sardicense secundum Socratem ao. 347 celebratum[3]) ao. 344 habitum esse probavit ex anonymi cuiusdam historia acephala, quam ao. 1738 Scipio Maffeius ediderat.[4]) Contra eum scripsit prioremque chronologiam defendit Mamachius.[5]) Inde factum est, ut in libris ecclesiasticis viri docti recentiorum temporum alii Mansium alii Socratem sequerentur, nonnulli etiam iudicium ferre veriti concilium Sardicense alii aut ao. 344 aut 347, alii temporis spatio inde ab ao. 344 usque ad 347 ascriberent. Deinde hanc quae-

1) Ath. hist. Arian. ad mon. cap. 4. I. p. 346. 2) p. 87 sqq. 3) Socr. II. 20. 4) Osservazioni letterarie. Veron. 1738. tom. III. p. 60 sqq. 5) Mamachii ad Mansium de ratione temporum Athanasianorum deque aliquot synodis IV. saeculo celebratis epistolae IV Romae 1748.

stionem tractavit Henricus Iosephus Wetzer[1]), qui Mamachium secutus Mansium refutare conatur. Sed Mansii opinio nostris temporibus inventis Athanasii episcopi epistolis festalibus[2]) firmata est, quae ad stabiliendam illorum temporum chronologiam fluctuantem plurimum valent. Harum epistolarum in rebus chronologicis auxilio primus egregie usus est Hefele in libro theologorum catholicorum Tubingensium periodico[3]) et in historiae conciliorum tomo I., quocum in plerisque me consentire fateor.

Atque in explicatione Athanasii verborum inde mihi videtur proficiscendum esse, quod Athanasius ipsum se, cum Paulus per Macedonium accusaretur, Constantinopoli fuisse dicit. Itaque primum quaerendum est, quo tempore ille in hac urbe fuerit. Tyro autem ao. 325 Constantinopolim eum fugisse satis multis locis in ipsius et aliorum libris constat, sed Alexandrum tum in vivis adhuc fuisse inde certum est, quod idem ao. 336, cum Arius subita morte periit, erat superstes.[4]) Hoc igitur tempore Paulus episcopus a Macedonio presbytero accusatus esse non potest. Porro cum Athanasius Romam fugeret ante pascha anni 340[5]) et in Occidente moraretur usque ad finem anni 346[6]), his annis Constantinopolim eum venisse non verisimile est. Itaque nihil aliud restat, quam ut statuamus in hac urbe eum moratum esse, cum Treveris Alexandriam reverteretur, quam urbem intravit a. d. IX. Kal. Dec. anni 338[7]), quare haud ita multo ante hunc diem Constantinopoli fuisse putandus est. Etsi autem in scriptis suis de itinere expresse non dicit, tamen eum illo tempore Viminacii[8]), in urbe Moesiae, postea Caesareae in Cappadocia et Antiochiae cum Constantio convenisse et postea per Syriam[9]) profectum esse scimus, et cum Viminacio per Naïssum, Sardicam, Philippopolim via ducat Constantinopolim, illum per Germaniam, Pannoniam, Moesiam, Thraciam, Syriam iter fecisse et in eo Constantinopolim venisse certum est.

Athanasio igitur teste tum Paulus a Macedonio, qui sub eo presbyter fuit, accusatus est, ex quo sequitur ut recte animadvertit Valesius, Paulum tum fuisse episcopum. Quando autem episcopus

1) Restitutio verae chronologiae rerum ex controversiis Arianis inde ab anno 325 usque ad annum 350 exortarum contra chronologiam hodie receptam exhibita. Francof. a. M. 1827. 2) F. Larsow, die Festbriefe des heiligen Athanasius, Bischofs von Alexandria. Leipzig, Göttingen 1852. 3) Theologische Quartalschrift. Jahrg. XXXV. Heft I. Tübingen 1853. p. 146 sqq. 4) Hefele l. c. p. 454. 458 sqq. 5) l. c. p. 457 sqq. 6) l. c. p. 608. 7) l. c. p. 465 sqq. 8) Ath. apol. ad. imp. Const. cap. 5. I. p. 298 C. 9) Ath. in epistol. episc. Aeg. in apol. c. Arian. cap. 5. I. p. 127 E.

factus sit, inde definiri potest, quod ao. 336, Arii mortis temporibus, Alexandrum adhuc vixisse, in altera autem parte anni 338, cum Athanasius Constantinopoli esset, Paulum iam episcopum fuisse vidimus. Intra horum igitur annorum spatium eum creatum esse necesse est. Accuratius autem tempus electionis Socratis de morte Alexandri nota ostendere videtur. Fortasse enim suspicari licet Socratem Constantini M. et Constantini iunioris mortem commutasse et Alexandrum eodem fere tempore quo Constantinus M. mortem obiisse, sed post eum, cum chronographii compendiarii catalogus afferat: *Ἀλέξανδρος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ (Κωνσταντίνου) καὶ Κώνσταντος*[1]) *τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, ita ut fortasse obierit initio alterius partis anni 337.

Si igitur Alexandrum hoc tempore mortem obiisse statuimus[2]), cum ubique ei viginti tres regiminis anni assignentur, episcopum eum factum esse ao. 314 sequitur et, si notae illi in politia patrum allatae Metrophanem prid. Non. Iun. mortuum esse fidem habemus, post hunc diem ordinatus est. Itaque Cedreni nota[3]): *τῷ θ' ἔτει τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου Μητροφάνης ἐπίσκοπος Βυζαντίου δ' γέγονε*, quamvis duos ante Metrophanem episcopos afferat, fidem mereri mihi non videtur. Ne chronico quidem paschali credendum esse existimo, quod initium Metrophanis et omnino patriarcharum cum initio indictionum Constantinopolitanarum coniungere videtur.[4])

Restat autem nota in catalogo chronographii compendiarii, ubi haec exhibentur[5]): *εωκ' καὶ β' ἔτει Κωνσταντίνου Ῥωμαίων βασιλέως οἱ ἐν Κωνσταντίνου πόλει πατριάρχαι ἦρξαν. α' Μητροφάνης ἐπὶ Κωνσταντίνου ἔτη ιγ'. β' Ἀλέξανδρος ἔτη κγ'.* Verba prima huius catalogi sine dubio corrupta sunt; neque enim annus m. 5820 secundus annus est Constantini M. In hunc autem annum 5820 Constantini cadit alter consulatus. Tamen de hoc non cogitandum esse inde efficitur, quod in ceteris quoque catalogis patriarcharum Alexandrinorum etc., qui chronographio continentur, nusquam affertur consulatus, sed semper annus regni imperatoris alicuius.

1) Legendum est *Κωνσταντίου*. Schoen. Euseb. chron. I. app. IV. p. 79. 2) Auctor libelli synodici idem tempus Alexandri mortis et Pauli electionis significare videtur (Mansi II. p. 1276). Clinton, cum eo tempore, quo fastos Romanos scripsit (1845. 1850), Athanasii epistolae festales Syriaca tantum lingua editae nondum notae essent, in vita Athanasii et in iis rebus gestis, quorum epocha Athanasii vita constituitur, veterem chronologiam sequitur. Itaque in fast. Rom. tom. II. p. 536. 559 Socratem secutus Alexandri mortem, Pauli primam electionem, Eusebii translationem ponit in ao. 340. 3) I. p. 477. 4) I. p. 522. II. p. 368. 5) A. Schoene l. c.

Itaque fortasse secundus Constantini annus retinendus est et pro εωκ' scribendum εωις', qui est annus p. Chr. n. 306/307.[1]) Deinde initium cadit Metrophanis in hunc annum et in sede per septem annos fuit usque ad prid. Non. Iun. anni 314, post quod tempus Alexandrum suffectum esse vidimus. Numerum autem decem annorum, qui ubique fere Metrophani dantur, ex catalogo Dorothei sumptum esse scimus.[2]) Quod in chronographio Metrophani tredecim anni assignantur, nostro computo non obstat, cum omnino numeri in his catalogis multis locis sint corrupti, quod etiam testatur Angelus Maius in praefatione editionis.[3])

Sed restat, ut de Athanasii verbis: *καὶ τὸ μὲν πρῶτον κτλ.*, quibus Pauli exilia enumerantur quaeque nostrae rerum explicationi repugnare videntur, paulo fusius agamus. Ex his enim verbis Valesius Paulum ante Constantini M. obitum episcopum factum esse conclusit. Atque quoniam testimonium exstat apud Athanasium, fontem illorum temporum primarium, quin Paulus a Constantino M. in Pontum in exilium missus sit, dubitare non licet. Sed cum accusationem illam Athanasio praesente factam post Constantini mortem incidisse supra viderimus[4]), hoc cum Athanasii verbis: *καὶ τὸ μὲν πρῶτον εἰς τὸν Πόντον ἐξωρίσθη παρὰ Κωνσταντίνου*, non convenit. Itaque iam Montefalconius verbis illis significari primum exilium ob Macedonii accusationem irrogatum fuisse negat[5]): accusationem enim illam post Constantini mortem factam esse, cum tamen, ut hic narretur, primo exularit tempore Constantini M. Sed

1) Fabricius in conspectu chronologicohistorico historiae Constantinopolitanae, qui exhibetur in bibl. Graec. tom. VI. p. 693—734 neque a Harlesio in novam editionem receptus est (p. 693—730 conspectus cum patriarcharum chronologia, p. 730—734 patriarchae usque ad Cyrillum depositum ao. 1713), Metrophanis initium in eodem anno ponit. Sequitur autem Sam. Basnagium, qui in annal. politicoecclesiastic. tom. II. p. 665 Alexandri initium assignat ao. 317 et Metrophani decem annos tribuit. Eandem chronologiam sequitur Kollarius in Suppl. ad Lambec. comm. p. 765. 2) Cf. p. 310. Ex eodem catalogo id quoque haustum est Metrophanis temporibus Constantinum M. propter bellum contra Licinium gestum Byzantium venisse. Post pugnam Hadrianopolitanam Byzantium a Constantino obsessum esse civesque post pugnam Chalcedonensem perterritos illi se dedidisse Zosimus testatur, qui Eunapium exscribit, in lib. II. capp. 23—26. Cum igitur pugna Chalcedonensis commissa sit a. d. XIV. Kal. Oct. anni 323 (cf. Clinton. fast. Rom. II. p. 376 sq.), eodem fere tempore Constantinum Byzantium venisse verisimile est. Sed Metrophanem hoc tempore iam non in vivis fuisse probare studuimus. 3) Cf. Schoen. Euseb. chron. I. praef. p. XIV. 4) p. 313. 5) Athan. hist. Arian. ad mon. I. p. 348. annot.

occasione secundi exilii, quod illam Macedonii accusationem subsecutum sit, ab Athanasio primum exilium hoc loco memorari. Similiter censet Pagius, cuius verba iam supra attuli.[1]) Bandurius autem[2]) tempore Constantii Augusti, non vero Constantini M., ut frustra conetur ostendere Valesius, Paulum Alexandro successisse et ante episcopalem dignitatem acceptam a Constantino in exilium pulsum esse contendit. Sed annum 340 Pauli successioni perperam cum a Baronio tum a Pagio datum esse putat.

Ac primum quidem videamus, quae praeterea de Pauli sorte afferat Socrates. Post Eusebii mortem ab Homousianis Paulus iterum episcopus creatur, ab Arianis autem Macedonius.[3]) Constantius autem Antiochiae moratus Hermogeni magistro militum, quem in Thraciae partes miserat, mandatum dedit, ut Paulum ecclesia expelleret. Is dum hoc efficere studet, a populi multitudine exacerbata interfectus est, quod factum est Constantio III. et Constante II. coss., ao. p. Chr. n. 342. Deinde Constantius ipse quam celerrime potuit Constantinopolim profectus Paulum expulit. Sed harum rerum ira incensus ne Macedonium quidem episcopum designavit.[4]) Paulus autem cum aliis episcopis ab Arianis expulsis ad Iulium episcopum Romanum fugit, qui iis sedes restituit, quo facto suam quisque ecclesiam occupavit.[5]) Imperator autem, postquam Antiochiae audivit Paulum denuo sedem occupavisse, Philippo praefecto praetorio mandavit, ut Paulum expelleret Macedoniumque in ecclesiam induceret. Is igitur Paulum dolo quodam captum statim in patriam eius Thessalonicam misit et ad Orientis partes accedere eum vetuit. Eius loco Macedonius cum caede magna in ecclesiam inductus est.[6]) Paulus autem non multo post Thessalonica Corinthum se proficisci simulans in Italiam navigavit, ubi Athanasium etiam invenit. Deinde imperator Constans postulavit, ut tres episcopi ad se mitterentur, qui de Pauli et Athanasii depositione rationem redderent. Cum deinde quattuor missi essent, cum Athanasio et Paulo congredi noluerunt et fidem Antiochiae promulgatam occultantes aliam a se compositam Constanti obtulerunt, quo facto re infecta discesserunt.[7]) Deinde triennii spatio transacto Orientales episcopi novam fidei formulam episcopis Italiae miserunt, quam ipsam episcopi Occidentales reiecerunt. Cum imperator alia epistola qua mandabat, ut Paulus et Athanasius sedibus suis restituerentur, nihil proficeret, illis postulantibus concilium generale apud Sardicam,

1) p. 311 sq. 2) Imp. Or. II. p. 621 V. 890 P. 3) Socr. II. 12. Soz. III. 7. 4) Socr. II. 13. Soz. III. 8. 9. 5) Socr. II. 15. Soz. III. 8. 6) Socr. II. 16. Soz. III. 10. 7) Socr. II. 17. 18. Soz. III. 10.

oppidum Illyriae, indictum est, quod factum est anno undecimo post mortem Constantini M. Rufino et Eusebio consulibus, qui est annus p. Chr. n. 347.[1]) Statim autem dissensione inter Orientales et Occidentales exorta quod illi postulabant ut Athanasius et Paulus coetu eicerentur, Orientales Sardica Philippopolim recesserunt. Episcopi autem Sardicae congregati Athanasio et Paulo sedes restituerunt.[2]) Cum utrique discessissent, Constans imperator fratrem hortatus est, ut Paulum et Athanasium in sedes suas restitueret et, cum ille hoc facere nollet, bellum ei minatus est[3]), quo facto Constantius metu commotus compluribus litteris Athanasium ad se venire iussit eique sedem restituit, Constans autem Paulum Constantinopolim misit, cui Macedonius loco cessit.[4]) Deinde quarto anno post Sardicense concilium, Sergio et Nigriniano coss., qui est annus p. Chr. n. 350, Constante interfecto Constantius omnia, quae antehac metu Constantis commotus fecerat, resolvit ac Paulum in exilium deportari iussit. Itaque eum Ariani abduxerunt et Cucusi, in oppido Armeniae, strangulavisse dicuntur[5]), quo facto Macedonius denuo ecclesia potitus est.[6]) Haec affert Socrates eumque secutus Sozomenus.

Theophanem eadem fere ac Socratem habere ut appareat, unum ex utroque locum afferre sufficiet.

Theoph. a. m. 5849.
ed. Bonn. p. 64. l. 8.

. . . . ὅπερ. μαθὼν ὁ Κωνστάντιος ἐν Ἀντιοχείᾳ διάγων Ἑρμογένει στρατηλάτῃ κατὰ τὴν Θρᾴκην πεμφθέντι κελεύει ὁδοῦ πάρεργον ποιήσασθαι καὶ ἐκβαλεῖν Παῦλον τῆς ἐκκλησίας· ὅπερ τοῦ Ἑρμογένους πληρῶσαι δοκιμάσαντος ὁ δῆμος τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐνέπρησεν καὶ αὐτὸν Ἑρμογένην ἀπέκτεινεν καὶ εἰς τὴν θάλασσαν ἔρριψεν. Τοῦτο οὖν ὁ βασιλεὺς μαθὼν ἐξ Ἀντιοχείας εἰς τὴν βασιλεύουσαν ἤλασεν καὶ τὸν Παῦλον τοῦ θρόνου

Socrat. l. II. c. 13.
ed. Vales.

. . . . Ἦλθε δὲ τὰ γενόμενα εἰς ἀκοὰς Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν διατρίβοντος· ἐντέλλεται οὖν Ἑρμογένει τῷ στρατηλάτῃ ἐπὶ τὰ Θρᾴκια πεμπομένῳ μέρη ὁδοῦ πάρεργον ποιῆσαι καὶ ἐξωθῆσαι τῆς ἐκκλησίας τὸν Παῦλον· ὃς καταλαβὼν τὴν Κωνσταντινούπολιν ὅλην ἐτάραξε . . . . . καὶ τὸ πλῆθος ἐμπίπρησι μὲν αὐτοῦ τὴν οἰκίαν, αὐτὸν δὲ σύραντες ἀπέκτειναν . . . . . Κωνστάντιος δὲ ὁ βασιλεὺς περὶ τῆς ἀναι-

1) Socr. II. 19. Soz. III. 11. 2) Socr. II. 20. Soz. III. 12. 3) Socr II. 22. Soz. III. 20. 4) Socr. II. 23. p. 112. Val. Soz. III. 24. 5) Socr. II. 25. 26. Soz. IV. 1. 2. 6) Socr. II. 27.

ἐκβαλὼν Μακεδόνιον τέως οὐκ ἐνεθρόνισεν. Τότε ὀργιζόμενος δια τὸν τοῦ Ἑρμογένους φόνον τὴν πόλιν ἐζημίωσεν τέσσαρας μυριάδας ἄρτων ἡμερησίων ἐκ τῶν δωρηθέντων ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μυριάδων ὀκτώ.	*ρέσεως Ἑρμογένους πυθόμενος ἐκ τῆς Ἀντιοχείας ἱππεὺς ἐλάσας καταλαμβάνει τὴν Κωνσταντινούπολιν καὶ τὸν μὲν Παῦλον ἐξελαύνει τῆς πόλεως, ἐζημίωσε δὲ τὴν πόλιν ἀφελὼν τοῦ σιτηρεσίου τοῦ παρασχεθέντος παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἡμερησίου ὑπὲρ τέσσαρας μυριάδας. Ὀκτὼ δὲ ἐγγὺς μυριάδες ἐχωρηγοῦντο πρότερον τοῦ σίτου ἐκ τῆς Ἀλεξανδρέων κομιζομένου πόλεως· Μακεδόνιον δὲ ἀναδεῖξαι τῆς πόλεως ἐπίσκοπον ὑπερέθετο.*

Theophanem autem non ipsum Socratem inspexisse sed quae habeat, ex eclogarum collectione ex Theodoro Lectore (quem Iustini Iustinianique aetate historiam tripartitam composuisse constet ex Theodoreto Socrate Sozomeno compilatam) excerpta petiisse nuper demonstravit I. V. Sarrazin in comment. philol. Ienens. vol. I. p. 163 sqq. (De Theodoro Lectore Theophanis fonte praecipuo).

Photius deinde in bibl. cod. 257 opusculum se legisse testatur inscriptum: *Βίος ἢ ἄθλησις τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παύλου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπου τοῦ ὁμολογητοῦ.* Auctorem autem huius libelli Socratis scrinia compilasse tabella huius locorum cum Socratis testimoniis compositorum ostendet[1]):

Phot. cod. 257. ed. Bekk.		Socrat. hist. eccl. ed. Vales.
p. 474 a 30—b 30	=	Socr. II. 6—8.
b 30—39	=	II. 10. p. 86 BC. p. 88 C.
b 39—41	=	II. 11. p. 89 C.
p. 475 a 9—14	=	II. 12. p. 89 CD.
b 14—a 26	=	II. 11.
a 26—b 1	=	II. 13.
b 1—7	=	II. 15. p. 91 BC.
b 7—28	=	II. 16.
b 28—32	=	II. 17. p. 95 BC.

1) Iam Franciscus Baertius (Act. SS. Iun. II. p. 13—24. 1698) in hac vita Pauli pleraque ex Socrate et Sozomeno collecta esse auctoremque his recentiorem et antiquiorem Photio sexto aut septimo saeculo vixisse putat.

p. 475 b 32 — 476 a 1 = Socr. II. 18. p. 95 CD. p. 96 C.
a 1 — 12 = II. 19. p. 97 A. 20. p. 101 BC.
a 13 — 31 = II. 20. p. 101 CD. p. 102. A—C.
a 31 — 44 = II. 22. 23.
p. 476 b 1 — 8 = II. 25. 26. p. 116 CD. 117 A.
b 9 = 477 a 6 = II. 27. 28. p. 142 B—D. p. 144 CD. p. 145 A—C.
p. 477 a 7 usque ad finem = V. 7 — 9.

De suo auctor addidit p. 474 b 41—475 a 8. Hoc opusculum eodem modo compositum ac politiam patrum Metrophanis et Alexandri, de qua supra diximus, ab eodem auctore confectum esse apparet.

Sed quid de horum narratione iudicandum sit, optime videbimus, si a concilio Sardicensi proficiscemur.

Concilium Sardicense Socrate teste ao. 347 congregatum[1]) revera sub finem anni 343 et initio anni 344 habitum est.[2]) Quaerendum est, num Paulus huic concilio interfuerit, quod eundem Socratem testari vidimus. Ac primum quidem inter eos qui epistolis synodicis subscripserunt quorumque nomina ex compluribus subscriptionum fragmentis omnia esse collecta verisimile est, Pauli nomen non invenitur.[3]) Deinde in epistolis concilii et ad Iulium episcopum Romanum[4]) et ad omnes episcopos missis[5]) primum dicitur de Athanasio Alexandrino et de Marcello Ancyrano[6]), deinde de his duobus et de Asclepa Gazaeo[7]), nusquam autem de Paulo Constantinopolitano et item res se habet in epistola ad universas ecclesias Sardica missa.[8]) Ne in epistola quidem episcoporum Orientalium Sardicensi, ubi saepe Paulus commemoratur, inter eos, qui concilio interfuerunt, is affertur.[9]) Abfuisse autem eum ex alio eiusdem epistolae loco concludi potest, ubi legitur[10]): Sed et illi (Athanasius, Marcellus) per Asclepam Paulo communicant, accipientes ab eodem scripta atque ad illum mittentes. Itaque iam Baronius sub ao. 347. num XLV. verius esse putavit Paulum concilio Sardicensi non interfuisse idemque censuerunt Valesius[11]) et Pagius sub ao. 348. num. III. Ipse quoque adduci non possum, ut Paulum Sardicae fuisse credam. Confirmatur autem haec opinio loco Theodoreti, quo etiam ubi Paulus tum fuerit cognoscimus. Legitur enim apud eum[12]): Ἀλλὰ τοῦτον τηνικαῦτα οὐκ εἴασεν

1) Socr. II. 20. Soz. III. 12. 2) Hefele I. p. 513 sqq. 3) Cf. catalogum fratrum Ballerinorum ap. Mansium, III. p. 43 sqq. 4) l. c. p. 40 D. 41 C. 5) l. c. p. 57 sqq. 6) p. 57 B. 7) p. 57 C. 59 A. D. 61 A. 65 A. 8) p. 69 CD. 70 A. 71 A. B. 73 B. 9) p. 131 DE. 134. B. C. D. 10) p. 134 A. 11) l. c. p. 187. 12) l. II. c. 5.

ὁ λεὼς εἰς τὴν Σαρδικὴν ἀπαχθῆναι τὰς τῶν ἐναντίων ὀρρωδήσας ἐπιβουλάς. Paulum igitur Constantinopoli tum fuisse ex hoc loco intellegimus. Si autem illo tempore Constantinopoli moratus est, ante concilium Thessalonica in Italiam ad Constantem imperatorem eum fugisse et ibi mansisse, ut Socatem narrare vidimus, non verisimile est.

Sed etsi Paulum in actis concilii non nominari cognovimus, tamen de eo in concilio actum esse certum est. Itaque, cum duobus locis in epistolis concilii praeter eos, quorum nomina afferuntur, aliis quoque episcopis sedes restitutas esse legimus[1]), quin Paulus inter hos fuerit non dubitandum est in eoque Socrati etiam fidem habere possumus.[2]) Sed cum Paulus ante concilium fuerit Constantinopoli, Socrates autem tradat[3]) Paulum a Constante in hanc urbem missum esse, et etiam epistolam afferat qua imperator Paulum et Athanasium apud se esse dicit, de cuiusque fide dubitandum non esse puto, rem ita explicari posse existimo: cum concilium Sardicense indiceretur, omnibus episcopis in exilio degentibus permissum est ut Sardicam se conferrent. Itaque Paulus quoque illuc proficisci voluit, in quo itinere cum Constantinopolim venisset, ibi a populo ne quid mali ei illic accideret verito impeditus est, ne longius progrederetur. Ibi autem eum episcopum se gessisse et Macedonium ei cessisse verisimile est, quod etiam testari videtur Socrates.[4]) Constantius autem fortasse eum tum non expellere sed expectare constituit, quidnam concilium decerneret. Quod cum Athanasium et reliquos episcopos depositos in sedes suas restituendos esse decrevisset, neque Athanasium revocare neque Paulum ordinare paravit. Atque hoc fortasse tempore Paulus ad imperatorem Constantem profectus apud eum questus est a Constantio sedem sibi non reddi, quo facto Constans epistolam illam bellum minantem ad fratrem dedit, qua Athanasium et Paulum apud se esse dicit[5]), et Paulum Constantinopolim remisit. Tum demum Paulus ordinatus est et revocatus Athanasius. Hunc autem Alexandriam rediisse a. d. XIII. Kal. Nov. anni 346 certum est.[6]) Cum antea metu commotum insidiarum num Alexandriam rediret diu eum dubitasse et Socrates narret et ex tribus epistolis a Constantio missis constet[7]), Paulum autem ante eum Constantinopolim revertisse idem Socrates afferat[8]), in priore parte anni 346 Pauli reditum ponere possumus.

Cum ante concilium Sardicense Constantinopolim eum revertisse viderimus, plurimum interest cognoscere, ubinam exul degerit.

1) l. c. p. 65 A. 73 B. 2) Socr. II. 20. Soz. III. 12. 3) II. 23. p. 107. 112. 4) II. 23. p. 112. 5) Socr. II. 22. Soz. III. 20. 6) Hefele I. p. 608. 7) Socr. II. 23. 8) Socr. II. 23. p. 107 A.

Ac Socrati, cuius narrationem supra attuli[1]), fidem habendam esse non existimo. Nam si apud Constantem Paulus fuisset, certe concilio interfuisset, quemadmodum alii quoque episcopi, qui in Italiam fugerant, Sardicam profecti sunt. Paulum autem, ut in hoc oppidum perveniret, ab Italia primum Constantinopolim venisse et inde Sardicam proficisci voluisse absurdum est statuere, quare ex Oriente eum revertisse verisimile est. Confirmatur autem haec opinio Athanasii verbis: *τὸ δὲ δεύτερον παρὰ Κωνσταντίου δεθεὶς ἁλύσεσι σιδηραῖς εἰς Σίγγαρα τῆς Μεσοποταμίας ἐξωρίσθη καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὴν Ἔμισαν μετηνέχθη*. Socratem autem hoc loco erravisse iam animadvertit Valesius[2]), qui Athanasium secutus Paulum post Hermogenis caedem Singara relegatum et inde propter Persarum incursiones Emisam translatum esse existimat. Idem Pauli eiectionem per Philippum factam ponit in ao. 351. Quod enim Socrates et Sozomenus scribant Paulum a Philippo praefecto Thessalonicam esse relegatum, dupliciter eos falli et in loci et in temporis notatione. Anno enim 342 Philippum non fuisse praefectum praetorio nec Paulum tum relegari potuisse Thessalonicam, quae urbs tum paruerit Constanti Augusto non autem Constantio, sub quo praefecturam Philippus gesserit. Quare verius esse, quod Baronius scribat, haec adversus Paulum a Philippo gesta esse ao. 351, quo anno Philippum praefectum praetorio fuisse praeter Athanasium doceant leges codicis Theodosiani. Sed tum Paulum non Thessalonicam, sed Cucusum relegatum esse, ut testetur Athanasius. Nec verisimile esse Paulum unquam Thessalonicam esse relegatum, quae, ut Socrates et Sozomenus fateantur, patria eius fuerit. Benigne sane tum cum Paulo actum esse, cum nihil magis contrarium sit quam patria et exilium. Haec omnia recte Valesius observasse mihi videtur. Constantium post Hermogenis stragem maxime iratum fuisse et consentaneum et a Socrate traditum est: itaque cum imperator populum Constantinopolitanum poena afficeret et ne Macedonium quidem episcopum ordinaret, Paulum captum poenam gravem effugisse non verisimile est. Et quoniam Athanasii verbis fidem abrogare non licet, nullo alio tempore Paulus exilio Singarensi affectus esse potest. Poena enim fuit gravissima, cum illud oppidum in ultimis regni finibus situm perpetuis Persarum angeretur incursionibus. Ceterum Paulum auctorem caedis illius habitum esse ex epistola etiam episcoporum Orientalium Philippopoli missa novimus.[3])

Paulum propter concilium Sardicense Constantinopolim rediisse et ibi remansisse supra[4]) vidimus. Eum autem — id quod tradit

1) p. 316 sq. 2) p. 186 sqq. 3) Mansi III. p. 126 sqq. 4) p. 320.

Socrates — post Hermogenis caedem Romae fuisse non posse ex temporum ratione intellegitur.

Hermogenem anno 342 interfectum esse complura testimonia habemus. Ac primum legitur in fastis Idatianis[1]): Constantio III. et Constante II. Tractus Hermogenes. Deinde traditur ab Hieronymo sub ao. Abr. 2358, ao. Constantii quinto[2]): Hermogenes magister militiae Constantinopoli tractus a populo ob episcopum Paulum, quem regis imperio et Arrianorum factione pellebat, quam eandem notam Prosper habet sub consulatu Constantii III. et Constantis II. Quintus autem Constantii annus tempus complectitur inde a Kal. Sept. anni 341 usque ad eundem diem anni 342. Itaque si Hieronymi et fastorum Idatianorum notam coniungimus, Hermogenem in priore parte anni 342 mortuum esse statuendum est.[3]) Ad idem tempus alia via pervenimus. Exortam esse illam seditionem post Eusebii mortem et Pauli ordinationem scimus. Eusebius autem obiit paulo post concilium ao. 341 habitum, priusquam legati ad Iulium missi episcopum Romanum revertissent.[4]) Cum autem hoc concilium habitum sit inde a mense Maio usque ad mensem Septembrem[5]), sub finem huius anni Eusebium mortuum et eodem tempore vel initio anni 342 Paulum ordinatum esse verisimile est. Non multo autem post Pauli ordinationem Hermogenes interfectus est, quod convenit cum nota Hieronymi et fastorum Idatianorum. Quodsi Paulus primis mensibus anni 342 Singara, in oppidum longe remotum et inde Emisam deportatus est, eundem autem, postquam concilium Sardicense indictum est, i. e. post medium annum 343, Constantinopoli fuisse vidimus, unde tempus et occasionem Romam proficiscendi sumpserit, non intellegitur.

Itaque quaerendum est, num eo fortasse tempore Romam venerit, quo ipse depositus erat et Eusebius sedem Constantinopolitanam obtinebat. Quo tempore Eusebius in hanc sedem translatus sit, satis accurate definiri potest. Postquam Athanasius a. d. IX. Kal. Dec. anni 338 Alexandriam rediit, novas ei insidias Eusebiani et Ariani paraverunt.[6]) In epistola episcoporum Aegyptiacorum Alexandria omnibus ubique ecclesiae catholicae episcopis missa legimus Eusebianos Athanasium calumniatos esse apud tres

1) Chr. pasch. II. p. 167. 2) Euseb. ed. Schoene, II. p. 193.
3) Clinton, quem veterem chronologiam sequi supra diximus (p. 314), Pauli electionem alteram et Hermogenis mortem in fine anni 342 ponere cogitur (fast. Rom. I. p. 404). 4) Socr. II. 12. Soz. III. 7. 5) Hefele I. p. 483. 6) Hefele I. p. 470 sqq.

imperatores[1]), ex quo sequitur haec facta esse antequam moreretur Constantinus iunior, quem initio anni 340 interfectum esse Pagius sub ao. 340 num. XXVI. demonstrat. Idem probatur Athanasii loco, ubi haec sunt[2]): *Οἱ μέντοι περὶ Εὐσέβιον βλέποντες ἐλαττουμένην αὐτῶν τὴν αἵρεσιν γράφουσιν εἰς Ῥώμην, γράφουσιν δὲ καὶ τοῖς βασιλεῦσιν Κωνσταντίνῳ καὶ Κώνσταντι κατὰ Ἀθανασίου. Ὡς δὲ καὶ οἱ παρὰ Ἀθανασίου ἀποσταλέντες διήλεγξαν τὰ παρ' ἐκείνων γραφέντα, παρὰ μὲν τῶν βασιλέων ἐνετράπησαν.* Praeterea Athanasium circa pascha anni 340 Romam fugisse supra vidimus.[3]) Haec omnia igitur ao. 339 facta esse certissimum est. Quodsi statuimus non multo post Athanasii reditum, in priore parte anni 339 Eusebianos Athanasio insidias struere coepisse eumque et apud imperatores calumniatos esse et legationem ad Iulium episcopum misisse[4]), concilium Alexandrinum, quod calumnias refutandi causa convenit, et Athanasii legationem in alteram huius anni partem cadere verisimile est. In huius autem concilii epistola synodica haec habentur[5]): *Ἀλλ' ὅμως Εὐσέβιος τὴν κατάστασιν Ἀθανασίου μέμφεται, ἄνθρωπος τάχα μηδὲ κατάστασιν ὅλως ἐσχηκώς, εἰ δέ που καὶ ἔσχεν, αὐτὸς ἀκυρώσας αὐτήν. Ἐν Βηρυτῷ μὲν ἦν ἀπ' ἀρχῆς, Βηρυτὸν δὲ ἀφεὶς εἰς Νικομήδειαν ἦλθε, τὴν μὲν παρὰ νόμον ἀφείς, εἰς τὴν δὲ παρὰ νόμον ἐπιβαίνων καὶ τὴν μὲν οἰκείαν ἀστόργως καταλελοιπώς, τὴν δὲ ἀλλοτρίαν ἀλόγως κατέχων καὶ τῆς μὲν πρώτης τὴν στοργὴν ὑπὸ τῆς ἀλλοτρίας ἐπιθυμίας παριδών, τῇ δὲ δευτέρᾳ μηδέ, ἣν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας ἔσχε; τηρήσας. Ἰδοὺ γὰρ κἀκεῖθεν ἀποστὰς ἀλλοτρίαν πάλιν κατέχει.* Hoc loco Eusebii in sedem Constantinopolitanam translationem significari apparet. Itaque hanc translationem et Pauli depositionem in priore parte anni 339 factam esse certum est.

Ceterum hoc tempore Paulum depositum tantum, non in exilium missum esse, ex Socratis et Sozomeni verbis sequi videtur. Legimus enim apud Socratem[6]): *τὸν Παῦλον σχολάζειν ἐποίησε* (*Κωνστάντιος*) et apud Sozomenum[7]): *τὸν Παῦλον ἀπεώσατο τῆς ἐκκλησίας.* Idem Sozomenus paulo superius habet[8]): *καὶ τὰ μὲν πρῶτα* (*Παῦλος*) *ὡς μὴ εὖ βεβιωκὼς γραφὴν ὑπομείνας ἐξεβλήθη τῆς ἐκκλησίας, τελευτῶν δὲ καὶ ὑπερορίαν οἰκεῖν κατεδικάσθη.* Cur hoc loco Pauli depositionem et exilium auctor opposuit, si etiam post depositionem in exilium missus est? Neque

1) Mansi II. p. 1281 A. 2) Hist. Arian. ad mon. cap. 9. I. p. 349. 3) p. 313. 4) Hefele I. p. 472 sqq. 5) Mansi II. p. 1285. 6) II. 7. 7) III. 4. 8) III. 3.

vero in chronographio compendiario exilium commemoratur[1]) neque post Eusebii mortem Paulus exul revocatus esse narratur, sed Constantinopoli videtur adfuisse. Hanc autem depositionem Athanasius omittit, cum exilia tantum enumeret.

Sed Paulum per totum tempus paene trium annorum, quibus fuit depositus, inter Arianos sibi inimicos remansisse Constantinopoli non verisimile est. Itaque — id quod iam suspicatus est Valesius[2]) — hoc tempore eum Thessalonicam, quae, ut Socrates testatur, patria eius fuit, se contulisse et inde alios etiam episcopos Occidentis adiisse suspicor. Huc autem spectare existimo complures locos in epistola Arianorum Sardicensi. Legitur enim primum[3]): Dicimus autem Asclepam, qui ante decem et septem annos episcopatus honore discinctus est, deinde Paulum et Lucium et quotquot talibus coniuncti sunt. Ii circumeuntes simul exteras regiones persuadebant iudicibus non esse credendum illis, qui in eos digne sententiam protulerant etc.; deinde autem[4]): Maximinum vero a Treveris, propter quod collegas nostros episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere et quoniam Paulo Constantinopolitano, nefario homini ac perdito, primum ipse communicavit et quod ipse tantae cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolitanam civitatem revocaretur, propter quod homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit. Si hoc loco Paulum a Maximino episcopo Treverensi Constantinopolim revocatum esse Ariani illum calumniantes dicunt[5]), hoc ita intellegendum esse existimo, ut Maximinus Paulo, qui eum adiit, suaderet, ut Constantinopolim reverteretur ibique occasionem episcopatus recuperandi exspectaret, ut revera Paulum Eusebii mortis temporibus in hac urbe invenimus. Sed animadvertendum est hoc loco non afferri Paulum Romae apud Iulium episcopum fuisse ab eoque domum remissum esse. Observandum etiam est in epistola Iulii sub finem anni 341 ad Arianos congregatos Antiochiae scripta Paulum non commemorari, quem tum depositum fuisse vidimus. Haec omnia si mecum reputo, Paulum neque unquam Romae fuisse neque ipsum cum Iulio convenisse suspicatus sim.[6]) Etenim si

1) A. Schoene, Euseb. chron. I. app. IV. p. 79: *Κωνστάντιος εἴασεν ἔξω τοὺς δύο (Παῦλον καὶ Μακεδόνιον).* 2) l. c. p. 188. 3) Mansi III. p. 130 E. 4) l. c. p. 137 AB. 5) Athanasium quoque a Maximino Treverorum episcopo, cum a Constantio ad poenam quaereretur, honorifice susceptum esse testatur Hieron. in chron. a. Abr. 2359. 6) In libello synodico, qui huic opinioni repugnare videtur, haec leguntur

Romae tum fuisset Arianosque accusavisset, facturum fuisse, ut inter eos, qui concilio interessent, a Iulio nominaretur[1]) certum est.

Fortasse Socrates, quem multifariam in horum temporum enarratione peccantem deprehendimus, — consulto autem peccata eum commisisse non existimo, sed cum post centum paene annos historiam composuerit, in his turbulentissimis temporibus enarrandis erravisse eum verisimile est — ea quae Athanasius fecit, de Paulo quoque narravit. Inde autem magnam eius confusionem rerum oriri existimo, quod et concilium Sardicense et Alexandri mortem tribus annis serius ponit quam revera facta sunt (in 347 et 340 pro 344 et 337), Eusebii autem mortis et Hermogenis caedis rectam temporum notam habet (sub fin. 341 et init. 342). Nam propter hunc errorem primo septennium quod apud eum a morte Alexandri usque ad concilium illud praeterit ut rebus gestis compleat operam dare cogitur, deinde autem tempus inde ab Alexandri morte usque ad Eusebii translationem ita contraxit, ut accusationis Pauli quae per Macedonium facta et ab Athanasio commemorata est enarrandae locum non habeat.

Sed restat, ut de primis Athanasii verbis dicamus: *καὶ τὸ μὲν πρῶτον εἰς τὸν Πόντον ἐξωρίσθη παρὰ Κωνσταντίνου.* Quid de iis iudicaverint Montefalconius, Pagius, Bandurius supra vidimus.[2]) Horum autem virorum opinionibus ipse me addico. Nam cum nusquam alibi Pauli exilium Ponticum commemoretur cumque episcopum tum exulem factum esse ne in Athanasii quidem verbis insit, episcopatum autem eum adiisse post Constantini mortem viderimus neque tamen Athanasii testimonium in dubium revocare liceat, Paulum presbyterum iam Constantino M. regnante in exilium missum esse statuerim. Neque vero cum Pagio id eo tempore factum esse existimaverim, cum in concilio Antiocheno ca. annum 330 habito Eustathius multique cum eo presbyteri expellerentur, sed verisimilius mihi videtur id tum incidisse, cum Athanasius quoque exilio puniretur. Nam quin Paulus orthodoxus cum Athanasio

(Mansi II. p. 1350): *Παῦλον τοίνυν ἐν Ῥώμῃ καὶ Ἀθανάσιον ὁ μακάριος πάπας Ἰούλιος καὶ Κώνστανς ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς θεασάμενοι * καὶ οἰκείους θρόνους ἀποδεδώκασι. Διόπερ οἱ ἑτερόδοξοι καὶ αὖθις ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τοῦ θείου συμβόλου συναθροίσαντες σύνοδον Παῦλον καὶ Ἀθανάσιον ἀπεκήρυξαν καθαψάμενοι πλεῖστα Ἰουλίου ὡς μὴ καλῶς αὐτοῖς ἀντικανονίσαντος.* Sed auctor, qui decimo saeculo scripsit (cf. Hefele I. p. 70. annot. 3) ex Socrate sua videtur hausisse, ubi similia narrantur in lib. II. cap. 15.

1) Mansi II. 1228 AB. 2) p. 315 sq.

steterit dubitandum non est: itaque fortasse et ipse ab Arianis apud imperatorem in odium vocatus in Pontum ab eo relegatus est, unde post eius mortem rediit, quo facto ipse ordinatus est.[1]) Presbyterum autem eum in exilium missum esse, alio etiam argumento probari posse existimo. Eusebium enim usque ad Constantini M. obitum in episcopatu Nicomedensi perseveravisse certum est.[2]) Quodsi Paulus episcopus ante Constantini mortem in exilium missus est, aut sedisvacantia inciderit aut successor ei datus sit necesse est. Sed cum neutrum tradatur, seriem episcoporum non interruptam esse certum est, ex quo sequitur Alexandrum tum sedem adhuc obtinuisse, Paulum autem presbyterum in exilium missum esse.

Hoc modo iterum ad Alexandri mortem, a qua profecti sumus quamque supra in altera parte anni 337 posuimus, nunc pervenimus. Sed iam res gestas enarrare eo tenore, quem verum esse existimamus, nobis liceat.

Post Alexandri mortem dissensione inter Arianos et Homousianos de episcopi electione exorta haud ita multo post Paulus, qui paulo ante ex Pontico exilio ei a Constantino M. irrogato redierat, ab Homousianis episcopus creatur (sub finem anni 337). Sequenti anno is a Macedonio presbytero, qui eum calumniari studebat, de crimine aliquo accusatus est, quod leve fuisse inde concluditur, quod accusator ipse cum reo communicavit. Eodem tempore Athanasius Treveris Alexandriam revertens Constantinopoli moratus est (ca. mens. Sept. vel Oct. anni 338). Neque vero illius criminis opprobrium Paulo nocuisset, nisi Eusebius episcopus Nicomediae sedem Constantinopolitanam invadere cupiens Paulum apud imperatorem Constantium calumniatus esset. Imperator autem Paulo deposito Eusebium in sedem transtulit (in priore parte anni 339). Ille autem in patriam Thessalonicam profectus et inde in Occidentem pergens complures adiit episcopos, in quibus fuit Maximinus Treverensis. Deinde Constantinopolim revertit ibique moratus est, dum Eusebius mortem obiit (sub finem anni 341), quo facto ab Homousianis iterum episcopus creatus est. Quo audito cum Constantius imperator Hermogenem ducem expellere Paulum iussisset, dux a multitudine exacerbata interfectus et per urbem tractus est (init. anni 342). Constantius quam celerrime

1) Idem fere sentit Franciscus Baertius in Act. SS. Iun. II. 1698. p. 15, qui in ceteris rebus Socratis narrationem sequitur, eique assentitur Guilielmus Cuperus in Chronologia patriarcharum (Act. SS. Aug. I. p. 14 sq. 1733.) 2) Cf. Vales. l. c. cap. V. p. 185 sq.

potuit in urbem profectus civibus ira incensus dimidium frumenti cotidiani a Constantino M. decreti ademit, Paulum Singara in exilium misit, unde paulo post Emisam translatus est, et ne Macedonium quidem episcopum ordinavit. Cum deinde concilium Sardicense indiceretur, Paulus eo profecturus Constantinopolim venit (post med. annum 343), ibi autem a populo de eo timenti retentus est. Cum concilium decrevisset, ut episcopi expulsi in sedes suas restituerentur, Constantius neque Athanasium reduxit neque Paulum ordinavit, quare hunc ad Constantem imperatorem profectum apud eum de fratre questum esse verisimile est. Cum autem Constans fratri bellum minatus esset, primum Paulus Constantinopoli ordinatus est (init. anni 346), deinde Athanasius etiam Alexandriam rediit (a. d. XII. Kal. Nov. anni 346).[1])

Hic rerum ordo indicatur etiam catalogo chronographii compendiarii, ubi legimus[2]): *Ἀλεξάνδρου τελευτήσαντος Παῦλος καὶ Μακεδόνιος πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας ὑπόψηφοι ἦσαν γενέσθαι· οἱ δὲ ὀρθόδοξοι Παῦλον ἐξελέξαντο, οἱ δὲ ἀρειανοὶ Μακεδόνιον. Παῦλος οὖν γενόμενος συσκευὴν ὑπέμεινεν ὑπὸ τῶν ἀρειανῶν καὶ Μακεδόνιος εἰσῆλθεν.*[3]) *Στάσεως οὖν οὔσης ἐν μέσῳ ὁ βασιλεὺς Κώνστανς*[4]) *Εὐσέβιον ἀπὸ Νικομηδείας μετήγαγεν εἰς Κωνσταντινούπολιν καὶ εἴασεν ἔξω τοὺς δύο. Εὐσέβιος ἀρειανὸς ἔτη β'. Εὐσεβίου δὲ τελευτήσαντος Παῦλος πάλιν εἰσῆλθεν καὶ πάλιν ἐξεβλήθη καὶ Μακεδόνιος εἰσῆλθεν.* Restitutionem autem Pauli per concilium Sardicense factam auctor omittit et statim transit ad eius mortem Cucusi in exilio factam.

Prorsus quaecunque Paulo acciderunt confudit anonymus ille Maffeianus, de quo supra dictum est. Verba enim eius haec sunt[5]): Secundum autem reversionis eius[6]), coss. Hypatio et Catulino[7]), Theodorus, Narcissus, Georgius cum ceteris venerunt Constantinopolim, volentes suadere Paulo communicare sibi, qui nec verbo eos suscepit, etiam eorum salutationem anathematizavit. Adsumentes itaque secum Eusebium Nicomedensem, insidiati sunt beatissimo Paulo et interponentes calumniam illi de Constante et Magnentio, expulerunt Constantinopoli, quo possent locum habere et Arianam

1) Hefele I. p. 608. 2) Schoene, l. c. p. 79. 3) Athanasius (cf. p. 311) de Macedonii electione hoc tempore facta nihil affert, quare Paulum usque ad Eusebii translationem in honore fuisse concludendum est. 4) Legendum *Κωνστάντιος*. 5) Osservazioni letterarie, tom. III. p. 61 sq. 6) i. e. Athanasii, ex altero exilio, anno 346. 7) Consules anni 349 fuerunt Limenius et Catullinus. De anonymi errore cf. Mansium in comment. chronol. Concil. gen. III. p. 95.

haeresim seminare. Populus autem Constantinopolitanus desiderans beatissimum Paulum perseveravit seditionibus, ne duceretur ex urbe, amantes sanam doctrinam eius. Imperator sane iratus Comitem Hermogenem transmisit, ut eum eiciat: quo audito populus per mediam civitatem extraxit Hermogenem: ex qua occasione nancta adversum episcopum exiliaverunt eum in Armenia.

Paulus, postquam a Constantio sedes ei reddita est, quod in priore parte anni 346 factum esse vidimus, dum Constantius ea quae fratris minarum metu decrevisset, post eius mortem resolveret, episcopatu functus, deinde Cucusum relegatus et ibi ab Arianis interfectus esse multis locis traditur.[1])

Constans autem occidisse mense Ianuario anni 350 fastis Idatianis traditur, quorum anni nota confirmatur prolegomenis ad epistolas Athanasii festales.[2]) Ac Baronius, quem secuti sunt reliqui, qui illorum temporum chronologiam tractaverunt praeter Clintonium, Pauli mortem assignat ao. 351, Clinton autem cui ipse assentior Paulum ao. demum 352 interfectum esse existimat.[3]) Nam ilico post Constantis mortem Paulum depositum esse, cum Constantium, ut ex epistola eius ad Athanasium missa intellegitur[4]), populum adversus se excitare propter imminens bellum veritum sit, non existimaverim. Traditum autem est Paulum per Philippum praefectum praetorio interfectum esse[5]), eum autem post annum nondum exactum honore privatum mortem obiisse. Eundem in pugna apud Mursam commissa contra Magnentium pugnavisse Zosimus testatur.[6]) Itaque post hanc pugnam, quae commissa est secundum fastos Idatianos a. d. IV. Kal. Oct. anni 351[7]), Paulum ab eodem Philippo Cucusum deportatum esse idque tum accidisse verisimile est, cum Philippus Mursa in Orientem reverteretur, exeunte scilicet ao. 351. Haec si vera sunt, utique Pauli mortem ao. 352 assignare

1) Socr. II. 26; Soz. IV. 2; Theodoret. II. 5; chron. comp.; plerique catalogi. 2) Chron. pasch. II. p. 167; Larsow l. c. p. 33; Baron. Pag. Clinton sub ao. 350. 3) fast. Rom. I. p. 425. 4) Athan. apol. ad imp. Const. c. 23. I. 309; hist. Arian. ad mon. c. 24. I. 358; Larsow, l. c. p. 33. 5) Athan. de fuga sua c. 3. I. p. 322; hist. Arian. ad mon. c. 7. I. p. 348; Theodoret. II. 5. 6) Zosim. II. 46—49. 7) Chron. pasch. II. p. 168. Clinton sub ao. 351. Hieronymus mortem Pauli falso ponit in ao. Abr. 2359, Constantii 6: Paulus crudelitate praefecti Filippi, nam fautor Macedonii partium erat, et Arianorum insidiis strangulatur. — Plerique codices hanc notam habent sub. ao. Abr. 2359, Constantii 6, eosque sequitur Alfredus Schoene (II. p. 193). Prosper, qui Hieronymi verba exhibet, Pauli mortem habet sub consulatu Constantii III. et Constantis II., qui est a. Abr. 2359, Constantii 6, p. Chr. n. 342.

possumus. Ceterum Baronium et hunc secutum Valesium, cuius argumenta supra attulimus[1]), ea quae Socrates in l. II. c. 16 de Philippi dolo narrat hoc tempore facta esse recte concludere existimo.

§ 3. De Macedonio.

Paulo suffectus esse Macedonius ubique traditur. Is autem, quod contra spiritum sanctum pugnabat, quare appellatus est *πνευματομάχος*, postea depositus est. Quando haec depositio facta sit, satis accurate definire possumus. Legimus enim in chronico paschali[2]): *Ἰνδ. γ΄. ὑπ. Κωνσταντίου Αὐγούστου τὸ ιβ΄*[3]) *καὶ Ἰουλιανοῦ Καίσαρος τὸ γ΄. Τούτῳ τῷ ἔτει μηνὶ περιτίῳ ιε΄ καθιερώθη ἡ μεγάλη ἐκκλησία Κωνσταντινουπόλεως. Μακεδόνιος Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος καθῃρέθη ἐπὶ πολλοῖς ἰδίοις αὐτοῦ ἐγκλήμασιν καὶ κατέστη ἀντ' αὐτοῦ Εὐδόξιος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, ἐνθρονισθεὶς μηνὶ αὐδυναίῳ κζ΄, παρουσίᾳ ἐπισκόπων οβ΄ . . . . Ἐπὶ τῆς αὐτῆς συνόδου τῶν ἐπισκόπων οὐ μετὰ πολλὰς ἡμέρας τοῦ ἐνθρονισθῆναι τὸν Εὐδόξιον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως τὰ ἐγκαίνια τῆς μεγάλης ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς πόλεως ἐτελέσθη . . . ἐγένετο δὲ καὶ τὰ ἐγκαίνια αὐτῆς ἐπὶ τῶν προκειμένων ὑπάτων προ ις΄ καλανδῶν μαρτίων, ἥτις ἐστὶ μηνὸς περιτίου ιδ΄.*[4]) — Confirmatur autem nota chronici paschalis fastis Idatianis, ubi haec habemus[5]): Constantio X. et Iuliano III. His conss. dedicatum est Constantinopoli Dominicum die XV. Kal. Mart. Chronicum paschale hoc loco a se ipsum dissentire videmus, cum supra habeat Februarii diem 15., infra diem 14. Sed ex addito a. d. XVI. Kal. Mart. sequitur hoc quoque loco legendum esse *ιε΄* pro *ιδ΄*. Discrimen autem unius diei, quod intercedit inter chronicum paschale et illos fastos, minus est, quam ut de eo agere libeat. Cum igitur chronici paschalis nota, cui utique fidem habendam esse existimo, doceamur Eudoxium ordinatum esse a. d. VI. Kal. Febr. anni p. Chr. n. 360, paulo ante et fortasse eodem anno Macedonium a concilio exauctoratum esse statuere licet, quem annum revera habent Socrates[6]) et Hieronymi chronicorum codices Leidensis et Fuxensis[7]) (ad a. Abr. 2376, Constantii 23).

1) p. 321. 2) I. p. 543 sq. 3) Legendum est *τὸ ι΄*. Cf. chron. pasch. II. p. 383. 4) Consules illi fuerunt ao. 360. 5) Chr. pasch. II. p. 168. 6) Socr. II. 42. 43. Soz. IV. 24. p. 580 A; 25. p. 584 B 26. 7) F et R apud Schoenium. Reliqui codices, quos Schoene secutus est (II. p. 195. 196.), verba illa habent sub ao. Abr. 2375, Constantii 22.

§ 4. De Eudoxio.

Eudoxium mortuum esse Valentiniano III. et Valente III. coss., qui est annus p. Chr. n. 370, Socrates narrat[1]), Sozomenus autem hoc loco consules omittit, sed cum Socrate consentit mortem incidisse, cum Valens imperator Constantinopoli Antiochiam profecturus esset, eumque de episcopi morte et discordiis inter Homousianos et Arianos exortis certiorem factum Nicomediae substitisse.[2]) Id autem primis mensibus anni 370 factum esse demonstrat Pagius[3]), cuius explicationi assentior. Ceterum apud Socratem Eudoxio assignantur undeviginti anni regiminis, quod vitium librariis tribuendum esse et scribendum *δεκαένα*, quod Sozomenus exhibet, iam existimavit Valesius.[4]) Hoc autem vitium pervetustum esse inde intellegitur: Photius in bibl. cod. 258 librum se legisse testatur, qui inscriberetur: *Βίος ἢ ἄθλησις τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου.* Hunc librum, cuius argumentum maximam partem ex Socrate haustum est, ab eodem misello illo auctore conscriptum esse, a quo etiam politia Metrophanis et Alexandri et vita Pauli compositae sunt, facile intellegitur. Hunc autem non multo post Gelasium scripsisse supra vidimus. In hoc etiam libello Eudoxio in codice Parisiensi Regio 1226 (C apud Bekkerum), cuius lectionem in textum Bekker recepit (p. 485 a 17), assignantur anni *δέκα καὶ ἐννέα.* Codex autem Venetus 450 (A) et Parisiensis Regius 1266 (B) exhibent *δέκα*, vulgata autem (ς) *δώδεκα.* Codex C eam lectionem, quam compilator in exemplari suo Socratis librorum invenit, servavisse, in reliquis autem codicibus et in vulgata lectio mutata esse mihi videtur. Sed ne Sozomeni quidem numerus, quem undecim annos Eudoxio tribuere vidimus, verus est. Cum enim Eudoxius a. d. VI. Kal. Febr. anni 360 ordinatum et initio anni 370 mortuum esse viderimus, decem annos eum in honore fuisse sequitur, qui numerus exstat in Photii codicibus A et B, in catalogis Nicephori tractato, chronographii compendiarii, Labbei, Vindobonensi B.

§ 5. De Demophilo et Euagrio.

Post Eudoxii mortem ab Arianis Demophilus, ab Homousianis autem occasionem ecclesiae Constantinopolitanae recuperandae se nactos esse ratis Euagrius episcopus electus et ab Eustathio olim Antiochiae

1) IV. 14. 2) VI. 13. 3) sub ao. 370. num. VIII sqq. Tamen a se ipse dissentit Pagius, qui sub num. VIII. Eudoxium circa mensem Maium, sub. num. XIII. mense Ianuario mortuum esse dicit. Cum mensis, quo mortem obiit, vix erui possit, mortem in primis anni 370 mensibus ponere satis habeamus. 4) In annot. ad IV. 14.

episcopo ordinatus est. Quod ubi comperit Valens imperator, quem Nicomediae tum fuisse iam vidimus, manum militum Constantinopolim misit, quae Euagrium et Eustathium expelleret et in exilium abduceret, quo facto Demophilus sedem obtinuit.[1]) Haec omnia ao. adhuc 370 facta esse ex Socratis verbis apparet. Statim enim postquam Euagrius ordinatus est, ipse cum Eustathio in exilium est abductus. E catalogis autem quinque cum veritate consentiunt[2]): quantum ceteri inter se et a vero dissentiant, e tabella calci libelli subiecta cognoscere licet.

De tempore quo Demophilus depositus et Gregorio Nazianzeno episcopo electo orthodoxis sedes Constantinopolitana a Theodosio reddita est, testimonia certissima habemus, quae cum afferant Pagi sub ao. 380. num. IX. et Clinton sub eodem anno, hic ea enumerare supersedeo. Theodosius autem Constantinopolim intravit secundum Socratem a. d. VIII. Kal. Dec. anni 380 et Demophilum deposuit a. d. VI. Kal. Dec.[3])

Secundum eundem Ariani ecclesiam obtinuerunt *ἐπὶ τεσσαράκοντα ἔτη*. Huius nota utitur Pagius[4]), ut firmet, id quod antea statuit, anno 340 Alexandrum episcopum Constantinopolitanum mortem obiisse, Paulum eodem anno eum excepisse, translationem Eusebii ad sedem Constantinopolitanam peractam, concilium denique Alexandrinum in causa Athanasii habitum esse. Etenim si statuamus, ut fecerit Baronius, ecclesias ab Arianis ao. 339 occupatas esse, annum 380 non quadragesimum esse, sed quadragesimum primum aut secundum. Sed Pagium non recte censere existimo. Nam etiam si Alexandri mortem eodem tempore, quo Constantinus alter obiit, quod initio anni 340 factum esse supra vidimus, incidisse ponamus, tamen usque ad Demophili depositionem, quam a. d. VI. Kal. Dec. factam esse scimus, non numerantur annos quadraginta, sed paene quadraginta unum. Idque observavit etiam Theophanes, quem exscripsit Cedrenus[5]) quique sub ao. m. 5874 exhibet: *τεσσαράκοντα ἔτη τῶν Ἀρειανῶν καὶ μικρόν τι πρὸς προκατασχόντων τὰς ἐκκλησίας*, nisi fortasse iam Theodorus Lector, Theophanis fons, hoc loco verba *μικρόν τι πρὸς* addidit. Sed fortasse — id quod Pagius non animadvertit — cum Socrates habeat *ἐπὶ τεσσαράκοντα ἔτη*, verbo *ἐπὶ* menses

1) Socr. IV. 14. 15. Soz. VI. 13. Philost. IX. 8. 10. 2) Niceph.; Niceph. tractat.; Vindob. A et B; Ephraem. Chronographium compendiarium Euagrium propter breve regiminis spatium omittit. 3) Socr. V. 6. 7. Soz. VII. 5. 4) sub ao. 340. num. XX. ao. 380. num. IX. 5) I. p. 553.

illos, quibus ultra quadraginta annos Ariani valuerunt, indicare voluit. Id igitur non negandum est, Arianos secundum Socratis computationem ἐπὶ τεσσαράκοντα ἔτη ecclesiam Constantinopolitanam obtinuisse. Neque tamen eum temere sequi licet, sed antea quaerendum est, utrum verum afferat necne. Atque cum aliis testimoniis supra demonstraverimus Socratem mortem Alexandri serius ponere, huius quoque loci numerum annorum a vero abhorrere sequitur. Neque obstat nobis locus in chronico Marcellini Comitis, ubi Arianos per quadraginta ferme annos sub Arianis imperatoribus ecclesiam tenuisse legitur. Eodem enim iure, quo Pagius hunc locum suae accommodavit sententiae, nobis dicere licet Marcellinum, cum numerum annorum non accurate aut novisset aut dare vellet, rotundo ut aiunt numero esse locutum. Revera igitur Ariani sedem Constantinopolitanam obtinuerunt inde ab Eusebii translatione in priore parte anni 339 facta usque ad a. d. VI. Kal. Dec. anni 380, qui sunt anni fere quadraginta unus et dimidium.

Sed horum octo episcoporum annis constitutis iam subsistamus. Ut autem appareat, quantum inter se et a vero catalogi dissentiant, nunc sequatur episcoporum tractatorum laterculus et numeri et in catalogis iis assignati addantur et ii, quos veros eruisse mihi visus sum.[1])

Nomina.	chron. comp.	Nic.	Nic. tract.	Vindob. A	Vindob. B	Nic. Call.	Leuncl.	Matth. Cig.	Phil. Cypr.	cod. Clarom.	num. correcti.
1. Metrophanes	13	10	10	10	10	10	10	10	10	10	7
2. Alexander	23	23	23	23	23	23	23	23	23	23	23
3. Paulus (I.)	9	10	3	3	6	3	10	10	10	10	1½
4. Eusebius	2	12	12	12	16	12	12	12	12	2	2½
3ª. Paulus (II.)	0	0	—	0	0	0	—	—	—	—	0
5. Macedonius (I.)	10	10	2	10	8	5	12	12	12	10	4
3ᵇ. Paulus (III.)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	5½ (7)
5ª. Macedonius (II.)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	9 (13)
6. Eudoxius	10	8	10	8	10	7	8	8	8	10	10
7. Demophilus	8	12,5	11,5	11,5	11,5	12,5	11,5	11,5	11,5	8	10½
8. Euagrius	—	0	0	0	0	6	4	4	4	30	0

1) Signo 0 indicatur episcopum aliquem in catalogis nominari, sed propter breve regiminis spatium quamdiu in sede fuerit non tradi. Si quis autem episcopus prorsus omittitur, signo — utimur. Numeri qui alios sequuntur inclusi, omnes alicuius episcopi, qui bis terve episcopatu functus est, annos indicant.

Tempora autem, quibus singuli episcopi secundum nostram computationem sederunt, haec sunt:

Nomina.	initium.	finis.
1. Metrophanes	306/307	314 (prid. Non. Iun.?)
2. Alexander	314 (post Non. Iun.?)	337 alt. part.
3. Paulus (I.)	337 alt. part.	339 prior. part.
4. Eusebius	339 prior. part.	341 sub fin.
3ª. Paulus (II.)	341 sub fin.	342 init.
5. Macedonius (I.)	342 init.	346 init.
3ᵇ. Paulus (III.)	346 init.	351 sub fin.
5ª. Macedonius (II.)	351 sub fin.	360 a. d. VI. Kal. Febr.
6. Eudoxius	360 a. d. VI. Kal. Febr.	370 init.
7. Demophilus	370 init.	380 a. d. VI. Kal. Dec.
8. Euagrius	370 init. statim expellitur.	

Index.